1,40 14009/B.

A.I.n.10


Púſchel ſc.

42550

STEPHANI BLANCARDI LEXICON MEDICVM

VIRI CELEBERRIMI

IOANN. HENRICI SCHVLZII

OPERA

INSIGNITER AVCTVM ET EMENDATVM

NVNC

DENVO RECOGNITVM

VARIISQVE ACCESSIONIBVS LOCVPLETATVM

CVRANTE

MICH. GOTTL. AGNETHLERO

SAXONE TRANSILVANO.

PRAEFATIONEM

PRAEMISIT

ANDREAS ELIAS BVCHNER

POTENTISS. PRVSS. REG. A CONSIL. SANCTIOR MEDICIN. ET PHILOS. NATVRAL. IN ACADEM. FRIDERICIANA PROF. PVBL. ORDIN. ET IMPERIAL. ACADEM. NAT. CVRIOS. PRAESES.

CVM PRIVIL. POTENTISS. POL. REG. ET ELECT. SAX.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

APVD IO. GOTTL. BIERWIRTH

CIↃ IↃ CCXXXXVIII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

ANDR. ELIAS BVCHNER.

Nouam notiſſimi Lexici medici TIBI, LECTOR ERVDITE, ſiſtimus editionem, haud vero ſaltem nouam, verum etiam variis acceſſionibus egregie adauctam. Quodſi igitur penitius pernoſcere vo-

lueris, vnde ampliora hic liber acceperit incrementa, pauliſper nobiscum in operis huius limine ſubſiſte.

Quum vir doctiſſimus, idemque Daniae ſuae immortale decus, OLAVS BORRICHIVS, identidem obſeruaſſet, in pharmacopoliis vocabula ab antiquitate transmiſſa, Graeca pariter ac Latina & quaedam Arabica, admodum male haberi, vt vix vllum ex ore hominum protrudatur ſine aliqua corruptione, miſertus illius calamitatis, quae manifeſtas barbariei notas prodit, ſcripſit libellum, quo erroribus obuiam iret, illumque *linguae Pharmacopoeorum* titulo inſigniuit. Effecit iſto labore, vt haud ambiguum ſit, quaenam in proferendis iſtis vocabulis iuſta lex ſit vel producendi ſyllabas penultimas,

vel

vel easdem corripiendi: in paucis etiam, quamquam id non erat pollicitus, alias aberrationes a grammaticis regulis, tamquam aliud agens, indicauit & praeclare emendauit, adeoque exiguae molis libello multum omnino non ſolum pharmacopoeis, quorum inprimis ille labor vſibus deſtinatus erat, verum etiam ſalutaris doctrinae cultoribus profuit BORRICHIVS.

Clariſſimi huius viri exemplum illuſtrem quondam in hac muſarum ſede Medicum & inſignem Philologum, celeb. SCHVLZIVM, excitauit, vt eandem operam anatomicorum & chirurgorum filiis nauare decerneret, idque in praefatione, proxime ſuperiori Lexici huius editioni praemiſſa, cum eruditis communicaret: eum itaque amor

ac deſiderium, antiquiſſimum ſaluberrimarum artium vocabulorum vſum exquirendi, deduxit ad agnoſcendas aliquas aberrationes, quas viri caetera doctiſſimi, qui incredibilem barbariei vim ab his diſciplinis profligarunt, vel non obſeruauerant, vel conniuendo reliquerant. Aliqua illorum omnino ſunt eius generis, quae vocari ſolent hybrida, id eſt originem ex diuerſis linguis male copulatis nacta; aliis terminatio, aut in adiectiui nominis formam deflexio, aptata eſt, quam non patiuntur leges illius linguae, quae ipſum vocabulum ſuis adnumerat. In non paucis orthographiae, aut iuſtae pronunciandi leges, aliquo conſuetudinis quaſi iure violantur. Saepe autem factum ipſi animaduertimus, vt tirones in ta-

libus

libus valde haeſitarent, & non facile diſcernerent, quem ſequerentur, quemque deſererent, ſi talem diuerſitatem in ore vel ſcriptis doctorum caetera virorum notarent: ſaepeque aliqui ludibrium ſe debuiſſe aliis conqueſti ſunt, quum rectiorem vſum voluiſſent amplecti, in rationibus vero comprobandis defeciſſent.

Horum itaque in gratiam & ad vtilitatem omnium, qui ſtudioſius rectum diſcere, quam prauum ſequi malunt, tum antea laudatum raritate & praeſtantia inſigne BORRICHII opuſculum, tum incomparabilis SCHVLZII noſtri, τȢ μακαρήτȢ, lucubrationes, quae inopinata magni viri morte vna cum aliis longe vtiliſſimis ſcriptis, quo inprimis alteram

 Hiſto-

Hiſtoriae Medicinae partem, Celſum, Nicandrum & Geographiam litterariam refero, praemature parente orbata & deſtituta, itidem inter effecta tantum viri litteratiſſimi opera hactenus latuerunt, nouae huius Lexici medici editioni inſerta ſunt: quae, ne cum inſigni reipublicae litterariae damno diutius in ſcriniis deliteſcerent, aut prorſus interciderent, cum ad augendam nouam linguae Pharmacopoeorum editionem, tum adornandam Anatomicorum & Chirurgorum linguam operoſe ex ſingularum doctrinarum fontibus erutae obſeruationes, opportune contigit, vt, quum nuper Bibliopola ad prelum reuocando Lexico Blancardiano animum adiiceret, ſimulque eleganter docti editoris, haud ita pridem

pridem ſanctioris diſciplinae, nunc vero ſalutaris doctrinae candidati, operam requireret, meliori conſilio ſparſim in recentiori multoque auctiori hac Lexici medici editione ſuum occuparent locum, atque ita blattis tineisque ſubducerentur.

Quoniam vero BORRICHIVS & SCHVLZIVS, duumviri certe celeberrimi omnique honoris cultu etiam poſt fata mactandi, non omnium, quae in hoc Lexico medico occurrunt, vocabulorum, quorum ſuſpecta vel dubia quantitas eſſe ſolet, rationem habuerunt; propterea nos ipſi editorem eruditiſſimum monuimus, vt copioſiorem *indicem proſodicum* publico daret, eoque itidem augeret editionem, ſpe freti fore, vt

 aequi

aequi elegantisque doctrinae amantes hoc conſilium nequaquam ſint improbaturi.

Minutula haec omnia quidem procul dubio haud paucis videbuntur, tantoque minus veremur fore, vt aliquis, cui antea placuerunt forte quaedam ex iis, quae paſſim in hoc libro reprehenduntur, clariſſimorum virorum vrnae & praeclare docto editori ſuccenſeat: atque tanto etiam minus id verendi cauſſas habere credimus, quum vix vllum in his additamentis nouoque indice proſodico occurrat vocabulum, cui dicam ſcripſerunt, quod non ſe poſſit tueri auctoribus, qui principum artis medicae ſcriptorum laudem ſummo iure conſequuti ſunt, & apud omnem poſteritatem

mere-

merebuntur. Si quis vero nihilominus, magnorum quorundam noſtri aeui auctorum patrocinio & exemplo fretus, antiquum obtinere malit, quam monitorem audire, vsque adeo nos non habebit ſibi ſuccenſentes, vt publico potius oblatos diligentiae eius fructus eadem auiditate perlecturi ſimus, qua quicquid in medica diſciplina nacti, etiam a ſemibarbaris hominibus ſcriptum, euoluimus. Diſſimulare autem nec poſſumus, nec volumus, quin potius ingenue profitemur, optare nos, vt medicinam omni porro tempore ornent commendentque ſtrenui ſtudiorum ad humanitatem ſpectantium vindices, & nunquam deſint in hanc artem, humano generi inprimis neceſſariam, profeſſis,

qui

qui antiqua decora pari ſtudió tueantur & ad vltimam propagent poſteritatem.

Quod igitur a STEPHANO BLANCARDO primum admodum ieiune editum fuerat Lexicon medicum, id, poſt varias aliorum acceſſiones, ante hos octo annos inprimis celeb. IO. HENR. SCHVLZII opera multo auctius & emendatius denuo emiſſum fuiſſe, cum ex Viri cl. praefatione, tum aliunde apparet. Qua vero ratione recentior haec editio laudati praenobiliſſimi editoris vigiliis iterum auctior, atque ad communem doctrinae ſalutaris cultorum vtilitatem accommodatior reddita ſit, ample ſupra iam docuimus. Tanta itaque primi auctoris lineamenta iam accepe-

runt

runt incrementa, vt hoc Lexicon haud commode poſthac Blancardi nomen retinere poſſe videatur.

Nihil amplius ſupereſſe arbitror, quam vt, priusquam ab invicem recedamus, TE, LECTOR BENEVOLE, admoneam, quod idem hoc Lexicon, ſi quidem ſummum numen praeclare docto & variis ſolidae eruditionis decoribus exornato editori vitam incolumem conceſſerit, (abſolutis NVMOPHYLACII SCHVLZIANI parte altera & vltima aliisque ſcriptis numiſmaticis, quae in horis ſubciſiuis eius adhucdum exercent diligentiam,) demptis illis, quae ſaepe Lexica magis onerare, quam exornare ſolent, additisque omiſſis, praeſertim botanicis vocabulis, multo ma-

gis excultum poſt hac proditurum ſit. Interea iſtis, LECTOR, vtere conatibus, atque maiora meditanti editori noſtro faue. Halae Magdeburgicae, pridie Nonar. Septembr.
A. S. R. cIↃ IↃ CCXLVII.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

IO. HENR. SCHVLZE.

Quod TIBI exhibeo Lexicon medicum, qualicunque opera mea nunc excultum, iam ſatis longo tempore in bibliopoliis verſatum eſt, fortunamque ita fauentem habuit, vt iterum iterumque praelo ſubiici debuerit. Prima quidem editio admodum exiguo volumine conſtabat; eamque ante complures annos, cum

noua praefatione viri excellentiſſimi GEORGII ERNESTI STAHLII, emittebat idem bibliopolium, ex quo nunc prodit haec longe & plus quam altero tanto auctior. Scire itaque, vnde illa incrementa acceperit liber antea tam exiguus, & tua intereſt & noſtra refert.

Bibliopola, vt animum renouando lexico Blancardiano adiecerat, in eo fere iam erat vt priorem, quam hic recuſam dixi, exſcribendam typographo traderet, correctiorem tamen & a multis erroribns repurgatam, alicubi etiam conſpicue auctam a viro docto, cuius nomen requirenti mihi non indicauit. Enimuero alii monuerunt ipſum de editione noua Lugduni Batauorum clↄ Iↄ cc xxxv. emiſſa, omninoque ſuaſerunt vt illam potiſſimum adhiberet. Meum tandem conſilium requirebatur, quod poſt aliquam deliberationem candide impertiebar, nihil vtique tunc minus exſpectans, quam fore vt ad exſequendum & perficiendum opus vocarer. Repetitis tamen precibus expugnatus ſum, praeſertim quum mihi omnia liberrime peragenda traderentur, modo proſpiceretur ne moles maior fieret, quam vt pretio tolerabili emtoribus etiam tenuioris fortunae tradi poſſet.

Statim illud cognoſcebam, magis mihi fore cogitandum de reſecandis quibusdam, qui-

bus

bus carere liber poſſe videbatur, quam de nouis addendis. Quare initio ſtatim de omittendis interpretationibus vocabulorum Gallicis, Belgicis, Anglicanis ſtatuebam: quum ſufficere videretur ſi libello huic, fines Germaniae non facile tranſituro, vernaculae denominationes adiicerentur. Deinde non parum demi debere & poſſe intelligebam, quum obſeruarem ſaepe factum fuiſſe vt eadem res bis, terue diceretur, ſub diuerſis nominibus eandem rem deſignantibus. Tandem etiam notabam multa fuiſſe fuſius, quam in Lexico conueniebat, planeque διεξοδικῶς explicata, praecipue anatomica, phyſiologica & practica: quae in libris ad has diſciplinas pertinentibus potius requiruntur, quam in libello vocum explicationem promittente. His demtis ſperabam futurum vt non ſolum ſua mediocritas dari libello poſſet, verum etiam locus fieret quibusdam magis neceſſariis, quae deſiderabantur. In vocabulis ad rem botanicam pertinentibus, quarum fere ampliſſimae ſunt deſcriptiones, diu anceps & dubius haeſi, quid mihi faciendum eſſet. Eſſe illas plerumque verboſiores res ipſa docebat: ſed quid demi deberet non facile ſuccurrebat. Videbantur mihi pleraque eſſe ex praelectionibus ſummi viri HERMANNI BOERHAAVII deſumta; vtque ita exiſtimarem effecit libellus inſcio auctore editus, in Britannia, ſi titulo fides eſt, excuſus. Statui tandem pleraque eſſe relin-

quenda integra, niſi de rebus vnlgatiſſimis, vt quercu, piro, pomo, ageretur: in quibus commode tolli quaedam poſſe credebam. Aliqua etiam, quae in officinis medicis locum non habent, reſecari & omitti ſine ſtudioſorum medicinae damno poſſe putabam. De his itaque praecipue me excuſandum beneuolo lectori exiſtimo; quem etiam rogo, vt condonet ſi quid minus recte in his poſitum obſeruet. Nimis deſtitutus ab apparatu botanico, malui pleraque ita relinquere, vt inueniebam poſita, quam mutare etiam ſuſpecta, de quibus tamen non eſſem pleniſſime inſtructus.

In ſingulis autem, quae poſita ſunt, vocabulis id in primis operam dedi, vt recte ſcripta eſſent. Multum hic erat, praeſertim in Graecis nominibus, aberratum: quod nuuc ita exterſum puto, vt non multa ſperem ſupereſſe, quae oculum fefellerint. Si quid forte in ſpiritibus Graecarum vocalium aberratum fuerit, tenuitati characterum condonetur, & oculo, qui nubilis diebus aut ad lucernam non adeo accurate potuit typographorum ſpecimina ſemper arbitrari, vt omnino nihil ſubterfugeret. Deinde operam dedi vt ſingula vocabula ad analogiam artis grammaticae reuocarem: prorſus vitioſa, vt os *ſphenois*, nos *ſphenoides*, aut tollerem & recta ſubſtituerem; aut, vbi nimis vſu trita & vbique recepta ſunt, annotationem

adiun-

adiungerem: qualia ſunt *radiæus, cubitæus*. Conſulere in eo tironibus artis volui, quibus huiusmodi libri maxime ſcribuntur. Horum in gratiam annotatur ad *anaſarca*, quod ſit Graecum ex duabus partibus orationis conflatum, quarum poſterior eſt caſu quarto: quodque declinari non debeat. Viſus mihi ſum obſeruaſſe quod etiam viri hic impingant, & aliqui, τὸ *anaſarca* adiectiuum femininum rati, deinde perpetuo hypropem ex maſculinorum claſſe ad feminina transtulerint. Non parum etiam corrigendum fuit in deriuationibus, quae ſaepe aberrabant aut prorſus prauae erant. Sic *coloboma* a κολλάω *glutino*, quis ferre poſſet? qui totus locus adeo erat corruptus, vt refingi omnino deberet. Idem in multis aliis factum fuiſſe intelliget, quisquis noſtram editionem cum praegreſſa illa Lugdunenſi comparare non grauatus fuerit.

Illud poſſum ſane aſſerere, non aliqua negligentia mea factum fuiſſe, ſi quod in hoc genere erratum ſuperſit notabile. Saepe enim verecundia me retinuit, vbi aliquid eſſe putabam, quod excuſare aut tueri poſſet receptum. Adducam exemplum. Vbi ad *Aegagropilam* deueneram, volebam ſcribere *ægagropilus*, quia memineram GEORG. HIER. WELSCHIVM, qui nomen iſtud inuenit, ita poſuiſſe. Recurrebam itaque ad auctorem pridem lectum, cu-

Aliud exemplum ſubiungam in quo diu haeſitaui. Mirum a multis annis iam videtur, quid in mentem venerit illis qui oſſi ſphenoidi, quod Latini cuneiforme vocant, nomen impoſuerunt. Quis vmquam vidit cuneum tot proceſſibus praeditum, vt πολύμορφον hoc os? quis cuneum alatum? Cœpi igitur ſuſpicari, quod antiquiſſimi nomen hoc ſcripſerint σφηκοειδὲς, quod veſpæ ſimilitudinem habet. Me non abſurda cogitare agnoſcet, qui apud veteres notauerit, quod cranii oſſa tantum ſeptem numerauerint, atque os ethmoides partem ſphenoidis habuerint. Iam quaeſo intuere figuram huius oſſis, qualem Veſalius dedit, annon inſectum alatum volans ſic ſatis bene referat. Enimuero adeo conſtans eſt ſcriptura σφηνοειδὲς apud Galenum & Oribaſium, vt temerarius merito videretur, qui ſubſtituere nunc vellet σφηκοειδὲς. Neque tamen dimoueor a ſententia, quod Latine commodius vocaretur *veſpiforme*, quam *cuneiforme*. Video enim apud Suidam, Heſychium & etymologici magni auctorem clariſſima documenta, quod σφὴξ vtrumque ſignificauerit, & *veſpam* & *cuneum*. Forte hinc factum eſt vt poſteriores, de ſimilitudine inter veſpam & hoc os non cogitantes, alterum autem ſignificatum, qui cuneum adactum denotat, in animo habentes, deſierint ſcribere σφηκοειδὲς & σφηνοειδὲς arripuerint. Sed & forte σφὴν apud eos veſpam valuit. Certe ψὴν, quod nonniſi dialectica va-

ius mihi tractatus *de ægagropilis* 1660. editus ad manus erat. Fuerat autem olim illo exemplo vſus medicus celeberrimus *Guern. Rolfinckius*, qui multa ſua manu adnotauerat. Haec inter videbam pag. 2. ad verba: *ante nos nemini vſurpata voce*, in margine adiectum: *certe nemo ſic delirauit in imponendo nomine.* Vbi autem Welſchius p. 3. ſcripſerat: *ὁ πῖλος non tantum pila eſt Suidæ in lexico;* haec legebam in margine; *pilam Graeci non dicunt πίλον, nec eius rei quidpiam eſt in Suida.* Proximum erat adire Suidam, in quo cum vere nihil tale ad vocem πῖλος legerem, non poteram aliter ſuſpicari, quam Welſchium hic aliquid humani eſſe paſſum. Relinquebam itaque locum vt fuerat. Aliquo tempore interiecto, quum alius indagationis cauſa Euſtathii indicem percurrerem, inueni vocabulum πίλα, euolui locum *pag. 1554. lin. 34. ed. Rom.* atque duo omnino momenta, Welſchio aduerſus Rolfinckium defendendo ſufficientia, ſcilicet quod pila πῖλος παρὰ τοῖς ἀρχάιοις ἐκαλεῖτο & quod Suidas ἐν τῷ ά hoc ſcripſerit, ibi recognoſcebam. Nunc prorſus accedere Welſchio debebam: ſed iam impreſſum diu fuerat folium, vbi corrigi debuerat. Volui haec adducere, vt corrigendum locum ſuadeam, & vt perſuadeam hoc genus inueſtigationis non eſſe facillimum & perfunctoria induſtria ſuperabile.

Aliud

riatio videtur, eſt nomen inſecti volatilis. Credidi igitur non male me aucturum, ſi haec paucis verbis in ipſo lexico notarem: liberum cuique relinquens quantum coniecturæ meae vellet ſtatuere pretium. Plura huius generis, quamuis paucis verbis, paſſim allata inuenies, quae forte alio tempore paulo amplius prolaturus, omniumque rationes redditurus ſum. Diu enim occupor in Olai Borrichii lingua pharmacopœorum ad praelum reuocanda, multo auctiori & ad omnem grammaticae legem magis exacta futura: cui ſubiungetur lingua anatomicorum, & forte etiam chirurgorum. Videtur noſtro aeuo cogitandum eſſe de eiusmodi indice antibarbaro, quum fere plerique ex libellis potius gallica lingua ſcriptis, quam puris fontibus, principia nunc hauriant, & ad vſum Gallorum etiam Latine loquuturi ſe accommodent: in quo aliqui tantum ſibi placent, vt rectiora ſequentes omnino barbaros bona fide habeant.

Vt certum eſſet, quae ſyllabae in pronunciando vel deprimendae ſint, curaui Graeca in primis adiicienda: ratus omnino ex hac conſideratione vocalium ſua natura longarum aut breuium cuiuis facillimum inuentu fore, quid fugere quidue ſequi deceat. De reliquis, quorum non magnus eſt numerus, conabor vtique efficere vt rem omnem cum firmis rationibus

cogno-

cognoſcant philiatri, ſi prodierit id opuſculum, cuius modo ſpem faciebam.

Tandem etiam indicandum eſt, quid in hac editione acceſſerit, quod in prioribus non exſtabat. Inſerti ſunt vtique integri articuli, vt *arcanum duplicatum*, *caſcarilla*, *Pareira braua*, *Caiepút*, *cochia*, *arnica*, longeque plura huius modi: ſed pleraque huius generis adiecta ſunt articulis iam exſtantibus ſed nimis imperfectis. Nolumus hic nos iactare, ſed cuiuis permittimus, vt, comparatis editionibus, noſtrae acceſſiones arbitretur.

Speramus vtique noſtrum ſtudium, nec exiguum nec perfunctorium, effeciſſe vt Lexicon hoc Blancardianum, quod nunc exhibemus, illis, quibus priores editiones non diſplicuerunt, magis impenſe placiturum ſit. Non indigere talibus libris iam perfecte excultos medicos, facile largimur: ſed ſtudioſorum vtilitatibus, vt & eorum, qui aliis ſtudiis dediti ſubinde in medicae facultati proprios terminos incidunt, eorumque vim cognoſcere cupiunt, inſeruiturum illud eſſe, & in plerisque abunde ſatisfacturum, prope confidimus. Facile praeuidemus ſubinde futurum vt aliquid hic fruſtra requiratur: praeſertim ſi quis barbarorum medii aeui ſcriptorum volumina tractare velit. Enimuero iſtiusmodi omnino obſoleta, quae ſingulare vtique gloſſarium poſtulant, non eſſe noſtri

 ſaeculi,

ſaeculi, nouerunt omnes medicae artis gnari, neque vitio nobis verſuri ſunt, quod iſta in tali opuſculo neglеximus. Certe ſi quis ſola ad materiam medicam pertinentia dare voluiſſet: quod facile licuiſſet Syluatici pandectas transſcripturo, opus hoc praeſenti maius mole proditurum fuiſſet. Quanto maius naſci debeat, ſi ex ceteris partibus colligenda & exhibenda eſſent, facile aeſtimabitur. Sed hae lactucae labris hominum noſtri ſaeculi non ſapiunt; & pauculi illi, qui miculas auri ex hoc fimeto aliquando colligere forte cupient, ipſo vſu diuturno efficient vt facilius tandem in illis ſe progredi ſentiant: praeſertim ſi ad vocabula Arabica intelligenda vſi fuerint gloſſario vtiliſſimo, Ebn Sinae latinis editionibus plerumque ſubiuncto. Quod ſupereſt tuae, lector beneuole, aequitati omnia permittimus, vtque noſtris publico inſeruiendi conatibus porro faueas, quo decet officio rogamus. Halae Magdeburgicae, prid. Kalend. Aprilis cIↄ Iↄ cc xxxix.

LEXI-

LEXICON MEDICVM.

A.

A Siue ā, āā, vide *Ana*.

ABAPTISTON, videatur *Modiolus*, ex α priu. & βαπτίζω immergo, quia immergi non poteſt. Eſt autem nomen adiectiuum, & ſubauditur τρύπανον. Vulgo hodie vocamus *trepanum*, quod vide ſuo loco.

ABARTICVLATIO, vide *Diarthroſis*.

ABBATIS DIARRHODON; Abbas penultimam genitiui producit, vt recte *Labbeus* in *Analect. Proſod.* & *Caualius* in *Ian. Muſar.* docent, praeeunte *Mantuano III. Faſt.*

Nomina ad Abbatem Siculum transmittit, & ille.

ABDOMEN, *Iuueriali Sumen, Aqualiculus*. Eſt venter infimus, hepar, lienem, ventriculum, inteſtina, &c. continens. Intus membrana *Peritonaeum* dicta ſuccingitur: anterius in epigaſtrium, hypochondrium dextrum & ſiniſtrum, vmbilicumque diuiditur: inferior regio hypogaſtrii nomine venit. Nomen accepiſſe videtur quod abdit, ſeu abſcondit viſcera. Græcis ὑπογάστριον, ἦτρον, ὑπήτριον, ἐπίσχιον, λαπάρα, ὑποκοίλιον. G. der Unterbauch, Schmerbauch.

ABELMOSCH: Semen eſt puſillum, reniforme, vmbilico albicante, parallelis ſulcis ſtriatum, colore extus gryſeo, intus albo, odorem moſchi ſpirans: vox arabica compoſita ex *Habb*, *granum*, & *elmoſch*, *muſci* ſ. *moſchi*: quaſi granum aut ſemen moſchatum dicas. Semen pulueriſatum potui coffee pro gratia addunt.

ABDVCTORES MVSCVLI, ſunt illi, qui brachium, crus, oculos &c. abducunt, quorum oppoſiti, *Adductores*, dicuntur.

ABIGA. Herba, quæ & Chamæpitys dicitur. Vocatur & *Aiuga*; *Arthetica*, *Arthritica*, *Iua Arthetica* vide haec ſuis locis.

ABLACTATIO, dicitur quando infans, annum agens vnum aut alterum, a lactatione arcetur. Entwehnung.

ABLVENTIA, vide *Abſtergentia*.

ABLVTIO, Chymicis eſt, cum medicamenta impura, mediante aqua affuſa abluuntur, vt lixiuium a ſua terra; vel quando acrimonia a quauis calce aquam affundendo & decantando abluitur.

ABOMASVM, in ruminantibus quatuor numerantur ventriculi: *Venter*, *Reticulum*, *Omaſum & Abomaſum*. Gr. Ἤνυςρον.

ABORTIVA ſunt medicamenta, quæ vterum aperiunt, fœtumque & placentam expellunt.

ABORTVS, ABORSVS, ABORTIO & ABORTIVVM indiſcriminatim accipitur. Eſtque fœtus immaturi ante debitum partus tempus, in lucem editio. Fœtus abortiuus. Exterricinius *Feſto*, quaſi matre exterrita ante tempus natus. Ἠλιτόμηνον Græci dicunt. Ἔκτρωμα, Ἔκβολον, Κύημα ἀνεμιαῖον, Ἄμβλωμα, Ἀμβλυωσμὸς, Ἀποφθορα, Ἀμβλωθρίδιον, Ἄμβλωσις, Ἔκτρωσις, Ἐκτρωσμὸς, *Ariſt.* Ἐξάμβλωμα. G. Eine unzeitige Geburt.

ABRASA, ἀποσύρματα græcis dicta, ſunt vlcera, quæ mollem & ſuſpenſam habent cuticulam: Vel eſt quoque locus deſquammatus, & fruſtulum, in vlceribus a partis vlceratæ ſubſtantia abraſum.

ABRASIO INTESTINORVM eſt vlceratio partium ſuperficiariarum in inteſtinis, qua earundem partium ramenta educuntur vna cum fœcibus.

ABROTANVM *Lucano* placet, & *Horatio*, ABROTONVM *Lucretio*, & *Plinio*, Ἀβρότονον *Galeno* l. VI. *de ſimpl. med. fac.* penultimam corripit monitore *Horatio* II. *ep.* I.

Na-

Nauem agere ignarus nauis timet, abrotanum aegro
Non audet, niſi qui didicit dare - - -

Corripuere quoque *Lucanus* & *Lucretius.* Abrotonum planta officinalis eſt, gymnomonoſperma, flore compoſito, ſemine non pappoſo, foliis tenuiſſiſime diuiſis, odore forti, aromatico & acri, flores & ſemina referunt ſatis Abſinthium, radix lignoſa, caulis multifidus, durus, fragilis, ramoſus, medulla alba repletus. G. Stabwurtz, Eberreiß.

ABROTONITES, penult. producit. De voce ita *Columella lib.* XII. *cap.* 35. *Vinum abſinthiten, & hyſſopiten, & abrotoniten, & thymiten, & marathriten, & glycyrrhiziten ſic condire oportet;* caet. De quantitate ita cenſendum: Deriuata in ITES penultimam produecere, quod exemplis liquidum euadet:

Hinc äetites eſt, ſonitum cui ſpiritus addit. Fannius ex Dion.
Quinque palaeſtritae, licet haec plantaria vellant. Perſius ſat. 4.
Nec non pyrites, digitos qui ſtrictus adurit. Fannius e Dioń.
Atque ſeleniten lunaris imagine lucis. Fannius e Dion.
Tam mala Therſiten prohibebat forma latere. Ouid. de Pont. el. 13.

Sequuntur hanc analogiam ex ſententia *Labbei*, *Gloneri*, *Caualli*, & optimi cuiusque critici: Vinum abrotonites, abſinthites, acorites, apites, aromatites, aſarites, bunites, calaminthites, catorchites, cedrites, ceſtrites, chamaedryites, chamaelaeites, conyzites, cydonites, daucites, dictamnites, elelisphacites, elleborites, glycyrrhizites, hyſſopites, mandragorites, marathrites, melitites, myrſinites, myrtites, nectarites, omphacites, origanites, panacites, phoenicites, piſſites, praſites, rhetinites, rhodites, rhoites, ſcammonites, ſelenites, ſtichadites, ſtrobilites, ſycomorites, thymaelites, thymbrites, thymites, tragoriganites, de quorum & nominis ratione, & compoſitione conſulendus *Dioſcorides.* *Eidem* deſcriptus lapis aëtites, alabaſtrites, galactites, haematites, melitites, memphites, ophites, oſtracites, ſelenites, thyites, caet. omnia vi ſuperioris regulae a Poëtis roboratae penult. longa exprimenda. Quo ſpectat petaſites herba, ſcillites acetum, & ſimilia.

ABSCESSVS, vide *Apoſtema.*

ABSCISSIO, eſt ablatio partis mollis vitiatæ vel corruptæ, ope inſtrumenti acuti ſecantis.

ABSINTHIVM, eſt officinalis planta, habens flores floſculoſos deorſum vergentes, caulem lignoſum, ramoſum, albeſcentem, folia incana, amara inſigniter, odoris aromatici, ſemina parua, non papposa. G. Wermuth.

ABSORBENTIA, medicamenta ſunt plerumque ex terreſtribus petita, quæ vim habent acidum in corpore humano in ſe trahendi, ſibi aſſociandi & eneruandi. Dicuntur & *Temperantia*, *Concentrantia* & *Saturantia.* G. Saurbrechende Mittel.

ABSORBENTIA, vaſa ſunt minima, quæ, quaſi introſugendo exterius applicata, ea corpori inuehunt, & liquidis admiſcent. Talia ſunt vbique in corpore, vbi membranæ libere in cavitates hiant, & per hæc Mercurius & Emplaſtra & alia penetrabilia corpora externe applicata intrant in corpus; dicuntur quoque *Reſorbentia.*

ABSTEMIVS, eſt proprie, qui Vino abſtinet, late ſumitur pro eo, qui cibo & potu a Medico interdicto ſe abſtinet. Compoſitum ex abs & temetum. Gr. ἄοινος.

ABSTERGENTIA, ſunt quæ diluentibus, reſoluentibus, & ſaponaceis particulis fluida glutinoſa, vel ſemicorrupta ſolida auferunt ex locis, quibus ſua tenacitate adhærebant, non lædendo loca quibus coniuncta fuerant. Gr. Ρύπτοντα, Ἀποπλύνοντα Abſtreichende, Wundreinigende Mittel.

ACACIA, *Dioſcoridi lib.* I. *cap.* 133. ἀκακία: acacia pen. corripit, ita etiam *Vindicianus*, quem tempore Theodoſii ſenioris imperat. vixiſſe conſtat,

Acacian, propolinque, & adarcen, cnicon, acanthum. v. 57.

Primam tamen ſyllabam in acacia licentius produxit *Vindicianus*, quam rectius; non quod deriuetur ab ἄκακος prima brevi in *Oracul. Sibyll.* vti placuit *Cauallo*; ſed quia ab ἀκάζω pungo, arceſſit natales, cuius primam corripit *Homerus Iliad.* κ. obſeruante iam olim *Heſychio.* *Auicennae* quidem vocatur *Akhakbia*, ſed ab eo, in voce Graeca non capiendae leges. Habet autem acacia folia pinnata numeroſis foliolis, flores monopetalos infundibuliformes, campanulatos, multis ſtaminibus donatos, in capitulum congeſtos, ſiliquam longam, in plures foueas diuiſam, recondentem ſemina ſubrotunda vt plurimum reniformia. Ex Acaciæ Aegyptiæ ſiliquis immaturis exprimitur ſuccus, qui coctus & inſpiſſatus, ſaporis acerbi, auſteri

ſteri & adſtringentis eſt, & in Aegypto multum adhibetur in peſte & dyſenteria, morbis ibi familiaribus. Ille ſuccus cum olim eſſet pretioſiſſimus, & raro ad nos deferretur, hinc Germani illum extrahere cœperunt ex fructibus pruni ſylueſtris; qui ſuccus expreſſus, coctione leni inſpiſſatus, nigricans, ſolo colore ab Aegyptiaco differt, ſaporis ſimiliter eſt acidi, auſteri, adſtringentis. G. Schlehendorn.

ACAMATOS, eſt optima corporis humani conſtitutio & figuratio. Item non laborans, indefeſſus. Ex α priv. & κάμνω laboro, fatiſco.

ACANTHABOLVS eſt inſtrumentum Chirurgicum, quo ſpinæ œſophago inhærentes eximuntur: Item fruſtula oſſis corrupta & mobilia; ſpicula item & globuli eorumque fragmenta, turundæ, atque pili, aliaque extranea, quæ in vulneribus reperiuntur, eodem inſtrumento eximuntur. Ex ἄκανθα ſpina, & βάλλω iacio. G. Grätzänglein, Kornzänglein.

ACANTHA ſeu Ῥάχις, eſt Vertebrarum protuberantia poſterior, vulgo *Spina Dorſi* appellata. G. Rückgrad.

ACANTHVS, *Acanthium* & *Acantha*, eſt ſpina arbor vel herba ſpinoſa.

ACANTHVS, ἄκανθος, ſeu Branca vrſina, planta eſt flore monopetalo, anomalo, quæ habet folia ampla, mollia, villoſa, profunde inciſa, repentia, ex radice erumpentia, & ſuccum glutinoſum habentia; florem monopetalum, anomalum, verſus anteriora bifidum, verſus poſteriora ſuccedit vaſculum ſeminale inſtar gladii, obvolutum plerumque ipſo calice, fructum habet glandiformem, diſangeion polyſpermum, ſemina oblonga, radicem extus nigram, intus albam. G. Bärenklau, Bartſch.

ACARVS, ab α priv. & κάρω, tondeo, ſeco, quod ſit animalculum paruitate inſectile. G. Miete.

ACCELERATORES vocantur muſculi penis duo, qui carnei orti a ſuperiori parte vrethræ ſub oſſe pubis, ambientes bulbum vrethræ, inferius iuncti, decurrunt, & ſecedentes inſeruntur vtrimque membranæ forti corporum cauernoſorum penis. Hinc agendo, conſtringunt vrethræ partem poſteriorem, quo vrinam ex vrethra, ſed præcipue in coitu vi magna ſemen expellunt.

ACCESSIO, idem quod *Paroxyſmus*.

ACCIDENS, idem quod *Symptoma*.

ACCIPITRINA. Vide *Hieracium*.

ACER, vel vt apud *Solinum* legitur ACERIS: eſt arbor

 glan-

glandifera, ſatis procera, flore roſaceo, piſtillo frugifero, tricapſulari, in alam foliaceam deſinente, foliis laciniatis: huius cortex eſt rubicundus, lignum durum & ſatis fragile: ex huius arboris ſucco ſacharum præparant Canadenſes. Gr. Σφένδαμνος. G. Ahorn.

ACERIDES, ſunt emplaſtra, quæ carent cera, quale eſt Norimbergenſe.

ACETABVLVM, idem quod *Vmbilicus Veneris.* Folium habet rotundum & in ſummitate depreſſum, a ſimilitudine ſcutellarum dictum, in quibus acetum olim menſæ ſolebat apponi. Gr. Κοτυληδών. G. Nabelkraut.

ACETABVLVM, anatomicis denotat oſſis cauitatem, alterius oſſis caput profundius excipientem; & in ſpecie applicatur cauitati, quæ eſt in extrema ceruicis ſcapulæ parte, & caput brachii excipit; & inprimis cauitati magnæ, formatæ in concurſu externo trium oſſium, ilii, iſchii, & pubis, capiti oſſis femoris recipiendo dicatæ. Veteres etiam vtero acetabula tribuebant: de quo vide infra: *Cotyledones.*

ACETABVLVM, ὀξύβαφον, eſt menſuræ genus, quod tam ſiccis quam fluidis adhibebatur. Capit vini vncias duas cum ſemiſſe.

ACETARIA, ſunt ex vegetabilibus obſonia vel condimenta, quæ cruda cum aceto, oleo, & ſale manducantur. G Sallat.

ACETOSA, eſt planta flore apetalo, ſemine triangulari capſula obuoluto, quæ conficitur ex tribus foliis calicis: habet folia oblonga viridia, ſplendentia, ſuccum acidum habentia. Gr. Ὀξαλὶς & Ὀξυλάπαθον, quia inter Lapathi ſpecies recenſetur. G. Saurampffer.

ACETOSELLA, eſt minor Acetoſæ ſpecies, & eiuſdem originis. Alia trifolia dicitur Alleluia, Luiula, Oxys, Acetoſum trifolium, Oxytriphyllum.

ACETVM, pen. prod. quia ab aceo, es, acere.

Imputet ipſe deus nectar mihi, fiet acetum. Mart. lib. XII. *ep.* 48.

Acetum, eſt liquor acidus, vegetabilis, tenuis, penetrans, ſubpinguis, ignem & flammam extinguens: in genere autem liquorem quemcunque acidum notat, vnde nonnullis ſpiritus ſalis, nitri, vitrioli, & ſimiles, *Acetum* dicuntur. Verum tamen in officinis liquorem ſolum acidum denotat, ex potulentis ſuccis factum & κατ᾽ ἐξοχὴν ex vino ſeu vuis: & hoc recipiendum eſt, quoties *Aceti* ſimpliciter fit mentio. Aliud eſt

Sim-

Simplex; aliud *Deſtillatum*, cum vel ſine Medicamentis; aliud eſt *Compoſitum*, vt Acetum Calendulæ, Roſarum, Sambuci, Scilliticum. Gr. Τὸ ὄξος. G. Eßig.

ACETVM ALCALISATVM; eſt acetum deſtillatum, quod proprio vini ſale alcali eſt ſaturatum. Vocatur alias *Arcanum tartari* vel *terra foliata tartari.*

ACETVM PHILOSOPHICVM, eſt acidum ex melle deſtillatum; vel eſt aqua mercurialis, quam alias lac virgineum appellant, quo metalla ſolvi perhibent. Gr. ὕδωρ σοφῶν.

ACETVM RADICATVM, eſt liquor acerrimus aceti, abſtracto phlegmate remanens. Aliqui hoc nomine cenſent *acetum alcaliſatum*, de quo antea.

ACHATES, vel ACHATITES LAPIS, eſt genus inter opacos lapides, & gemmas, ita medium vt ſemiopacum vocari queat: coloribus & rerum imaginibus, quas ab ipſa natura formatas repræſentat, valde varians.

ACHILLEA & ACHILLEVS, vide *Millefolium.* Sic dicitur, quia ferunt Achillem Chironis diſcipulum primum inueniſſe.

ACHLYS, Gr. ἀχλὺς ſignificat aëris caliginem, & turbationem, cuius craſſamentum eſt medium inter nebulam & nubem; & in ſpecie ita dicitur oculi quoddam vitium caliginoſum ob cicatriculam tenuiſſimam a ſuperficiaria corneæ exulceratione factam, nigrum pupillæ occupantem. Recenſetur inter ſpecies *Amblyopiæ.*

ACHOR, ſeu *Cerea*, eſt cruſtoſa ſcabiei capitis ſeu Herpetis ſpecies: ſunt vlcera in capitis ſuperficie pluribus exiguis foraminibus aperta, ſanie liquida manantia, fætida, putrilaginoſa & cadaueroſa, alias liuida, alias flaua, fœdis ac tuberoſis cruſtis tecta, pruriginoſa; orta a quocunque acri glandulas cutis obſidente. Differentia achoris & faui hæc eſt, quod in Achoribus foramina ſint minora & viſum quandoque effugientia: in Fauis vero maiora & manifeſta. Dicitur etiam *cruſta lactea*, *lactumen* & *tinea*, præſertim, ſi achores diutius durent, & tardius ad curationem diſponantur. Gr. Ἀχῶρες, *Saphati* Arabibus. G. Reudigkeit des Haupts.

ACHROI, ſunt homines decolores, vt melancholici, cachectici & chloroſi vel ictero laborantes vel exſangues, ex α priu. & χρόα color. G. Entfärbt, übel gefärbt.

ACIA *Celſi*, idem quod *Fibula Chirurgorum.*

ACIDITATIO vocatur ſymptoma ventriculi; quando

vinum aſſumtum in illo acorem contrahit, quod hypochondriacis quibusdam ſatis familiare eſt.

ACIDVLÆ, ſub aquis mineralibus comprehenduntur, & ſunt proprie aquæ ſpiritu volatili acido impraegnatæ, quarum vires differunt pro diuerſitate ſalium, quæ ſecum ferunt. &c. vide *Balaneum.*

ACIDVM, eſt ſal fixus, aut volatilis: denominatur 1°. ab ortu ſuo, nativo, fermentatione, 2°. a materie ſua vegetabili, foſſili. Cognoſcitur effectu efferveſcentiæ, cum alcalinis, terreſtribus, oſtracodermatis, coralliis, &c. præcipationis, coalitus in neutrum cum alcalicis, terreſtribusque; ſolutionis inprimis partis metallicæ mercurialis; mutationis coloris heliotropii, roſarum, violarum, in rubrum, ſaporis, odoris, doloris rodentis, lancinantis excitatione.

ACINESIA, *ἀκινησία*, eſt totius corporis aut partis alicuius immobilitas, vt in paralyſi, apoplexia, ſyncope &c. ex *α* priv. & *κινέω* moueo. G. Unbeweglichkeit.

ACINI, ſunt granula minutiora ſiue per ſe creſcant, vt acini, id eſt, baccæ ſambuci, ſiue aliis incluſa, vt acini vuarum, quin & ipſas vuas integras ſonant. *Acinus* etiam *Columella* appellatur: vt & minutiſſimæ glandulæ in hepate, cute, &c. quæ fere viſum fugiunt, quoque *acini glanduloſi* appellantur. G. Körnlein, Beeren.

ACINIFORMIS TVNICA, idem quod *Oculi Tunica vuea*, dicitur quoque acinoſa tunica. Gr. *ῥαγοειδής.*

ACINVS vel ACINOS, eſt Ocimaſtrum.

ACMASTICA FEBRIS, idem quod *Synochus* ab *ἀκμάζω* invaleſco, vigeo. vide *Homotonos.*

ACME, *ἀκμή*, eſt morborum vigor, ſeu ſtatus & ſummum. Morbi plerique quatuor tempora habent: primum dicitur Ἀ*ρχή*, *id eſt*, *Principium*, ſeu *Inuaſio*, ſiue cum morbus primo inuadit. 2. Ἀ*νάβασις*, ſiue *Augmentum*, eſtque tempus inter principium & vigorem. 3. Ἀ*κμή* ſeu morbi *Vigor*, cum morbi ſymptomata maximè vrgent; in quo æger, ſi vires deficiant, moritur. 4. Π*αρακμή* ſeu *Declinatio*, quando morbus deferbuit, & æger extra noxam iudicatur, nemo enim in declinatione moritur. G. Wenn die Kranckheit am heftigſten iſt.

ACONITVM pen. prod. *Ouid.* 1 *Metam.*

Lurida terribiles miſcent aconita nouercae.

Planta eſt, quæ caulem habet exiguum rotundum, in multos ramos diviſum; folia in ambitu fere rotunda, ampla, laciniata habet, & florem pentapetalon anomalum, caput humanum

cu-

cucullа monachi tectum referentem, piſtillum abit in ſiliquas multas uniualues, dehiſcentes, quæ recondunt ſemina anguloſa, nigra; radix fibroſa; vis deleteria magna ineſt, hinc *Lycoctoni* cognomen habet a λύκ☉ lupus & κτάνω occido. Narrenkappen, Eiſenhütlein, Wolfskraut.

ACOPVM, eſt medicamentum, quod laſſitudinem a vehementiore motu corporis contractam, illitu ſopit, & dolores leuat: e calefacientibus, emollientibusque conflatum. Ex α priv. & κόπος. laſſitudo. G. Eine Salbe vor Müdigkeit.

ACOR, eſt acidus ructus ex cibis aceſcentibus non bene digeſtis in ventriculo.

ACORVM & ACORVS pen. corripit, quia *Dioſcoridi lib.* 1. *cap.* 2. ἄκορον, quod ταῖς κόραις, id eſt, pupillis mederi exiſtimetur. Vnde & *Vindiciano* pen. corripitur. Acorus vero, eſt calamus aromaticus officinarum: eſt duplex, *Indicus* vel *noſtras*; præſtat prior fragrantia: in vſu radix, quæ oblonga, paululum compreſſa, in ſuperficie quaſi geniculata, externe ex flauo rubeſcens, intus alba, fungoſa, ſaporis acris, ſuauiter amaricantis, & aromatici, odoris fragrantis; in paludibus creſcit. G. Calmus.

ACOSMIA, ἀκοσμία, eſt ſtatus ſanitatis peruerſus cum faciei decoloratione, vide *Achroi.* G. Veränderte Farbe, übel gefärbt.

ACOVSTICA, ſunt medicamenta auditum iuuantia, ab ἀκέω audio. G. Gehörmittel.

ACRASIA, eſt INTEMPERIES, ſiue qualitatum in mixtione exceſſus, ex α priv. & κεράννυμι tempero.

ACRISIA, eſt turbulentus morborum ſtatus, adeo ut vel nullum, vel difficile, malumque iudicium aut criſis ſumi poſſit; ex α priv. & κρίνω iudico.

ACROCHIR, Gr. ἀκρόχειρ, eſt ſumma & extrema manus, cuius termini ſunt vlna cum radio, & extremi digitorum apices: diuiditur in tres partes minores, carpum ſeu brachiale, metacarpum ſeu poſtbrachiale, & in digitos.

ACROCHIRISMVS, dicitur ſpecies luctæ vel exercitationis, quando duo homines ſummis manibus inter ſe colluctantur, & ſeſe omni niſu mutuo premunt.

ACROCHORDON, ἀκροχορδὼν, eſt verrucarum ſpecies, orbiculari figura cum anguſta baſi, & *penſilis verruca* appellatur. Vel eſt verruca ſub cute durior, aſperior, calloſa, & plerumque teres, cuti concolor, infra tenuis, ad cutim latior, iuniores maxime infeſtans. Sic dicta, quod in imo ad-

eo angusta ſit, vt pendere videatur. Ex ἄκρον ſumma & χορδὴ fides. G. eine hangende Wartze.

ACROMIVM, ἀκρώμιον, eſt ſcapulæ proceſſus ſuperior, ſiue humeri ſummitas, vbi cum ſcapulis clauiculæ committuntur; dicitur & *humeri mucro & ſummus humerus*, ex ἄκρος ſummus, & ὦμος humerus. G. Oberſte Theil des Schulterblats.

ACROMPHALVM, vel ACROMPHALIVM, eſt vmbilici medium, ſiue vmbo, cui funiculus vmbilicalis ante partum adhærebat; dicitur & Μεσόμφαλον, Μεσομφάλιον, ex ἄκρος ſummus & ὄμφαλος vmbilicus. G. Das mittelſte von dem Nabel.

ACROTERIASMOS dicitur extremarum corporis partium, videlicet manuum & pedum, vel putreſcentium, vel quorum oſſa corrupta ſunt, per ſerram reſectio.

ACTIO, eſt operatio ſiue Functio, definiti motus definita exercitatio: ſolent diſtingui in vitales, animales, naturales, ſexus, priuatas, publicas: *Vitalis* dicitur omnis motus inſeparabilis a vita, ac proin motus cordis, pulmonis, cerebelli. *Animalis* dicitur motus, in quo mens conſcia ſimul concurrit, ac proin ſenſuum motus, & muſculorum voluntariorum. *Naturalis*, eſt motus, qui heterogenea aſſumta mutat ſic, vt abeant in naturam noſtram, quales ſunt actiones viſcerum & vaſorum. *Sexus*, eſt actio quæ viro vel mulieri propria, vt ſemen conficiendi vel ſuſcipiendi. *Priuata* actio eſt, quæ modo vni inſeruit parti, vti eſt veſicæ vrinariæ. *Publica* actio eſt quæ toti corpori inſeruit, vti eſt actio ventriculi.

ACVERE, Chymicis eſt, quando liquor debilis, ab alio fortiori, ad diſſoluendum penetrantior redditur. Sic ſp. ſalis acuit ſuccum citri, ſpiritus nitri acetum deſtill. ad ſolutionem pro conficiendis magiſteriis. Sic ſuppoſitoria acuuntur ſcammonio, aliisue rebus.

ACVS, inſtrumentum eſt tenue, oblongum, in extremitatibus habens acutiem & rimam, cuius ope partes in vnione ſolutæ conſuuntur, vel vniuntur. G. Nadel.

ACVTVS MORBVS eſt, qui cum magno periculo, breui tempore decurrit: eſtque vel *Perperacutus* ſiue *Peracutiſſimus*, qui tertio vel quarto die terminatur: vel *Peracutus*, qui vsque ad ſeptimum diem extenditur: vel *Acutus ſimpliciter*, qui ad decimum quartum vel vigeſimum diem ad ſummum durat: vel *Acutus ex decidentia*, qui quadrageſimum diem pro ſummo termino habet. *Præcipitem* non male cum *Scribonio* di-

cas;

cas; vel *Celerem* cum *Aureliano; Pernicialis Liuio* dicitur, qui *celeriter* necat aut liberat hominem. Gr. ὀξὺ νόσημα ϰ πάθος. G. Gefährliche vel geſchwinde Kranckheit.

ADDEPHAGIA, ἀδδηφαγία, eſt voracitas, qua ſubinde alii cibi, prioribus nondum concoctis vel digeſtis, aſſumuntur. Græcis componitur ex ἄδδην largiter & φάγω comedo G. Freßigkeit.

ADDVCTORES MVSCVLI, ſunt illi, qui brachium, crus, pollicem, indicem digitum, oculos &c. adducunt verſus corpus; quorum antagoniſtæ *Abductores* nuncupantur. G. Herzuführende Mäußlein.

ADEN, ἀδὴν, idem quod *Glandula*.

ADEPS, Gr. Στέαρ, eſt pars ſanguinis oleoſa, albicans, in paruis veſiculis membranoſis collecta, fouendis & inungendis partibus inſeruiens: ab Anatomicis à pinguedine diſtinguitur, cum adeps ſit craſſior, durior, calore difficilius ſoluatur & prompte coeat; & hinc in homine vix reperitur, ſed modo in brutis. G. Feißt, Fett, Schmeer, Schmaltz.

ADEPTI, dicuntur a Chymicis, qui artem bene norunt, & id, quod in ea ſummum cenſetur, lapidem ſcilicet philoſophorum, conſequunti ſunt: abuſiue id nomen accipiunt, qui omnem laborem in arcano vniuerſali acquirendo impendunt, & in hanc metam adſpirant; ſic etiam vocarunt adeptos, qui ſpecialem ſcientiam crederent ſe habere ſiue in Medicina ſiue in Chirurgia pro ſanandis ægris.

ADIANTVM, nomen ab eventu accepit, quod folium eius aqua perfuſum ἐ διαίνεται, id eſt non madeat, ſicco ſemper ſimile. G. Frauenhaar.

ADIAPNEVSTIA, eſt impedita, per inſenſibiles corporis poros, perſpiratio, ab α priu. & διαπνέω perſpiro. G. Verhinderte Ausdunſtung.

ADIPSON, ab α priuatiuo & δίψα, ſitis; quod ſitim arcet.

ADIVTORIVM OS, vide *Humerus*. Sic dicitur, quia in eleuando brachio iuuat.

ADNATA TVNICA, eſt membrana oculi extima, orta a perioſteo, ex ambitu exteriori orbitæ, ibidem laxa, mobilis eſt; vaſculoſa; toti anteriori oculo obducitur, pellucida, ſolida eſt, hac firmatur oculi bulbus; in medio relinquit foramen rotundum pro tunica cornea, per quam transparet oculi iris & pupilla. Vocatur & coniunctiua. G. Das angewachſene Häutlein. vide *Albuginea*.

ADO-

ADONIS FLOS, Planta eſt ranunculi ſpecies, cuius caulis rotundus, villoſus, intus excauatus, & in multos ramos diuiſus, folia tenuiter inciſa, ſaporis acris, coloris viridis, flores roſacei, purpurei, qui ſuſtinentur a pedunculo ſatis longo; radix minima, alba, ſimplex, ſaporis ingrati & herbacei; nomen accepit ab Adone veneris Amaſio. dicitur & Eranthemum.

ADOR; *Zea.*

AD PONDVS OMNIVM, ſignificat, quod vltimum in formula præſcriptum medicamentum tantum debeat pendere, quantum omnia illa ſuperius præſcripta ſimul.

ADVLTERATIO, ſignificat in Pharmaceuticis medicamentorum fraudulentam corruptionem, ſub ſpecie genuinorum.

ÆGAGROPILA, ſunt pilæ rupicaprarum ſeu damarum oblonga frequentius, rarius rotunda figura donatæ, quæ in primo aut ſecundo ventriculo horum animalium reperiuntur; pondere etiam, cum maximæ habentur, leuiſſimæ, & quaſi ex flocculis laneis confectæ: duplici conſtant ſubſtantia, quarum interior germina aut fibras radicum, aut filamenta & plantarum cauliculos ſucco concreto & exſiccatione in pulverem ſubtilem faceſcente compacta refert; exterior coriaceam cutim; interdum tamen lignoſum corticem quendam; rariſſime cruſtam lapideam æmulatur, coloris vt plurimum aut cineritii, aut nigri, aut etiam ex luteo obſcuri; & magnitudinis variæ, quæ tamen manum in pugnum contractam vix vnquam excedat; dicuntur in variis affectibus ſingulari cum emolumento a Medicis exhibitæ in certa doſi; loco Bezoar orientalis utuntur, ab Ægagros, rupicapra & πῖλος pila. G. Gemſenkugel.

ÆGIAS, notat apud Hippocratem concretionem albicantem, quæ pupillae oculi inhæreſcit, aciei caliginem offendit, eamque obſcurat.

ÆGILOPS, & *Anchylops*, eſt proprie tuberculum, vt plurimum cum inflammatione, a caruncula lachrymali affecta ortum, maiorem oculi canthum obſidens. Sæpe *Anchylops* & *Ægilops* confunduntur; quidam tamen diſtinctionis gratia dicunt, quod *Anchylops* ſit, quando illud tuberculum nondum eſt apertum: *Ægilops* vero vbi abſceſſus factus eſt, & ruptus, quod, ſi tempeſtiue non aperiatur, os ſubiectum cariem contrahit: dicitur & fiſtula lachrymalis. vide *Anchylops*. G. Geiß-auge, Augenfiſtel. Item eſt ſpecies graminis hordeum enecans.

cans. G. wilder Haber, Haſenbrodt. Vocatur etiam cerris vel feſtuca. Sic dicitur quia putatur hac herba oculorum morbum, qui dicitur Ægilops, ſanari poſſe.

ÆGOCEROS, fœnum Græcum, ipſius enim ſiliquæ, capri referunt cornu.

ÆGOLETHRON, eſt ranunculus, qui dicitur flammula: ſic vocatur, quod quadrupedes & præſertim caprae inde facile moriantur. Ex αἰξ caper & ὄλεθρος exitium.

ÆGYPTIACVM VNGVENTVM, eſt compoſitio valde deterſiua, improprie vnguentum appellatur, nam neque oleum neque pingue quid illud ingreditur; nomen ab Ægypti regione traxiſſe videtur.

ÆREOLVS ſeu *Chalcus*, eſt veterum Græcorum pondus, pendens grana duo noſtratium.

AEROMELI, Ἀερόμελι. Vide *Manna.*

ÆRVGINOSA BILIS, vide *Bilis.*

ÆRVGO, ſiue VIRIDE ÆRIS, eſt æris, ſiue cupri, mediante quouis acido, in friabile & viride corpus reductio. Gr. Ἰὸς χαλκȢ. G. Spangrün, Grünſpan.

ÆS, metallum eſt, ductile ſub malleo, & in fila ſubtilia diſtractile, valde elaſticum & tinniens, ignitur ante fuſionem, ſoluitur facile ab omni ſale, virideſcens, cæruleſcens, vnde in aëre & aqua floreſcit, adeoque in paruos cryſtallos mutatur, facillime cum plumbo & antimonio in ſcorias vitrumue verſum, a teſta in fumos, vel per teſtam abit, coloris eſt rubri ad flauedinem tendentis, & grauitatis reſpectu aquæ, velut 8841 ad 1000. G. Kupfer.

ÆSCHYNOMENE, ſic vocatur herba impatiens, ſeu noli me tangere, quia tactum humanum non fert, ab αἰσχύνομαι pudefio.

ÆSTHESIS. Gr. αἴσθησις, ſenſus, eſtque *externus*, vt viſus, auditus, odoratus, guſtus & tactus: hiſce quidam addunt ſitim, famem, & coëundi appetitum. Vel *internus*, vt vulgo ſenſus communis, phantaſia, memoria, iudicium, ratiocinium &c. *Aeſtheſis* cum externus eſt ſenſus, eſt receptio, qua motus a corpore aliquo obiecto, fibrillis neruorum impreſſus, ſenſorio communi, ſeu animæ, communicatur, ab αἰσθάνομαι ſentio. G. Die Sinnen, Empfindlichkeit.

ÆSTHETERIVM, eſt ſenſorium commune, ab *Ariſtotele* dicitur τὸ πρῶτον αἰσθητήριον, quod *Carteſius*, aliique huius aſſeclæ plures, glandulam pinealem eſſe volunt: verum ſenſorium commune debet eſſe, vbi ſenſuum externorum nerui termi-

minantur, qui non in glandulam pinealem, ſed circa initium medullæ oblongatæ in corpore ſtriato, ſuum terminum conſequuntur; vel ſi neruos continuationes ramorum arteriarum iuxta nonnullos ponamus, ad eorum exortum communem ſenſorii ſedes ponenda erit, adeoque vbicunque cerebri corticalis ſubſtantia eſt, erit æſtheterium.

ÆSTVARIVM, idem quod *Vaporarium.*

ÆSTVS, idem quod ardor, vſtio, notat quoslibet feruores, ſiue ſint externi a ſole, pharmaco, igne; ſiue interni a febribus & inflammationibus; dicitur etiam de aëris feruoribus. G. Hitze.

ÆTAS, eſt certus temporis decurſus, quem id, quod viuit, tranſegit, & quo euidentem mutationem ſubiit. Eſtque a variis auctoribus diuerſo modo diuiſa. Dicitur *Infantia*, quæ extenditur vsque ad annum quintum: inde ſequitur *pueritia*, ad decimum quintum vel octauum: hanc excipit *adoleſcentia*, quæ ad vigeſimum quintum decurrit: hanc excipit *iuuentus*, a vigeſimo quinto ad trigeſimum quintum: *virilis ætas*, a trigeſimo quinto ad quinquageſimum: *ſenectus*, a quinquageſimo ad ſexageſimum: *decrepita ætas*, quæ tandem in mortem terminatur. Gr. Ἡλικία. G. Alter, Alterthum.

ÆTHIOPS MINERALIS, eſt præparatio ex Mercurio, quando nempe duæ florum ſulphuris partes cum vnica parte argenti viui miſcentur: deinde mixtum accenditur, & puluis niger remanet: vel paratur, ſumendo florum ſulphuris optimorum drachmam vnam, & Mercurii drachmas tres, conteruntur in mortario vitreo, diu, fortiter, donec diſpareat argentum viuum, & fiat puluis niger, inodorus, inſipidus, nullo modo acer, quique nulli vehiculo facile miſceri integre poteſt. A ſumma nigredine Æthiopis nomen meruit.

ÆTIOLOGIA eſt cauſæ explicatio, ſeu ratio de rebus medicam artem ſpectantibus. Vnde *Ætiologica* pars medicinæ eſt, quæ cauſas morborum & ſanitatis exponit. Ex *αἰτία* cauſa, & λόγος ratio.

AER, eſt fluidum valde elaſticum, & compreſſile, graue, infinita & varia in ſe continens corpora. G. Lufft.

AER INGENITVS, ſiue *Innatus*, veteribus dicebatur, qui in cauo tympani in aure hæret: verum per recentiores detectum eſt, quod renouetur per tubam Euſtachianam.

AETITES penult. producit, de quo videatur *Abrotanum*, ſeqq. Aetites autem lapis eſt veluti prægnans, cum quatitur, alio in vtero ſonante: huius genera pro diuerſitate

ſuper-

ſuperficiei, (ſcabræ ſc. vel læuis) colorum, tum materiæ inibi contentæ, conſtituuntur quatuor. Primum eſt exterius ſcabrum, colore vario, plerumque nigricante: continet in ſe lapidem *Callimum* dictum. Secundum cinerei coloris eſt, ac in ſe argillam vel margam continet. Tertium terram in ſe concludit, vnde *gæodes* vocatur. Quartum præter hos addit *Plinius* nomine *Taphuſium*, qui noſtratibus incognitus. Primus orientalis eſt, raroque pruni magnitudinem ſuperat. Secundus & tertius etiam in Germania reperiuntur, pugnique magnitudinem ſæpe æquant. Dicitur & *Lapis Aquilæ*, quod in aquilæ nido reperiatur, ad promouendum, vt fabulantur, partum ab aquila eo deportatus, ab *ἀετὸς* aquila. G. Adlerſtein, Klapperſtein.

AGALLOCHVM pen. corripit, quia *Dioſcoridi lib.* 1. *cap.* 21. *ἀγάλλοχον*. Agallochum ſiue *lignum Aloës*, Gr. *Ξυλαλόη*: eſt lignum, cuius fruſta raro magna ad nos ex India adferuntur, vt plurimum enim in fragmentis nobis transmittuntur, nam ex integra arbore ſæpe, quæ quercu magnitudine non inferior eſt, vix lib. ſem. ligni laudabilioris eruitur; hæcque optima cenſentur nigro-purpurea, venis cinerei coloris interſecta, amara, ponderoſa, liquorem, ſi prunis, candentiue ferro imponantur, exſudantia; aromaticum & ſuauem fumum, ſi incendantur, præbentia, bullulasque ſimul poſt ſe relinquentia, haud ita facile diſparentes; his adde haud poſtremum bonitatis ſignum, ſi aquæ ſupernatarint. Dicitur & *Lignum Paradiſi*.

AGARICVS vel AGARICVM pen. corripit. *Vindician.* 55.

Agaricumque, aſarumque potens, aloën, aconitum.

Andromachus apud Galen. I. de Theriaca ad Piſonem.

Ἀγαρικὸν τέτοις ἰσοβαρὲς δέμεναι. Pentam.

Agaricum autem eſt excreſcentia forma fungi nata in trunco aut magnis ramis plurimarum arborum, vt laricis & veteris quercus. Duæ ſunt ſpecies agarici, vna vocatur femina, quæ eſt alba, leuis, friabilis, & tenera, habetque rectas intus, pectinum modo, venas & inciſuras; ſaporis ſtatim poſt aſſumptionem dulcis, ſed mox in amaritudinem tranſit, odoris eſt penetrantis; hæc eſt optima ſpecies; altera ſpecies, quam vocarunt marem, eſt flaua, compacta, grauis, lignoſa, & tenax; hæc nihil valet, creſcit plerumque in veteri trunco quercus. Venit ex Italiæ contermino epiſcopatu Tridentino, & officinæ nullum expetunt, niſi ex larice.

AGE-

AGERATVM, eſt planta flore monopetalo, perſonato, inferne tubulato, ſuperne in duo labia diuiſo, colore luteo, folia germinat multa, parua, oblonga, inciſa, repentia, ſaporis amari; ſemina reconduntur in capſula membranoſa; radix eius fibroſa, parua, flaueſcens, creſcit in montibus & locis ſiccis: officinalis eſt, vox fit ex α priv. & γῆρας ſenectus, quod flos colore vix ſeneſcat. G. Rheynblumen, Mottenkraut.

AGGLVTINANTIA, vocantur quæ vulnerum labia diducta coniungunt, & ad perfectam vnionem deducunt, qualia ſunt adſtringentia & exſiccantia.

AGGREGATIVÆ PILVLÆ, dicuntur ab aggregare: quia vt inuentor Meſue putabat, iuuamenta multa aggregant. Idem eſt ac ſi diceres *polychreſtæ*, quæ pluribus indicationibus ſatisfaciunt.

AGNVS CASTVS, eſt *vitex.* Agnus dicitur, quaſi ἄγονος, ſine ſemine: quod crederent, ab illo Veneris impetum cohiberi, adeoque ſemen in viro infœcundum reddi, & ne quidem generari, his enim foliis cubilia caſtitatis ergo ſternebant. Sed Ἄγνος, Lat. eſt caſtus, & vnicam vocem bis nominant, ſemel nempe græce, & ſemel latine. G. Keuſchbaum.

AGON certamen; ſignificat ſæpe ſummum vitæ periculum ex morbo.

AGONIA, eſt timor & animi contriſtatio ab ἀγωνιάω, anxius ſum: ſiue potius illa horrenda hominis conditio, qua ſumma anxietate oppreſſus, ſemet ipſum perferre non poteſt, & morti quam proximus eſt. G. äuſſerſte Traurigkeit, Unmuth.

AGONIA ſeu *Atecnia*, eſt ſterilitas, quæ eſt mulieris viro vtentis ad concipiendum ineptitudo, dicitur & ἀφορία ab α priuat. & φέρω fero, porto; ſi a parte viri, fit vel ex vitio membri genitalis, vel ſeminis ipſius mala qualitate, vel defectu; in feminis a mala vteri vel aliarum partium conceptui inſeruientium diſpoſitione vel conformatione. G. Unfruchtbarkeit.

AGONIZARE, dicuntur, qui ex ſuperante vi morbi & viribus vitæ proſtratis efflando animam proximi ſunt, ab ἀγὼν certamen.

AGRESTA, vide *Omphacium.*

AGRIMONIA, ſiue Eupatorium Græcorum, eſt herba officinalis cum foliis pinnatis, neruoſis, rugoſis inſtar Pimpinellæ; floribus hexapetalis roſaceis, in ſpicam congeſtis; florem fructus ſequitur exiguus, qui binum vel ſolitarium ſemen

continet.

continet. Radix perennis eſt, longa, mediocriter craſſa, nigricans. G. Odermenig.

AGROSTIS, graminis ſpecies, cuius radices in officinis aſſeruantur.

AGRIPPA, dicitur, cuius naſcentis non caput, ſed pedes primi exierunt. G. Ein Kind, das mit den Füſſen voraus kommt.

AGRYPNIA, ſiue PERVIGILIVM, aut VIGILIÆ NIMIÆ, & COMA VIGIL, eſt cum ſomnus diu interrumpitur, per aliquot dies, vel per aliquot menſes, vel, vt dicitur, annos. Alii ex ſomno irrequieto ſæpius euigilant, & per aliquod temporis ſpatium redormire non poſſunt. G. Schlafloſigkeit.

AGRYPNOCOMA, ex ἄγρυπνος vigil & κῶμα ſopor inordinatus, idem quod *Coma vigil.*

AIGIROS, eſt arbor Populus dicta.

AGYRTA, CIRCVLATOR, ſiue CIRCVMFORANEVS, qui medicamentis empiricis vendendis ſe dicat, eaque morbo cuiuis absque ratione vlla expellendo valere iactat, hincque lucri gratia populum in foro congregat, ab ἀγυρέω, populum congrego; olim ita vocabantur præſtigiatores, qui diuina quadam virtute, carminibus, & ſacrificiorum myſteriis, ſe morbos infligere: inflictos quoque curare, & ſi quid ſceleris eſſet commiſſum a diuitibus, eorumque proauis, id magica ſacrificiorum celebritate, ſuffimentorumque odore expiare, eorumque inimicos, tam ſontes quam inſontes, carminibus oblædere poſſe, gloriabantur. G. Landfahrer, Landſtreicher, Quackſalber.

AHENVM, eſt vas cupreum, vel ferreum, medicamentis coquendis & deſtillandis deſtinatum, G. Ein Keſſel.

AIPATHIA, Gr. ἀειπάθεια, eſt perpetua paſſio, ſeu continua patibilitas, ab ἀεὶ ſemper, & πάθος paſſio.

AIVGA, eſt *Chamæpytis*, dicitur & abiga. Vide *Iua* & *Abiga.*

AIZOON, eſt Telephii & ſemperuiui ſpecies, quæ diu in viuis perſiſtunt, ex ἀεὶ ſemper, & ζωὸν viuum.

AL vel EL eſt articulus Arabicus, qui nominibus in principio ſæpe apponitur, vt Germani ſuum der, die, das ſolent nominibus præmittere.

ALBASTRINVM vnguentum, pen. corr. vide *Amaracinus.*

ALABASTRITES lapis, pen. producit, vt aëtites, de quo videatur *Abrotonites.* Alabaſtrites, autem eſt ſpecies marmoris,

verum ipſo mollior. Hic eſt ita mollis, vt cultro ſcindi poſſit, & eſt id lapidis genus, e quo varia torno finguntur vaſa. Vnguentum ingreditur Alabaſtrinum. Gr. Ἀλαβαςρίτης. G. Alabaſterſtein.

ALÆ, variis corporis humani partibus tribuuntur. Sic ponuntur pro *axilla*, vnde dicitur regio ſubalaris, glandula ſubalaris. Ita etiam vocantur narium latera; item nymphæ, auribus, pulmonibus, vtero, oſſi ſphenoidi tribuuntur alæ: de quibus ſingulis videndi ſunt anatomicorum libri.

ALÆ VESPERTILIONVM, vide *Veſpertilionum.*

ALARES MVSCVLI, vide *Pterygoides.*

ALARIA OSSA, ſunt proceſſus pterygoides oſſis ſphenoidis.

ALBA PITVITA, idem quod *Leucophlegmatia.*

ALBARAS NIGRA, vide *Lepra Græcorum. Albaras alba*, vide *Leuce.*

ALBVGINEA oculi, eſt membrana, quæ obducit partem anteriorem & hemiſphæricam oculi, ſcleroti firmiter adhæret, videtur tantum eſſe expanſio tendinoſa quatuor muſculorum oculi, quæ circa corneam valde attenuatur, & in ipſa quaſi euaneſcit: videantur Anatomici: datur & altera ſimilis membrana albuginea dicta teſtem obuoluens immediate, robuſta eſt, arcte cum ſubſtantia teſtis cohærens, G. das weiſſe Augenhäutlein.

ALBVGO oculi, idem quod Album oculi. Item macula alba in tunica cornea, vel ab humoribus, vel a cicatrice aut exulceratione, excitata. Gr. λεύκωμα & αἰγίς. G. das weiſſe Augenfell.

ALBVM CANIS, eſt ſtercus album canis, quod ſub Canis ſydere legebatur æſtiuis ſummis ardoribus. Vel dicitur *Album Græcum.*

ALBVM RHASIS, vnguentum eſt, ita dictum a colore albo, & ab Autoris nomine. Rhaſes enim inſignis fuit medicus ex Arabum familia.

ALCAHEST vel ALKAHEST, deſcribunt eſſe generale reſoluens, perenne & immutabile, quod reducit omne corpus viſibile in liquorem ſui concreti, ſeruata ſeminum poteſtate, forma eſſentiali & natiua integra.

ALCALI, eſt vox ab Arabibus petita, quam tamen illi videri poſſunt a Græcorum ἅλς, ἁλὸς ὁ, quod eſt ſal, ſumpſiſſe mutuam; cumque ἅλς penult. in obliquis corripiat apud *Homerum*, & alios, non alienum forſan eſſet, ſi penultimam

τὰ

τῦ alcali corriperemus. Caeterum quia et origo haec dubia eſt, & *Proſper Alpinus*, quem in Oriente diu vixiſſe conſtat, atque pronunciationem Arabum notaſſe, herbam *Kalli* appellat, & *Kellu* Aegyptiis appellari monet, conuenientius more Orientalium, deficientibus in Latio regulis, penultimam producemus. Alcali autem eſt ſal, quod extrahitur e cineribus vegetabilium aperto igne combuſtorum, vel animalium partibus, vt ſanguine, vrina, ſi vel antea putruerint, vel ex retorta forti igne fiat deſtillatio. Etiam minerale regnum fouere ſuum alcali, clariſſime docent fontes ſalubres, vt & analyſis ſalis communis. Cognoſcitur effectu efferueſcentiæ cum acidis; præcipitationis; coalitus cum oleis, ſolutionis inprimis ſulphuris: mutationis coloris heliotropii, roſarum, violarum, in viridem colorem, qui cum acidis in rubrum, ſapore ipſo; doloris vrentis excitatione. Sale illo Alcali *Aegyptii* vt & noſtrates vitrum conficiunt. Vitriariis *ſouda* appellatur. Alcali triplex accipitur. Nempe *Alcali Volatile*, vti conficiuntur ex animalibus, ſal ſc. cornu cerui, vrinæ &c. *Fixum*, quod ex cineribus plantarum elicitur, vti ſal abſinthii, tartari &c. & *Minerale*. G. Aſchenſaltz, Kalckſaltz, Säuberſaltz.

ALCALISATIO, eſt, quando verbi gratia ſpiritus vini alcali quouis impregnatur, vt menſtruum euadat magis diſſoluens.

ALCANNA, eſt anchuſæ Monſpeſſulanæ floribus puniceis radix tenuis, longa, lignoſa, rubra, roſeo colore tingens, ſaporis adſtringentis. Ab aquoſis non facile extrahitur eius color, ſed in oleoſis dat colorem ſeu tincturam rubram.

ALCE, ALCES, Gr. ἀλκὴ, id eſt vis & robur. Nomen animalis robuſtiſſimi, ceruo maioris, cuius vngula & cornua in vſu medico ſunt. G. Elendthier.

ALCEA, eſt herba, cuius caules villoſi, aſperi, medullam fungoſam habentes, folia maluæ, magis diuiſa, villoſa, caulibus longis adhærentia; ſemina latiora in capitula congeſta; reliqua maluis communia. G. Sigmarskraut, Sigmunds-wurtz.

ALCHEMIA, idem quod *Alchymia*, vide *Chymia*.

ALCHIMILLA, eſt planta cuius folia caulibus longis adhærent, & ſerrata ſunt; calix in octo vel nouem ſegmenta fiſſus ſuperius, inferius tubuloſus eſt ſatisque amplus, ſegmenta quatuor maiora, quatuor minora, in ſtellam expanſa: caules parui, rotundi, villoſi, ramoſi; flores in ſummis caulibus habent ſtamina quatuor & in vmbellam diſpoſiti ſunt; ouarium

in fundo calicis tubam emittit apice ſphærico donatam; calix fit capſula continens bina plerumque ſemina, parua, rotunda, flaua. Vocatur *Pes Leonis & Stellaria*, *Pes Leonis* dicitur, quod folia habeat inſtar leonini pedis lata & rotunda. G. Synau, Löwenfuß.

ALCIBIADIVM & ALCIBIVM, eſt *Echium*, aduerſus viperarum morſus commendatum.

ALCOHOL, ALCHOOL, ALCOOL, ALKOL, ALCOL, vox origine Arabica, eſt purior ſubſtantia rei ſegregata ab impuritate ſua. *Alcohol* ſignificat puluerem ſtibii ſubtiliſſimum & impalpabilem, qualis expetitur ab orientalibus ad illa collyria, quibus oras palpebrarum, venuſtatis gratia, illinunt. Interdum ſpiritum fermentatione productum, rectificatiſſimum, ita dephlegmatum, vt accenſus ardeat, donec totus conſumatur, nihilque fæcum, aut phlegmatis in fundo remaneat. G. Das feinſte von einem Dinge.

ALECTOROLOPHOS, eſt herba pratenſis, cui nomen *Criſta galli*. Ex ἀλέκτωρ gallus, & λόφος criſta, dicitur quoque *Fiſtularia*, *Pedicularis*. G. Rödel, Leußkraut, Hanekamm.

ALEMBICVS ſeu ALEMBICVM, vel CAPITELLVM, ſeu GALEA. Putatur deriuari ab articulo Arabico *Al*, & Græca voce ἄμβιξ, quæ vaſis rotundi ſpeciem denotat. Eſt inſtrumentum chymicum, quod cucurbitis & veſicis deſtillatoriis operculi vice ſuperimponitur: habet formam galeæ, intus concauam, extus conuexam. Circa infimam partem roſtrum habet cubitale, per quod vapores deſcendunt. Si ſine roſtro fuerint, vſum potius in vaſis circulatoriis obtinent, & *Alembici cæci* vocantur. Gall. *Le rencontre*. Conficiuntur ex ære, ſtanno, vel vitro. Alii pro ipſa cucurbita ſumunt: iterum alii pro cucurbita capitello ſimul iuncta. G. Alembick, Helm.

ALEPHANGINÆ, vel ALOEPHANGINÆ PILVLÆ. Teſte *Syluatico* eſt vox Arabica, ſignificans rem odoram; componuntur enim hæ pilulæ, in officinis proſtantes, ex Aloë, & plurimis aromatibus.

ALTERCVM, vox Arabica, teſte *Plinio* dicitur etiam *Altercangenon*. Vide *Hyoſcyamus*.

ALEXANDRINA ſena, Alexandrina tutia, pen. producit.

Noxia Alexandrina dolis aptiſſima tellus. Propert. l. 3. el. 9.

Non fuerit hic forſan ſuperuacuum, regula generali, ex collatione

latione ſcriptorum latinorum nata, pluribus in pronunciando difficultatibus mederi. *Adjectiua in* INVS *à rebus animatis ſenſitiuis deſcendentia*; item *diſtributiua numeralia*, & *nomina cognationum*; item *propria & gentilia penultimam producunt*: vt abellinæ ſiue avellanæ nuces, *Plinio* ab Avella oppido appellatæ; adulterinum ſignum *Ciceroni*; Agrigentinus *Lucretio*; Agyllinus *Virgilio*; agnina caro *Plauto*; Albinus *Juuenali*; Alexandrinus *Propertio*; Alpinus *Virgilio*; amitinus *Nonio*; anatina pinguedo *Officinis*; anatina fortuna *Plauto*; Andinus *Silio*; anguinus *Mantuano*; anſerinus *Plinio*; Antoninus *Hiſt. Aug. Scriptoribus*; Apenninus *Ovidio*; aquilinus *Plauto*; arietinus *Plinio*; armentinus *Plinio*; aſininus *Varroni*; Atacinus *Horatio*; Aventinus *Ovidio*; Auguſtinus *Proſpero*; Balbinus *Horatio*; belluinæ voluptates *Gellio*; Bithynus *Juuenali*; Byzantina regna *Sidonio*; caballinus *Perſio*; Calabrina manna *Officinis*; Calvinus *Juuenali*; Camerinus *Ovidio*; caninus *Martiali*; cantherinus *Columellæ*; Canuſinus *Martiali*; Capitolinus *Ovidio*; caprinus *Horatio*; caſtorinus *Iſidori gloſſis*; catulina caro *Plinio*; Caudinæ furcæ *Livio*; cervinus halitus *Martiali*; ciſalpinus *Ciceroni*; Cloacina Dea *Prudentio*; Cluſina domus *Silio*; Collatinus *Virgilio*; Collina porta *Ovidio*; collina herba *Propertio*; colubrinus *Scaligero*; columbinus *Horatio*; concubinus *Martiali*; conſobrinus *Auſonio*; covinus currus *Silio*; coracinus piſcis *Martiali*; Corvinus *Manilio*; Cratinus *Horatio*; Criſpinus *Juuenali*; crocodilinus *Quintiliano*; cyprinus piſcis *Plinio*; elephantini libri *Vopiſco*; Eleuſina mater *Virgilio*; Epheſinus *Mantuano*; equinus *Virgilio*; Eraſinus fluvius *Ovidio*; Erycinus, a, *Ovidio*; erythinus piſcis *Oppiano*; Euxinæ aquæ *Ovidio*; Exquilinus, ſiue Esquilinus veneficus *Horatio*; Fauentinus *Martiali*; Fauorinus *Gellio*; Fauſtinus *Martiali*; Ferentinus *Silio*; ferinus *Virgilio*; Feſcenninæ acies *Virgilio*; feſtinus *Claudiano*; fibrina pellis *Plinio*; Fidentinus *Martiali*; figlina (quaſi figulina) creta *Plinio*; Florentinus populus, qui olim *Catoni* & *Plinio* vocabatur *Fluentinus*; femininus ſexus *Plinio*; formicinus gradus *Plauto*; furinum forum, à furibus dictum, *Plauto*; Gabinus cinctus *Virgilio*; gelaſinus *Martiali*; gingrinæ arundines (a ſono gingritibus anſerum ſimili dictæ) *Solino*; hædina pellis *Martiali*; Haleſinus fons *Fannio*; Helvina Ceres *Juuenali*; hircini folles *Horatio*; Hirpina pubes *Silio*; hirundininus nidus *Martiali*; Hortina claſſis *Virgilio*; Jerichuntina ſylua *Mantuano*; inopina quies *Virgilio*; inteſtinus *Lucretio*; Juſtinus *Corippo Africano*;

cano; Læuinus *Martiali*; Lanuuinus ager *Horatio*; Latinum genus *Virgilio*; leoninus adeps *Plinio*; Leontini campi *Silio*; leporinum lac *Varroni*; libertinus pater *Horatio*; Libyſſini montes *Catullo*; Ligurinæ Alpes *Gratio*; Lucrinum ſtagnum *Martiali*; lupinum jecur *Sereno Samonico*; Mamertina amphora *Martiali*; marinus caſus *Virgilio*; Marrucina domus *Silio*; maſculina vocabula *Plinio*; Matinum littus *Horatio*; mediaſtinus *Horatio*; milvina menſa *Plauto*; murinus fimus *Plinio* & *Sereno*; muſtelinus color *Terentio*; nepotinus ſumptus *Suetonio*; Neptunina Thetis *Catullo*; Nerine Galatea *Virgilio*; neruini funes *Vegetio*; Nonacrina virgo *Ovidio*; Numantinus avus *Propertio*; Nurſina pila *Martiali*; olorina pila *Virgilio*; orcinus libertus *Vlpiano*; oſtrinus color *Propertio*; ouillinus caſeus *Theodoro Medico*; Palæſtina arena *Lucano*; Palatina laurus *Ovidio*; Patauina puella *Martiali*; paupertinus receſſus *Sidonio*; pecuina oſſa *Apulejo*; peregrina aura *Ovidio*; Picentina Ceres *Martiali*; Placentinus collis *Mantuano*; Plautini ſales *Horatio*; Pontina palus *Juuenali*; porcinus grex *Sedulio*; porcellina caro *Theodoro Medico*; Præneſtina Dea *Ovidio*; quadrinus circuitus *Plinio*; Sabinus populus *Silio*; Saguntina porta *Silio*; Salentinus campus *Virgilio*; ſalinus *Statio*; Saturninus *Martiali*; Setinum falernum *Martiali*; Sibyllini verſus *Horatio*; Signinum vinum *Martiali*; Socotrina aloe *Officinis*, quia ab inſula Socotora; Spoletina lagena *Martiali*; ſoricinus dens *Plauto*; ſupina manus *Virgilio*; Surrentinum falernum *Horatio*; Tarentinum venenum *Horatio*; taurinum tergum *Virgilio*; Theoninus dens *Horatio*; Tiberinum flumen *Virgilio*; Tiburtinus mons *Martiali*; Tridentina arx *Mantuano*; vaccinum lac *Plinio*; Velinus portus *Virgilio*; Venuſina lucerna *Juuenali*; verrinum jecur *Plinio*; veruecinus *Gloſſis Cyr.* Veſuuinus apex *Statio*; veterinum ſemen *Lucretio*; vicina vrbs *Virgilio*; viperinus cruor *Horatio*; vitulinum aſſum *Ciceroni*; vrſinum fel *Sereno*; vterinus *Inſtit. Juſtiniani*; vulpina pellis *Suetonio*; vulturinum fel *Plinio*.

Sequuntur analogiam hanc pauca alia, quæ vna regula exprimere difficile: auſtrinus calor *Virgilio*; ciſternina aqua *Senecæ*; clandeſtina arma *Manilio*; internecinus ideo recte penult. producit *Scaligero*, quia adjectivum eſt animatis proprie conveniens, eoque ad regulam ſuperiorem referri meretur, ſicut & morticinus, quod *Prudentio* propterea opportune producitur; matutinum frigus *Horatio*, eidemque vrſus veſpertinus penultima ſyllaba producta efferuntur, ob eandem prope-

modum

modum rationem; quia enim matutinus a Matuta, hoc eſt, aurora derivatur, & veſpertinus a Veſpero ſiue Heſpero ſtella, docentibus *Priſciano*, *Iſidoro*, aliis, vis fieret regulæ ſuperiori, ſi penultima corriperetur, quod & ſtella animatæ, imo prope Dii crederentur Antiquis. Sed de voce *elephantinus* quid cenſendum? hic permiſere ſibi quiddam Græci Latinis auribus inſuetum; *Hephæſtion* enim in verſu Aſclepiadeo, cum ἐλεφαντίναν λαβὼν ξίφεως deſcribit, penult. corripit. Et *Anacreon* ad amicam: Ἐλεφάντινον μέτωπον verſum Anacreonticum facit. *Idem poſtea in Apollinem*, Ἐλεφαντίνῳ δὲ πλήκτρῳ itidem Anacreonticum abſoluit, manifeſte vtrobique penultimam corripiens. An ignorauere hi Graeci ebur ab animali genere obtineri? nam per *elephantinus* vbique eburneum intellexere, eburneum manubrium, eburnei candoris vultum, eburneum plectrum. Credibile eos ebur, vt rem inanimem conſideraſſe, quod raros, aut forſan nullos in ſuis regionibus viderent elephantos. Quicquid autem horum ſit, cum Latini nullius hactenus adiectiui in INVS ab animatis ſenſitiuis deriuati penultimam corripuerint (quantum ex omni Poetarum choro liquet) rectius analogiam ſecuti, penultimam & in elephantinis libris Romanorum *Vopiſco* laudatis, & elephantino colore apud *Plinium*, & elephantino ordine Regio producemus.

ALEXIPHARMACA, dicuntur medicamenta, quæ valent inertes reddere qualitates veneni cuiuscunque quibus nocet corpori. Veteres doctrinam de venenis in duas diſpeſcebant partes: alteram, quæ docet remedia aduerſus deleteria pharmaca intus ſumta, vocabant ἀλεξιφάρμακα: ab ἀλέξω, *arceo* & φάρμακον, venenum; alteram, quæ remedia tradit illis, qui morſu aut ictu venenatorum animalium læſi ſunt, idonea, inſcribebant θηριακά. Legatur *Nicander Colophonius* & *Dioſcorides*, quorum libri his titulis præſcripti exſtant. G. Artzney wider Gifft.

ALEXITERIVM, Gr. ἀλεξητήριον, eſt generale vocabulum, quo denotatur præſens remedium aduerſus omnis generis noxam corpore ſuſceptam, ſiue ore acceperis ſiue beſtia inflixerit. Complectitur non ſolum intus ſumendas medicinas, verum etiam exterius applicandas; quin & amuleta aduerſus faſcinationem collo appendenda ab ἀλεξέω, *auxilior*, *opitulor*.

ALGA ſiue FVCVS, eſt vegetabile marinum & paluſtre, cuius variæ dantur ſpecies: quædam habent folia inſtar graminis, aliæ inſtar capillorum; vſitatior vero habet folia pedem

vnum vel alterum longa, mollia, tenuia plus minusque, alba, vel rubra, aliquando viridia; reperiuntur vt plurimum circa littora maris, & inprimis Mediterranei. Gr. φῦκος θαλάσσιος, vide *Fucus*. G. Meergras.

Ἀλφιτιδὸν, ab ἄλφιτον, farina, eſt oſſium fractura cum comminutione in modum farinæ. Eſt aduerbium.

ALGEMA, & ALGEMATODES, ab ἀλγέω doleo; idem quod *Dolor*.

ALGEROTH, eſt puluis albus, inſipidus, ponderoſus, factus ex butyro vel oleo liquefacto, depurato, Antimonii, quod aquæ puræ inſtillatum, præcipitatur in talem puluerem, qui dicitur *mercurius vitæ*, etſi nihil habet omnino Mercurii in ſe, ſed puriſſimum ſtibii Regulum; datus ad grana duo vel tria violenter emeticus eſt. Nomen habet ab inuentore *Victorio Algarotto*.

ALHANDAL, vide *Colocynthis*. *Alhandal* eſt nomen Arabicum Colocynthidis, quod imponitur Trochiſcis de Colocynthide.

ALICA, Gr. χόνδρος, eſt ſpecies frumenti illa, quæ Zea dicitur, excorticata, vnde decoquendo parabantur iuſcula pulteſue, quibus bene nutriendi facultas ineſſet. Perinde ſe res habet, vt cum ptiſana, quæ proprie eſt ſemen hordei decorticatum, & decocta vel cum ſemine ſorbetur, quod erat ptiſana integra, vel ſola colatura, pro tenuiori alimento concedebatur. Vnde fit vt alica & ptiſana non raro coniungantur. G. Graupen, Grieß.

ALIFORMIS, eſt epitheton proceſſuum binorum oſſis cuneiformis ad palati latera occurrentium, a ſimilitudine alarum veſpertilionum vid. Ala & Pterygoides.

ALIMENTVM, dicitur *Potus & Cibus*. Eſtque talis materia, cuius particulæ minimæ aſſimilatae noſtris liquidis animalibus & inquilinis, facile canaliculos noſtri corporis ſubire, permeare, lateribus applicari, & adhærere iis poſſunt, totumque corpus reſtituere quoad ſolida & fluida, ac proin nutrire. G. Nahrung, Erhaltung, Ernährung.

ALINDESIS, eſt corporis exercitatio, qua oleo vncti ſe in puluere olim volutabant, ab ἀλινδέω voluo.

ALIPTA, Gr. ἀλείπτης vocabatur olim ille, qui Athletas inungebat: ſæpe etiam, qui exercitationes docebat & moderabatur.

ALISMA, a veteribus materiæ medicæ auctoribus laudatur tamquam venenis reſiſtens & antidyſentericum. Sed recentiores

centiores nondum inter ſe conſentiunt, cuinam plantæ id nominis tribui debeat, quum alii ſaponariam velint, alii plantaginem aquaticam, rurſusque alii doronicum, aut arnicam.

ALITVRA, eſt actio corporis viui, qua perpetuus ſanguinis, ſpiritus, ſubſtantiæque defluxus, ope ſucci alimentarii noui, præparati & in partes alendas impulſi, continuo inſtauratur. Gr. Θρέψις. G. Das Ernähren.

ALKAHEST, vide *Alcaheſt*.

ALKALI, vide *Alcali*.

ALKERMES, quod veteres vocabant granum infectorium, κόκκον βαφικὴν, id Arabes dixerunt *Kermes*, & cum articulo *ALKermes*. Naſcitur in ilicis quadam ſpecie, quæ *acuifolia* dicitur, vulgo *aquifolia*. Includit pulpam rubicundam vermiculo circumdatam, qui, ni mature aceto grana immergantur, prodit & inutilem folliculum relinquit. Ex iuſto tempore collectis granis ſuccus exprimitur, & addito ſaccharo incoquitur. Inde, adiectis quibusdam, paratur celeberrima CONFECTIO ALKERMES, cui magnæ vires cordiales tribuuntur. Proſtat *completa*, cum ambra & moſcho: atque incompleta, pro his, quibus odores hi non conueniunt.

ALKEKENGI, ſiue ſolanum Veſicarium, halicacabum vulgare, habet caules exiguos, rotundos, rubicundos, in multos ramos exiguos diuiſos, folia ſolani, ſed maiora; calicem tubuloſum, campaniformem quinquifidum, inſtar veſicæ ſupra conniuentis excreſcentem, qui per maturitatem fit pericarpium; flores monopetalos, rotatos, quinquefidos, ſtaminibus quinque præditos; ouarium ex placenta ad finem pedunculi, intra calicem natum, tuba longa, gracili, apice globoſo prædita inſtructum, fit fructus mollis ceraſi forma (qui tectus latet in veſica membranacea ex calice dilatato) per maturitatem rubens, ſaporis acidiuſculi aliquantulum amari, continens ſub tenui pellicula pulpam globoſam, & flaueſcentem, in qua hærent ſemina compreſſa, ſubrotunda, rugoſa, plana, ſaporis ſubacris, ſubamari, odoris nullius euidentis: radix parua, alba, repens. Alkekengi vox Arabica. G. Judenkirſchen.

ALLANTOIS tunica. Vitioſe dicitur & ſcribitur. Exſtat apud *Reald. Columbum*, *Diemerbroeckium* & alios. Graecum eſt ἀλλαντοειδὴς, *farcimini aut inteſtino ſimilis*.

ALLANTOIDES, male *Alantoides*, penultima longa. Gr. ἀλλαντοειδὴς, tunica vrinaria, *Farciminalis* dicta, in quibusdam animalibus magna & conſpicua eſt, vt in vaccis. Nihil

hil ipſi ſimile in hominibus, omninoque negant talem in homine dari, anatomicorum præcipui. Sed qui affirmant, deſcribunt eam, quod ſit inter amnion & chorion collocata, tenuiſſima, tenerior amnio, multo pellucidior, ad tactum delicatior, aeris flatui minimo cedens, figuræ oualis, nullis vaſis ſanguineis huc vsque viſis prædita; totum fætum non obuoluat, ſed ſolam partem qua chorion reſpicit; neque ad totam placentam extendatur; protendi enim nequit vltra margines placentæ, vbi amnios & chorion tam arcte fibris connectuntur, vt nulla membrana inter eas adeſſe poſſit, recipit liquorem vrinoſum, a fœtu ſecretum, & in eam ſenſim manantem ex veſica per vmbilicum & vrachum. Ab ἀλλᾶς farcimen, & εἶδος forma. G. Harnhäutlein, Wurſthäutlein. *Pſeudo-allantoidem* homini tribuit *Ruyſchius*.

ALLELVIA, eſt *Oxytriphyllum* ſiue *trifolium acetoſum*, ſic appellatum creditur, quia primum e terra folia emittit, quo tempore in eccleſiis canticum alleluia cantari ſolet. G. Sauerklee, Buchampfer. Vide *Acetoſella*.

ALLIARIA & ALLIARIS, eſt herba, quæ trita allium olet. G. Knoblauchkraut.

ALLIVM, eſt planta bulboſa graue olens: quæ habet folia longa, plana, non caua; caulem rotundum, politum; florem hexapetalum, pedunculo longo ſuſtentatum, in faſciculum globoſum collectum, paruum, ſæpe deſtitutum ouario, ſi modo mas ſit, aliquando ouarii ſpecie & tuba inſtructum: ouarium intra florem fit fructus, ſubrotundus, trilocularis, plenus ſeminibus ſubrotundis, ſæpe autem ouarium ſolitarium globoſum, pellicula obuolutum, ſpecie bulbi hæret ad vnum pedunculum floris. Maſculi fætor eſt olidus in omni parte plantæ: radix huius plantæ eſt tunicata, bulboſa, ex multis nucleis conſtans: integer bulbus nondum fractus, nullum odorem ſpargit, ſed demum vbi fractæ ſquammulæ ſunt, odorem acrem fundunt. G. Knoblauch.

ALLOEOTICA. Vide *Alterantia*.

ALNVS, eſt arbor mediocris magnitudinis, erecta, cuius lignum rubicundum, leue, facile in terra corrumpitur, ſed fere nunquam in aqua, vnde pro fundamentis ædificiorum optime inſeruit: folia ſubrotunda, viridia, ſplendentia, viſcoſa; fructus ſquamoſus eſt, ſub ſquammis recondens ſemina rubicunda & compreſſa: creſcit hæc arbor in locis paludoſis. Officinas raro intrat; ſed paſſim ſcopo adſtringente & vulnera-

rio commendatam videas. Dictam vult *Iſidorus*, quod alatur amne. G. Ellernbaum, Erlenbaum.

ALNVS NIGRA. Vide *Frangula*.

ALOE penult. corrip. quia *Galeno lib.* VI. *de ſimpl. med. fa-cult.* ἀλόη; præterea *Iuuenal. Sat.* VI.

Plus aloës, quam mellis habet, quin deditus autem
Vsque adeo eſt.

Aloë autem, eſt planta, exotica, creſcens in Arabia, Perſia, Africa; quamquam & Europæ calidioribus partibus ſatis familiaris & per hortos frequens eſt. Habet folia longa, integra, ſemper virentia, plerumque ſucculenta, craſſa, carnoſa, crenata, in margine acuta, ſedis fere accedentia; flos eſt monopetalus, tubulatus, infra prominens in ventrem, ſupra anguſtior, & in ſex ſegmenta ibi ſciſſus, nudus, clauo hyacinthino affixus, ſex ſtaminibus præditus; fructus oblongus, trilocularis, cylindricus, hexagonus, repletus ſeminibus ſibi mutuo impoſitis planis, ad loculamentum ſuum accommodatis; radix perennis, fibroſa vel & tuberoſa. Huius plantæ ſuccus, ex foliis expreſſis vel inciſis ſponte emanans, ſolis calore inſpiſſatus, ſaporis amari, aromatici, nauſeoſi, Aloe quoque dicitur, qui ex Arabia & Ægypto ad nos pellibus inuolutus affertur. Eius ſpecies hodie in officinis quatuor in vſu ſunt, quæ tamen non niſi puritate & impuritate ab inuicem diſcrepant. Scilicet Aloe Sucotrina, hepatica, caballina & quarta lucida dicitur: *Aloe Sucotrina*, eſt ſuccus gummoſus, & reſinoſus, ex fuſco nigricans, dum fractus in lamellas, ſplendens & pellucidus, in puluerem redactus citrini eſt coloris, ex foliis, imo & ex plantis transuerſim verſus radicem diſſectis, ſponte ſua adulta æſtate, vbi ſuccus maxime elaboratus eſt, in ſuppoſitas patinas amplas deſtillans, in quibus a ſole condenſatur, & exſiccatur; inde vlterius inſpiſſatur, & quo exactius hæc fiunt, eo Aloe pellucidior & nobilior. *Aloe Caballina*, eſt ſuccus eiusdem plantæ gummoſus, & reſinoſus nigricans, priori ponderoſior, craſſior ac impurior, expreſſus ex foliis Aloes, in ſole concretus, ſaporis ſubacris, amari, nauſeoſi, odoris graveolentis, quaſi picei & myrrhati: *Aloe Hepatica* hodiernorum eſt ſimilis ſuccus ac aloe Sucotrina, quoad virtutes & qualitates, & differt tantum ab ea, quod hæc in China, prior in inſula Sucotra educitur, hinc differunt tantum loco natali. Vbi Aloe tam pura eſt, vt pellucida ſit inſtar vitri, dicitur *lucida*. Leniter purgat. G. Aloe. Sucotrinæ nomen recens eſt, ab inſula nondum multis ſæculis cognita. Medii æui medici requi-

re-

rebant pro optima aloë συκωτινὴν, quod veteres dicebant ἡπατίζουσαν, i. e. hepati ſimilem, hepaticam. Nam συκωτὸν vocabant hepar, quod animalia ficubus paſta magnum & delicatum offerebant, vnde etiam Latini *ficatum* vocabant. Huius originis ignari quum Sucotrinam viderent laudari a mercatoribus optimam, Græcum priſcum nomen συκωτινῆς ad illam traxerunt, & neſcientes eandem eſſe hepaticam, illam quærere cœperunt veterum hepaticam; cui ſubſtituerunt aliquam ex China allatam, magis, quam Sucotrina, gummoſam.

ALOE, *lignum*, vide ſupra AGALLOCHVM. Hæc ſola intelligenda eſt vbi in ſacris occurrit mentio aloes, aut vbi auctores de pollinctura veterum loquuntur.

ALOEDARIA vel ALOETICA, ſunt medicamenta, quæ magnam vel modicam Aloes quantitatem recipiunt. Gr. ἀλοηδάριον.

ALOEPHANGINAE pilulæ, penult. corr. vide *Amaracinus*.

ALOGOTROPHIA, eſt improportionata nutritio, ita vt vna pars corporis maius incrementum accipiat, quam altera, vt in *Rachitide*, ab ἄλογος rationis expers, & τρέφω nutrio. G. Ungleiche Ernährung.

ALOPECIA, Gr. ἀλωπεκία. Plinio *Capillorum defluuium*, a lue venerea, phthiſi, virium corporis collapſu, vel aliunde excitatum, ex ἀλώπηξ vulpis, cuius lotium effæta dicitur reddere loca in annum, vt *Callimachi* Scholiaſtes annotat: vel a malo vulpi peculiari. Vocatur etiam ὀφίασις a figura, quod partes glabræ & pilis deſtitutæ tortuoſæ inſtar ſerpentum videntur. Vtrique huic affectui commune eſt, quod areatim pili decidunt; vnde etiam in genere hoc malum *Area* vocatur. G. Ausfallen des Haars.

ALOPECVROIDES GRAMEN, eſt gramen vulpinum, ex ἀλώπηξ *vulpes*, οὐρά, *cauda* & εἶδος *forma*. G. Fuchsſchwantz.

ALPHVS, Lat. *Vitiligo*, ita deſcribitur *a Celſo*; dicitur ἀλφὸς, vbi color albus eſt, fere ſubaſper, & non continuus, vt quædam quaſi guttæ diſperſæ eſſe videantur in cute. Interdum etiam latius, & cum quibusdam intermiſſionibus ſerpit. Si niger eſt color, & vmbræ ſimilis, vocatur μέλας, cætera eadem ſunt. λεύκη habet, quiddam ſimile Alpho, ſed magis albida eſt, & altius deſcendit, quam Alphus, in eaque albi pili ſunt, & lanugini ſimiles. Omnia hæc ſerpunt; ſed in aliis celerius, in aliis tardius. Alphus & Melas in quibusdam variis

riis temporibus oriuntur & deſinunt. Locum, quem occupauit, non facile dimittit. ἄλφος dicitur ab ἀλφαίνω muto, vt *Aëtio* placet. G. Weiſſer Auſſatz, Mehlfleck.

ALSINE, dicta *Dioſcoridi lib.* IIII. *cap.* 87. διὰ τὸ ἀλσώδεις φιλεῖν τόπους, producit penult. non tantum auctoritate *Labbei*, ſed & quia ita iubet analogia apud Scriptores optimos, ita Neptunine, Nerine, Nonacrine:

Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine? Catul. 65.
Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblæ. Virg. ecl. 7.
Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrine. Ouid. 1. Met.

Sequuntur analogiam hanc aparine, bulbine, cardamine, chamaemirſine, elatine, elleborine, helxine apud *Nicandrum in Theriacis*, oxymirſine, pitine, tridacine. Alſine autem, eſt planta habens folia parua, oblonga, ſibi inuicem oppoſita, bina cauli adhærentia; calicem magnum, oblongum, in quatuor vel quinque ſegmenta diuiſum: florem roſaceum, polypetalon, pro vt calix vel eſt quadrifidus vel quinquifidus; his floribus ſuccedit fructus paruus, membranaceus, includens ſemina exigua, obrotunda fere, rubra aut fuſca; radix parua, fibroſa; eſt planta vbique obuia, dicitur etiam *morſus gallinæ*, quia ab iis amatur. G. Hünerdarm, Hünerbiß, Vogelkraut.

ALTERANTIA, Græce ἀλλοιωτικά. Late patet vſus vocabuli alterare. In genere denotat mutationem qualitatum, vt diuerſa a priori emergat, v. g. vt ex frigido calidum, ex ſicco humidum fiat, & contra. Atque hæc notio tam late extenditur, vt omnia medicamenta ſub alterantibus comprehendantur. Dicunt enim omnia, quæ intro aſſumuntur, vel aſſimilari corpori, & in eius ſubſtantiam abire: quod eſt *alimentum*, vel ſtatum eius alterare; quod eſt *medicamentum*. Strictiori ſignificatu alterantia ab euacuantibus diſiunguntur; vt omne medicamentum vel euacuet vel alteret: alteratio autem hæc vel in fluida agat, vel ſolidorum ſtatui inferatur; vt motus intendantur, aut excitentur; vel nimii cohibeantur & ad moderationem reuocentur.

ALTERATIO SANGVINIS, ſignificat ſanguinis per medicamenta depurationem. G. Blutſäuberung.

ALTHÆA, *Ibiſcus.* Planta eſt ſemine nudo, polyſperma, ſeminibus caſeoſis, floribus octopetalis, folio longiori ſerrato, molleculo, tomentoſo, radice oblonga, digiti craſſitie, in ramos diuaricata, foris pallide cinerea, intus pallida, ex ſiccitate rugoſa, ſaporis mucilaginoſi, & lenti, odoris nullius euidentis, quæ diſciſſa attactu eſt glutinoſa, & decocta cum

aqua

aqua, ipſam reddit mucilaginoſam. *Althæa* appellatur a multiplici excellentique, quam in medendo præſtat, vtilitate, teſte *Dioſcoride*; nam ἀλθαίνειν mederi eſt. G. Althäe Eibiſchkraut, groß oder wild Pappeln.

ALVDEL, vel ALVDELLI, ſunt vitra ſublimatoria, & ollæ fundo carentes, ſibique inuicem impoſitæ, quæ ollæ ſuppoſitae, adaptantur: ſublimationibus inſeruiunt. G. Ein Sublimierhelm.

ALVEARIVM, eſt cauitas auris externæ, ſiue meatus auditorius, vbi ſordes flauæ & amaræ gignuntur, & ſoni inferuntur. G. Ohrengang.

ALVEOLI DENTIVM, vtriusque maxillæ cauitates ſunt, quibus dentes per gomphoſin inſeruntur. G. Höle der Zähne.

ALVMEN, penult. producit apud *Serenum Samonicum tit. Ventri molliendo :*

Aut igitur tectum lana ſupponis alumen.

Vixit hic *Serenus*, vir clariſſimi nominis, ante plenum occaſum Latini ſermonis, ab imperatore Caracalla occiſus, vt ex *Spartiano* conſtat. Alumen vero, ſalis foſſilis ſpecies, quod alibi ex ſaxo profunde ſub terra ſito, duro, fiſſili, bitumine & ſulphure pleno, facile incendendo, eruitur; alibi ex terra bituminoſa, combuſtili, & flammam nitore ſulphureo noxiam emittente. Hæc materies, aeri menſis ſpatio expoſita, in pulverem fatiſcit, alumini gignendo apta redditur, prius illi inepta. Si ex ſaxo materies, aeri expoſita prius, igne exuritur, flammam tunc capiens, ſulphuris præſentiam teſtatur. Sic parata aere, & ſi e ſaxo aere & igne, materies aqua ſoluitur, affuſione alcali fixi vel volatilis præcipitatur cum efferueſcentia: ſic exſuperans acidum vnitum alcalino, facit ſalem nouum, ex aere, alcali, & foſſili natum. Præcipitata materies a lixiuio ſupernatante ſeparata, aqua bulliente ſoluta, in vaſe plumbeo inſpiſſata, dolio immiſſa, quiescens, dat cryſtallos albas, vel rubellas, octohedras, ſaporis dulcis, auſteriuſculi, haud facile liqueſcentes iu aere. Huius acidum, vi ignis expreſſum, cum ſulphuris incenſi collecto vapore acido idem omni fere dote. Relicta inde, expulſo acido, fœx terram leuem ſubtilem, bolo ſimilem, exhibet copia larga. Cum carbonariæ inflammabilis materiæ triplo exuſta, phoſphorum ſeu pyrophorum Hombergianum dat: adeoque virtutem ſingularem excitando cum aere igne videtur poſſidere. Aluminis ſpecies in officinis quinque celebrantur. Primum locum tenet *Alumen Rupeum*, Gal. *Alun de*

de Rothe; Alterum, eſt *Plumeum* ſeu *Plumoſum*, quod vide. Tertium, *Sciſſile* Σχιςὴ quod glebarum inſtar eſt & plumoſum oblongum vocatur. Quartum eſt *Zuccarinum*, ſine *Sacharinum*, ex Alumine rupeo, albumine ouorum & aqua roſacea, pro vſu coſmetico comparatum. Quintum dicitur *Alumen catinum*. Si ſimpliciter præſcribatur, *Rupeum* ſemper accipiendum eſt: Dicitur autem *Rupeum*, quia ex rupe ſeu ſaxis confici ſolet. Item *Glaciale*; quia claciei conforme eſt. *Alumen Romanum* dictum, rupeo ſimile eſt, ſed pallide rubens. Gr. Στυπτηρία.

ALVMEN CATINVM, proprie alumen non eſt, ſed ſal ex ciueribus lignorum quorundam extractum, optimeque reuerberatum. G. Pottaſche.

ALVMEN PLVMOSVM, eſt ſubſtantia fere lapidea ex incano viridis, pinguis, attritu in tenuia filamenta ſolubilis, eruta ex fodinis, quæ in ignem coniecta exuritur, ſaporis adſtringentis & acris. G. Federweiß.

ALVIDVCA, Medicamenta ſunt, quibus aluus liquida & leniter fluida fit. Gr. ἐκκοπρωτικά. Laxierende Mittel.

ALVVS, Gr. Κοιλία & Γαςὴρ, eſt abdominis cauitas, qua ventriculus, inteſtina, hepar, lien, renes, veſica &c. continentur, vel & locus per quem fæcum & excretorum craſſorum naturalis fit excretio. G. Der Bauch.

ALVVS ADSTRICTA, dicitur, cum quis raro per ſeceſſum fæces ex inteſtinis, & tantum valde compactas & cum difficultate deponit. G. Hartleibigkeit.

ALVVS FLVIDA. eſt, cum quis liquida ſtercora, idque facillime deponit. G. Weichleibigkeit.

ALVI FLVXVS, Idem quod *Diarrhæa*.

ALYPON, eſt herbæ nomen, & dicitur turbith album: vocatur & *Alypia*, ex α priu. & λύπη dolor; quaſi herba dolorem auferens.

ALYSSON, eſt planta, quæ habet caules repentes, longos, duros, lignoſos, rubicundos, tortuoſos, in multos ramos diviſos, lanuginem albam habentes; Folia oblonga, aſpera, alalbeſcentia; Flores in vmbellam extremitati ramorum adhærentes, quadrifidos, flauos; ſemper poſt vnumquemque florem naſcitur ſilicula vnica compreſſa, rotunda, quæ conſtat duabus membranulis, & ſepto medio. Illa membrana valua dicitur; valuæ hæ vel contra ſeptum illud complicantur, vel parallele, vel perpendiculariter; ſemina ſunt oualia, compreſſa, rubicunda. Radix eſt longa, lignoſa, alba, fibroſa, lanuginem habens; creſcit hæc planta in locis montanis. Herba hæc ſic appellatur, quod

quod a cane commorſos rabiem ſentire non patiatur, & commorſis medeatur, ſingultum quoque ſanat, ex α priu. & λύσσα rabies.

AMALGAMA, vnde, AMALGAMATIO, eſt alicuius metalli cum mercurio commixtio. G. Zernagung des Metalls mit Queckſilber.

AMARACVS penult. corripit:

Idaliae lucos, vbi mollis, amaracus illum. Virg. 1. *Aeneid.*

Καρπὸν ἀραιοτέρης· μάλα δ' ἂν καὶ ἀμαράκος εἴη. *Nicand. in Theriacis.*

Amaracus autem, eſt herba odorifera, ab Amaraco Cynaræ, Regis Cypri, vnguentario dicta, qui caſu lapſus, dum ferret vnguenta, fracta alabaſtro, maiorem ex contuſione odorem creavit. Vnde optima unguenta amaracina dicuntur. Hunc poſtea, cum nimio odore contabuiſſet, in herbam Sampſucum, quæ ab eius nomine Amaracum apellata eſt, mutatum fuiſſe fabulantur. Folia Bliti habet, ſed acutiora & magis polita, coloris viridis, ſubfuſci, in margine rubicundi, ſaporis inſipidi. vid. Maiorana.

AMARACINVM oleum, ab amaraco, ſive maiorana herba, penult. corripit, *Lucret. lib. VI. v.* 936.

Denique amaracinum fugitat ſus, & timet omne
Vnguentum - - - - - - -

Opportune hic inſerenda regula, tum in omni emendata pronunciatione, tum in pharmaceuticis latiſſime patens: *Adjectiua in* INVS *a plantis, lapidibus, & aliis inanimatis deriuata*; item, *Adiectiua ab aduerbiis temporalibus, aut ſubſtantiuis quatuor anni tempeſtates notantibus deſcendentia penultimam corripiunt.* De quibus vt eo agatur diſtinctius, alia ex bonis auctoribus probabimus, alia ex iuſta analogia; & quidem Poetarum teſtimoniis ſequentia probantur:

Acanthinus ab acantho planta, *Anacreon* penult. corripit *carm. de roſa*:

Ἐν Ἀκανθίναις ἀταρποῖς, id eſt, acanthinis dumetis, verſ. Anacreonticus.

Adamantinus,

In quo iam genere inprimis adamantina ſaxa. Lucret. lib. 2.

Qui Martem tunica tectum adamantina. Horat. I. *od.* 6. Choriamb.

Amaracini quantitas iam ex prioribus a *Lucretio* allatis conſtat.

Amethyſtinus, ab amethyſto gemma;

Cauſi-

Cauſidicum vendunt amethyſtina, convenit illis. Juvenal. Satyr: 7.

Amethyſtinasque mulierum vocat veſtes. Scazon. *Martial. l. 1. ep. 97.*

Amygdalinus, ab amygdala, fructu:

Fertur amygdalinæ ſuccus nucis eſſe bibendus. Seren. Sam. de lumbis ſanand.

Alioquin vox *Plinii eſt l. 23. c. 4. Oleum amygdalinum purgat, mollit corpora, cutem erugat, nitorem commendat, varos cum melle tollit e facie.*

Apyrinum malum, id eſt, genus dulce mali punici ſine lignoſo nucleo:

Lecta ſuburbanis mittuntur apyrina ramis. Mart. l. 13. 43.

Non tibi de Libycis tuberes & apyrina ramis. Mart. l. 13. 42.

Balſaminus, a balſamo frutice;

Balſaminum Jerichus ſuccum, qva piugvibus, eſtque. Fillol. 5. Reg.

Placuit eadem vox *Plinio l. 23. c. 4. Balſaminum oleum longe pretioſiſſimum omnium, ut in ungventis diximus contra ſerpentes efficax.*

Bombycinus pen. corr. qvando eſt adjectivum, a molliori lanugine arbuſcularum xylinarum deductum, hodie goſſypinum vocant. Ita autem rem ſe habere facile iſta *Plinii* perſvaſerint *lib. 19. c. 1. Superior pars Ægypti*, inqvit, *in Arabiam vergens gignit fruticem, qvem alii goſſypion vocant, plures Xylin, & ideo lina inde facta xylina. Parvus eſt, ſimilemque barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore* bombyce, *lanugo netur; nec lina ſunt ei candore, mollitiave præferenda. Veſtes inde Sacerdotibus Ægyptiis gratisſimæ.*

- - - - - - - - - *qvarum.*

Delitias & panniculus bombycinus urit. Juvenal. Sat. 6.

Fœmineum lucet ſic per bombycina corpus. Mart. l. 8. ep. 68.

Nunc furtiva lucri fieri bombycina poſſunt. Martial. l. 11. ep. 50.

Tenuia ne madidi violent bombycina crines. Martial. l. 14. ep. 24.

Quin & non tantum ab Aſſyriæ vermiculis, ſed & ab Arabiæ xylino frutice texta bombycina adveniſſe vel illud *Propertii* oſtenderit:

Nec ſi qva Arabio lucet bombyce puella. Propert. l. 2. el. 3.

Qvod autem Scriptores antiqvi bombycem appellavere, & bombycinum, id recentiores bombacem & bombacinum vo-

cant. Βομβάκιον legitur apud *Myrepſum* & *Svidam*, cui poſtremo & bambax & pambax placuit; *Avicennæ* Khotthum, unde Gallis hodie *du coton*, Germanis Baumwolle, Arabius bombyx ergo apud *Propertium* bombacium ſignat, Aſſyria bombyx apud *Plinium* texturam bombycis vermiculi. Verba *Plinii l. 11 c. 23. Arabia bombyce adhuc fœminis cedimus.* Et *l. 11. c. 22, Bombyces telas araneorum modo texunt, ad veſtem, luxumque fœminarum, qvæ bombycina appellantur.* Hæe texta *bombycina*, qvia ab animali ſortiuntur originem, penultimam merito producunt, ut formicinus apud *Plautum*, ad normam regulæ Adjectivorum in INVS ab animatis ſenſitivis deſcendentium; ſed bombycinus a lanugine fruticis xylini penult. corripit, ut modo prolixe demonſtratum.

Byſſinum linum, de qvo *Plinius l. 19. c. 1. Asbeſtino lino principatus in toto orbe. Proximus byſſino, mulierum maxime deliciis circa Elim in Achaja genito.*

Vina, ungventa, leves tunicas, & byſſina vela. Mantuan. 5. Troph.

Cannabinus a cannabe herba. *Columell. l. 6. c. 2. Cannabinis funibus cornua juvencorum ligato.*

Cannabinas nutrit ſylvas, qvam commoda noſtro. Gratius 47.

Carbaſinum linum. *Plin. l. 19. c. 1. Et Hiſpania citerior habet ſplendore linum præcipuo, torrentis in qvo politur, natura, ibi primum carbaſis repertis.* Poſtea: *Carbaſina deinde vela primus in theatrum duxiſſe traditur Lentulus Spinter Apollinaribus ludis.*

Carbaſinum, ac ſpatiis gemmata monilia colli. Fillol. 2. Reg.

Poetis freqventior *carbaſeus*; *Tibullo carbaſeum* velum laudatur; *Virgilio* ſinus *carbaſeus.*

Cedrinus a Cedro arbore. *Plin. l. 13. c. 5. Cedrinus eſt Romæ in delubro Apollo Soſianus, Seleucia advectus.*

Ac etiam cedrinam cedrinis cum vectibus arcam. Fillol. 2. Reg.

Καὶ τότε κεδρινέης πελάνε βάρος ἔμμορε πίττης, i. e.

Concretamque picem, cedriqvæ caudice manat. Nicand. Alex.

Chimerinus, a χεῖμα, ατος, hyems, corripit pen. ut cætera adjectiva in INVS, a qvatuor anni tempeſtatibus derivata, earinus, oporinus, therinus.

Si daret autumnus mihi nomen, oporinus eſſem,
Horrida ſi brumæ ſidera, chimerinus.

Dictus-

Dictus ab æſtivo therinus tibi menſe vocarer,
Tempora cui nomen verna dedere, quis eſt? Mart. l. 9. 13.

Conqveritur autem idem *Martialis* *l. 9. ep. 12.* ſe earinon propter contumaciam primæ ſyllabæ, qvæ brevis eſt, verſui hendecaſyllabo non poſſe includere:

Dicunt Earinon tamen Poetæ,
Sed Græci, quibus eſt nihil negatum:
Et quos ἆρες, ἄρες decet ſonare;
Nobis non licet eſſe tam diſertis,
Qui Muſas colimus ſeveriores.

Homerus adjecto i primam in εἰάρινος produxit. *Iliad. β. v. 471.* Ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δεύει ɔ: tempore verno, qvando lac vaſa madefacit. Idem facit *Iliad. π. Il. θ. Odyſſ. 6. Odyſſ. χ.*

Coccinus, a cocco tinctorum. Hinc coccina læna *Juvenali Sat. 3.*

Coccina famoſæ donas, & ianthina mœchæ. Mart. l. 2. Ep. 39.
Si fueris ſanus, coccina qvid facient? Mart. l. 2. Ep. 16.

Coralinus, a coralio, herba lapidea:

Et poſuere inter virgulta coralina cippos. Milieus l. 1.
Porrige labra, labra coralina. Corn. Gallus.

Craſtinus, ab adverbio cras.

Ordine reſpicies, nunqvam te craſtina fallet. Virg. 1. Georg.

Crocinus, a croco, qui *Avicennæ* zaaferan. *Plin. 13. cap. 1. ungven-ventum crocinum.*

Quam circumcurſans hinc illinc ſæpe cupido
Fulgebat crocina candidus in tunica. Catull. ad Manl.
Sit menſæ ratio, noxque inter pocula currat,
Et crocino nares murrhinus ungat onyx. Propert. l. 3. el. 8.

Cryſtallinus, a cryſtallo gemma.

Sic Aretinæ violant cryſtallina teſtæ. Mart. l. 1. ep. 54.
Frangere dum metuis, frangis cryſtallina: peccant
Securæ nimium, ſollicitæque manus. Mart. l. 14. ep. 111.
Grandia tolluntur cryſtallina, maxima rurſus
Murrhina . . . . Juvenal. Sat. 6.

Cupresſinus, a cupreſſo arbore. *Plin. l. 23. c. 4. Cupreſſinum oleum eosdem effectus habet, qvos myrteum. Super calcatis cupreſſinis, vel pineis, aut ſi eæ non erunt, aliis frondibus terra contegatur. Columell. l. 2. c. 2.*

Inſtructi juvenes, paſſisque cupreſſina qvorum. Fillol. 9. Reg.

Diutinus pen. corripit, qvia a diu, adverbio temporis derivatur: Idem jam ante a *Plauto* & *Terentio* factum notavere eruditi.

Longum, diutinumque a mane ad veſperum. Plaut. Mil. glor. act. 2. ſc. 6.

Diutine ei uti bene licet partum bene. Plaut. Rud. act. 4. ſc. 7.

Hæcine erant itiones crebræ, & manſiones diutinæ. Ter. Phorm. Act. 5. ſc. 9.

Idem tuentur conſtanter *Voſſius*, *Cavallus*, *Glonerus*, alii.

Earinus vide *chimerinus.*

Faginus, a fago arbore:

Poſt vario nitens ſub pondere faginus axis. Virg. 3. Georg.

Inſanire libet quoniam tibi, pocula ponam
Fagina, cœlatum divini opus Alcimedontis. Virg. ecl. 3.

Gauſapinus, a gauſape, villoſo genere veſtimenti:

Et dolet, & queritur ſibi non contingere frigus,
Propter ſexcentas Baccara gauſapinas. & poſtea
Quanto ſimplicius, quanto eſt humanius iſtud:
Menſe vel Auguſto, ſumere gauſapinas? Mart. l. 6. ep. 59.

Glaucinus, a glauco colore, id eſt, ex viridi-albo.

Audet facundo qvi carmina mittere Nervæ,
Pallida donabit, glaucina, Coſme, tibi. Martial. l. 9. epigr. 27.

Hornotinus, ab *horno*, adverbio temporis, ideoque juxta regulam præcedentem penult. corripit. De *horno* egregie *Voſſius Etym. L. L.* *Ab hornus*, inqvit, *eſt adverbium horno, hoc eſt, hoc anno, cui opponitur adverbium anno, hoc eſt, pridem, quaſi dicas, jam ante annum. Ita enim voce anno uſus Plautus Manech. act. I. ſc. III. Qvatuor minis ego emi iſtanc anno uxori meæ. Horno uſurpat Varro Eumenid: ut docet Nonius, qvi & Lucillii illud citat, libr. XXVIII. Utrum anno, an horno te abſtuleris a viro. Ab horno, ut Priſcianus teſtatur lib. II. eſt hornotinus, nempe ut a diu diutinus, eſtque idem qvod hornus.* Hæc *Voſſius.* Qvia ergo *annotinus* deſcendit ab adverbio temporis, *anno*, ut ab *horno hornotinus*, neceſſe eſt penult. ejus itidem corripi. Sic *perendinus* a perendie, *priſtinus* a pridem, *ſerotinus* a ſero, adverbiis temporalibus penult. corripiunt. Recte proinde ex *Priſciano* hanc obſervationem producit *Pincierus*: *Adjectiva in* INUS *qvæ naſcuntur ab adverbiis temporalibus penultimam habent brevem, ut diutinus a diu, craſtinus a cras, perendinus a perendie, priſtinus a pridem, ſerotinus a ſero, hornotinus ab horno, id eſt, hoc anno; matutinus autem, & veſpertinus, qvia a nominibus Matuta & Veſpero flectuntur, penultimam habent longam.* Hactenus ex *Pri-*

ſciano Pincierus. De voce *ſerotinus*, extat qvoqve illud *S. Hilarii Gen.* 25.

Et caliganti premeret ſerotina nocte.

De voce *priſtinus* ita *Ovid. Met.* 3.

Non ſua fluxerunt; mens tantum priſtina manſit.

De voce *perendinus* ita *Plaut. in Trin. v. ult.* Trochaico:

Tu in perendinum paratus ſis, ut dicas, Plaudite.

Craſtinus & *diutinus* jam ante ex *Virg.* & *Plauto* confirmavimus.

Hyacinthinus, ab hyacintho gemma:

Heic aliqvis, cui circum humeros hyacinthina læna eſt. Perſ. Sat. 1.

Et a flore.

Talis in vario ſolet
Divitis Domini hortulo
Stare flos hyacinthinus. *Catull.* 62. *epithal. Juliæ.*

Ianthinus ἀπὸ τῦ ἴȣ, viola. *Plin. l.* 21. *c.* 6. *Ex iis vero violis, qvæ ſponte apricis, & macris locis proveniunt, purpureæ, latiore folio ſtatim ab radice carnoſa exeunt, ſolæque Græco nomine a cæteris diſcernuntur, appellatæ ἴα, ut ab his ianthina veſtis:*

Coccina famoſæ donas, & ianthina mœchæ. *Mart. l.* 2. 39.

Murrhinus, a murrha lapidis, ſeu argillæ, ſeu odoramenti genere, unde vaſa olim conficiebantur. *Plin. l.* 37. *c.* 2. *Oriens*, inqvit, *murrhina mittit ex humore ſub terra calore denſata. In pretio ſunt ob nitorem, & coloris varietatem, purpurei, candidi, & tertii igneſcentis. Aliqua & in odore commandatio eſt. Scaliger*, & alii exiſtimant hodierna porcellana eſſe. Cæterum deſcriptio *Plinii* adverſatur, neqve enim porcellana hodierna odorifera ſunt; neqve ſaporem infuſi humoris nobilitant, qvod de murrhinis narrat *Martialis l.* 4. *epigr.* 113.

Si calidum potas, ardenti murrha falerno
Convenit, & melior fit ſapor inde mero.

De murrhinis autem porro:

Surrentina bibis: nec murrhina picta, nec aurum.
Sume: dabunt calices hæc tibi vina ſuos. Martial. l. 13. *ep.* 110.

Et turbata brevi qveſtus cryſtallina vitro,
Murrhina (alii legunt myrrhina) *ſignavit, ſepoſuitque decem.* *Mart. l.* 9. *ep.* 60.

De vino myrrhina, ſive murrhina videatur *Plin. l.* 14. *c.* 13. Cujus penult. itidem brevem eſſe conſtat, qvod vinum myrrhinam tradat myrrhæ, (re ſcilicet inanimi) odore conditum eſſe.

Oleaginus ab arbore olea:

Truditur e ſicco radix oleagina ligno. Virg. 2. Geörg.

Oporinus, vide *chimerinus.*

Perendinus, vide *hornotinus.*

Praſinus, a πράσον, porrum, color viridis.

De praſino conviva meus, Venetoque loquetur. Martial. l. 10. epigr. 48.

Si Veneto, praſinoque faves, qui coccina ſumis. Martial. l. 14. epigr. 131.

De noſtra praſina eſt ſyntheſis empta toga. Martial. l. 10. c. 29.

Sapphirinus, a ſapphiro gemma,

Sapphirino, viridi, maculoſo, cærula & albo. Alcim. 4.

Ubi tamen antepenultimam perperam corripuit, qvia Græcis eſt σάπφειρος.

Solis enim, ac lunæ ſapphirina ſtabat imago. Millieus. l. 2. Reg.

Smaragdinus, a ſmaragdo gemma. *Apicio* 3. 1. *ſmaragdinum olus*, laudatur.

Has inter ſpecies ſmaragdina gramine verno. Prud. Pſychom. 897.

Qvia tamen *Lucretio*, *Ovidio*, *Claudiano*, *Martiali* prima in voce *ſmaragdus* corripitur, ab eorum decretis hac parte neutiqvam recedendum.

Thalaſſinus, a θάλασσα, mare, thalaſſina veſtis eſt coloris ſubcœrulei, ad ſimilitudinem fluctuum marinorum.

Auro includuntur, teriturque thalaſſina veſtis. Lucret. l. 4.

Therinus, vide *Chimerinus.*

Tyrianthinus, id eſt, violaceus, ſive purpureus, a flore Tyrio qvi purpurei eſt coloris, ut tradunt *Rad.* & *Domit.* ad *Mart.* vel a Tyrius & ianthinus, de qvo ante.

Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus. Martial. l. 1. epigr. 54.

Xerampelina veſtis, eſt coloris ſiccæ roſæ, vel cujusmodi eſt in autumnalibus vitis frondibus, a ξηρὸς ſiccus & ἄμπελος vinea, vitis.

Et Xerampelinas veteres donaverit ipſi. Juvenal. Sat. 6.

Ex ampla hac meſſe facile fuerit colligere, qvo accentu enuncianda ſint cætera in INVS adjectiva naturæ ſimillimæ, qvæ ordine nunc ſeqvuntur:

Abrotoninum oleum *Dioſcoridi*; alabaſtrinum ungventum *Officinis pharmaceuticis*; aloephanginæ pilulæ *Officinis*; ἀμαράντινος ςέφανος *Philoſtrato*; anacardina nux, & confectio *Officinis*:

ane;

anethinum oleum *Dioſcoridi*; anethinum vinum *Dioſcoridi*; anthracinæ veſtes *Varroni*; anthracina fortuna *Plauto*; asbeſtinum linum *Plinio*; balaninum oleum *Plinio*, & *Dioſcoridi*; balauſtini flores *Officinis*; bombacinæ veſtes, vide bombycinus; capparinum oleum *Officinis*; carinum, ſeu rectius caruinum oleum *Plinio*, & *Dioſcoridi*; caryocoſtinum electuarium *Officinis*; cedrinum vinum *Dioſcoridi*; chamæmelinum oleum *Officinis*; chamæpityinum vinum *Dioſcoridi*; cheirinum oleum *Officinis*; chortinum oleum *Plinio*; cicinum oleum *Plinio*, & *Dioſcoridi*; cinnamomium oleum, *Plinio*, & *Dioſcoridi*; cnecinum oleum *Plinio*; cnicinum oleum *Dioſcoridi*; cucurbitina pyra *Catoni*, & *Plinio*; cyprinum oleum *Dioſcoridi*; cypariſſina reſina *Dioſcoridi*; daphninum oleum *Dioſcoridi*; duracina uva *Svetonio*. electrina patera *Trebellio Pollioni*; elatinum oleum *Dioſcoridi*; funginum genus *Plauto*; gleucinum oleum *Dioſcoridi*, *Plinio*, *Columellæ*; goſſypina turunda *Officinis*; haloſanthinum vinum *Diſcoridi*; hyoſcyaminum oleum *Plinio*, & *Dioſcoridi*; irinum oleum *Diſcoridi*; irinum vnguentum *Plinio*; juncinum oleum *Plinio*; juniperium oleum *Officinis*; laurinum oleum *Plinio*; lentiscinum oleum *Plinio*; lirinum ungventum & oleum *Plinio*; malabathrinum ungventum *Dioſcoridi*; maſtichinum oleum *Dioſcoridi*; melanthinum oleum *Dioſcoridi*; melinum oleum *Dioſcoridi*, & *Plinio*; moſchellinum oleum *Officinis*; myrtinum olium *Dioſcoridi*, *Plinio*; myrteum; narciſſinum oleum *Dioſcoridi* narciſſinum ungventum & oleum *Plinio*; nardinum oleum *Dioſcoridi*; ungventum nardinum, & pyra nardina *Plinio*; ocyminum oleum *Dioſcoridi*; œnanthinum oleum *Dioſcoridi*, & *Plinio*; onychina pyra *Plinio* onychina pruna *Columellæ*; omphacinum oleum *Dioſcoridi*, & *Plinio*; papaverinum oleum *Officinis*; rectius forſan papavereum, ut papavereæ comæ *Ovidio*; phaſelinum oleum *Plinio*; piſſinum oleum *Plinio*; populinum ungventum *Officinis*; qvercinum viſcum *Officinis*, latine qvernum; raphaninum oleum *Dioſcoridi*, & *Plinio*; rhodinum oleum *Dioſcoridi*; rhodinum ungventum *Plinio*; ſaccharinum alumen, ſaccharinus panis *Officinis*; ſaccharina canna *Tabernæmontano*; ſambucina aqva *Officinis*, rectius forſan ſambucea, ut ſambucea arbor *Plinio*; ſampſuchinum oleum *Dioſcoridi*, & *Plinio*; ſantalinum lignum *Officinis*; ſcillinum acetum *Plinio*; ſeſaminum oleum *Dioſcoridi*, & *Plinio*; ſinapinum oleum *Dioſcoridi*; ſtrobilina reſina *Dioſcoridi*; ſtyracinum ungventum *Dioſcoridi*; ſuſinum oleum *Dioſcoridi*, & *Plino*; tartarinum corpus *Ennio* apud *Varronem*; telinum oleum *Dioſcoridi*, & *Plinio*; terebinthinum oleum *Dioſcoridi*; terebinthi-

binthina reſina *Plinio*, & *Columellæ*; therminum oleum *Plinio*; tophini carceres, tophina meta *Svetonio*; xylinum linum *Plinio*.

Et hæc univerſa penultimam agnoſcunt brevem neqve eſt qvod de *fungino*, *ſcillino*, *ſementino*, & *ſuſino*, diverſa quisquam ſuſpicetur. Exiſtimavere qvidem nonnulli *funginum* *Plauto* efferri penult. producta cum ita *Trinum: Act. 4. Sc. 2.* - - - *pol*, inqvit, *hic qvidem*

Fungino genere eſt, capite ſe totum tegit - - -

Cæterum ex eo refelluntur, quod hujusmodi verſus Jambici trochæum primo, tertio & qvinto locis non faſtidiant, ut pluribus vel ex eadem ſcena exemplis poſſet demonſtrari. De *ſcillino* ita *Plinius*, *l.* 23. *c.* 2. *Acetum ſcillinum inveteratum magis probatur.* A ſcilla, ſive ſqvilla planta dictum. Sed obſtat penultimam corripientibus *Serenus Sam.* qvi *tit. hydrop. curand.* in hunc modum ſcribit:

Sæpe & ſcillino pelluntur noxia Baccho.

Verum quia apud *Galen. l. 1. de Antid.* penultima corripitur in verſu ibi adducto, legendum hic vel *ſcillite* (qvæ vox *Palladio*, *Columellæ*, *Plinio* uſurpata) vel *ſcillitico*, ut ex membranis docet Commentator inſignis *Keuchenius*; (cui tamen obſtat η apud *Galenum l. 1. de Antid.* ubi docetur ἀρτίσκων σκιλλητικῶν σκευασία) vel potius deniqve hic excidiſſe ſibi putandus *Serenus*, ut iam ante *tit phreneſ. & cap. purg.*

Ex vitio cerebri phreneſis furioſa movetur.

De qvo *Keuchenius*: *incurrit hic vitium Proſodiacum Serenus contra originem vocis, & veterum Poetarum morem qvod obiter eſt obſervandum.*

Cum furor haud dubius, cum ſit manifeſta phreneſis. Juvenal. Sat. 14.

Sementinus a ſemente dictus, creditur penult. producere, qvod *Ovid. I. Faſtor ita:*

Nec Sementina eſt ulla reperta dies.

Sementinæ feriæ a Romanis celebratæ, ut ſementis grandeſceret. Sementina pyra *Catoni de R. R. cap. VII.* laudantur, & *Plinio libr. XV. c. XV.* Sed vero omnibus hic locis non *ſementinus*, ſed *ſementivus* eſſe legendum, jam ante ex fide plurium manuſcriptorum prolixe oſtendit *Nic. Heinſius in l. 1. Faſt. Ovidii.*

Suſinus deniqve videri poteſt penult. producere, ac ſi a nomine Urbis *Suſa* deſcendat, ut Tarentinus, Agringentinus, Alexandrinus, Numantinus, Byzantinus; cæterum ſuſinus

ſinus a σȣσον, ȣ, τὸ, lilium, derivatur, non a metropoli Perſarum. Contra metropolim illam a liliorum infinita copia circa eam urbem naſcente traxiſſe originem auctor eſt *Stephanus* & *Suſa* vocem vel Perſicam eſſe, vel Phœniciam, atqve lilia ſignificare, teſtantur alii.

Atqve hactenus hæc Adiectiva in INVS, tanto ſollicitius perſeqvi decretum fuit, qvanto certius conſtat non pharmacopœos duntaxat, ſed & eruditos quandoqve, & lexicographos hic non leviter hallucinari,

AMARANTVS, planta eſt floris comam ſpecioſam & non marceſcentem habens, variis coloribus ornatam, vnde & nomen. Hinc hyeme & æſtate ex illa geſtant puellæ immarcidas corollas, ex α priu. & μαϱαίνω marceſco. G. Sammetblumen, Amarant.

AMAVROSIS, eſt in rebus eminus, & cominus poſitis, viſus abolitio, ita tamen vt nullum vitium externum in oculo vel accurate inſpicienti appareat. Vitium in nerui optici obſtructione conſiſtit: pupilla eſt integra, humores ſunt integri; cauſa eſt omne illud, quod illæſo ſpectabili bulbo facultates viſus ineptas reddere poteſt; hinc oritur vel a vitio in tunica retina, vel ſi afficitur neruus opticus aliquo in loco a retina ad thalamos neruorum ophthalmicorum; ſi ipſa medulla cerebri male ſe habeat, in illa parte ſuæ ſubſtantiæ, unde fit nervus opticus, vel ſi ipſe cortex, vnde producitur illa pars ſubſtantiæ medulloſæ, quæ neruo optico inſeruit, vitiatus ſit. Vocatur etiam *Gutta ſerena*, ab ἀμαυϱόω obſcuro. G. Der ſchwartze Staar.

AMBARVM, pro ambra penult. corripit ex analogia, vt aſarum rhabarbarum, cammarum, cantharum. Hinc apud *Laur. le Brun. in Eloqu. Poet.*

O Dea, & ambareos mundus reſpirat odores.

AMBE, in genere notat ſupercilioſam eminentiam, quæ eſt in ora alicuius rei vel ambitu, vnde eminentia oſſium ſuperficiaria ita etiam dicitur. Item, inſtrumentum chirurgicum, quo brachia dearticulata reſtituuntur.

AMBLOSIS, idem quod *Abortus*.

AMBLOTICA, ſunt medicamenta abortum facientia, vt ſunt diuretica omnia, & quæ vterum aperiunt, fœtumque & placentam expellunt. Ab ἀμβλώσκω abortio, vnde ἄμβλωσις & ἄμβλωμα, abortus. G. Mißgeburt verurſachende Mittel.

AMBLYOPIA, eſt viſus obſcuritas: quæ eſt quadruplex: *Myopia*, *Presbytia*, *Nyctalopia* & *Amaurosis*, de quibus ſuo

 loco

ſtoco; ex ἀμβλὺς obtuſus, hebes, & ὄπτομαι video. G. Dunckelheit der Augen.

AMBRA GRYSEA bituminis quædam ſpecies eſt, inflammabilis, pinguis, odoris ſuauiſſimi, quod procelloſis fluctibus ex fundo maris excuſſum & ad littus eructatum eſt. Recte cenſetur ex deſtillatione, Ambram recenſeri inter ſuccina, & foſſiles reſinas, licet etiam in cetis reperiatur, qui forte illam deuorarunt, eaque delectantur. Inuenitur in Iaponia, inſulis Moluccanis, Mauritii, Neicotarres, in Sumatra, Borneo aliisque Indiæ tractibus. Optima cenſetur gryſea, ſeu coloris cinerei ſeu gryſei, a ſortibus purgata & odorata, leuis, quæque acu perfoſſa ſuccum pinguem reſudat; notat KAEMPFFERVS, quod nulla ſit melior bonitatis & conſtantior nota, quam ſi candenti laminæ eius granula aliquot imponantur, quo ipſo ſuffitus prodit adulterium, & cineris paucitas bonitatem. Improbatur *nigra* & *candida* valde, procul ducio adulterata; ſæpius enim ſolet adulterari, notante eodem, qui dicit, quod cum recens in littus deponitur, maſſæ farinaceæ inſtar & adulterio recipiendo aptiſſima ſit. Nihil vero eidem facilius ingeritur, (prout ipſi adulteratores autori faſſi ſunt;) quam gluma oryzæ in pollinem redacta, nam hæc & leuitatem & colorem glaucum ei conciliat; ſed hanc fraudem teredines, illata carie, poſſeſſori detegunt &c. G. Amber.

AMBROSIA, eſt herba quædam Botrys dicta; ab ἀ priv. & βροτὸς mortalis, interpoſito μ vocalitatis gratia. Poetæ diis tribuunt τὴν ἀμβροσίαν, propter incredibilem fragrantiam, expetitam. Ad hanc accedere huius plantæ odorem ipſo nomine ſignificare voluerunt veteres. Habet caulem vnicum, in multos ramos diuiſum; folia inciſa, albeſcentia; flores floſculoſos, plurimis ſcilicet floſculis ſterilibus calice comprehenſis, conſtantes; fructus eſt clauæ æmulus, echinatus, monoſpermus, fætus ſemine nigricante & oblongo, tuba bifida inſtructus, alio loco plantæ; radix longa, lignoſa, tenuis. Tota planta habet odorem ſuauem, ſaporem aromaticum, aliquantulum amarum, ſed gratum, colitur in hortis. G. Traubenkraut.

AMBROSIA, eſt quoque medicamentum ſolidum, ſed omni qua fieri poteſt gratia, præparatum. Ratio nominis ante indicata eſt.

AMBVBEIA. Idem quod cichorium. Apud C. Celſum legitur. Volunt aliqui ſcribendum eſſe nomen *ambuleia*: quia flos ambulare videtur, dum ſe ad ſolem continuo vertit.

AMBV-

AMBVLATIO, Chirurgis dicitur, quando pars quædam inflammatione, gangræna, aut ſphacelo corripitur, & in ambitu plagæ malum vlterius proſerpit. G. Um ſich freſſende Geſchwüre.

AMBVSTIO, eſt continui ſolutio, a materia externa adurente, (igne ſcilicet actuali vel potentiali) inducta, cuticulam ſemper, cutim plerumque, nonnunquam etiam muſculos, venas, arterias, neruos atque tendines lædens. Gr. περίκαυσις. G. Brand, Verbrennung.

AMENTVM, idem quod *Alumen plumeum.* Apud botanicos amentum aut flos amentaceus, ſeu amentifer, dicitur, qui in longum protenſus inſtar lori propendet aut prominet. Vocatur etiam nucamentum, aut iulus. Talem florem habent ſalix, corylus, iuglans, caſtanea. G. Wurſtförmige Blumen, Kätzlein.

AMETHODICVM, eſt quod ſine methodica & dogmatica ratione fit, vt ſolent Empirici, ex α priu. & μέθοδ☉, ratio ad inuenienda auxilia.

AMETHYSTVS, G. ἀμέθυςος eſt gemma pellucida, purpurei ſeu violacei coloris, aliquando ad flauedinem inclinantis: huius color videtur deberi pigmento metallico inprimis; aut & alteri cuidam fixo & foſſili principio, in ipſa earum natiuitate, quam intime permixto, vnitoque: euincit hoc huius & aliarum ſimilium gemmarum coloratarum artificioſa confectio. Datur Orientalis & Occidentalis. In India Orientali, Arabia petræa, Armenia, Cypro, Bohemia &c. G. Amethyſt, Ametiſt. Dicitur ebrietatem impedire: indeque nomen Græcum ipſi eſt impoſitum.

AMIANTVS, eſt lapis alumini plumoſo ſimilis, ſed absque ſapore & in igne non combuſtilis, in quo ab alumine plumoſo differt, coloris varii, & in filamenta deductilis; inde veteres induſia, aliaque, præparare nouerunt, quæ vbi ſordida, igne tradebantur & pura euadebant: duplici forma diuerſa reperitur, ſub ſpecie filamentorum maiorum alumine plumoſo, & vocatur hæc linum incombuſtile, altera ſpecies ſub forma lapidis fuſci, vel nigri, duri, malleo extenſilis. Græcis Ἄσβεσ☉, quod ellychnia ex eodem fiant incombuſtilia. G. Federweis, Steinflachs, Schieferweis, Steindacht.

AMMA, ſiue SVBLIGACVLVM, aut BRACHERIVM, eſt vinculum hernioſis vtile, quod vel ex lintea faſcia, vel orbiculo metallico inferius abdomen ambiente, conficitur, & protuberantia eminente interius donato, applicatur in ingui-

ne

ne ad proceſſum peritonæi, vbi per muſculos tranſit, & annulum comprimens, retinet inteſtina in abdomen reducta, quæ per hunc annulum ceteroquin elaberentur, ab ἅπτω connecto. *Bracherium* nomen accepiſſe videtur a cingulis, quæ lumbis & renibus adaptantur, ab *Iſidoro Brachiale Monachorum* vocatum *Succinctorium*; *Brachile* ſeu *Brachiale* dicitur, quamuis non brachiorum ſed renum ſit cingulum. *Rebrachiatorium Caſſiano*, vnde procul dubio natum *Bracherium* chirurgorum, cingulum nempe herniam inteſtinalem ſubſtringens. G. Bruchband.

AMMI, ſunt ſemina exigua, ſabuli grana referentia, ſtriata globoſa, ſuauiter aromatica, ſaporis amari, acris, odoris fragrantis, fere vt origani vel thymi; optima deferuntur ex Alexandria vel Candia. Planta, vnde creſcit, ſatis eſt procera, ramosa, Ammioſelinum dicta, folia habens anethi ſimilia, in longas & anguſtas diſſectas lacinias abeuntia, crenas habentia ad coſtas. Nomen deduci videtur ab ἄμμος arena, ob ſimilitudinem quam habent cum granis ſabuli.

AMMONIACVM GVMMI, ſeu HAMMONIACVM, penult. corripit.

Cumque Ammoniaco maſcula thura ſale. Ouid. de med. faciei.

Male autem *Vindicianus* penult. producit, & peius o corripit, cum *Nicander* vacem hanc per ω exprimat, & *Virg.* 4. *Aeneid.* ita:

Hic Ammone ſatus rapta Garamantide nympha. Gummi autem Ammoniacum eſt lachryma ex Ferula Africana, iuxta delubrum Hammonis naſcente, vnde & nomen: gummi inſtar thuris grumoſum eſt, ſubalbicans, cui ſemina, angelicæ inſtar, interſperſa ſunt; odor eſt fere caſtoreus, & granis ſaporque aromaticus & amareſcens. G. Ammoniack.

AMMONIACVM SAL, vide *Armoniacum.*

AMNION, male pro AMNIOS, CHARTA VIRGINEA. Multo vitioſius *Realdus Columbus*, ſcribit *agmios* vel *ammios*; vid. eius *de re anatomica* lib XII. p. m. 248. conf. *Riolanus* in *Anthropographia* libr. VI. 608. Amnios autem eſt membrana foetum in vtero proxime obuoluens, & molliter excipiens, quæ etiam cum reliquis ſecundinis poſt partum expellitur. Chorio longe albicantior atque tenuior eſt, ipſi chorio blanditer accumbens, non tamen niſi ſuperiore parte adnexa; hæc figurae fere oualis, maxime tenuis & ſimplex ac mollis eſt, læuior ac politior parte interna, externa inæqualior, candida & pellucida, laxo interuallo a fœtu diſtans, nullis vaſis ſan-

ſanguineis hactenus demonſtratis donata; exterius Chorio inueſtitur, quæ ſibi inuicem aliquando ſatis tenaciter adhærent ab hac parte, ita vt vix auelli queant. Continet non tantum fœtum, ſed & humorem nutritium, quo fœtus, per os & gulam alimentum ſibi ſugit: vide liquorem Amnii. Ἀμνεῖος, Ἀμνίος Græcis dicitur, Latinis amiculum, induſium, quod fœtum amiciat & abuoluat, vel vt alii volunt ab ἀμνός agnus, ſic ab eius teneritudine dicta & mollitie. G. Schafhaütlein.

AMOLYNTVM, eſt medicamentum, quo tractato, manus non inquinantur, α priu. & μολύνω inquino.

AMOMVM, penult. producit, quia *Dioſcoridi*, & *Galeno* ἄμωμον: his adde:

Pingueſcat nimio madidus mihi crinis amomo. Martial. l. 5. *epigr.* 65.

Veterum quodnam ſit, adhuc ſub iudice lis eſt. Sunt enim, qui roſam Hierichuntis eſſe velint: alii aliud quid eſſe contendunt. Officinae duplex ſemen ſub amomi nomine monſtrant, quorum alterum maius, nigrum rotundumque eſt, inſtar granorum piperis rotundi vel cubebarum, guſtu minime acre, quod videtur veterum eſſe *Siſon*, Dioſcoridi memoratum. Alterum minutum ſemen & pallidum; vtrumque raro in vſu, locoque Amomi Veterum repitur Acorus. Ingreditur Theriacam. *Amomum* & *Cardamomum minus*, quæ in officinis proſtant, putant nonnulli fructus eſſe plantarum genere convenientium, ſpecie vero ſaltem differentium; & quoniam illa differentia in fructuum duntaxat forma, hoc eſt rotunda aut triangulari conſiſtit, folia autem conueniunt, nec fructus hac in regione vnquam producuntur; hanc plantam pro vtriſque ſpectandam exhibent. Dicitur ab odore bono, qui reprehendi minime queat: μῶμος enim eſt reprehenſio, & ἄμωμος reprehenſioni non obnoxius. Sed forte origo eſt ex orientalicus linguis repetenda, a *mum* vel *mom*, quod pretioſum balſamum, viribus præclaris in medicina præditum, denotat: cui præmiſſa littera *a* videtur eſſe articulus Arabum *al*. In illa enim lingua *l* articuli ante *m* & alias quaſdam litteras non pronuntiatur. Suadent hoc credere poetæ, qui inter ſpecies ad pollincturam magnatum requiſitas *amomum* referunt. Quumque plura aromata fragrans oleum poſſidentia, in terminationem *amomum* exeant, vt *cardamomum*, *cinnamomum*; tanto magis fit veroſimile hanc terminationem ſignificare aliquid fragrans, balſamicum: priores autem litteras pro differentia denotanda fuiſſe adiectas.

AMPELOPRASVM, eſt porrum, circa vites naſcens; Ex ἄμπελος vitis, & πράσον porrum. G. Ackerknoblauch.

AMPHIARTHROSIS, penultima producta. Sicque plura in OSIS terminata, vt diarthroſis, enarthroſis, ſynarthroſis, ſynchondroſis, caet. Ratio eſt, quia Græce ſcribitur ἀμφιάρθρωσις, διάρθρωσις, γόμφωσις, cætera.

AMPHEMERINVS, eſt morbus quotidianus, vnde πυρετὸς ἀμφήμερος febris quotidiana, ex ἀμφι circum & ἡμέρα dies.

AMPHIBIVM, eſt omne anima, æque in aquis ac in terris viuens. Ex ἀμφὶ vtrinque, & βίοω viuo.

AMPHIBLESTROIDES, ἀμφιβληστροειδής, TVNICA RETINA oculi, mollis eſt alba mucoſaque ſubſtantia, cui nomen inditum, quod proiecta in aquas reticulum æmuletur. Protenditur ab ipſo neruі optici centro, ſupraque vitreum humorem expanſa, ad ligamentum ciliare porrigitur. Hæc tunica ſiquidem albida & medullaris, ab ipſa nerui optici ſubſtantia medulloſa ac fibroſa procedit; vt ſit fibrarum neruearum, quæ illic in vnam faſciam colliguntur, quaſi in velum retiforme expanſio. Reuera ſi integer oculus pro flore, qui cerebro per neruum opticum, velut caudicem accreſcit, ſumatur, tunica retina erit flos ipſe, ac duæ priores tantum calicis vicem præſtabunt. Habet ſe intra oculi thalamum velut paries albatus, qui ſpecies viſibiles per foramen cameræ atratæ admiſſas excipit repræſentatque, qui ſpecies ſenſibiles imprimuntur, & a quo eadem πρώτω αἰσθητηρίω *ſenſorio communi*, communicantur, ex ἀμφίβληστρον rete, & εἶδος forma. G. Spinnewebhäutlein.

AMPHISBÆNA, ex ἀμφὶς, vtrinque, & βαίνω, gradior. Serpentis genus eſt, nunc in anteriorem, nunc in poſteriorem progrediens partem.

AMPHIBRANCHIA, ſunt loca circa tonſillas vel tenſillæ ipſæ.

AMPHIDEVM, eſt caput oris vteri, labris cucurbitarum ſimile. Græcis Ἀμφίδεον.

AMPHISMILE, eſt cultellus anceps anatomicus & chirurgicus, utrinque acie præditus, ſecandisque cadaueribus, vtilis, ex ἀμφὶ vtrinque, & σμίλη ſcalpellum. G. Ein zweiſchneidig Meſſer.

AMPHORA, eſt vas cum duobus anſis, capit duas vrnas, ſeu octo congios: eſt menſura liquidorum apud veteres. Italis continet libras ſeptuaginta duas. Attica vero dimidium

am-

amphoræ circiter ſupra Italicam amphoram continebat. Secundum hodiernam computationem, capit vini libras octoginta, & olei circiter ſeptuaginta. G. Eimer.

AMPVLLA, eſt vitrum rotundum, cui collum in ſummitate eſt. G. Ein rund Fläſchlein.

AMULETVM, PERIAMMA, *Periapton*, eſt monile, quod e collo ſuſpenſum & geſtatum, vel in annulo, dicitur occulta quadam virtute remedium præſentaneum aduerſus febres, venea & faſcinationes.

AMVRCA, dicitur ſedimentum vel recrementum oliuarum expreſſarum, fæx olei. Gr. Ἀμόργη ab ἀμέργω, exugo oleas, & amurcam exprimo. G. Truſen vel Heſen von Oele.

AMYGDALÆ, idem quod *Antiades & Pariſthmia* eſſe perhibentur. Sunt tamen qui amygdalas vocandas putant glandulas conglobatas exiguas, quæ ad mentum ſub regione dentium molarium percipiuntur tactu, ſubinde autem aliquibus ſporadice, non raro populariter ſimul compluribus intumeſcunt, tuncque deſcendunt & inter maxillam & linguam deprehenduntur, magnamque moleſtiam inferunt. Atque tunc ſæpe tonſillæ veræ, quæ Græcorum ſunt antiades & pariſthmia, ſaluæ & incolumes manent. Germani hoc vocant geſchwollene Mandeln.

AMYGDALVS, eſt arbor, quæ habet folia longa, anguſta, acuta, ſaporis amari, grati: calix eſt monophyllus, quinquifidus; flos roſaceus, pentapetalus, ſtaminibus multis præditus; ouarium in fundo calicis inſtructum tuba longa donata apice globoſo, quod fit fructus, callo puluinato, minus ſpiſſo, ſicciore condens oſſiculum rugis minus profundis ornatum, in quo nucleus oblongus, plerumque vnus, pediculo breuiſſimo. Fructus vocantur amygdalæ, quæ ſunt dulces vel amaræ, & ſapore tantum a ſe inuicem differunt. Græce Ἀμυγδαλή G. Mandelbaum.

AMYGDALATVM, eſt lac artificiale, ſeu *Emulſio* ex amygdalis aliiſque ſeminibus parata, ab ἀμυγδάλη, amygdalæ fructus. G. Mandelmilch.

AMYLON, quibusdam AMYDON, penult. corripit

- - - - - - - - *ἐγὼ δέ τοι ἐδ᾽ ὅσον ὤραν*

Σχέιματος, ἤ νωδὸς καρύων, ἀμύλοιο παρόντος. Theocrit. Idyll. 9. hoc eſt, Ego tantillum curo hyemen, vel quantum edentulus nuces, pulte appoſita.

AMYLVM, eſt flos tritici aut ſiliginis ſubtiliſſimus, albiſſimus, multiplici aquæ affuſione ex farina extractus, & in exiguas

guas maſſulas exſiccando coactus. Sic dicitur, quod ſine mola paretur. Ex priu. α & μύλη mola. G. Ammelmehl, Krafftmehl, Stärcke.

ANA, eſt æqualis variorum medicamentorum, vna formula præſcriptorum, portio. Vulgo ſimplici a vel duplici āā breuitatis gratia ſcribitur. G. Gleiche Theile.

ANABASIS, eſt morborum iuualeſcentia. Vide *Acme*, ab ἀναβαίνω aſcendo.

ANABOLE, materiæ reiectionem per ſuperiora ſignificat.

ANABROCHISMVS, eſt, cum immiſſis vinculis aliquid ſuperuacanei tabefactum tollitur. Idem modus extrahendi pilos palpebrarum inuerſos, oculumque pungentes, immiſſio per foramen acus tenuiſſimo byſſo: per cuius duplicatam anſam pilus traiectus vellitur.

ANABROSIS, eſt partis alicuius in corpore, ab humoribus acribus, eroſio. Idem quod *Diabroſis*, ab ἀναβιβρώσκω, peredo, corrodo. G. Zernagung, Verzehrung.

ANACARDINA nux, et confectio, vide Amaracinum, & ſeqq.

ANACARDIVM, duplex eſt, *Orientale* & *Occidentale*. *Orientale*, eſt fructus arboris Malabaribus Oepata dictæ, qui eſt cordiformis cum cuſpide in vertice, niger, ſplendens, includens ſub duplici inuolucro a ſe ſeparato mellaginem craſſiuſculam, lentam, ceraſorum colore, ſub qua nucleus pallidus amygdalæ ſaporis. *Occidentale* eſt quaſi oſſiculum renis leporis figura; foris fuſcum, durum, & gerens nucleum album amygdalæ ſaporis. Magna eſt eius in Cananor copia, tum in Calecut, & aliis Indiæ locis, veluti in Cambaya & Decan. Gr. Ἀνακάρδιον. Veteribus incognitum fuit. Arab. *Balador* Indis *Byho*. Luſit. *Facca de Malaqua*, quod viridis & in arbore pendens ſimilis ſit noſtrati maiori fabæ, maior tamen, ſic ob cordis ſimilitudinem vocatur. G. Elephantenlauß.

ANACATHARTICA, ſunt medicamenta vomitoria, quæ per ſuperiora purgant, ex ἄνω ſupra, & καθαίρω purgo. Idem quod *Emetica*.

ANACATHARSIS, eſt medicamentum per ſuperiora purgans; vt vomitorium, ſternutatorium, errhinum, maſticatorium, ſaliuatio, &c. ab ἀνακαθαίρω per ſuperiora purgo: & in ſpecie apud Hippocratem ſignificat purgationem per ſputa.

ANACOLLEMA, eſt linimentum aut aliud medicamentum ſiccum, quod fronti & naribus ad oculorum vitia & hæmor-

morrhagiam ſiſtendam admouetur. Idem remedium incarnans & conglutinans, ab ἀνακολλάω conglutino; vnde κόλλα gluten.

ANACTORION, eſt planta, cui nomen *Gladiolus*; ab Ἄνακτωρ, herus vel dominus, cui ſoli gladii ius eſt.

ANADENDROMALACHE, eſt malua roſacea fruticoſa; ex ἀνὰ ad, δένδρον arbor, & μαλάχη malua.

ANADENDRON, eſt Althæa, ex ἀνὰ ad (formam) & δένδρον, arbor: quia arboris in modum ſe erigit.

ANADIPLOSIS eſt febrium reduplicatio, ab ἀναδιπλόω reduplico.

ANADOSIS, eſt diſtributio, vt alimenti concocti & præparati in vaſa lactea, hinc in maſſam humorum & ad omnes partes diſtributio, ex ἀναδίδωμι diſtribuo.

ANADROME, eſt ſurſum latio, vel refluxus humorum ad ſuperiora, Gr. ἀναδρομή.

ANAESTHESIA, eſt facultas ablata percipiendi actiones obiectorum ſenſibilium in organo ſenſuum externorum, vt paralyticis & ſphacelo laborantibus contingit, ex α priv. & αἰσθάνομαι, ſentio. Aliquando eſt motu ac vitalitate partis ſuperſtite & ſaluo, ſæpius his vna ſublatis. G. Unempfindlichkeit.

ANAGALLIS, Officinalis eſt planta, folia habens exaduerſo bina & floſculos foliorum alis inſidentes, in quinque lacinias diuiſos, coloris rubri, pedunculis longis. His floribus ſuccedit fructus ſphæricus, membranaceus, per maturitatem in duas partes diſſiliens, ſemina plerumque anguloſa, minima. Radix fibroſa eſt, alba. Magica putatur herba. Nam in limine veſtibuli ſuſpenſa maleficia arcere creditur. Obſcura eſt nominis origo Gr. Ἀναγαλλίς. G. Gauchheil.

ANAGYRIS, a natali ſolo hæc arbuſcula nomen accepit. Anagyrus enim eſt ciuitas Attica: eſt arbuſcula valde ramoſa, habens corticem viridi-fuſcum, lignum flaueſcens aut pallidum; folia terna, oblonga, acuta, in parte ſuperiori viridia, in inferiori albeſcentia, odoris adeo fortis & fœtidi, vt contuſa, capitis dolorem producant; flores flaui, papilionacei, cuius vexillum breuius eſt cæteris petalis: flori ſuccedit ſiliqua longa, cartilaginoſa, phaſeoli ſiliquæ æmula, fœta ſeminibus reniformibus, in initio albis, dein purpureis, tandem poſt maturitatem cæruleis & nigricantibus; creſcit in regionibus calidis, vbi fœtorem Aſam fœtidam ſuperantem, excitat. Apud veteres officinalis erat, vt ex Dioſcoride apparet: ſed noſtro tempore vſu exidit.

ANALEPTICA, ſunt medicamenta, quæ vires refocil-

 lant:

lant: item pars hygieines, qua valetudinarii reficiuntur, ab ἀναλαμβάνω, iterum refocillo.

ANALGESIA, eſt indolentia ſiue doloris defectus, ab α priv. & ἀλγέω, doleo.

ANALOGISMVS, eſt comparatio & perceptio cauſarum morbificarum & medicamentorum iuuantium per ſimilitudines, ab ἀναλογίζομαι, comparo: *Analogia* eſt ſimilitudo, relatio mutua.

ANALYSIS, eſt alicuius corporis, in ſua principia, per Chymiam, reductio. Item partium corporis humani demonſtratio anatomica, quæ per partes inſtituitur, ab ἀναλύω diſſoluo. G. Auflöſung.

ANAMNESTICA, remedia, quæ memoriam reſtaurant, vt ſunt ſpirituoſa omnia. Ab ἀναμνάομαι reminiſcor. Sed hic ſignificatus nouus eſt. Antiquæ ſcholæ ſic vocantur ſigna quædam ad diagnoſtica pertinentia, quæ corporis vel morbi ſtatum prægreſſum in memoriam reuocant.

ANAPHALANTIASIS, eſt defluuium pilorum in ſuperciliis.

ANANAS, eſt planta flore monopetalo infundibuliformi tripartito, fructu carnoſo, turbinato, ſucci pleno, fœto feminibus exiguis reniformibus: fructus maturus in deliciis habetur apud Braſilienſes, vbi quoque *Yayama* audit. G. Ananaſſen.

ANAPHRODISIA, dicitur impotentia venerea, ſiue ineptitudo ad congreſſus venereos.

ANAPHROMELI, eſt mel deſpumatum, ex α priv. ἀφρὸς ſpuma & μέλι mel.

ANAPLEROSIS, in genere ſignificat repletionem; alias ſpecialiter ita dicitur Chirurgiæ pars, qua ea, quæ in corpore deficiunt vel caſu perierunt, arte reſtituuntur, ab ἀναπληρόω impleo. Vnde *Plerotica medicamenta*, quæ partes reſtituunt.

ANAPLEROTICA, ſunt medicamenta vulnera carne implentia, & deficientia in corpore, quantum poſſibile, reſtituentia.

ANARRHOPVS, ab ἄνω ſupra, & ῥέπω vergo, ſerpo.

ANASARCA, eſt totius corporis exterioris, aut quarundam eius partium, tumor albus, mollis, tactui cedens, & foueam a compreſſione relinquens. Cauſa eſt lympha nimis tenax, vires vitæ imminutæ, & ſanguis viſcidus, quibus vaſorum extremitates obſtruuntur & veſiculæ adipoſæ implentur; hinc fit, vt maior lymphæ copia in corpore aggeratur, quam per vaſcula reducentia ablegetur, adeoque eſt primum hydropis initium.

tium. Si humores nimis viſcidi fuerint, *Leucophlegmatia* appellatur. Item, Ὑποσαρκίδιος, κατὰ σάρκα. Heraclidæ σαρκίδης, *Intercus*, *Aqua inter cutem* &c. ex ἀνα per, & σάρξ caro, ſunt autem proprie duo vocabula, quæ ad verbum ſignificant *per carnem.* Adeoque indeclinabile eſt, niſi volumus vim grammaticorum immutabilibus legibus inferre. G. Leibwaſſer.

ANASTOICHIOSIS, eſt corporum chymica reſolutio, ab ἀναστοιχειόω in ſua principia redigo. στοιχεῖον, Elementum.

AMASTOMOSIS, in pathologia denotat illum euentum, vbi extrema oſcula vaſorum nimis dilatata emittunt ſua liquida naturaliter retinenda, & tum dicitur G. Eröffnung der Adern. Apud anatomicos dicitur de vaſorum eiusdem generis mutua inoſculatione, e. g. arteriarum carotidum internarum primo inter ſe, deinde cum vertebralibus. Eodem nomine deſignatur immediata inoſculatio vltimi finis vaſis arterioſi in principium venoſi, ſiue id fiat recto modo continuato tramite, ſiue per laterales ramos, ex arteria in venam hiantes, quales in vaſis ſpermaticis demonſtravit Lealis &c. ex ἀνὰ per. & στόμα os.

ANASTOMOTICA, ſunt medicamenta poros & meatus aperientia, vt ſunt deobſtruentia, cathartica, ſudorifera, diuretica, &c. ex ἀνὰ per, & στόμα os. G. Eröffnende Mittel.

ANATASIS, eſt corporis extenſio verſus ſuperiora, ab ἀνατείνω ſurſum tendo. G. Ausſtreckung.

ANATHYMIASIS, eſt vapor, exhalatio, ſuffitus, halitus &c. ab ἀναθυμιάω exhalo, ſuffio. G. Ausdunſtung, Ausrauchen.

ANATICA PORTIO vide *Ana.*

ANATIS AXVNGIA, penult. corripit.

Latipedemque anatem cernens excedere ponto. Auien. in Arat.
Anates, maritas iunximus. Iamb. dim. Auſon. ep. 3.

ANATOMIA, eſt animalis, præſertim hominis, concinna diſſectio, qua partium materia, figura, ſtructura, nexus, ad vſum medicum & phyſicum, demonſtrantur, ab ἀνατέμνω diſſeco. G. Anatomie. Cæterum hoc nomen ſola antiqui vſus præſcriptione ſe tuetur: alias rectius, vbi tota diſciplina ſignificari debet, diceres anatomica, vt ſubaudiatur *doctrina*: vbi actus diſſecandi denotandus eſt, anatome, id eſt diſſectio, melius quadrat.

ANATOMICVS, vulgato vſu eſt vir, qui diſſecandis cadaueribus aptus eſt. G. Anatomiſt. Dicitur vero etiam de

libro, de cultro, de omni apparatu ad doctrinam vel actum anatomes pertinente.

ANATRIPSIS, eſt contritio calculi aut oſſis comminutio, ab ἀνατρίβω contero. G. Zermalmung.

ANCHILOPS, eſt abſceſſus & collectio humoris lenti & melli aut pulticulæ ſimilis, inter maiorem oculi angulum & naſum. Hic tunica vt plurimum continetur, nec infert dolorem, ſubito autem accipit incrementum, producitur tamen ſæpe ab inflammatione prægreſſa carunculæ lachrymalis, quæ in abſceſſum terminatur, qui ſi rumpatur, exulcereturque, non amplius Ἀγχίλωψ vocatur, ſed mutat nomen, & Ἀιγίλωψ appellatur. Vide *Ægilops*.

ANCHIOLOGIA. Sic male ſcribitur a quibusdam Gallis, eosque ſequutis, pro ANGIOLOGIA. Græce ἀγγειολογία.

ANCHORALIS proceſſus, vide *Ancyroides*.

ANCHVSA, eſt planta, quæ caulem habet repentem, folia bugloſſi ſylueſtris, longa, aſpera; radicem longam, mediocriter craſſam, foris rubicundam, interius albam, lignoſam, colore rubro inficientem, ſaporis, dum recens eſt, paululum adſtringentis, & inſipidi, odoris nullius. Hanc dictam quidam volunt ἀπὸ τȣ̃ ἄγχειν, ſtrangulando, quod vbi inter ſegetes locum occupauit, valde diffundendo ramos & propagines ſuas, eas ſuffocat & quaſi ſtrangulat. Alii ab ἀγχȣσίζειν deducunt, quod eſt fucare, colorare formam, quia illius radice facies rubore inficitur. Sed hoc verbum potius eſt denominatiuum, ab anchuſa deductum. G. Ochſenzung. Vide *Alcanna*.

ANCHYLE, Gr. ἀγκύλη, eſt articuli contractio, & curuatura. Vide *contractura*.

ANCHYLOSIS, idem quod *Anchyle*. Rectius ſcribitur *ancyloſis*, quod vide.

ANCON, Gr. ἀγκὼν, cubiti caput, ſtrictius ſumitur pro poſteriore vlnæ proceſſu maiori. G. Elnbogen. Recentiores anatomicæ rei ſcriptores hinc formant adiectiuum *anconæus*: ſed contra analogiam grammaticam. Nondum enim reperire licuit talem formam a nominibus in ὼν deductam: ſed a nominibus primæ declinationis ſunt plurima exempla, pauca e declinatione ſecunda.

ANCORALIS, vide *Ancyroides*.

ANCTERES, Gr. ἀγκτῆρες, dicuntur fibulæ, quibus vulnerum labia longius diſſita coniunguntur, quæ operatio propterea ancteriaſmos, infibulatio, dicitur; parantur ex emplaſtris

fortiſſime

fortiſſime adhærentibus: in ſpecie etiam dicta fuit, quando hiſtrionibus & comœdis per præputium traiiciebatur fibula.

ANCYLOBLEPHARVM, eſt palpebræ cum tunica alba vel cornea concretio; vel cum interdum vtræqus palpebræ ſibi inuicem concreſcunt. Sequitur ille affectus oculorum inflammationes & palpebrarum. Ea concretio aliquando ante partum contingit, & tunc vitium natiuitatis exiſtit, dicitur ex ἀγκύλη, & βλέφαρον palpebra. G. Anwachſung der Auglieder.

ANCYLOGLOSSVM, eſt frænuli ſub lingua, connexionis ſtrictioris vitium, locutionem difficilem afferens, vnde μογιλάλος recte vocatur: ab ἀγκύλη contractio, & γλῶσσα lingua. G. Anwachſung des Zungenriems.

ANCYLOGLOSSVS, eſt, qui frænulum prælongum habet, & ab eo nunquam ſectus fuit, ex ἀγκύλη hamus, & γλῶσσα lingua. G. Dem die Zunge nicht gelöſet iſt.

ANCYLOSIS, eſt immobilitas articulationis cum tumore duriori, orta ex callo ad articulum oſſis fracti, vel ligamentis rigeſcentibus, vel exoſtoſi ad iuncturas, vel inſpiſſato muco articulos illinente.

ANCYLOTOMVS, eſt ſcalpellum, quo linguæ frænulum reſcinditur; in genere accipitur pro cultello aciem incuruam habente. G. Ein Meſſerlein die Zunge zu löſen.

ANCYROIDES, Gr. ἀγκυροειδής, eſt ſcapulæ proceſſus roſtriformis, qui *coracoides*, *anchoralis*, & *cornicularis* vocatur, ab ἄγκυρα anchora, & εἶδος forma. G. Der Anckergleiche Fortſatz des Schultenblats.

ANDRACHNE, vocatur portulaca: dicitur ἀνδράχνη inſerto ν, quod primum teneritudine quadam læta & carnoſa luxurient ramuli, foliaque albicent, ſpumoſaque quadam fuligine, ſiue tenui quapiam aſpergine cinerea, obducta videantur, ἄχνη enim Græcis lanugo eſt, ἁδρὸν *plenum*, *lætum*, *craſſum*, *pingue*. Spuma autem in marina portulaca multo euidentius conſpicitur, quam ſatiua. G. Burtzelkraut.

ANDROGYNVS, ſiue HERMAPHRODITVS, eſt qui membra virilia & muliebria ſimul habet. Item, quibus exciſa ſunt membra virilia. Item effœminatus, ex ἀνήρ vir, & γύνη mulier. G. Halb Mann und halb Weib, Zwitter.

ANDROSACES, Gr. ἀνδρόσακες, eſt planta flore monopetalo, hypocrateriformi, fructu globoſo, foliis neruoſis longis, & amplis, lanuginoſis & in margine inciſis, in orbem repentibus; calix eſt valde amplus & expanſus; vaſculum ſeminale exiguum per maturitatem in quinque partes dehiſcit: habet

in medio placentam, cui plurima adnaſcuntur ſemina oblonga, rubicunda; radix eſt fibroſa, & minima, creſcit in locis maritimis, dicitur quaſi ἀνδρὶ ἄκος φέρουσα, quod viris remedia ſuo nomine polliceatur, vel ἀνδρὸς σάκος, quod folliculi membracei ſcutum exiguum referant coriaceum. Alii verum nomen eſſe, & in ſcriptis membranis Dioſcoridis legi ὑδρόσακες perhibent, quod ducendo vrinam hydropicis proſit, quam ipſi virtutem Dioſcorides adſcribit.

ANDROSAEMVM, Gr. Ἀνδρόσαιμον, eſt officinalis planta flore roſaceo, calice polyphyllo, fructu ouato vnicapſulari, character eius fere ac hyperici; differt in eo, quod planta ſit valde ramoſa referens arbuſculam: dicitur, ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς a viro, & ab αἷμα ſanguis; *viri ſanguis*: ſic dicitur, quia folia contrita ſanguineum colorem præbent; dicitur & tota ſana. G. Johanniskraut, quaſi Græce dicas *Thraſybula.*

ANEMIVS FVRNVS, eſt, qui cæteris maiorem ignis vim deſtillandis, liquandisue rebus largitur. Ab ἄνεμος ventus. G. Windofen.

ANEMONE, Gr. Ἀνεμώνη, flos venti, ab ἄνεμος ventus: quia flores ſeſe nunquam aperiunt, niſi flante vento, vt teſtatur PLINIVS: pulſatilla aliquando anemone vocatur, quia a ventis facile propellitur; videtur eſſe flos Adonis veterum. G. Anemone, Windblume.

ANETHVM, penult. prod. quia *Dioſcoridi* & *Galeno* ἄνηθον. Præterea *Virg. ecl.* 2.

Narciſſum & florem iungit bene olentis anethi.

Planta eſt vmbellifera, foliis tenuiſſime diuiſis, viribus medicis pollens; radix annua, reliqua vt in fœniculo, ſemina foliacea, plana, membranacea, ouata, orbicularia, compreſſa, in parte exteriori tribus ſtriis vel ſulcis notata. Quibusdam παρὰ τὸ ἄνω θέειν, quod cito creſcat, & ſurſum quaſi currat: aliis aliæ coniecturæ de nominis origine placent, quibus non immorabimur. G. Tillkraut.

ANEVRYSMA, Gr. ἀνεύρυσμα, eſt duplex, *verum* vel *ſpurium*. *Verum* eſt tumor p. n. ab arteriarum interioris tunicæ ruptura & exterioris dilatatione; aliquando a vulnuſculo non penetrante, exterioris diuiſione & interioris dilatatione, ortum ducens, pulſans, rubens, compreſſus cedens, laxatus rediens. *Spurium* eſt, vbi tunicæ ruptæ liquorem effuderunt in partes vicinas, vnde tumor continuo auctus, mollis, vix pulſans, liuidus, compreſſu vix euaneſcens, breui putreſcens; ab ἀνευρύνω dilato. G. Der Pulsadern Ausſpannung.

ANGEIOTOMIA, eſt vaſorum diſſectio, vt in venæ ſectione, & arteriotomia; ab ἀγγεῖον vas, & τέμνω ſeco. G. Eröffnung der Blutgefäſſe.

ANGELICA, pen. corripit, ſic dicta vel a praemonſtratore Angelo, vel viribus contra venena efficaciſſimis, & pæne Angelicis.

Angelici Chriſto famulantur rite miniſtri.

Sedul. *lib.* 2. Angelica vero eſt officinalis planta foliis latiſſimis, dentatis fere ramoſis, ſeminibus ſtriatis, floribus vmbelliferis, radice aliquantulum reſinoſa, oblonga, craſſa, in fibras tenuiores diuiſa, foris ex flauo rubeſcente, medulla interiore alba, ſaporis acris, ſuauiter amaricantis, cum quadam blanda dulcedine, odoris fragrantis, tota planta habet odorem & ſaporem aromaticum. Hæc planta creſcit multis in locis; quæ autem in montanis Bohemiæ locis reperitur, præ aliis laudatur; creſcit & in alpibus, & ſatis feliciter in hortis colitur. G. Angelick, Bruſtwurtzel, Engelwurtzel.

ANGINA, Lat. ab angendo, quia guttur vel fauces anguntur, ſic ab ἄγχειν, ſtrangulare, angere: vel vt alii ab ἀγχόνη laqueus, vel a συνέχειν, quod ſpiritum cohibendo reſpirationem inhibeat, vti *Aurelianus* vult. Eſt impedita valde, dolens admodum vel & impedita & dolens ſimul deglutitio atque reſpiratio, orta a cauſa morboſa ſupra pulmones & ſtomachum poſitas partes afficiente, quæ his functionibus dicatæ ſunt. Eſtque *externa* ſeu *ſpuria* vel *notha* vulgo dicta, dicitur & *alba angina*. G. Die weiſſe Bräune. Quæ ab externis cauſis venit, a frigore admiſſo, potu frigido, ſpinis & oſſiculis œſophago inhærentibus. Sed ea leuis eſt & ſine febre, niſi ab interna ortum ſumat, hoc eſt, quæ in cute ad collum exterius micat, atque hæc ſæpe ſubito oritur poſt internam, eamque tollit & ægrum liberat ab inſigni moleſtia vitæque diſcrimine: huc accedit *volans*, quæ ſubito diſparet, & mox oritur de nouo, aut per metaſtaſin, vt vocant, cum a faucibus abit vel ad pulmones vel ad cerebri meninges. Vel *interna* eſt, quæ ab interna cauſa ortum habet, hoc eſt a febri præcedanea, & febrem acutam comitem habet, quæ a loco diuerſo, iuxta ac inflammatio propior eſt œſophago, tonſillis, epiglottidi, laryngi, ceruici incumbit, varia ſortitur nomina, vti *ſynanche*, forte a ſuſpendii ſimilitudine cum laqueo. *Paraſynanche*, *cynanche*, ſeu Λυκάγχη quod canes aut lupos frequenter afficiat: & *paracynanche*. De quibus ſuo loco. Sed tam accuratam, & in praxi vix applicabilem, diſcretionem inter inania ſtudia iam olim retulit

tulit GALENVS, & cum ipſo complures noſtri ſæculi graues doctique viri. G. Hals und Kehlengeſchwulſt, Halsgeſchwür, Entzündung des Halſes.

ANGINA LINI, eſt cuſcuta, quod linum circumligando ſuffocet.

ANGIOLOGIA, ex ἀγγεῖον, vas, & λόγος, ſermo, ſeu deſcriptio ſyſtematis vaſorum corpus humanum perreptantium, quoad ſitum, ortum, fabricam, finem, & vſum eorum. Sed hæc notio eſt noſtri æui & veteribus ignota, quibus hoc nomine veniebat operatio dolorifica & crudelis, qua cutim incidebant vt ſubiacentia vaſa ſanguifera in conſpectum venirent. Illa deinceps hamulo ſublata ligabant, exſcindebant & abiiciebant. Duplici caſu ad hanc deſperatam curationem veniebant, ſcilicet in pituita oculorum diuturna, ſeu lippitudine, & in varicibus. Apud *Celſum* hoc vocatur *venas legere*: apud Græcos ἀγγειολογία, ab ἀγγεῖον, *vas*, & λέγω, *lego*, *eligo*, *colligo*.

ANGLICVS SVDOR, vide *Sudor Anglicus*.

ANGVILLA, ab anguis, ob ſimilitudinem cum angue, ſeu ſerpente: piſcis eſt oblongus, rotundus, lubricus, in deliciis habitus.

ANGVIS, animal quod complicari, & contorqueri poteſt.

ANGVLVS oculi, V. *Canthus*.

ANGVRIA, planta eſt e cucurbitaceorum genere, folia habens magna, villoſa, aſpera in profundas lacinias diſſecta, flores flauos, campaniformes, quinquefidos, quibus ſuccedit fructus obrotundus, carnoſus, edulis, habens corticem ſatis durum, ſed politum varii coloris, caro cucumeris carni ſatis ſimilis eſt, alba aut rubicunda, ſaporis dulcis & grati, continet pulpam medulloſam, in qua latent ſemina oblonga, ampla, compreſſa, rugoſa, nigra, rufa, aut rubra, ſeminis cortex eſt valde durus, & cortice ablato, inuenitur amygdala parua, alba, medulloſa, ſaporis dulcis & grati; deriuari poſſet ab ἄγγος conceptaculum, vel vas quodlibet quia euacuata medulla, vino impleri poſſit, quod Americani ſcite norunt. Vocatur etiam Citrullus a citreo colore. G. Waſſermelonen, Citrullen.

ANGVSTATIO, dicitur de vaſis & meatibus, quando præternaturaliter coarctantur & anguſtiores redduntur.

ANHALTINA, dicitur aqua quædam, ſeu ſpiritus, in variis officinis proſtans, primum inuentus & elaboratus in principis Anhaltini laboratorio Berenburgenſi: quod, vt & Caſſellanum, primum floruit medicinis chymicis; quibus Galeni-

lenicorum bona pars profligata eſt. Plures paſſim celebrantur medicinæ Anhaltinæ, quæ non certam aliquam claſſem denotant, ſed hoc ſuo nomine originem produnt. *Oswaldus Crollius* in ſua baſilica chymica plerumque exhibet medicamenta Anhaltina; quippe laboratorio iſti præfuit.

ANHELATIO, eſt reſpiratio difficilis, parua, ſed concitata, quæ ſanis, ſed maxime debilibus, euenit, in omni vehementi exercitio, præcipue cum in altum aſcendunt, aut cum currunt, vel ſaltant, qua plerumque laborant obeſi, qui viſcera abdominis tam magna, & tam pinguedine onuſta habent, vt venter ſit tumidus & protuberans: alias etiam a repletione ſtomachi, cibis præſertim crudioribus, & flatulentis copioſe ſumtis mox anhelatio, vel ſedentibus vel decumbentibus, & magis adhuc currentibus, aut aſcendentibus, & grauiſſime, ſi æſtas fuerit, oboritur. At in febribus, hydrope, tumoribus viſcerum in ventre, in pleuritide, cardialgia & aſthmate ſemper vrget quædam anhelatio, quæ eſt conuulſiui motus ſpecies. G. Ein ſchwerer Athen, Engbrüſtigkeit. Vide Aſthma. G. Ἄσθμα.

ANI PROCIDENTIA, vide *Procidentia ani.*

ANIMA HEPATIS, eſt Vitriolum ſiue ſal Martis, nomen a chymicis impoſitum, quia hoc medicamine morbis hepatis mederi ſe poſſe confidunt.

ANIMA RHABARBARI, eſt tinctura rhabarbari aquoſo & alcaliſato menſtruo extracta, rubicundiſſima: ſic dicta, quod vires eius radicis exhibere creditur.

ANIMÆ GVMMI, rectius gummi *aminæ*, vel *aminne*; penult. producitur; corrupta a Luſitanis voce *Animæ*, nunc vocatur, & aniimum; opportunius *Serapioni* myrrha aminea, qvæ & ipſa videri poteſt σμύννα illa ἀμινοέα eſſe, de qva *Dioſcorid. l. 1. c.* 77. qvæ nunc ex Indis affertur, unde pen. prod. qvaſi *aminne.* Deniqve cum *mi* in amineus, ſi & ad illa qvisqvam provocet, *Virgilio*, *Dioſcoridi* & *Sereno* producatur, *ni*, qvod ejus nunc loco ſubſtitutum eſt, produci qvoqve oportet.

Sunt & Aminææ vites, firmiſſima vina. Virg. 2. Georg.

Ubi male legit *Farnabius: Sunt etiam Aminææ. Servius* ad locum illum: *Sunt & Amineæ vites. Amineum*, inqvit, *vinum dictum eſt, qvaſi ſine minio, id eſt ſine rubore, nam album.* Et album qvidem etiam hoc gummi eſt, ſed a minio, cujus prima brevis, neqvaqvam deſcendit.

Aut in Aminæo cochleas haurire Lyæo. Seren. tit. Iſch.

Succus Aminææ vitis cum pane medetur. Seren. tit. ſol. ventr.

Qvod ſi *Auſonius mi* corripiat, exploratum eſt, ab illo jura qvantitatum, reluctantibus veteribus, non eſſe petenda. Ἀμιναία dicitur *Heſychio*; *Celſo* vinum Aminæum, *Dioſcoridi* ἀμμιναία ςαφυλή. Qvæ omnia oſtendunt penult. in *Aminæus* produci, adeoqve *mi* in eadem voce, a *Virgilio*, ſtante lege carminis, neqvaqvam potuiſſe corripi. Videantur qvæ in eandem prope ſententiam diſputat diligentiſſimus *J. Rhodius* ad *Scribon. Largum.* Hæc *Olaus Borrichius.*

ANIME GVMMI ſeu potius RESINA, quæ eſt pellucida ex albo citrineſcens, fragilis, in noua Hiſpaniola ex arboribus quibusdam proceris inciſis exſtillans, prunis impoſita gratiſſimi odoris, thuri ſimillima, quo tamen maiora grana refert, cur hoc nomine inſignita ſit, non adeo conſtat. Vetuſtiores auctores celebrant aliquod gummi Amineum, quod & myrrham Amineam vocant. Sed quia hi ſcripſerunt ante Americam inuentam, non poteſt ſecure aſſeri illud cum noſtro vnum idemque eſſe. Cum hoc gummi aut confunditur cancamum, aut ſæpiſſime ſubſtituitur, ab aliis vero vtrumque gummi ab inuicem diſtinguitur; putatur etiam ex Æthiopia & India Orientali ad nos deferri. Hæc *Io. Henr. Schulzius.*

ANIMALIS FACVLTAS, eſt actio, qua homo, ſenſum, motum, & principes animi functiones exercet: ſuntque tres Imaginatio, Ratiocinatio, & Memoria. G. Würckung von der Seele.

ANIMI DEFECTVS, vide *Deliquium Animi*, *Lipothymia.*

ANISCALPTOR MVSCVLVS, alias LATISSIMVS DORSI: Brachium retro deorſum trahit, oritur principio membranoſo & latiſſimo, a vertebrarum ſpinæ apicibus, ab oſſe ſacro iliumque vsque ad ſextam thoracis vertebram: inſcritur inter pectoralem & rotundum valido, breui & lato tendine, figura eſt triangularis.

ANISVM, *Dioſcoridi l. 3. c. 65.* ἄνισον.

Fœniculumque, aniſumque, chelidoniumque, crocumque.
Hont. 4. Coſ. 162.

Neque injuria penult. corripit *Honterus*; meruit enim ex eo nomen, ὅτι ἀνίησι τὰς ἐμπνευματώσεις τȣ̃ σώματος, id eſt, qvod tenſiones flatulentas laxet, remittatque, qvæ ſententia eſt *Gerb. Voßii*, & *Caſp. Bauhini.* Ἴησι, autem qvibus gaudeat qvantitatibus docet *Theognides*:

Noσ-

Νοσφιϑεὶς δὲ ἄλλῃ γλῶσσαν ἵησι κακήν. id eſt, ſeparatus vero alio improbam lingvam mittit. Neqve aliter Aniſenum flumen extulit *Faſt. 4. Ovidius*:

Jamque Leontinos, Aniſenaque flumia curſu
Præterit. - - - - - - -

Abſit ergo ab ore emendate loqventium illud *Milliei:*

Sive vaporifero tunicas inducat aniſo;

Si autem penult. producere decrevit *Milieus*, imitetur potius *Andromachum* apud *Galenum libr. de Theriac. ad Piſonem*, qvi ut id auderet σ duplicavit & ἄνισσον verſu expreſſit, vel, cum *Nicandro* ſcribat ἄνησον aneſum. Eſt vero aniſum planta vmbellifera, foliis tenuiſſime diuiſis ſemen aromaticum & carminatiuum proferens. Eſt & in vſu medico ſemen *Aniſi* Indici, quod ex China affertur, figuram ſtellæ refert, componitur ex 6 vel 7 nucleis particularibus radiorum more in centro coeuntibus, continentibus ſemen ſingulare, oblongum, colore ſeminis lini. Hoc vltimum vocant Germani Badian Aniſum noſtras vnde dictum ſit, tanto incertius eſt, quanto Græci in ſcribendo ſunt inconſtantiores. Legitur enim, vt modo innuimus, ἄνισον, ἄνησον, ἄνητσον & ἄννησον: vnde Latini ſæpe etiam ſcribunt *anneſum*. Germ. Anis, Enis.

ANNVLARIS CARTILAGO, vide *Cricoides Cartilago.*

ANNVLARIS DIGITVS, eſt is, qui inter minimum & medium locum habet. Vide *Digitus.*

ANNVLARIS PROTVBERANTIA, ſiue Pons Varolii a figura dicta; eſt quædam pars cerebri tuberoſa, inter cerebellum & teſtes cerebri.

ANNVLVS ABDOMINIS, eſt perforatio in parte inferiore muſculi oblique deſcendentis, aſcendentis & transuerſalis; pro tranſitu proceſſuum peritonæi & vaſorum ſpermaticorum in viris; in mulieribus ligamenta vteri rotunda tranſmittit, in herniis vero inteſtina & omentum.

ANNVLVS OSSEVS, in fœtu tantum reperitur, & quidem præciſe ad oſtium tympani locatus, qui facile ab oſſe temporum ſeparabilis eſt, nudusque apparet cum membrana tympani, quando auris cum eius meatu eſt auulſa. Annulus hic, ad dimidiæ circiter lineæ ſpatium interruptus eſt, in parte ſua ſuperiori prope eum locum, vbi caput mallei, & pars ſolida incudis in tympanum conduntur. Interruptio hæc etiam in adultis videri poteſt, & eo loco membrana tympani immediate adhæret extremitati meatus oſſei auris externe. Annuli

huius

huius pars interior, paululum excauata eſt in tota ſua circumferentia interna, & ita crenam efficit, in quam membrana tympani impacta eſt. In ſuperiori quoque eius parte, ſinuoſitas parua obſervatur, ſuper quam muſculus externus mallei porrigitur, & hæc ſinuoſitas in adultis quoque permanet. Qamuis autem parvus iſte annulus diſtinctus ſit, & facile ſeparabilis in infantibus recens natis, in adultis tamen cum vnum idemque cum meatu oſſeo corpus conſtituat, ab eo ſeparari amplius non poteſt. In ætate trium & quatuor etiamnum annorum diſtingui poteſt, ſed oſſi temporum iam tum tam firmiter adhæret, vt amplius ſeparari non poſſit. Notatur, quod incipiat adhæreſcere per duas extremitates, & paulatim per totam circumferantiam reliquam.

ANNVLVS, *plumbeus vel æneus*, Chirurgi eo vtuntur ad firmandum oculum, pro exciſione pterygii, aliisque operationibus in oculo peragendis.

ANNVS CLIMACTERICVS; eſt annus 63. 81. in quibus annis vana opinio eſt, quod nempe homines tunc temporis mori neceſſe ſit. Illi anni ſemper incidunt in nonum annum, vt ſepties nouem, conſtituunt tria & ſexaginta. Ita nouies novem efficiunt octoginta & vnum. Nulla ratio, nec vlla experientia nobis perſuadere poteſt cur homines illis annis magis eſſent morti obnoxii, quam aliis. Imo tantus mortuorum ſexagenariorum affertur numerus, quam eorum, qui obierunt ſexageſimo tertio aut octogeſimo primo. Ergo huiusmodi obſeruatio a multis ad nugas & ſuperſtitionem refertur. Vide *Climactericus annus*. G. Stufenjahr.

ANODYNVM ungventum, emplaſtrum, oleum; *Galeno ad Glauc.* ἀνώδυνον φάρμακον, penult. corripit.

Ἔσσυται ἄκμηνος καὶ ἀνώδυνος ἐδὲ τὶ ὅς φλόξ. *Nicander in Alex.*

Anodinum autem, in genere, eſt medicamentum dolorem tollens, & quatuor medicamentorum ſpecies complectitur; 1. *Paregorica*, quæ dolorem tollunt demulcendo; 2. *Hypnotica*, quæ dolorem tollunt ſomnum conciliando; 3. *Narcotica*, quæ dolorem tollunt ſtuporem inducendo; 4. *Nepenthes*, quod proprie notat medicamentum quod luctum minuit vel prohibet. Ex α priu. & ὀδύνη nonnumquam ὠδύνη, dolor Gr. Ἀνόδυνον, Παρηγορικόν, Λυσιπόνον, Πραϋντικόν, Πόνε παυςήριον, Παυσίπονον. G. Schmertz ſtillende Mittel.

ANOEA, eſt amentia ſiue imaginationis & iudicii abolitio, ex α priu. & νοέω cogito. G. Unſinnigkeit.

ANO-

ANOMOEOMERES, Gr. ἀνομοιομερές, idem quod *Heterogeneum*, ſiue id, quod ex aliis & inter ſe diuerſis particulis conſtat, ex α priu. ὅμοιον ſimile, & μέρος pars. G. Ungleicher Art.

ANONIS ſiue ONONIS, Gr. Ἀνωνίς, eſt herba ſpinoſa, flore papilionaceo: habet caulem tenuem, rotundum, lignoſum, villoſum, rubicundum, ſpinis longis & duris inſtructum; folia oblonga, nigricantia, villoſa, glutinoſa, dentata, odoris ingrati, ſaporis leguminoſi; flores leguminoſos, purpureos, raro albos; flori ſuccedit ſiliqua turgens, longior, breuiorue, biualuis, inſtar veſiculæ inflata, in qua hærent ſemina reniformia; ſaporis viciæ; radix eſt longa, lignoſa, fibroſa, alba, repens, fractu difficilis: ἀνωνὶς quidam deducunt a non iuuando, quod inutilis ſit, aratro enim ipſisque aratoribus inimica. Nam non tantum ſuo ramorum & radicum implexu aratra, inuitis bubulcis, in mediis ſulcis remoratur (vnde & ipſi *Reſtæ* ſeu *Areſtæ bouis*, remoræ aratri, nomen impoſitum, quod arantes boues in opere ſiſtat) ſed etiam meſſores, fœniſecas, ac aratores ſpinis ſuis acutis admodum lædat; viuax præterea nimis fruges opprimit, iisque aculeis nocet. Officinæ expetunt radices, quæ inter quinque aperientes minores numerantur, & reſoluente ac diuretica virtute pollent. G. Hauhechel.

ANOREXIA, eſt cibi faſtidium, cum vel ſine nauſea, ex α priu. & ὄρεξις. appetitus. G. Eckel.

ANSERINA, penult. producit; vide reg. de Adiectiuis in INVS ex animatis. Anſerina autem ſeu ARGENTINA, eſt herba ſic dicta, quod anſeres ea veſcantur: dicitur porro *Potentilla*, & *Tanacetum ſylueſtre* vid. *Pentaphylloides*. G. Genſerich.

ANTACIDA, ſunt medicamenta acidum domantia vt ſunt abſorbentia, de quibus ſuo loco; diluentia, vt aqua & aquoſa, vel obtundentia, quæ molli ſuo lentore inuiſcant acria ita, vt acies eorum hebetata amittat noxam; dum ſimul defendunt membranas ne offendantur a ſpiculis acidis; vnde & effecta horum iam impreſſa tollunt; vel ſunt quæ acidum immutant, talia ſunt quæ, cum acidis mixta, ſtatim cum hiſce efferueſcunt, itaque motum cient, ſtimulant, agitantque fibras; poſtea vero, ipſis cum acidis vnita, conſtituunt nouam ſalis ſpeciem, in qua vis ſtimulans, diaphoretica, diuretica, reſoluens, adhuc ſupereſt. Proinde ſunt antacida medicamenta, vel terreſtria, vel metallica, vel aquoſa, vel alcalia volatilia,

latilia, vel fixa, vel oleoſa. Eſt vox mixta, origine græca & latina. G. Mittel gegen die Säure.

ANTAGONISTA, eſt muſculus in actione oppoſitus: vt adductor & abductor oculi, brachii, &c. ex ἀντὶ contra, & ἀγωνίζω certo, oppono. G. Gegenſtänder.

ANTAPHRODITICA, ſunt medicamenta aduerſus nimiam veneris libidinem: imo contra luem veneream ſumuntur, ex ἀντὶ contra & ἀφροδίτη, venus. Vocantur quoque *Antaphrodiſiaca.*

ANTARTHRITICVM, eſt medicamentum aduerſus arthritidem, ex ἀντὶ contra & ἀρθρίτις, morbus articularis. G Gicht ſtillende Mittel.

ANTASTHMATICA, ſunt medicamenta, quæ aſthmaticis opem ferunt, ex ἀντὶ contra & ἀσθμάζω anhelo.

ANTECEDENS CAVSA, vide *Proegumena.*

ANTECEDENTIA, ſigna ſunt, quæ ante morbum obſeruantur, vt praua ſanguinis diſpoſitio, quæ infinitis morbis cauſa antecedens exiſtit.

ANTEMETICA, ſunt medicamenta, quæ vomitum nimium impediunt, & inhibent, ex ἀντί contra & ἐμέω vomo. G. Mittel gegen das Brechen.

ANTENDEIXIS, Gr. Ἀντένδειξις, eſt *Contraindicatio*, ſiue indicationum contradictio, quæ impedit, quod a prima indicatione ſuggeritur: vt pleuritis inflammatoria venæ ſectionem indicat, cui contraindicant vires debiles, ex ἀντὶ contra, & ἐνδάκνυμι oſtendo.

ANTPILEPTICA, ſunt medicamenta contra morbum caducum, ex ἀντὶ contra, & ἐπιληψία, morbus comitialis.

ANTHELIX, eſt altera auriculæ protuberantia helice multo breuior, latior, craſſior, depreſſior, non intorta, eique verſus interiora oppoſita, bipartito, mediante cauitate, principio orta in auriculæ parte anteriori & ſuperiori ſub intorta helice, dein vnita, incuruo proceſſu deorſum vergens gracileſcit, ſubſidet & deſinit, videtur anfractuoſa ipſius helicis continuatio, quæ ſic quaſi vna linea ſpirali in ſe ipſum recurrit, ex ἀντὶ contra & ἕλιξ volumen. G. Der Gegencrayß im Ohr.

ANTHELMINTICA, ſunt remedia inteſtinorum lumbricos & tineas enecantia, ex ἀντὶ & ἕλμινς lumbricus.

ANTHEMIS & ANTHEMON, eſt nomen, quo varii flores denominantur: deriuatur enim ab ἄνθος flos. Species eius tres apud Dioſcoridem recenſentur, quarum vna eſt chamæmelum, pro quo vt plurimum accipitur. AN-

ANTHERA, dicuntur ſummitates ſeu cacuminula in florum medietate capillamentis incumbentia; & imprimis quando illa ſunt crocea vel rubra, vt in liliis, croco &c. vt & medicamenta ex metallicis inprimis compoſita floridum colorem & præcipue rubrum habentia, cuiusmodi multa deſcribuntur a Corn. Celſo libr. VI. cap. XI. XIII. & porro, vt & a Galeno, Scribonio Largo & aliis, fere omnia ad dentium & oris vitia. Gorræus non male videtur coniicere, quod a ſandaracha id nomen acceperint. Nam Heſychio auctore τὸ ἀνθηρόν ſignificat τὴν σανδαράχην. ab ἄνθος flos, vel ἀνθηρὸν, floridum, prærubrum.

ANTHERA ROSARVM, penult. reddit communem; & longam qvidem, qvod *Plutarcho*, & *Iſocrati* ſcribatur ἀνθηρὸς, ά, όν; brevem autem, qvia *Homerus* ita *Il. v.*

"Ακρον ἐπ' ἀνθερίκων καρπὸν θέον, ἐδὲ κατέκλων. id eſt, per ſummum ſpicarum faſtigium decurrebant, nihil frangentes. *Borrich.*

ANTHOPHYLLI, & quibusdam ANTOPHALA, ſunt grandes Caryophylli, qui ad maturitatem peruenerunt, nucleo intus duro bifidoque; ſapore non tam acres, vt Caryophylli, præterquam in ſuperficie. Ex ἄνθος flos & φύλλον folium, quamuis ſit fructus Caryophyllorum maturus. Fructus eſt veteribus ignotus: vnde de etymologia parum conſtat. G. Mutternäglen. *in* Iaua, *Syanke* vel *Chanque.* in Malaia *Synken* vide *Caryophilli.*

ANTHORA, penult. corr. eſt Napelli ſpecies, remedium aduerſus thoram, venenum peſſimum. Res & nomen non memorantur a veteribus; nec ſatis de eo conſtat inter recentiores. Dicunt nomen eſſe ex ἀντὶ, contra & φθορὰ, corruptio, exitium. Ex hoc vltimo eſſe Thoram, quæ aconitum aut napellum denotet, cuius hæc ſpecies ſit antidotus.

ANTHOS, flos: ſed per excellentiam ſic vocatur flos rorismarini. Applicatur idem nomen ſubinde omnibus, quæ latino florum nomine denotantur; adeoque inter chymicos & alchymiſtas reſonat, quando rem præſtantem denotare volunt.

ANTHRACOSIS OCVLI, eſt cruſtoſa & corroſiua oculi vlceratio, cum tumore totius corporis, præſertim circa oculos. Cauſa quandoque eſt inflammatio oculi. G. Brand im Auge.

ANTHRAX, eſt inflammatio valde ardens & acrem ſuſcitans dolorem, cum tumore eleuato ſed non late diffuſo, cum puſtulis igneis circum ſe acerrimis, variis in corporis locis

cis absque ſuppuratione emergens. Caro quaſi cruſta inuritur, color ex rubro ad liuidum, nigrumque, id eſt inflammatio ad gangrænam vergit. Iam quia vel peſtis adeſt, vel non, anthracis duas conſtituunt ſpecies, quarum altera *peſtilentialis*, altera non. Dicitur & *carbo*, *carbunculus*, *pruna*, *ignis perſicus &c.* G. Eine Carfunckeblatter, eine Peſtkohle, Peſtilenßblatter, Carfunckel.

ANTHROPOLOGIA, eſt de hominæ doctrina; quæ a BARTHOLINO in geminas diſpeſcitur partes: *anatomiam* nempe; quæ de corpore eiusque partibus agit: & *phyſiologiam*, quæ de anima. Ex ἄνθρωπος, homo, & λόγος, ſermo. G. Beſchreibung der Menſchen.

ANTHROPOMORPHOS, mandragora vocatur, cuius radix homnem refert, quod arte fieri poteſt. Ex ἄνθρωπος homo, & μορφή forma, figura.

ANTHYPNOTICA, ſeu medicamenta ſomnum abigentia, ex ἀντὶ contra, & ὑπνόω dormio.

ANTHYPOCHONDRIACA, remedia ſunt aduerſus mala, circa hypochondria contingentia.

ANTHYSTERICA, ſunt medicamenta contra hyſtericam paſſionem, ex ἀντὶ aduerſus, & ὑϛέρα vterus, matrix.

ANTIARTHRITICA, ſunt mndicamenta, quibus arthritis curatur, ex ἀντὶ & ἀρθρίτις dolor articularis.

ANTIAS, pl. ANTIADES, TONSILLÆ, *Cic. Plin.* GLANDVLÆ COLLI, (vulgo *amygdalæ*, de quibus ſuo loco, quas tamen non adeo accurate referunt.) Ἀντιάδες, μῆλα a malorum figura, παρίσθμια, σπογγοὶ *Hipp.* quod ſpongiorum in modum humores imbibant. Sunt glandulæ duæ, quæ reuera vnum corpus conſtituunt, ad latera vuulæ conſitæ. *Subſtantia* glanduloſæ, colore ſubflauo; tactui molles: ſinum habent vtrinque vnum communem amplum & oualem in os apertum, intra cuius fimbriam duos maiores & plures minores ſinulos obtinent. *Vſus* eſt, materiam mucoſam colligere, eaque vicinas partes humectare. Sunt etiam tonſillarum inflammationes. G. Enzündung der Mandeln. vide *pariſthmia.* Ab ἀντιάω occurro, quia ſibi ex aduerſo in oris termino vtrinque reſpondent. G. Halsmandeln.

ANTIBALLOMENA, ſiue SVCCEDANEA, ſunt medicamenta viribus ſimilia, quæ alterius defectu quandoque ſubſtituuntur: a pharmacopæis dicuntur *Quid pro quo, & ſubſtituta.* Ex ἀντὶ contra, βάλλω iacio, ἀντιβάλλω in alterius locum ſufficio.

ANTICACHECTICA, ſunt remedia male conſtitutum ſanguinem corrigentia, ex ἀντὶ contra, κακὸν malum, & ἕξις habitus.

ANTICARDIVM, eſt cauitas externa infra mammas in medio pectoris ſterno inſculpta, ex ἀντὶ ante, & καρδία cor. G. Hertzgrüblein.

ANTICIPANS & ANTICIPATIO, dicitur de morbis, quorum paroxiſmorum periodi citius veniunt indies. G. Vorwarts rücken.

ANTICNEMIVM, eſt anterior tibiæ pars, ex ἀντὶ ante, & κνήμη tibia.

ANTICOLICA, ſunt medicamenta aduerſus dolorem colicum, ex ἀντὶ contra, & κωλικὴ, colica.

ANTIDINICA, remedia, quibus vertigines curantur, ex ἀντὶ aduerſus, & δῖνος gyrus.

ANTIDOTVM & ANTIDOTVS Mithridatica, *Matthioli*, &c. penult. corr.

Autidotus vero multis Mithridatica fertur
Conſociata modis - - - Ser. Sam. tit. venen. prohib.

Antidotum vero, eſt medicamentum contra lethale venenum, & quod aduerſus venena epota datur, ex ἀντὶ contra & δίδωμι do. Artzney wider Gifft.

ANTIDYSENTERICA, ſunt remedia adverſus dyſenteriam, ex ἀντὶ contra δὺς difficile, ἔντερον inteſtinum.

ANTIFEBRILE, vide *Antipyreticum.*

ANTIHECTICA, ſunt remedia aduerſus tabem, ab ἀντὶ contra & ἕξις habitus.

ANTIHELMINTICA, vide *anthelmintica.*

ANTILOBIVM, dicitur pars illa exigua in auricula, quæ infimæ parti, quem lobum appellant, ſuperpoſita eſt. Gr. ἀντιλόβιον.

ANTILOIMICA, remedia peſtem arcentia: λοιμὸς enim peſtis eſt.

ANTILYSSVS, eſt compoſitio aduerſus rabiem, ex ἀντὶ contra, & λύσσα rabies.

ANTIMONIVM, eſt minerale, metallis affine, conſtans primo ex ſulphure minerali, partim puriſſimo & ſolari, eoque in rubedine fundato, partim combuſtibili, inſtar alterius ſulphuris. *Secundo*, ex copioſo mercurio metallico indigeſto, fuliginoſo, coagulato tamen, magisque cocto, quam eſt hydrargyrum. *Tertio*, ex ſubſtantia quadam terreſtri & ſalina perpauca. Quod in officinis proſtat, liquefactione ex minera eſt fuſum, inque formas pyramidales vt plurimum ef-

E fuſum

fuſum. Minera in officinis raro proſtat. Inuenitur in Germania, Vngaria, & Tranſſyluania, dicitur & ſtibium: eſt proprie ſubſtantia metallica, ſolida, ponderoſa, obſcuri, cærulei, plumbei coloris, ſtriasque habet ſplendentes & longas. Componitur ex vero ſulphure foſſili, & parte metallo quam ſimillima, cui ſi malleabilitas conciliari poſſet, vera metallica indoles ineſſet; foretque ſeptimum metallum ductile. Hanc vero rationem purificandi ſtibii ignotam hactenus fatentur; licet BOYLEVS & KVNCKELIVS verum, fluidum, mercurium arte ſecreta inde electum aſſerant, idque vel tirones hodierni & thraſones, in arte plures iactent ſe poſſe. Fuſile in igne, quin & cæteris faciliorem fuſionem foſſilibus conciliat. Vt vero fragile ipſum, ita & admiſtu ſuo ductilia ipſa fragilia reddit. Quin imo & volatile ipſa cæterum fixa vi ignis, ſi permiſcetur, facit volatilia, vix vllo perfecte excepto. Auri fulgorem pulcherrime promouet. Denique arſenico albo aſſimile ingenium videtur poſſidere. Gr. Spießglaß. Gr. ςίμμι ςίβι. Latini quoque *Stibium* appellant. A chymicis etiam varia ſortitur nomina. Incerta eſt nominis etymologia, quippe obſcuris & barbaris medii æui temporibus enati.

ANTINEPHRITICA, ſunt medicamenta morbis renum medentia. Ex ἀντὶ aduerſus, & νεφρίτις, renum inflammatio.

ANTIPARALYTICA, ſunt medicamenta tam interna, quam externa contra paralyſin probata.

ANTIPATHIA, eſt contrarietas & repugnantia in corpore per ſe, vel medicamentis. Item faſtidium & abhorrentia alicuius rei ſine manifeſta cauſa. Ex ἀντὶ contra, πάθος affectus. G. Widerwärtigkeit gegen ein Ding.

ANTIPERISTASIS, eſt aëris circumſiſtentia, quemadmodum in fœno, madide nimis in metam aggeſto. Ita aer frigidus corpora noſtra ambit, effluuia decedentia intus tenet, ex ἀντὶ contra, & περίςημι cricumſiſto. Gr. Preſſung der Lufft.

ANTIPHARMACVM, eſt remedium venenis aduerſum. Significat quoque remedium contra quemuis morbum, ex ἀντὶ contra, φάρμακον venenum, remedium. G. Widergifft.

ANTIPHTHISICA, medicamenta phthiſi ſeu tabi aduerſantia. Ex ἀντὶ contra, & φθίσις tabes.

ANTIPTHORA, eſt napelli vel thoræ ſpecies ſic vocata, quod aduerſetur phthoræ; ex ἀντὶ aduerſus, & φθορὰ corruptio. Vide *Anthora*.

ANTI-

ANTIPLEVRITICVM, eſt medicamentum pleuriticum ſeu aduerſus morbum lateralem, ex ἀντὶ contra & πλευρῖτις morbus lateralis.

ANTIPODAGRICA, idem quod *Antiarthritica.*

ANTIPYRETICVM, eſt medicamentum febrim temperans & profligens. Ex ἀντὶ contra & πυρετὸς, febris. G. Mittel vor Fieber.

ANTIQVARTANARIVM, & ANTIQVARTIVM, medicamentum eſt aduerſus febrim quartanam.

ANTIQVI MORBI, ſunt, qui vltra quadrageſimum diem ad annos ſæpe plurimos extenduntur, ideoque & inveterati dicuntur. G. Langwierige Kranckheit.

ANTIRRHINVM, eſt planta, quæ folia habet linariæ latiora, flores monopetalos, perſonatos, parte poſtica cauda carentes, bilabiatos, labio ſuperiori erecto, inferiori trifido, vultum leonis formante; totus flos, ſi a ſuo calice auferatur, caput refert vitulinum, poſt ſingulos flores piſtillum floris calicis quinquefidi fit capſula; quæ per maturitatem refert perfectiſſime caput canis vel ſuis, & continet ſemina exigua, nigra; radix eſt alba & lignoſa: Dici volunt quod florem ferat tanquam nares vituli; ex ἀντὶ, & ῥὶς naſus, nares: vocatur & cynocephales a κύων, (*genitiv.* κυνός,) canis, & κεφαλὴ caput, quia eius fructus canis caput refert. G. Löwenmaul, Orant.

ANTISCOLICA, ſiue *Anthelmintica*, ſunt remedia vermes necantia. Ex ἀντὶ aduerſus, & σκώληξ vermis.

ANTISCORBVTICA, ſunt remedia, quibus ſcorbutus ſanatur.

ANTISCORODON, eſt allii ſpecies. Ex ἀντὶ & σκόροδον allium, quod loco allii eſſe poteſt.

ANTISPASIS, Veteribus dicebatur *ſanguinis reuulſio.* quæ fiebat, quando humores in partem aliquam ruentes in contrarium, per venam, in parte oppoſita vel ſatis remota, inciſam, auertebantur. Sic accipi poteſt reuulſio, in inæquali ſanguinis periodo, cum in capitis dolore nimium ruat ad caput, & per ſupplantalia auertatur: ab ἀντισπάω in contrarium traho. G. Ableitung.

ANTISPASMODICVM, eſt medicamentum contractiones & ſpasmos inhibens, ab ἀντὶ contra & σπασμὸς tractio.

ANTISPASTICVM, id quod facit *Antiſpaſin.*

ANTITASIS, ſeu CONTRAEXTENSIO, eſt partium in corpore oppoſita locatio, vt eſt inter hepar & lie-

 nem:

nem: eſt quoque oſſis fracti in oppoſitum tractio vel extenſio, ita vt alter extendat, alter vero contra extendat. G. Gegenſtreckung, Ex ἀντὶ contra, & τάσις, tenſio.

ANTITHENAR, ſiue adductor, eſt vnus ex muſculis pollicem manus vel pedis extendentibus, qui ad pollicem reperitur: oritur ab oſſe metacarpi digiti medii, inſeritur phalangi primæ & ſecundæ; qui vero eſt in pede oritur ab oſſe cuneiformi tertio, & inſeritur in os ſeſamoides internum. Ex ἀντὶ contra, & Θέναρ vola.

ANTITHORA, idem quod *Anthora.*

ANTITRAGVS. penultima correpta. Vide *Homer. Odyſſ. ι. v* 239. Antitragus vero, eſt prominentia auris externæ ab helice oriunda, trago oppoſita ad finem anthelicis ſita, eique terminum figens, ſatis eleuata. Ex ἀντὶ contra, & τράγος hircus, & eminentia quædam in auricula. G. Der Gegenbock.

ANTIVENEREA, medicamina ad luem veneream.

ANTRVM BVCCINOSVM, idem quod *Cochlea.*

ANVS, eſt inteſtini recti extrema pars, conſtat ex tribus muſculis, duobus nempe leuatoribus, anum tempore neceſſitatis relaxantibus, & iterum attollentibus ac retrahentibus; & vno ſphinctere ſiue conſtrictore, qui anum claudit & occluſum ſeruat. *Item* cauitas in cerebro, ex contactu quatuor truncorum oblongatæ medullæ orta. Item cutis ſuperans vmbilicum, cuius rugæ ſenii indicium faciunt. *Corrugata vetula* a barbaris. G. πρωκτός. G. Arß, der Hindere.

ANYDRON, vocatur ſpecies ſolani manici, dicta forte, quod qui eam guſtauerint, ſitiunt, ſed bibere nequeunt. Ex α pr. & ὕδωρ aqua.

AORTA, Gr. ἀορτὴ eſt vas quod circulari orificio ex ſiniſtro ventriculo cordis oritur, adſcendit, ſuperato pericardio ſurſum parum it, mox retrorſum, paulo ſiniſtrorſum, in arcum ſe flectit verſus ſpinam, deſcendit deinde; ramos aſcendentes ex ipſo arcu tres habet, vnum innominatum, & duas carotides, quæ omnes partibus ſuperioribus proſpiciunt, ramus ille innominatus, vbi ad pollicare circiter ſpatium adſcendit, bifidus euadit, ſic vt vnus ramus lateraliter dextrorſum ſub clauiculam dextram tendens ſubclauia vocetur dextra, atque ad axillam tendat; alter carotis dextra vocatur. Inferius per truncum deſcendens, viſceribus ramificationibus proſpicit. Vlterius deinde facta deſcenſione ad femora & pedes terminum conſequitur. Tota hæc arteria ſimilis eſt reliquis arteriis, niſi

niſi quod habeat membranas & fibras fortiores. G. Die groſſe Pulsader. Dicta videtur quaſi ἀορτὴρ, lorum ex quo pera vel gladius dependet: quia cor pari ratione ſuſpenſum ab arcu huius vaſis videtur.

APAGMA, eſt oſſis fractura, per transuerſum facta, quod καυληδὸν Græci vocant: ex ἀπὸ ab & ἄγω frango.

APANTHISMVS, eſt obliteratio alicuius partis in corpore, ita vt prius veſtigium amplius reperiri non poſſit; quod canaliculo arterioſo circa cor & ductui venoſo in hepate fœtus exiſtenti, dum poſtea adoleſcit, contingit, ab ἀπανθέω defloreo. G. Verwachſung.

APARINE, penult. producit, vide *Alſine*. Aparine, ſeu aſperugo, eſt planta, quæ habet caulem tenuem, debilem, quadrangularem, flexilem, aliis plantis adhærentem, aſperum, viridem; folia parua, lata, oblonga, viridia, rubiam referentia, caulem ſtellæ forma ambientia, horridis ſuis ſpinis veſtibus adhærentia; flores paruos, in ſpicas congeſtos, in quatuor partes diuiſos; bacca poſt florem ſuccedit, duo ſemina fere ſphærica, ſibi inuicem adhærentia, continens, hæc ſemina in medio parum ſunt excauata, cutim ſiccam nigram, & pulpam albam continentem, habentia. Radix eſt valde parua. Gr. ἀπαρίνη, item ὀμφαλόκαρπος, & φιλάνθρωπος, quæ vide ſuo loco. G. Klebkraut.

APATHIA, eſt affectuum vacuitas ex α priv. & πάθος paſſio.

APECHEMA, Gr. Ἀπήχημα, ἀπὸ τῆς ἠχῆς, ſeu a reſonitu, quod ſit fractura cranii in parte, ei quæ percuſſa eſt contraria: dicitur etiam infortunium, itemque contrafiſſura.

APELLA, vel RECVTITVS, eſt is, cuius præputium eſt abſciſſum; qualis mos hebræis, turcis, ægyptiis &c. familiaris eſt. G. Beſchnitten. Sic etiam dicitur cuius præputium ita contractum eſt, vt glandem tegere nequeat.

APEPSIA, eſt abolita ciborum in ventriculo concoctio ex α priv. & πέπτω coquo. G. Verhinderte Dauung der Speiſen.

APERIENTIA, ſunt medicamenta, quæ tenuibus particulis profunde penetrando, ea, quæ occludunt meatus & craſſa ſunt, attenuando & expellendo, corporis poros, atque meatus aperiunt: horum tres claſſes ſunt, quarum prima continet ea, quæ vaſa laxant, 2. quæ liquida attenuant, reſoluunt ac diluunt. 3. quidquid, poſtquam vaſa laxata ſunt, & liqui-

dum attenuatum, vtraque in motum agit, & circulationem promouet. G. öffnende Mittel.

APERISTATON, Gr. ἀπερίςατον (ἕλκ❧,) eſt vlcus non magnum, nec vlli grauiori noxæ coniunctum, ex α priv. & περίςασις circumſtantia, periculum.

APES, ſunt volitantia animalcula, mel & ceram ex plantis colligentia. G. Biene.

APHACE, eſt leguminis ſpecies. Habet hæc planta ſolia triangularia, integra, ex aduerſo bina ex nodis caulium, ex quorum alis prodeunt clauiculæ; ſiliqua eſt fœta ſeminibus ſubrotundis; radix annua, fibroſa. Gr. ἀφάκη.

APHÆRESIS, eſt chirurgiæ pars, ſuperflua auferens ab ἀφαιρέω tollo.

APHONIA, ſiue *loquela abolita*, vnde *muti*; quales ſunt qui ſurdi, & ideo quoque *muti* naſcuntur: infantes, qui etſi non in lucem prodeunt ſurdi, ad tempus tamen muti ſunt, donec fari & loqui didicerint: qui apoplexia, ſomno qualicunque, epilepſia, paraplegia, hemiplegia, ſyncope, ſuffocatione hypochondriaca & aliis morbis laborant, ad tempus muti ſunt, aut ſi placet, obmuteſcentes, vti etiam, qui grauiter conſternantur, contriſtantur, metuunt, iraſcuntur, ſæpe obmuteſcere ſolent: denique qui moriuntur in articulo ſaltem mortis muti ſunt; ſed alius quoque caſus reperitur, ſi quis cæteroquin non admodum æger, mutus euadit, aut aliquamdiu aut ſemper manet. Atque ex his conſtat mutum quem eſſe, aut obmuteſcere in morbis ſoporoſis, paralyſi ſpinalis medullæ, in lingua obſtructa, in anguſtatis faucibus &c. Ex α priv. & φωνὴ vox. G. Sprachloſigkeit.

APHORISMVS, eſt oratio, quæ omnes proprietates breuiſſimis verbis circumſcribit. Ab ἀφορίζω determino. G. Kurtzer Spruch.

APHRODISIA PHRENITIS, ab Aphrodite ſiue Venere, dictus eſt inſanus & ardens amor in puellam. C. Wütende Liebe.

APHRODISIVS MORBVS, idem quod *lues venerea*.

APHRONITRVM, eſt nitri ſpuma, ab ἀφρὸς ſpuma, & νίτρον nitrum. G. Salpeterſchaum.

APHTHÆ, ſunt parua, rotunda, ſuperficiaria vlcuſcula, occupantia os internum, fauces, œſophagum, ventriculum, inteſtina tenuia; varie colorata, alba, flaua, fuſca, liuida, nigra. Videntur eſſe exulcerationes tenuiſſimorum ductuum ſalinoſorum & mucoſorum, factæ ex obturatione eius ductus

extremi per humorem lentum viſcidumque eo delatum. Solent fruſtulatim decidere, & aliquando recreſcere; imprimis obſeruantur in infantibus, vel in adultis, morbis acutis & viſcerum inflammatione laborantibus. Oſcedo *Sereno & Iſidoro.* Gr. ἄφθαι. G. Schwämme, & propter albedinem, quaſi os totum alba farina eſſet conſperſum, der Mehlhund appellatur.

APHYLLANTHES, quaſi diceres flos non foliatus, ex α priv. φύλλον folium & ἄνθος flos.

APIASTRVM, eſt meliſſa. Vide *Meliſſophyllum.* Item *Ranunculus* eſt, vide *Batrachium.*

APICES, ſeu ANTHERÆ, quæ in medio calicis ſeu folliculi quo flos clauditur, erumpunt, *ſtamina* ſunt, quæ veluti filamenta ab intimo floris ſinu proſiliunt. Habent apices ſæpius in ſummo quidpiam craſſiuſculum, a qua ſimilitudine nomen acceperunt. Dicuntur & capitula, quæ geminis conſtant loculis aut ciſtellis cauis, capſula membranacea per medium in duos receſſus diuiſis, qui coloratum plerumque puluerem continent: cuius granula (vt ex optimis obſeruationibus conſtat) in qualibet plantarum ſpecie definitam vt plurimum formam aſſumunt: hæc autem capitula partim ab apparente illorum figura, partim ab eo, quo funguntur, officio, non inepte teſticulos appellant recentiores bontanici: planta enim, ablatis, antequam ſua ſubierunt munia, capitulis, producere pergit ſemina, quæ, quamquam apparent pulcherrima, nunquam tamen euadunt prolifera, eodem perfecte modo, vt in ſubuentaneis animalium ouis contingit; vnde talia huiusmodi plantarum ſemina ex analogia cum fœcundatis animalium ouis comparari poſſunt. Vide *Anthera.*

APIOS, Tithymali ſpecies eſt; caulis eius ſcandens; folia bina, quaſi coniugata ad coſtam in folium impar deſinentem; piſtillum vagina obuolutum, abit in ſiliquam tricapſularem, quarum ſingulæ continent ſemen oblongum; radix tuberoſa eſt, pyrum referens, latior a parte ſuperiori quam ab inferiori, externe nigra, intus alba, plurimum lactis continens. ἰσχὰς, χαμαιβάλανος Lat. Raphanus Sylueſtris, vulgo. Ita dixerunt græci quod radicis extremum in pyri formam turbinatur. Eadem etiam ratione *Iſchas* & *Chamæbalanos* ab iisdem nominata eſt, quod in ficus & glandis effigiem radicis extremum turbinetur. Quapropter non inepte latinis etiam *Glans* aut *Ficus*, ſeu *Carica ſylueſtris* nominabitur: ἰχὰς enim eſt *Carica*, χαμαιβάλανος venit a χαμαὶ humi, in terra, & βάλανος nux, glans.

APIVM, penult. corripit.

Et virides apio ripae, tortusque per herbam. Virg. 4. Georg.

Tuus apii ſuccus leni ſociatur oliuo. Seren. tit. ſubit. dol. Apium, eſt planta culinaria, quæ habet caulem craſſum, ſtriatum, excauatum, & viridem: folia petroſelini, ſed maiora, viridia, ſplendentia, polita, ſuccum odoris penetrantis, & ingrati habentia, præſertim ſi folia contunduntur, ſaporis fortis & ingrati. Flos vmbelliferus, albus vel luteus, cuius calix abit in duo ſemina ſtriata, curta, craſſiuscula, griſea, ſaporis acris & ingrati; radices edules, carnoſæ, craſſæ. Creſcit hæc planta in foſſis & humidis locis, ſed plerumque in hortis colitur. Σέλινον a lunæ dominio vocatur, Eleoſelinum ab ἕλος palus & Σέλινον Apium. G. Selleri, Eppich, Epffig.

APIVM RISVS, vide *Riſus Apium.*

APIVM SYLVESTRE, idem quod *Batrachium.*

APNOEA, eſt reſpiratio ad ſenſum, vel in totum abolita, ex α priv. & πνέω reſpiro.

APOCHYLISMA, SVCCAGO, ROBVB, ROB, & ROHOB, eſt ſucci cuiuscunque ex vegetabilibus, cum ſaccharo aut melle, in duriuſculam ſapæ conſiſtentiam coctio & inſpiſſatio, hinc *Rob* ceraſorum, prunorum, rubi, mororum. Ab ἀποχυλίζω ſuccum extraho. G. Conſerf. Eingekochter Saft.

APOCLASMA, eſt partis cuiusuis in corpore abruptio, ab ἀποκλάω abrumpo, defringo.

APOCOPE, eſt partis abſciſſio, ab ἀποκόπτω abſcindo. Vide *Exſtirpatio.* G. Abſchneidung.

APOCRISIS & APOCRISIA, eſt id quod ex abundantia quaſi e corpore eliminatur, ab ἀπὸ ab & κρίνω ſecerno.

APOCRVSTICVM, eſt auxilium conſtringendi & repellendi vim obtinens. Ab ἀποκρέω: repello. G. Zurucktreibend Mittel.

APOCYNVM, eſt planta quæ creſcit vt arbuſcula, dimittens ramos rectos ad altitudinem circiter trium pedum; folia habet oblonga, ampla, craſſa, inſtar aloes caulibus aduerſa, alba, ſuccum lacteum continentia, amarum & acrem: flores naſcuntur ad foliorum extremitates inſtar ariſtæ, ſunt campaniformes, quinquifidi, flaui; radix longa, fibroſa, fortis. Hæc planta creſcit in Ægypto, vbi vocatur oſſar, & fructus eius, qui pugni magnitudinis eſt & oblongus, dicitur Beidel-ſar, quaſi Beidel-oſſar, quod Arabice notat ouum oſſar; in eius

fructu

fructu reperitur lanugo, qua vtuntur incolæ ad inſerendum inter ſtragula, & in culcitris. Hæc planta omnes quadrupedes carniuoras, & præſertim canes, in cibum data neçare traditur, componitur ex α priu. ſignificans ab, & κύων canis. G. Hundstodt. Latini vocant etiam braſſicam caninam, cynocramben.

APODACRYTICVM, eſt medicamentum lachrymas excitans: ſed aliis eſt collyrium lachrymarum effuſionem deſiccans & cohibens, ab ἀποδακρύω lachrymas excito.

APOLEPSIA & APOLEPSIS, eſt ſpirituum animalium & ſanguinis interceptio. Vel eſt medius ſtatus inter apoplexiam & paralyſin, vel eſt apoplexiæ ſpecies, ſiue ſubitanea & fugax vocis interceptio cum ſenſus & motus omnimoda fruſtratione, ab ἀπολαμβάνω intercipio. idem quod *catalepſis.*

APOMELI, Gr. ἀπόμελι eſt aqua mulſa, ſeu hydromeli dilutius: aliquando idem ſignificat, quod oxymel, ſeu decoctum ex aceto & melle, ab ἀπό de, & μέλι mel, quaſi de melle coctum.

APONEVROSIS, eſt finis, cauda ſeu chorda muſculorum; dicitur etiam tendo, ex ἀπὸ de, & νεῦρον neruus; nec male, cum muſculus totus conſtare ex neruis videatur, quorum finis eſt tendo. G. Spannader.

APOPHLEGMATISMVS, vocatur medicamentum, quod lentam, ſubalbam, pituitoſam materiam, ſecretam ex membrana pituitaria, nares earumque oſſicula, ſinus frontales, maxillares, oſſis cuneiformis &c. inueſtiente, generat, diſſoluit, eliminat: ſiue id fiat ſpecie errhinorum, gargariſmi, maſticatorii, collutorii, linctuum, vel fumi, hinc apophlegmatiſmus reducitur ad ptarmica ſiue errhina, & ſialagoga, ſiue ſaliuam mouentia, quia hæc omnia, quæ pituitam educunt, agunt vel per nares eliciendo vel per os; hinc apophlegmatiſmus dicitur ab *ἀπὸ ab* & *φλέγμα pituita.* G. Schleim auſtreibende Mittel.

APOPTHORA, eſt abortus, ſiue fœtus immaturi in lucem editio, ab ἀποφθέω corrumpo. Vide *Abortus.*

APOPHYSIS, PROBOLE, ECPHYSIS, PROCESSVS, PRODVCTIO, PROIECTVRA & PROTVBERANTIA, eſt pars oſſis non contigua, vt epiphyſis, ſed cum oſſe continua, & vltra planam ſuperficiem protuberans. Vt proceſſus pterygoides, mammiformis, &c. ab ἀποφύω produco. G. Auswachs, Fortſatz.

APOPLECTICÆ VENÆ, ſunt venæ iugulares; male ab antiquis *Soporales dictæ.*

APOPLECTICA, ſunt medicamenta adverſus apoplexiam.

APOPLEXIA, ATTONITVS STVPOR, MORBVS ATTONITVS & SIDERATIO dicitur. Eſt ſopor in quo ægri ſubito concidunt, & iam proſtrati, neque mouere, neque loqui, neque ſi pungantur, quod ſentiant, teſtari poſſunt, iacentes ſupini flaccidis membris, vt in paralyſi, cum reſpiratione parua ac difficili, ſiue anhelatione, ſtertentes ac ſi dormirent vel mouerentur, palpebris clauſis aut contractis; ſed pulſus & faciei color remanent, niſi grauis ſit apoplexia, iam deliquiis & morti manum porrigens, ſed ore etiam patulo, & hiante, ex quo humor, & ſpuma effluunt, aeris ſubſidium quaſi petunt; deinde vrina, alui feces & ſemen ſolent exire, atque niſi in paralyſin mutetur apoplexia, aut aliter ſoluatur, mors breui inſtat. Quando cum reſpiratione pulſus magis magisque deficit, & extrema frigere incipiunt; facies quoque ruborem cum pallore mutare, & ſtertor, qui ab initio adeſt, primum maior fieri, deinde minui & ceſſare, actum eſt. Oritur a quacunque cauſa impediente ſpirituum animalium afluxum & effluctum ex cerebro per organa ſenſuum & voluntatis, ſuperſtite cerebello libero, ab ἀποπλήττω percutio. G. Der Schlag GOttesḥand.

APORRHOÆ, ſunt effluuia ſulphurea & vaporoſa, per per corporis poros & ſpiracula cætera, exhalantia: ab ἀποῤῥέω defluo. G. Aufſteigung der Dünſte.

APOSCEPARNISMVS, eſt fracturæ cranii ſpecies, quando pars quædam ita ablata eſt, tamquam aſcia aut dolabra fuiſſet reſecta. Ex ἀπὸ ab & σκέπαρνος, aſcia, dolabra. Aliquando tantum ſignificat os ruptum & diuiſum, ſic vt in eo teli acuti veſtigium ſit relictum.

APOSITIA, eſt alimentorum faſtidium, ex ἀπὸ de & σῖτος cibus. G. Eckel, Unluſt zum Eſſen.

APOSPASMA, nominatur, ſi partium organicarum & compoſitarum vnitas ſoluatur & quæ diuerſi generis, iuxta communem ordinem, inter ſe compacta ſint, atque coaluerint, disiungantur, diuiſis & abruptis ligamentis, filamentisque illis fibroſis, quibus coniungebantur: Vt cum cutis aut membrana a muſculis, muſculus a muſculo aut oſſe, atque omnio partes, quæ prorſus inter ſe cohærebant, disiungantur. Ἀποσπασμάτιον eſt particula auulſa, ab ἀποσπάω detraho. G. Abreiſſung, Abtrennung

APO-

APOSTASIS, vetuſtis medicis, præeuntè HIPPOCRATE, varia ſignificat. Sic de oſſibus fractis, quoniam extrema a ſe inuicem disiuncta ſunt, nomen adhibetur, adeoque in genere ſignificat omnem continui ſolutionem. Deinde etiam notat illam partium, quæ naturaliter cohærere debebant, ſeceſſionem, quam inducit aliquod heterogeneum interpoſitum: quod accuratius dicitur ἀπόςημα. Tandem quoque ſignificet idem quod μετάςασις, aut μετάπτωσις: quando materia vitioſa ad aliquam definitam partem transponitur, ex vniuerſa maſſa, cui prius inhæſerat, ſegregata.

APOSTEMA, ABSCESSVS. Notat proprie tumorem pure impletum, quod cauitate quadam non limitata continetur, intra partes ſolidas corporis vi morbi facta. Aliquando tamen non continet pus coctum, ſed ichorem, putredine corruptam pinguedinem, ſæpe pilos, oſſicula, aliaque heterogenea: quæ vbi fuerunt emiſſa, ſinum vacuum relinquunt. Hinc non amplius abſceſſus, ſed vlceris ſinuoſi nomen gerit. Aliqua abſceſſuum genera illud, quod continent heterogenum, tunica includunt, indeque vocantur tunicati. Eſt a Græco ἀφίςαμαι, diſto, ſeiungor. Sæpe conſunduntur apoſtaſis & apoſtema. G. Ein Geſchwär, Apoſtem.

APOSTOLORVM VNGVENTVM, ſic dictum a duodecim ingredientibus, quod numero Apoſtolorum reſpondet: eſt vlceribus mundificandis idoneum.

APOSYRMA, eſt oſſis vel cutis abraſio, ab ἀποσύρω, detraho, abrado.

APOTHECA, eſt vas aut capſula in qua medicamenta conſeruantur: ita etiam officinæ pharmaceuticæ appellantur; ex ἀπὸ de, & τίθημι pono, hinc.

APOTHECARIVS, qui medicamenta præparat.

APOTHERAPIA, eſt terminus antiquæ medicinæ gymnaſticæ, qui finem perfectæ exercitationis ſignificat, & poſtremam partem, quando ordine adhiberi ſolent frictio, unctio, & balneum, ad laſſitudinem tollendam. Ea pars quoque medicinæ gymnaſticæ, quæ hoc docet, apotherapeutica propterea dicitur.

APOZEMA, Gr. ἀπόζεμα DECOCTVM. Pharmacopæi *decoctionem* nominant. Eſt decoctio ex radicibus, lignis, cortibus, herbis, floribus, fructibus, ſeminibus &c. Quæ in aqua alioue liquido coquuntur ad remanentiam vt plurimum vnciarum duodecim, quindecim, vel viginti. Eſtque purgans, laxans, alterans, exſiccans, cephalicum, ſtomachium, diure-

diureticum, ſplenicum, hepaticum &c. ab ἀποζέω deferueo, dicitur etiam ἀφέψημα. G. Ein abgeſottener Tranck.

APPARATVS MAIOR & MINOR, Lithotomis loquendi formula eſt; duas enim calculum extrahendi methodos habent. Vna fit apparatu plurimorum inſtrumentorum, eaque tantum in adultis inſtituitur, & *apparatus maior* ideo vocatur. Altera vero minori cum apparatu fit, & olim tantum in puerulis adhibebatur. Hodie etiam *apparatus altus* innotuit, vbi inciſio fit ſupra pubem. Vid *Lithotomia.*

APPENDICVLA VERMIFORMIS, eſt propendens quoddam corpuſculum iuxta inteſtinum cœcum, quatuor vt plurimum digitorum transuerſorum longitudine, craſſitie minimi digiti, cauitateque quanta eſt calami ſcriptorii. G, Wurmgleicher Anhang.

APPENDIX & APPENDICVLA, Vide *Epiphyſis.*

APPETITVS, eſt inſtinctus quidam naturalis ad cibum potumqve reficiendo corpori quærendum. Si illo inſtinctu ferimur ad alimentum ſolidum, *fames* vocatur; *ſitis* autem, quando deſideramus alimentum fluidum. Cauſas eius phyſiologi indicant. G. Luſt und Begierde zum Eſſen oder Trincken.

APPETITVS CANINVS, vide *Bulimus.*

APSYCHIA, eſt ſummum animi delinquium. Vide *Deliquium animi*, ex α priu. & Ψυχὴ anima.

APTYSTVS, eſt ſaliuæ defectus, ita vt qvis ſpuere nequeat, ex α priv; & πτύω ſpuo.

APYREXIA, eſt febrium intermiſſio, ſiue illud interuallum febrium intermittentium, vbi & pulſus naturali ſimilis eſt, & calor ad gradum naturæ conformen rediit, ceteraque febris ſymptomata ceſſant. Celſo dicitur *integritas.* Ex α priv. & πυρέσσω febricito. G. Ablaſſung des Fiebers, der gute Tag.

APYRON, dicitur quod ignem non eſt expertum. Sic veteribus laudatur tale ſulphur, quod & viuum vocant: itemque æthiops mineralis, qui ſola ſulphuris & mercurii diuturna tritura paratus eſt, vocatur ἄπυρος. Ex α priv. & πῦρ ignis.

AQVA, eſt liquor valde fluidus, inodorus, inſipidus, pellucidus, excolor, qui in certo gradu frigoris in glaciem fragilem, duram, vitream, congelaſcit. Apud auctores Arabico-ſcholaſticos idem eſt ac *ſuffuſio, cataracta.*

AQVA DESILLATA, ſeu STILLATITIA, eſt liquor deſtillatione ex quauis re elicitus; eſtque vel per ſe ſimpliciter, vel cum herbis, aliisue rebus prolectus. G. Diſtillirt Waſſer.

AQVÆ-

AQVÆ DVCTVS Fallopii, eſt foramen oſſis temporalis proprium, inter proceſſum maſtoidem, & ſtyloidem, portionem duram nerui auditorii transmittens.

AQVÆ DVCTVS NVCKII, ſunt continuationes vaſorum ſangiferorum ſcleroticam perreptantes & perforantes.

AQVA FLORVM OMNIVM, eſt aqua ex ſtercore bouis, gramine veſcentis, deſtillata: ſic dicta videtur, quod omnibus pratorum floribus paſcantur.

AQVA INTER CVTIM, idem quod *Anaſarca.*

AQVA PERICARDII, eſt linquor ſeroſus, qui in cordis ſacculo colligitur; exigua plerumque copia, reperitur; videturque pro cordis humectatione, motusque facilitate (qui liberrimus hic requiritur) inſeruire; quod ne deficiat, in capſula ſiue ſacculo hoc colligitur. Num a glandulis baſi cordis incumbentibus is humor delabatur, ac per vaſa lymphatica in ductum chyliferum relegetur, merito dubitatut, quia hæ viæ non demonſtratæ hactenus ſunt, nec modus quo in ductum chyliferum deferatur; credendum potius ab extremis oſculis arteriarum ibi ſtillari, & per vaſa reſorbentia introſumi rurſus, & miſceri ſanguini. Dicitur & *vrina cordis ſeu pericardii & hydrocardia.* G. Hertzwaſſer

AQVALICVLVS, ſeu INFIMVS VENTER idem quod *hypogaſtrium & abdomen.*

AQVEVS HVMOR, vide *Humores oculi.*

AQVIFOLIVM, rectius *acuifolium*, idem quod *agrifolium*, ab acus & folium.

AQVILA ALBA, chymicis eſt *mercurius duclis.*

AQVILÆ LAPIS, vide *Aetites.*

AQVILEIA, AQVILINA, vel AQVILEGIVM, eſt planta quæ habent caulem exiguum, rubicundum, villoſum, ramoſum; folia chelidoniæ maioris, lobata, profunde inciſa; caulibus longis adhærentia; florem plane anomalum, figuram auiculæ repræſentantem, coloris cerulei, vel rubicundi; piſtillum floris abit in multas ſiliquas membranoſas, caput referentes, includentes ſemina exigua, compreſſa, polita, nigra, ſubrotunda; radix inſtar pollicis craſſa, alba, fibroſa, ſaporis ſubdulcis; creſcit in montibus & ſyluis. Nomen accepit a florum mucronibus aduncis inſtar aquilarum unguium, vt, *Bauhino & Bod- a Stapel* viſum; non ab vrbe Aquileia. G. Agley, Ackeley.

AQVVLA, idem quod *Hydatis.*

ARA-

ARABICVM GVMMI, officinarum, Galeno *Thebaicum*, nonnullis *Babylonicum* dicitur; aliqui ex arbuſcula acacia prouenire dicunt. Duas conſtituunt ſpecies; prior recta aſſurgens virgulta profert lignoſa, ſpinis exertis & duris hinc inde ſtipata: folia longa, quaſi ex multis foliolis cohærentia compoſita, flores albidos, odoros, ſiliquas breues, planas lupinorum more; ſemen glabrum & ſplendens. Altera acacia in Capadocia & Ponto prouenit, priore minor, tenerior, humilior, folia habens rutæ. Iſtud gummi pellucidum eſt inſtar vitri & glutinoſum, facile in aqua ſoluitur, rotundum eſt, & externe quaſi a vermiculis ſæpe exeſum: saporis aquei lenti, odoris nullis. Adfertur non tantum ex Arabia, ſed & ex Senegallia. G. Arabiſches Gummi.

ARABIS, eſt draba Δράβη, videtur Δ in A mutatum eſſe; naſturtii ſpecies, quam veteres inter obſonia frequenter adhibebant. Folia habet inſtar lepidii ſed molliora & candidiora. Florem fert vmbellatum, album, inſtar ſambuci.

ARACHIDNA, eſt planta a Theophraſto & Plinio memorata, quod in ſabuloſis proueniat, & fructus, tuberum inſtar, ſub terra condat. Etymologia admodum incerta eſt, nec planta ipſa apud nos cognita videtur.

ARACHNOIDEA, male ſic ſcribitur & pronunciatur penultima protracta. Eſt enim græcum ἀραχνοειδὴς, telæ aranearum ſimilis. Scribendum igitur ARACHNOIDES, & efferendum eſt cum mora aliqua ſyllabæ penultimæ.

ARACHNOIDES TVNICA, ſeu ARANEA TVNICA vel AMPHIBLESTROIDES, eſt membrana ita dicta ob ſummam, quam habet tenuitatem, intra duram & piam matrem ſita, quæ in ſuperiori cerebri parte, cum pia matre & cerebro ſtricte connectitur, in inferiori vero parte, præſertim circa cerebellum, medullam oblongatam, & ſpinalem, laxe: ita vt ibidem facile & abunde conſpici queat. Item tunica oculi cryſtallina, a ſimilitudine araneæ telæ dicta, quæ obtegit neruos viſorios adhuc nudos in cerebro, antequam hi orbitas ingrediantur & non ſolum eos extrinſecus inuoluit, ſed etiam inter omnes minimas fibrillulas neruos conſtituentes, ſe inſinuat, proſpiciens, ne inter ſe agglutinentur, ſed diſtinctæ, vt in ortu maneant. Ex ἀράχνη aranea, & εἶδος forma. G. Das Spinnewebshäutlein.

ARÆOTICA, vide *Rarefacientia*, ab ἀραιόω rarefacio.

ARANEA, eſt *Herba Paris*.

ARANEA Tunica, idem quod, ARACHNOIDES.

ARANEA, Gr. ἀράχνη, eſt inſectum, olim a medicis vſurpatum in febribus. accipitur aliquando etiam pro tela aranearum. G. Spinne.

ARANTIA, idem quod *Aurantium.*

ARBOR, & ARBOS, Gr. Δένδρον eſt quidqaid a radice ſtatim ſimplici caudice, brachiatum ramis, ſurculoſum, diſſolutuque contumax aſſurgit. G. Ein Baum.

ARBOR DIANÆ, eſt quædam cryſtalliſatio mercurii, & argenti in aqua forti diſſoluti, fruticis ſpeciem acquirens.

ARBOR VITÆ, eſt cedri ſpecies ſemper vireſcens, fructu conifero, oblongo, ſquamoſo, ſic dicta, quia ipſa arbor diutiſſime viuit. Videtur eſſe quæ θύα & θυία Græce dicitur, cuius lignum inter pretioſiora refertur. G. Lebensbaum.

ARBVTVS, eſt arbuſcula, cuius truncus habet corticem aſperum & ſtriatum, in ſuperiori parte rami ſunt rubicundi; folia oblonga, lata inſtar lauri, ſubrotunda, polita, viridia, dentata, vel ſerrata; florem monopetalum, campaniformem; globoſum, in vrceolum formatum. Piſtillum calicis fit fructus globoſus, carnoſus, edulis, ante maturitatem flauus, poſtea ruber, facie externa fragi, quinquelocularis, in ſingulis loculis ſemina plura placentæ accreta. Hæc arbuſcula ſæpe ad maximarum arborum altitudinem creſcit in Flandria; fructus eius memæcylon aut vnedo vocatur, quia ſi homo plus ex his quam vnum comedat, creditur ſe inde male habere; folia & cortices ſunt adſtringentes, hinc conducunt in diarrhæa. Sic forte dicta, quod inter arbuſta creſcat. Gr. Κόμαρος G. Hagapfelbaum.

ARCANVM, nominatur aliquod medicamentum, quod tanquam aliquid ſecreti habetur, tum in eius præparatione, tum in eius adminiſtratione dextra. Theophraſti arcanum eſt quinta rei eſſentia ſumme exaltata, ſeu vt ait idem; eſt virtus rei millecupla exaltatione emendata. Quatuor imprimis arcana iactitat. 1. Arcanum primæ materiæ. 2. lapidis Philoſophorum. 3. mercurii vitæ. 4. tincturæ. G. Geheimniß.

ARCANVM DVPLICATVM vocatur in officinis ſal aliquod medium, inſtar tartari vitriolati, quod paratur ex eo, quod reſidum eſt a deſtillatione aquæ fortis.

ARCEVTOS, eſt *Iuniperus.*

ARCHANGELICA, eſt angelica aquatica, ab ἀρχὴ principatus; & angelica, de qua antea: ſic dicta, quod cæteris maior ſit, vide *Angelica.*

ARCHE,

ARCHE, eſt morbi initium, ab ἄρχομαι, incipio. Vide *Acme.*

ARCHEVS, eſt (vt Chymici quidam loquuntur) ſummus, exaltatus, & inuiſibilis ſpiritus, qui ſeparatur a corporibus, exaltatur & aſcendit, occulta rerum virtus, generalis omnibus artifex, & medicus. *Item* Archiatros, ſupremus rerum medicus, qui rei cuique ſuum *archeum* peculiarem, & membro cuilibet occulte per *aerem* diſtribuit. *Item Archæus* primus in rebus, vis eſt occultiſſima res omnes producens, ex *Iliaſte*, diuina virtute nimirum ſuffulta duntaxat: vocabulum eſt Helmontio frequentiſſimum. G. Fürnehmſte Krafft, vel ſubtileſte Geiſt.

ARCHIATER, eſt medicus ſupremus; vel qui caput & dux aliorum medicorum eſt: ideoque primarius vel ſenior dicitur. Ita principum & magnatum medici κατ' ἐξοχὴν archiatri vocantur. ex ἀρχὴ principium & ἰατρὸς medicus. G. Stadtartzt, fürnehmſter Artzt.

ARCHIGENI MORBI, ſeu acuti, ab ἀρχὴ principatus, γεννάω gigno; quod nempe imperium in ſanitatem teneant: vox male compoſita, & paucis probata.

ARCTOSCORODON, eſt *allium vrſinum*; ex ἄρκτος, vrſu, & σκόροδον allium. G. Waldknoblauch, Hundsknoblauch.

ARCTOSTAPHYLOS, eſt vrſi vua, ſeu vaccinium rubrum, ex ἄρκτος vrſus, & σαφύλη vua.

ARCVALIA oſſa, dicuntur aliis *oſſa ſyncipitis*, aliis *oſſa temporum*: hinc *ſutura arcualis* eſt eadem, quæ *coronalis.*

ARCVATVS MORBVS, vide *Icterus.*

ARDEA, penult. corripit:

Vrbis & ipſa ſuis deplangitur ardea pennis Ouid. Met. 14.

Ardea auis, eſt ſpecies auis aquaticæ, fiſſipedis. G. Reiher.

ARDENTES EEBRES, ſunt, in quibus præter alia ſymptomata, magnus æſtus, ardor & ſitis deprehenduntur, vt in *Cauſo & Lipyriis.* vide *Cauſus.*

ARDOR, ſeu *æſtus*, eſt calor in corpore noſtro intenſe auctus. G. Hitze.

ARDOR VENTRICLI, doloris ventriculi peculiaris ſpecies eſt, quæ tamen ſimul etiam œſophagum moleſtat, quam τῦ ςομάχυ καύσωνα, *ardorem ſtomachi*, & nonnulli *ebullitionem*, *ardoremque* ſtomachi *ebullientem*, nominant: quibusdam *ſoda*, quando ardens quidam dolor in ventriculo & gula percipitur, qui vrendo quaſi moleſtat. Malum hoc ſanis

etiam

etiam ſæpè familiare eſt, tum cibum ſumentibus, tum ieiunis: imprimis cum eructant, intus incluſo quaſi flatu igneo & erumpere non valente. Nonnunquam tamen & in febribus accidit. *Cauſa* mali eſt efferueſcentia quædam a particulis oleoſis aut bilioſis, vnde ebullitio, ſiue ardor ventriculi ebulliens, perſentitur: vel potius ab acri quocunque ſiue acido ſiue alcalino, moleſte os ventriculi afficiente, & ſæpe a defectu muci ventriculum obducentis. G. Hitze des Magens, Sode

ARDOR VRINÆ, vide *Dyſuria*

AREA. *Celſo* arearum duo genera ſunt. Commune vtrique eſt, quod emortua ſumma pellicula, pili primum extenuantur: deinde excidunt, ac, ſi ictus is locus fuerit, ſanguis exit liquidus, & mali odoris: increſcitque in aliis celeriter, in aliis tarde. Peius eſt, quod denſam cutim, & ſubpinguem, & ex toto glabram facit. Sed ea, quæ ἀλωπεκία nominatur, ſub qualibet figura dilatatur. Fit & in capillo, & in barba. Id vero, quod a ſerpentis ſimilitudine ὀφίασις appellatur, incipit ab occipitio; duorum digitorum latitudinem non excedit: ad aures duobus capitibus ſerpit; quibusdam etiam ad frontem, donec ſe duo capita in priorem partem committant. Illud vitium in qualibet ætate eſt: hoc fere in infantibus. Illud vix vnquam ſine curatione, hoc per ſe ſæpe finitur. G. Ausfallen des Haars.

AREA, eſt inter muſculos, glandulas &c. quædam intercapedo ſeu ſpatium, a circumiacentibus partibus relictum. G. Zwiſchenweite.

AREGON, penult. prod. Aregon, eſt vngentum aliquod reſolutiuum, relaxans & attenuans, ab ἀρήγω auxilior, opem fero. Inter quatuor vnguenta calida primum locum occupat.

ARENA, in corpore humano, res eſt toto genere aliena ab arena terreſtri, nam illa eſt ex plurimo ſale volatili, pauco oleo & terra, genita; ex qua ſæpe calculi concreſcunt. Gr. Ψάμμος & Ἄμμος. Etiam *ſabulum* dicitur. G. Sand, Grieß.

ARENARIA, eſt Coronopi ſpecies, ſic dicta, quod arenoſa loca amet.

ARENATIO, eſt ſpecies balnei ſicci, cum æger pedibus arenæ calidæ inſidet: vt in hydrope fit. G. Sandbad.

AREOLA PAPILLARIS, vocatur circulus papillam ambiens. G. Der Wärtzleinkreiß an der Bruſt.

ARESTA BOVIS, vide *Anonis*.

ARGEMOS, eſt vlcuſculum oculi album in iridis circulo, comprehendens partem albi & nigri. Ex ἀργὸς albus. Dicitur etiam *argema.*

ARGEMONE Mexicana, ſiue papauer ſpinoſum C. B. eſt planta officinalis, quæ habet caulem rotundum, ramoſum, ſpinas exiguas, & quæ medullam albam in ſe continet; folia ex radice primo erumpentia, oblonga, & anguſta ſunt, ſed quæ caulibus adhærent, ſunt longa, laciniata, non villoſa, ſed mollia, in ſpinas abeuntia; flores in ſummitate ramorum creſcentes, coloris flaui, roſacei, quinquifidi, odoris chelidonii maioris; poſt florem ſuccedit fructus, oblongus, ſpinoſus, includens ſemina ſubrotunda, nigra; radix exigua eſt ſatis longa, fibroſa; hæc planta creſcit in hortis: dicitur a vi, qua pollet: ſanat enim ἄργεμα, ſeu oculorum vlcuſcula & nubeculas, quæ oculi albo adueniunt; ab ἀργὸς, albus.

ARGENTVM, Gr. ἄργυρος, eſt metallum coloris candidi, ſonorum, poſt aurum maxime ductile, in igne fixiſſimum, ita vt nihil fere perdat, ſi puriſſimum fuerit ſimulac ignitur, funditur, aqua forti ſola ſoluitur, ſpecificæ grauitatis ad aquam, vt 10535. ad 100, depuratur plumbo, eique reſiſtit, in ſcorias abit cum antimonio & volatile fit.

ARGENTVM VIVVM, idem quod *Mercurius.*

ARGILLA, Gr. ἄργιλος, ab ἀργὸς, albus; quia plerumque illa terra alba eſt; accipitur quandoque latius, varii coloris ſpecies comprehendens, vt nigram, luteam puniceam, purpuream, viridem, cæruleam, cineritiam. G. Thon.

ARGYROCOME, eſt Gnaphalii ſpecies, dicta ob argenteos ſeu albos floſculos, ex ἄργυρος argentum, & κόμη coma, pili.

ARGYROPÆA, eſt ars, quæ docet modum conficiendi argentum e metallis & mineralibus imperfectioribus, tam quæ in argentifodinis exercetur, quam quæ ope lapidis philoſophorum promittitur.

ARIDVRA, TABES eſt, ſeu ATROPHIA particularis, qua corpus, vel membrum aliquod, plane conſumitur, forte ab areſcere. G. Verfallung, Dörrung.

ARILLI, idem quod *Acini.*

ARISARVM, videtur deminutium ab *Arum*, quia minor ſpecies eſt, vel ab ἄρον ἱερὸν. Vide *Arum.*

ARISTOLOCHIA, penult. prod. Eſt planta officinalis, quæ habet caules ſarmentitios, debiles, flexiles, folia alterna, fere rotunda, mollia, ſaporis amari, virideſcentia; flores mono-

monopetalos, anomalos, tubulatos, in inferiori parte occluſos, a parte ſuperiore apertos, & quaſi linguam habentes deorſum ſpectantem, poſt florem piſtillum fit fructus membranaceus oualis, viridis, ſed poſt maturitatem fuſcus. Hic fructus eſt diuiſus in ſex loculos, qui multa ſemina compreſſa, exigua, nigra, & ſibi inuicem incumbentia recondunt. Radix eſt tuberoſa, rotunda, ſatis craſſa, fibroſa, extus griſea, intus flaueſcens, odoris ingrati, ſaporis valde amari. Hæc planta creſcit in pratis; dantur variæ ſpecies: huic nomen inditum, quod parturientibus proſit: quod ἀρίστη ſit ταῖς λοχείαις, lochiis nempe. Alii deducunt ab inuentore quodam Ariſtolocho. G. Oſterlucei, Holwurtz.

ARMENA bolus, rectius Armenia bolus, quomodo *Plinius l. 34. c. 6.* colorem Armenium dicit; *me* autem ſemper corripitur, vt exempla docebunt:

Daphnis & Armenias curru ſubiungere tigres
Inſtituit. - - - *Virg. ecl. 5.*
Numquid apud Parthos, Armeniosque latet? Martial. l. 5. epigr. 59.
Armeniisque (ſcilicet pomis) *& cereolis, pruniſque Damaſci*
Stipantur calathi - - - *Colum. l. 10.*

ARMENIACA MALVS, Perſicæ ſatis ſimilis, ſed truncus craſſior, cortice obductus magis nigro, folia habet populi nigræ, vel pyri, dentata, acuta, ſaporis acidiuſculi; calix eſt monophyllus, quinquifidus, vel & in ſex ſegmenta profunde ſectus, cauus; flos roſaceus, pentapetalus, petalis natis ex margine calicis coronan e cauitatem. petala aliquando ſex continet, ſtamina triginta; ouarium in imo fundo calicis, inſtructum tuba longa, fit fructus fere globoſus, carnoſus, ad latera paululum compreſſus, iuxta longitudinem ſulcatus, continet nucleum oſſeum compreſſum, in quo amygdala una plerumque reperitur, ſaporis aliquantulum amari, grati; fructus caro ab vna parte rubeſcit, ab altera flaueſcit, eſt dulcis, tenera, ſaporis grati: forte ſic a natali ſolo Armenia dicta. G. Aprikoſen.

ARISTA, Gr. Ἀθέρα, Ἀθερίνη, Ἀθερίξ. Significat ſpicam frumentaceorum integram: aliquando id tantum, quod vt acus tenuis & longa eminet a gluma. In ſumma ariſtæ quaſi apices & cornua ſunt ſpicarum. G. Das Haar von Korn, oder Spitzen an den Aehren.

ARMENVS ſeu ARMENIVS LAPIS, eſt lapis maculis viridibus, cæruleis & ſubnigris relucens, ſicut *Lapis La-*

 zuli

zuli punctis aureis; adeoque non differt inter ſe, niſi ſola maturitate. Vterque enim in vnis iisdem metalli fodinis reperitur. Lazuli tamen lapis ceu maturior, crebrius inuenitur in fodinis aureis, Armenus in argenteis. Dicitur *Lapis Armenus* ſeu *Armenius*, Gr. Ἀρμένιος λίθος quod olim ex Armenia ſolum ad nos translatus ſit; hodie tamen & in Germania effoditur, verbi gratia, in comitatu Tyrolenſi ſub nomine melochites. Præfertur colorato cæruleus. Inter purgantia recenſetur ad drachmam & ſcrupulos quatuor. G. Armenierſtein, Berggrün.

ARMERIVS FLOS, Gallis *Armoires* & *Armoiries*, hunc *Ruellius* Armerios flores nuncupauit. G. Steinnägel, Cartheuſernelcken.

ARMILLA MEMBRANOSA, eſt ligamentum circulare, tendines multiplices vniuerſæ manus circulo aliquo comprehendens in regione carpi; in varia alia facile diuiſibile. Duplex ſtatuitur, vnum ſinum carpi ſuccingens, reuera vnicum, ſed latum robuſtumque, ſimul omnes tendines flectentium muſculorum continens: alterum, quod eſt in dorſo carpi, ex ſex inter ſe connexis, & ſingulis annuli inſtar obuolutis circa extendentium tendines. G. Armband.

ARMONIACVM SAL NATIVVM, Cyrenaicum veterum a maioribus deſcriptum, ſub arenis Libycis concreſcebat. Ex notis bonitatis, quas Plinius indicauit, noſtro hodierno factitio ſimillimum apparet. Verum noſtratibus non niſi *artificiale* cognitum eſt. Quod nihil aliud eſt, quam ſal factitium, compoſitum, volatile, ſublimatum ex vrina & ſale communi, vel ſale gemmæ & ſimilibus. Tale & circa igniuomos montes eructatur variis terræ locis. Veſeui optimum cenſetur hodie. Eligatur candidum ac purum, vel niſi ſatis nitidum fuerit, purificari poteſt. Præſtantius habetur Antuerpianum, & Venetianum. Alchymiſtæ in ſuis libris varia & partim monſtroſa nomina, pro deſignando hoc ſale, adhibent: quibus referendis ſuperſedere liceat. Nominis ratio obſcura. Forte ab ἄμμος arena, quia olim credebatur ex vrina iumentorum in arenoſis Libyæ condenſari: aut a Ioue Ammone, ad cuius templum per arenoſos illos tractus iter faciendum eſt. Dicitur & *Sal mirabile* & *Clauis Metallorum*, quæ fluere facit. Signum eius Chymicis eſt aſteriſmus. G. Salmiac.

ARMORACIA, eſt thlaſpios ſpecies, quæ etiam raphanus ruſticanus vocatur. Plinius auctor eſt *armon* eſſe nomen

Ponti-

Ponticum: Græcis vocari raphanum ſiluestrem, ἄγριον. Germani dicunt Meerrettig, Gren.

ARNALDIA, eſt nomen morbi maligni, lenti, & chronici, quondam in Anglia familiaris, in quo capillorum defluuium maxime notabatur, &c. vnde ſpecies luis Gallicæ videri poſſet, prout in initio in his regionibus ſæuiit.

ARNICA, eſt planta officinalis, cuius hodie vſus valde quibusdam locis eſt celebris, magis tamen a plebeiorum experimentis, quam ex priſcorum medicinæ auctorum commendatione. Quidam *Aliſma*, alii *Damaſonium*, rurſusque alii *Doronicum plantaginis folio* appellant. Alia vero alii imponunt nomina. Germani vocant wulverley, quaſi wohl vor Leid. Ad eam enim confugiunt, quicunque ex vehementi motu itemque ex lapſu & contuſione male ſe habent, atque ab eius decocto celerem & conſpicuam opem conſequuntur vnde *lapſorum panacea* a quibusdam vocari meruit. Creſcit locis humidis ſed apertis, folia plantagini non multum diſſimilia habet. Iunio menſe caulem cubitalem emittit, floribus pulcris radiatis exornatum inſtar chryſanthemi. Vbi defloruit diſcus ſemina pappis inſtructa ad maturitatem perfert.

ARNOGLOSSVM, eſt *plantago* ſeu *agnina lingua*, quia eius folia linguæ agninæ ſimillima ſunt. Ex ἄρς agnus, & γλῶσσα lingua. Dicitur & polyneurum a neruorum, quibus quaſi coſtis per longitudinem folia eius diſtincta ſunt, multitudine. G. Wegerich, Wegebreit, Schaffzunge.

AROMA, eſt corpus vegetabile, gratum fortemque ſpirans odorem, vt caryophylli, cinnamomum, ex ἀρ vel ἀρι particula intenſiua, & ὄζω oleo, ὀδμή odor. G. Gewürtz, Specerey.

AROMATOPOLA, eſt is, qui aromata diuendit, *Aromatarius* dictus. G. Ein Würtzkrämer, Materialiſt.

ARONIA & ARIA, eſt *Meſpilus*, an ab Arona Galliæ fluuio?

ARQVATVS MORBVS, ſeu ARCVATVS, idem quod *Icterus*.

ARSENICVM, de quo *Dioſcor. l. 5. c. 121.* & *Plin. l. 34. c. 18.* dicitur quaſi ἀρσενικὸν, id eſt, maſculum quiddam, vel ἀῤῥενικὸν, ut placet *Euſtathio*, unde maſculinum genus Grammaticis ἀρσενικὸν γένος. Penult. corripit vt cætera adiectiua in ικος, πρακτικὸς, καθαρτικὸς, φυσικὸς, ἰκτερικὸς, φθισικὸς, &c. Arſenicum vero, eſt corpus venenatiſſimum, album, cryſtallinum, ponderoſum, triturabile, arte factum, dum

 cobalti

cobalti cum alcali fixo & ſilicibus in ſmaltum fuſio paratur. Adſcendens flos dat arſenicum album crudum, quod clauſo vaſe, igne valido, fuſum, exhibet arſenicum album venale. Si vero flos arſenicalis cobalti funditur cum decima ſulphuris communis parte, *arſenicum citrinum* fit, venenatum, ſollicite diſtinguendum ab *auripigmento*, cum lethale ſit vi indomabili: ſed quoties flos idem cobalti, quintæ ſulphuris parti ad ignem fuſus admiſcetur, naſcitur illico *arſenicum rubrum*, venenatum, quod diſtinguendum eſt ab arſenico & ſandaracha veterum. G. Rattenpulver, quia mures gliresque hoc comeſto moriuntur.

ARTEMISIA, penult. corripit, quia ſemper Græcis ſcribitur Ἀρτεμισία ſine diphtongo, videatur *Dioſcorid. lib. 3. c. 127. & 128.* Artemiſia, planta eſt, quæ habet caulem quatuor circiter pedes altum, ramoſum, durum, lignoſum, fractu difficilem, parum villoſum, vt plurimum ad rubrum vergentem; folia in acutas lacinias diuiſa inſtar abſinthii; ſed latiora, ſuperne viridia, inferne alba, odorifera, ſaporis dulcis parum ad acredinem vergentis; flores erecti, minimi, villoſi, albidi, vel purpuraſcentes, odorati; radix longa & inſtar digiti craſſa, lignoſa, ſaporis ſubdulcis & aromatici. Si Plinio credimus, ab Artemiſia, Mauſoli Cariæ regis vxore, quæ hanc ſibi adoptauit, nomen accepit. Antea *parthenis* dicta, hoc eſt, *viriginalis*, quia virgo dea nomen illi dederit. Sunt enim qui ab Artemide (id eſt Diana Ilithya) cognominatam putant, quoniam priuatim medeatur fœminarum malis. G. Beyfuß, St. Johannsgürtel.

ARTERIA, eſt vas conoides, in corpore noſtro viuente, ſe attollens, atque viciſſim ſe ſubmittens, e corde magno trunco oriundum, ſenſim in minores ramos diuiſum, conſtans pluribus tunicis; quodque extremitatibus ſuis vel extra corpus, vel intra caua corporis hiat, vel in alia vaſa deſinit, ſanguinem e corde ducens verſus extrema. Dictum quaſi ἀερτηρία, ab ἀήρ, *aer*; & τηρέω, *ſeruo*, *aſſeruo*. Vetuſtiſſimi enim phyſiologi & medici arteriis non ſanguinem contineri credebant, ſed ſpiritum, ſeu aerem, qui reſpiratione ductus in pulmones, ad cor & arteriam magnam perueniat, & per hanc toti corpori diſtribuatur. Hæc antiquiſſima perſuaſio diutiſſime hæſit in ſchola Eraſiſtrateorum, contra quos Galenus aciter diſputat, vt opinionem hanc animis hominum euellat.

ARTERIA COELIACA; vide *Cœliaca Arteria.*

ARTERIA MAGNA, idem quod *Aortă.*

ARTERIA TRACHEA, vide *Aſpara arteria.*

ARTERIA VENOSA, veteribus ſic vocata, hodiernis eſt vena pulmonalis, ſiue illud vas, per quod ſanguis ex pulmonibus in ſiniſtrum cordis centriculum tranſit. duas habet valuulas mitrales, a figura dictas; non eſt vna vena, ſed a ſiniſtra cordis auricula prodit; deinde primo in quatuor, poſtea in innumeros ramos, per pulmones diſtributos diuiditur; ſiue potius formatur ab infinitis venis, ex finibus arteriæ pulmonalis ortis, quæ ſanguinem ex his acceptum reuehunt in quatuor magna vaſa, inde in ſinum venoſum pulmonalem. Hinc ſatis improprie quaſi vna vena conſideratur, cum ex quouis lobo pulmonum duo magna vaſa oriantur, in ſinum venoſum deſinentia. G. Lungenader.

ARTERIACA, medicamenta ſunt, quibus ad vocis læſionem & tracheæ vitia ſolemus vti, & ab arteria trachea nomen accepiſſe videntur. *τὰ τῆς ἀρτηρίας τραχείας φάρμακα*, Arteriæ aſperæ medela.

ARTHANITA, ſi Græco fonte cadat, penult. producet, quia ab *ἀρτάνη* deducetur, quod eſt laqueus, lorum, quippe caulibus ſuis tanquam laqueis, ſeu capreolis vicinas arbores inuoluit, quod & *Dioſcoridi l. 2. cap. 95.* obſervatum. Deriuata autem in ITES penult. prod. iam ante pluribus demonſtratum eſt, vide *abrotonum.* Arthanita, vulgo ſic vocatur in officinis planta, quæ Latinis *Cyclaminum, panis porcinus, vocatur.* Eſt herba quæ habet folia ſubrotunda, ampla, ſingularia in vno pedunculo, qui ex apice tuberoſæ radicis oritur. Pedunculi floriferi, ſimili ortu, ex ipſo tuberis corpore enati, finis abit in tuberculum, cui adnaſcuntur ſegmenta quinque, folioſa, magna, profunde ſecta, calicem formantia, flos parte inferiori tubuloſus, monopetalus, ſupra diuiſus in quinque amplas, longas, ad ima usque ſectas partes, quæ retroflexæ circa pedunculum ſe colligunt; donatur quinque ſtaminibus teſticulos gerentibus tubæ arcte appoſitos. Ouarium in fundo calicis ſphæricum, inſtructum tuba longa, donata apice tenui, membranaceum, habens in medio placentam ſuſtinentem multa ſemina, rotunda, diuiſum in aliquot partes, per maturitatem dehiſcentes. Radix tuberoſa, craſſa, orbiculata, carnoſa, externe nigra, interne albicans, ima parte fibrillas dimittens; ſaporis acris eſt, pungitiui, exurentis, vbi exſiccata, ingrati. Creſcit in Italia & Germania in ſyluis. Obſeruatur, quod ſemen aquæ commiſſum, non vt alia ſemina in plantam, ſed in bul-

bum prius creſcat, vnde deinde planta demum emergit. Ex hac radice paratur vnguentum officinale, quod *de arthanita* in officinis vocatur, & purgando ventri illinitur. G. Schweinbrodt, Säubrodt, Erdwurtz.

ARTERIOTOMIA, eſt arteriarum ſectio artificialis, ad ſanguinem in cephalæa, mania, epilepſia, oculorum auriumque dolore & inflammatione euacuandum. Sectio illa fit in fronte, temporibus vel pone aures: modum incidendi a chirurgiæ ſcriptoribus oportet petere. Ex ἀρτηρία arteria, & τέμνω ſeco. G. Oeffnung der Pulsader.

ARTHETICA, barbaris idem quod *Arthritica.*

ARTHETICA, eſt herba chamæpitys, vel primula veris.

ARTHRITIS ſiue MORBVS ARTICVLARIS, circa duos, tres, pluresue articulos ſiue oſſium internodia, ſuas tragœdias exercet. Eſtque dolor circa articulos, tenſiuus, dilacerans, coarctans, vere & autumno maxime reuertens, ortus ab obſtructione in vaſis minimis circa has partes, vnde nerui, tendines, ligamenta, perioſtea corrugantur, & miſerrime crucientur, vnde tumor, rubedo, tophi, aliaque ſymptomata concomitantia. Eſtque quadruplex; *chiragra* in manibus; *iſchias* in aut circa os ilium: *gonagra* in genubus; & *podagra* in pedibus: habet & alia varia nomina pro parte affecta vt *dentagra*, *omagra*, &c. Vox *arthritis* deriuatur ab ἄρθρον articulus. Vnde *arthritica medicamenta*, quæ arthriticis doloribus ſubueniunt. G. Zipperlein, Gicht, Gliederwehe.

ARTHRITIS PLANETICA, idem quod *Arthritis vaga*, a πλανάω vagor.

ARTHRITIS VAGA, eſt morbus articularis, quo dolor vehemens cum tumore & rigore nunc in vno membro eſt, nunc in altero. *Vaga* dicitur *arthritis*, ex eo quod conſtanter vno loco non continuatur, vt *arthritis fixa*, ſed nunc in hac, nunc in illa parte ſentiatur. G. Fliegende Gicht, lauffende Gicht.

ARTHRODIA, eſt oſſium articulatio, cum nempe cauitas excipiens eſt in ſuperficie, & capitulum quod excipitur, depreſſum eſt, vti articulatur ſcapula cum humero. G. Zuſammenfügung der Beine.

ARTHRON, Græce ἄρθρον, eſt articulus, ſeu oſſium connexio, motibus obeundis accommodata. *Articuli* etiam dicuntur digitorum internodia, Gr. σκυταλίδες φάλαγγες. G. Glieder, Gliedmaſſen.

ARTHRO-

ARTHROSIS, idem quod *articulatio.*

ARTICOCA & ARTICOCALVS, eſt *Cinara*, quæ & *Scolymus.* G. Artiſchocken.

ARTICVLATIO, eſt coniunctio oſſium inter ſe inuicem, ad motum peragendum. Eſtque duplex *Diathroſis* ſiue *Articulatio laxior* & *Synarthroſis* ſiue *Articulatio ſtrictior.* Gr. ἄρθρωσις. G. Gelencke der Beine.

ARTICVLI, ſunt plantarum partes, quæ in nodos quosdam intumeſcunt, a quibus perſæpe ramuli prodeunt. G. Glieder, Knöpffe an den Pflantzen.

ARTOMELI, eſt captalaſmatis ſpecies, quod ex pane & melle paratur, ex ἄρτος panis, & μέλι mel. G. Eine Pappe von Honig und Brodt.

ARTVS, ſunt membra, ventribus adnata & articulis diſtincta. Vide *Arthron.*

ARVM, Gr. ἄρον. Character huius plantæ idem fere, qui colocaſiæ. Habet vero arum folia oblonga, ampla, triangularia, aurita & ſagittata, ſplendentia, adnata pedunculo affixo in poſtremo foliorum; flos anomalus eſt monopetalus, auris aſininæ inſtar, in medio eminet piſtillum, quod obſcœnam figuram repræſentat; radix rotunda, tota alba, nucis iuglandis magnitudinis, ſaporis acris, adeo cauſtica eſt, vt maſticata fauces magis, quam piper adurat, ſitimque vixdelebilem excitet. G. Pfaffenpint, Teutſcher Ingwer.

ARVNDO, ſeu HARVNDO. Genus plantarum eſt quod tantum a gramine differt ratione caulis & foliorum; habet caulem altum, nodoſum, & excauatum; folia longa, ſatis lata, rigida, aliquantulum aſpera, flores exiguos, molles; in initio coloris purpurei, poſtea cineritii; ſemina pappoſa; radices multas, longas, nodoſas, ſerpentes: hæc planta creſcit in paludibus. Dantur variæ arundinis ſpecies; forte denominatur, quod ad vndas ſeu aquas fluctuantes, creſcat. G. Rohr, Schilffrohr. Gr. Κάλαμος.

ARYTÆNOIDES, ſeu GVTTALES, & GVTTVRNIFORMES, ſunt cartilagines duæ, quæ laryngis caput, vna cum aliis cartilaginibus, conſtituunt. Imponitur hoc nomen quoque muſculis quibusdam laryngis ab his cartilaginibus prodeuntibus. Ab ἀρύω haurio, fit ἀρύταινα hauſtrum, gutturnium, & ab hoc & εἶδος, forma, compoſitum. G. Der Gießfaßgleiche Knorpel.

ARRHYTHMVS, Gr. Ἄῤῥυθμος, eſt pulſus ſine modulo, ex α priv. & ῥυθμός modulus: proprie notat pulſum, qui

qui nullum rhythmum, ordinem aut proportionem obſeruat, non vero plane abolitum pulſum, cui opponitur eurythmus, rhythmum certum obſeruans: Arrhythmi ſpecies obſeruantur tres a Galeno; Pararrythmus, quando vicinæ ætatis rhythmum obſeruat: Heterorrhythmus qui plane alterius ætatis rhythmum ſeruat; Ecrythmus, qui plane alterius ætatis ordinem tenet. dicitur etiam κακόῤῥυθμος, qui prauum rythmum habet. Vide *Rhythmus*. G. Ein ſehr unordentlicher Pulß.

AS, in genere notat vnum, & diuiditur in duodecim vncias. Sic as libralis, id eſt numus æreus, aut æs rude, quod libram pondere æquat, duodecim vncias habet. Hinc eſt diminutium ASSARIVM Gr. ἀσσάριον, quod duas drachmas valet.

ASA DVLCIS, idem quo *Benzoin*.

ASA FOETIDA, eſt gummi, ex planta olim parum cognita, de qua hæc habet doctiſſimus KAEMPFFERVS: *Hingiſch* aſam fundens eſt planta umbellifera, leuiſtico affinis, foliis inſtar pæoniæ ramoſis, caule pleno maximo, ſemine foliaceo, nudo, ſolitario, brancæ vrſinæ vel paſtinacæ ſimili, radice aſam fœtidam fundente. Patria eius ſola eſt Perſia, non Media, Lybia, Syria, aut Cyrenaica regio; vnde ex hoc capite facta ſucci apud authores diſtinctio eſt inanis. Illa planta potiſſimum, quæ circa Heraatum campeſtre deſertum occupat, & quæ creſcit in montibus vicinis, territorio & oppido Diſguum, ſucci ferax exiſtit. Aſa fætida nulla ex caulibus vel ſponte fluit, vel arte exprimitur, ſed ex radice manat ſauciata. Hæc autem radix miræ eſt longæuitatis, magna, ponderoſa, nuda; exteriori vultu nigra, in ſolo limoſo læuis, in ſabuloſo ſcabra ac quadantenus rugoſa, ut plurimum paſtinacæ inſtar ſimplex, ſæpe paulo a capite duabus vel pluribus diuaricationibus brachiata, aliis perpendiculariter demiſſis, aliis incondite & in obliquum extenſis, prout ab obiectis flectuntur. Radix hæc quadriennio minor parum lacteſcit, & nunquam ſecatur, quo autem vetuſtior & maior eſt, eo maiorem impertitur lacrymæ copiam. Exemta tellure, ſi vel poſtridie ſecatur, lacte tamen ſtillabit, adeo nimirum ſucco diffluit, a quo inſolens pondus obtinet. Succus eſt vtriculis ſuis recens emanans candidiſſimus, liquidus & pinguis eſt, flori lactis dulcis exacte ſimillimus, adeoque omnis exſors lentoris, ad aeris vero ſolisue contactum, colorem ſubfuſcum induit, & coaleſcens lentorem quoque. Fætor, virtutis index, quo maior eſt eo meliorem aſam teſtatur. At ille in recenti lacryma vehementiſſimus eſt, cum eo, quem

quem concreta & antiquior redolet, qualem Europa recipit, nullatenus comparandus. Affirmare auſim, inquit autor, vnam drachmam recens effuſam maiorem ſpargere fœtorem, quam centum libras vetuſtioris, quem ſiccum venundant aromatarii noſtrates, ſucci. De virtute medica huius plantæ, dicit, Perſicos medicos, ob delicatum nationis genium, ab vſu eius fere abſtinere, ruſticis ſaltem in colicis torminibus & hydrope, præſertim tympanitide, curanda vſus innotuit. Vulnera ex impoſito recenti ſucco coaleſcere dicuntur ad miraculum &c. dicitur & laſer, ſtercus diaboli.

ASAPHIA, eſt vocis obſcuritas, ex laxa aut mala organorum conſtitutione aut contemperantione, ex α ptiv. & σαφὴς manifeſtus.

ASARVM, *Dioſcoridi lib. 1. c. 9.* ἄσαρον, penult. corr.

Agaricumque, aſarumque potens, aloenque aconitum.

Vindician. 55. Aſarum, eſt planta officinalis, ſatis humilis, quæ habet folia inſtar hederæ, ſed magis orbicularia, cum deliquio ab vna parte, polita, tenera, coloris viridis ſplendentis, auris humanæ figuram referentia, caulibus ſatis longis adhærentia; finis pedunculi porrigitur in ouarium, cuius ſuperior pars excurrit in calicem trifidum profunde ſectum, ex centro apicis ouarii erigitur tuba craſſa, cylindrica, deſinens in ſex recuruos biſectos apices. Ex ambitu imæ tubæ accreta circumponuntur eleganti ordine ſtamina duodecim, inſtructa teſticulis, fæcundantibus tubam dictam, patentem vsque in caua ouarii, quod hexagonum diuiditur in ſex loculos diſtinctos, in quibus gigarti hærent; flos quinque ſtaminibus donatus, purpureus; radix perennis, fibroſa, parua, repens, anguloſa, nodoſa, incuruata, filamentoſa, ex fuſco rubeſcens, odoris fortis & grati, ſaporis acris nauſeoſi, & aliquantulum amari cum aliqua adſtrictione; creſcit in montibus, vt & in hortis: vi vomitiua donatur hæc planta. Sic dictum volunt, quod in ornatum non veniat, quoniam in coronas & ſerta non addatur; ex α priv. σαίρειν mundare, ornare, vertere: dicitur & Nardus ſylueſtris quia radicis odor ad nardum accedit. G. Haſelwurtz, quia circa corylos ſuccreſcit.

ASCARIDES, ſunt exigui rotundi vermes, qui in inteſtino recto plerumque hoſpitantur in ſuis nidulis, cui titillationem & moleſtiam inferunt, ab α intenſiuo & σκάιρω, ſalio, motito, quia agili motu agitantur & continua reptatione moleſtiam creant. G. Kleine Bauchwürmer.

ASCIA,

ASCIA, ad vinculi & deligationis ſpecies refertur, quæ parum a recto declinat, in obliquum tamen nondum vergit inſigniter.

ASCITICVS, qui hydrope aſcite laborat.

ASCITES eſt hydrops, ſiue collectio lymphæ effuſæ in cauo abdominis inter peritonæum & viſcera abdominis; vnde oritur abdominis tumor; & lympha hæc fluctuat ad diuerſam corporis inclinationem, quo diſtinguitur ab *Anaſarca.* Ab ἀσκὸς vter, quia vtris in modum venter diſtenditur. G. Die Waſſerſucht.

ASCLEPIAS, eſt *hirundinaria* ſeu *vincetoxicum*, habet caules rotundos, flexiles, ſæpe parte ſuperiori plantas vicinas ambientes, folia coniugata, bina, caulium nodis aduerſa, oblonga, polita, ampla, acuta; flores monopetalos, ad ſuperiora diuiſos, ita, vt frænulum pentapetalum referant, coloris albi, odoris grati; poſt florem ſuccedit fructus, duabus ſiliquis membranaceis conſtans, oblongus, acutus, per maturitatem dehiſcens iuxta longitudinem, continens ſemina plura, papposa, lanugine criſtata, & multiplici ſerie imbricatim ſibi inuicem incumbentia, coloris rubicundi vel rufi: radix tenuis, fibroſa, albicans, odoris grauiuſculi, penetrantis, ſaporis acris, amaricantis, aliquantulum nauſeoſi; dat ſuccum lacteo virideſcentem; hæc planta creſcit in montibus & ſyluis. Famigeratiſſimum antidotum. Ab Æſculapio antiquo medicinæ authore nominata eſt. G. Schwalbenwurtz.

ASCYRVM, eſt hyperici ſpecies, & hoc perfectiſſime refert, ſed vaſculum ſeminale quinqueloculare habet; ſignificat durum fœnum, vnde G. Harthew, Gr. a contrario huic nomen impoſuiſſe videntur, σκῦρ@ enim illis aſperitatem ſignificat, quaſi planta non aſpera ſiue glabra, quia vi emolliendi pollet.

ASELLVS PISCIS, dictus a colore aſini. G. Stockfiſch.

ASEMA, Gr. ἄσημα, in genere ſignificant, obſcura & præter ſpem & ordinem conſuetum euenientia. Sic criſis aſema (κρίσις ἄσημ@) vocatur, quæ extra diem criticum, & ſine ordinariis prægreſſis ſignis, accidit morbi præter ſpem mutatio. Ex α priv. & σῆμα ſeu σημεῖον ſignum.

ASITIA, ſiue ANOREXIA & APOSITIA, eſt alimentorum abhorrens faſtidium, ex α priv. & σῖτ@ alimentum, frumentum. G. Der Eckel für Eſſen.

ASO-

ASODES, vide *Aſſodes*.

ASPALATHVS, Dioſcoridi ἀσπάλαθος pen. corr.

Aſpalathum, gallam, elleborum, nigrumque bitumen.
Vindician. v. 49.

ASPALATHVM LIGNVM. Huius plantæ eſt florum magna ſuavitas, ſuntque multi & parui. Ipſa planta frutex eſt denſis ramis, ſpinis albis, duris, horridis cortice caudicis albo, ad trium cubitorum & maiorem altitudinem in altum aſſurgens. Verum medici qui ante nos fuerunt, aſpalathum neſcientes, *citrinum* ſubſtituerunt *ſantalum*, vel *meum*. Videtur dictum παρὰ τὸ μὴ ῥᾳδίως ὑπὸ τῶν πληγέντων ἀποσπάσθαι ἤτοι ἀφαιρεῖσθαι, quod non facile euelli ſiue eximi queat e corpore eorum, qui in eam impegerunt, eſt enim frutex multis ſpinis horrens. *Plautus* ait tyrannos aſpalathi ſpinis apud inferos laniari. *Theocriti Schol.* eſſe ſpinæ genus ait venenatæ. ἀποσπάω eſt auello, abſtraho.

ASPARAGVS & ASPARAGOS, pen. corr.

Ῥάμνου τὰ ἀσπαράγους θαμνίτιδος, ἠδ᾽ ὅσα πεῦκαι. *Nicand. Theriac.*

Aſparagi poſito quos legit villica fuſo. Juuenal. Sat. xi.

Aſparagus, eſt planta culinaris & officinalis, quæ habet caules craſſos, rotundos, firmos, rectos, folia non habentes, in initio virides, deinde albos, edules: folia, vbi creſcit, habet tenuiſſima proxima fœniculi foliis, flores roſaceos, hexapetalos, nudos, ſex ſtaminibus præditos, campanulam oblongam referentes; ouarium natum ex placentula hærente in pedunculi apice intra florem, fit bacca rotunda, mollis, rubra, includens ſemina dura, orbicularia, corneæ duritiei, ſaporis ſubacris, ſubdulcis, odoris nullius: radix numeroſa, longa, parua, ſpongioſa, rotunda ex vno capite in æquali in plures fibras ſeſe diffundens, externe coloris griſei, interne albi, ſaporis ſubdulcis, ſubacris, odoris nullius, vrinas valde inficiens. Ἀσπάραγος in genere Græcis eſt, quod primum in lucem prodit oleris germen, priusquam in folia explicetur, ſiue recentiſſimus turio, qui edendus eſt, ut lactucæ, lupuli, betæ, omnia etiam germina & recentes cauliculi τῶν θάμνων aſparagi dicuntur. Non improbabile videtur nomen ipſi eſſe datum a græco σπαράττειν, *trahere*, *diſtrahere*, & α priuatiuo, quoniam turiones primum prodeuntes nondum ſunt diſtracti in folia tenuiſſima, quæ deinceps enaſcuntur. G. Spargel.

ASPERA ARTERIA, ſeu TRACHEA, Gr. τραχεῖα, eſt fiſtula oblonga ex cartilaginibus variis & membranis conſtans, quæ a gutture, ſiue faucium imo incipiens, gulæque

ante-

anterius incumbens, inque pulmones deſcendens, per totas eorum compagines ramificatione multiplici diſpergitur. Superior pars *larynx*, inferior vero *bronchus* appellatur: quibus & tertia ſiue infima, *a Malphighio veſicularis* dicta, additur; inſeruit aeri transmittendo per os vel nares accepto, voci & reſpirationi. Aſpera vocatur arteria, quoniam cartilaginibus interpoſitis aliquantum riget & ſic ad tactum reſiſtit. Opponuntur ipſi arteriæ læues, λεῖαι, cartilagineis fibris carentes, quales ſunt omnes, quæ non deducuntur ab arteria aſpera. G. Die Lufftröhre.

ASPERGVLA, vel ASPERVLA, eſt ſpecies Aparines, & folia fere eadem habens, ſed parum latiora, & minus aſpera, parum villoſa, ex caule ſtellatim numero ſex vel ſeptem prodeuntia. Flores in ſummitate caulis creſcunt, in quatuor partes inciſi, coloris albi; ſuccedit fructus, qui continet parua duo ſemina, agglutinata, quæ ſunt fere rotunda, in medio excauata: radix parua, fibroſa, in terra repens. Habet hæc planta odorem valde gratum; hinc dicitur culcitra virginis. Aſperula dicta, quod ob aſperitatem prætereuntium veſtibus adhæreat.

ASPHALATVS, vide Aſpalathum.

ASPHALTOS, ASPHALTIVM, & ASPHALTVM, eſt bitumen, aut reſina macrocoſmi, picis inſtar durum &c. ſupernatare primum aquis conſpicitur, ſeu lacubus, hinc ad littora propulſum ſolis ardore, ignis vi, vel & temporis mora excoctum concreſcit, denſatur, tenaciſſimumque redditur & ſplendens, fuſile iterum eſt ad ignem, miſcibile ad pinguitudinem olei affuſi, & inflammabile. Praefertur reliquis. *Iudaicum bitumen*, quod mortui maris (Ἀσφαλτῖτις. propterea dicti,) genitura. Præſtat quod purpuræ modo ſplendet (ſc. in nigrore) eſtque ponderoſum, & validum odorem vibrat; nigrum autem & ſordidum vitioſum eſt. Ab Aſphaltitide lacu (mortuum mare vocant) vbi plurimum colligitur, derivatur. Orientales id vocarunt Mum, Mumia. Apud Perſas hodieqve celebris eſt Mumia, quæ nihil aliud eſt quam aliqua ſpecies olei petræ, ſed vbi condenſatur nigrum fit concretum aſphalto ſimile. Nigrum vocatur piſſaſphaltum, quaſi aſphaltum piceum. Illud quoque nomen imponitur trifolio odorato ſeu bituminoſo, eo quod illud bitumen ſeu aſphaltum oleat. G. Erdhartz, Erdſchwefel, Jüdenpech.

ASPHARAGOS, idem quod *Aſparagus*: ſed loco π Attice ſcribitur cum φ.

ASPHENDAMNOS & SPHENDAMNOS, eſt Acer montanus, forte a Σφενδόνη funda. Ex Acere fiunt arcus,

cus, & quia vna vox ſæpe pro altera ſumitur, arcus fortaſſe pro funda ſumptus.

ASPHODELVS, pon. corr.

Ἄγρει ἀσφοδέλοιο διανθέος ἄλλοτε ῥίζαν. Nicand. in Theriac.

Aſphodelus, eſt planta officinalis, quæ habet caulem rotundum, politum, fortem, ramoſum, ſolia porri, ſed longiora, & anguſtiora; florem in baſin usqne fere diuiſum, nudum, ſtellatum, ouarium complectentem inſtar calicis. Ouarii apex emittit ſex ſtamina, & tubam longam ex centro: fit deinde fructus obrotundus, carnoſus, triangularis, in tria loculamenta, in quibus ſemina triquetra reconduntur, diuiſus. Radix multis tuberibus ab vno corpore pendulis, conſtat: ſaporis eſt amari & penetrantis: diureſi præcipue pollet. Dictam volunt, quaſi *σπόδελον, διὰ τὴν τῶν καιομένων νεκρῶν σποδόν*, *a mortuorum combuſtorum cinere.* Etenim in tumulis veteres aſphodelum ſerebant, ne deeſſet cibus mortuis. G. Affodill.

ASPHYXIA, eſt pulſus ſenſibiliter deficiens, ſiue potius pulſus priuatio, ſiue defectio, cum non percipitur noſtro tactui motus, atque hoc in omni parte, ita vt quo ad noſtros ſenſus, nulla vsquam arteria moueri videatur. Sumitur etiam pro *lipothymia & Syncope*, ſed in ſummo gradu, vbi omnia ſigna vitæ deleta quoad ſenſum, mortis imaginem ſimulant, ex *α* priv. *σφύζω* ſalio, pulſo. G. Eine tödliche Ohnmacht, da der Pulß aufhöret.

ASPIS, Serpentis ſumme venenati genus eſt: dicitur ab *α* priuatiuo. & *σπίζω*, ſibilo, quia non ſibilat.

ASPIDION, eſt clypeus paruus, *ἀσπὶς* enim eſt clypeus, ſic vocatur *Alyſſon Dioſcoridis*, quia ſiliquas habet rotundas & paruas inſtar clypei parui.

ASPLENIVM, ſcolopendrium, eſt planta, quæ habet folia polypodii, ſed minora, ſatis rotunda, verſus latus inciſa, lanuginoſa, puluerum ſquammoſum habentia, in quibus microſcopii ope apparent capſulæ membranoſæ ſibi inuicem incumbentes, ſingulæ inſtructæ funiculo rotundo, qui conſtrictione ſua hunc fructum in duas partes aperiens, ſemina quædam minima fundit. Radix eſt fibroſa: creſcit hæc planta in locis ſaxoſis, vt in muris, præſertim in locis calidis. Ita dicitur, vt veteres volunt, quod minuat lienem tumidum & obſtructum: vocatur quoque *Ceterach officinarum.* G. Miltzkraut.

ASPRELLA, eſt equiſetum maius, ſic ob aſperitatem dicta; ea enim ciſtæ & ſcrinia poliuntur. G. Zinnkraut, Kannenkraut.

ASSA

ASSA FOETIDA & DVLCIS, vide *Aſa.*

ASSARIVS, eſt veterum pondus, continens drachmas duas, vide *As.*

ASSATIO, ab ASSARE, eſt quædam coctio ſicca per ignem, vt eſt rhabarbari toſtio, ſcillæ in fornace coctio. G. Bratung, Röſtung.

ASSIMILATIO, eſt nutrimentorum aſſumtorum concoctio, attenuatio, cum liquoribus animalibus ſubactio, in formam nutriendo corpori aptam.

ASSIVS lapis. Apud CORN. CELSVM aliosque veteres ſæpe memoratus, nomen habet ab Aſſo Troadis vrbe. Eſt tophaceus & friabilis, vim habens carnes laxiores & fungoſas ſine morſu colliquandi. Hinc vocatur etiam σαρκόφαγος, quaſi carniuorus. Legitur veteres inde paraſſe ſarcophagos, id eſt ciſtas, quibus mortua corpora includerent, quæ intra quadraginta dies usque ad oſſa duriora conſumebantur.

ASSODES, eſt febris continua, in qua exteriora frigent, intus vero ardor adeſt, ſitis inſatiabilis, perpetua corporis iactatio, vigiliæ, delirium, &c. ab ἀσάομαι ſicco, exareſco, & εἶδος forma. G. Ein kalt Fieber.

ASTAPHIS, Atticis, vel STAPHIS, eſt vua ſolem paſſa, Σταφυλή enim eſt vua.

ASTER, eſt planta, quæ habet caules rectos, tenues, rotundos, duros, parum villoſos, coloris rubri; folia oblonga, villoſa, aſpera, ſaporis parum amari & aromatici. ex ſummitate caulium oriuntur ramuſculi, ex quibus flores radiatim diſpoſiti naſcuntur, pulchri, viſui grati, inſtar bellidis diſpoſiti, coloris cærulei, violacei, purpurei, aliquando albi. Flori ſuccedunt ſemina oblonga criſtata; radix eſt tenuis, fibroſa, acris, amara, aromatica parum. Gr. ἀστὴρ ſtella, quia flores eius ſtellæ in modum explicantur, vel vt alii ſcribunt, quoniam eius capitula, in quibus flores chamæmeli inſtar emicant, per ambitum diuiſa foliolis, ſtellæ modo radiata ſpectantur. *Attici* nomen ei tributum eſt, quod in Athenienſi agro frequentior vel melior, quam alibi proueniat: dicitur & *Aſterion*, & *Aſteriſcus*: Βουβώνιον ſeu inguinalis, quia inguinum præſentaneum eſt remedium. G. Meyerkraut, Bruchkraut, und Sternkraut.

ASTERION, & ASTERISCVS, vide *Aſter.*

ASTHMA, eſt reſpiratio difficilis, parua, & crebra cum ſtertore, & ſibilo. Atque hæc duo, phænomena ab aſthmate abeſſe nequeunt; tuſſis tamen primo ſicca, paulo poſt humida raro non adeſt, ſi vnquam abſit. Præterea anxietate laborant, & in-

& incedere, ſæpe etiam ſtare, nunquam absque incommodo in lecto decumbere, præſertim molli, nequeunt, ſed a loci anguſtia valde etiam læduntur, vnde feneſtras apertas volunt & libero aere frui. Nonnullis adeſt cachexia, vel febris, pleuritis, hæmoptoe, ventris diſtenſiones, colica, calculus, palpitatio cordis, animi deliquium &c. Aliquando periodicum eſt, & ſæpe ingruit ſuppreſſa euacuatione, qua durante non aderat, & hoc difficilius eſt, quo minus tuſſi phlegmata eiiciuntur, ab ἀσθμάζω anhelo. G. Engbrüſtigkeit, ſchwerer Athem.

ASTHMATICVS, eſt is qui *aſthmate* laborat. Vide *aſthma*. G. Engbrüſtig.

ASTRAGALOIDES, folia habet pinnata, in impar deſinentia; ſiliquam vniualuem cymbæ inſtar, ſemina reniformia: ſic dicitur, quia aſtragalo ſimilis eſt, ex Ἀστράγαλος talus, & planta huis nominis, & εἶδος forma.

ASTRAGALVS, eſt herba leguminoſa: habet caules exiguos, ſimplices, excauatos, rubicundos; folia multa parua, breuia, acuta, villoſa, pinnata, aliquantulum amara, bina quaſi coniugata, ad coſtam in folium impar deſinentia; flores leguminoſos, in ſummitate naſcentes, purpureos, aut aliquando albos, ſibi inuicem coniunctos; poſt florem ſequitur ſiliqua oblonga, rotunda, parua, rubicunda, fœta ſeminibus reniformibus. Radix eſt longa, dura, lignoſa, digiti craſſitiei, corticem craſſum, & fuſcum habens, intus alba eſt, ſaporis dulcis; hæc planta in ſuperiori parte ſe in plura capitula diuidit, tres vel quatuor digitos longa, quæ, niſi intimius examinarentur, viderentur aliarum plantarum radices. Creſcit circa vias, & diuiditur in ſiliquas longiores & bulbatas, vel inflatas, Nomen accepit a ſeminis forma Ἀστραγαλοειδεῖ, talum referente. Alii dictam hanc plantam volunt, quod radicem teretem in ſuperna, infernaque parte planam ac compreſſam habeat. Vel aſtragali nomen inditum ab adnatis appendicibus ſolidis duris, ceu cornua implicitis, ad ſimilitudinem flagelli.

ASTRAGALVS, ſiue OS BALISTÆ, eſt primum os, tarſum vna cum aliis ſeptem oſſiculis in pede conſtituens, quodque baſis inſtar oſſibus tibiæ ſubiicitur, ſex habens latera, quibus mediantibus connectitur oſſibus vicinis, ab ἀστράγαλος talus. G. Der Knod oder Sprung. Item, das Ferſſenbein.

ASTRANTIA, folia habet quinquifida, digitata inſtar ſaniculæ; florem roſaceum, vmbellatatum, plurimis ſcilicet pe-

petalis conſtantem, apice plerumque reflexo, in orbem poſitis & calici inſidentibus, is autem abit in fructum ex duabus ſiliquis compoſitum, membranaceis, oblongis, plicatis, contortis, ſtriatis, quarum quæuis continet ſemen oblongum, & anguſtum. Radix eſt fibroſa, nigra, vni capiti adhærens. Creſcit in ſyluis: dicitur & *Magiſtrantia*: ſunt corruptæ voces. Dicitur & *Oſterutium* ſiue ſeu *Oſtrutium Imperatoria* nigra.

ASTRICTA ALVVS, vide *Aluus Aſtricta & Coproſtaſia.*

ASTRICTORIA, vide *Aſtringentia.*

ASTRINGENTIA, ſeu ADSTRICTORIA, ſunt quæ particularum ſuarum craſſitie & figuratione prædita, corporis partes inter ſe cogunt & conſtringunt. Gr. Στυπτικά. G. Zuſammenziehende Artzney.

ASTRION, eſt herba dicta *Stellaria* & *Stella*, ſeu *Cornu cerui*, quia eius plantæ folia in modum ſtellæ humi decumbunt. ἀστὴρ enim eſt ſtella.

ASTROLOGIA, eſt doctrina de aſtris, eorumque influentiis, viribusque in corpus non tantum humanum, ſed in quæuis terreſtria, quæ veteres aſtronomi Ægyptii miræ efficaciæ finxerunt, a quibus ad medicinam poſtea ineptiſſime horum cognitio translata eſt, dum ex influentiis aſtrorum, cauſas morborum, ſanitatis, medelarum, longæuitatis, explicare cœperunt, ex ἀστὴρ & λέγω dico. G. Sternkunſt.

ATAXIA, in genere priuationem vel defectum ordinis decentis ſignificat, in ſpecie eſt defectus in requiſito ordine dierum criticarum, ſecundum veterum hypotheſin. Pulſus quoque dicitur ἄτακτος, inordinatus, qui nullum magnitudinis, celeritatis, aut æqualitatis ordinem obſeruat; cui opponitur ordinatus, contrario modo ſe habens: ſic & febris erratica dicitur ἄτακτος, quæ nullum ſeruat typum vel ordinem in periodis ex α priv. & τάσσω ordino.

ATAXMIR, dicitur cura oculi, quæ adhibetur, quando pili præternaturaliter in palpebris oculi ſub pilis naturalibus excreſcunt, ipſique oculo nocent. Vox eſt arabica ad *Albucaſe* vſurpata.

ATECNIA, ex α priv. & τίκτω pario, idem quod *Agonia.*

ATHANASIA, eſt *Tanacetum*, ſic dicta, quod eius flores non facile marceſcant. Hoc nomine etiam dicitur compoſitio quædam vetus opiata, electuarii conſiſtentiam habens,

bens, quæ adhuc hodie in quibusdam officinis proſtat. Ex α priv. & θάνατος mors.

ATHANATOS, eſt *lychnis coronaria*, ſic appellata quod eius flores colorem viuidum diu retineant. Ex α priv. & θάνατος mors.

ATHANOR, eſt furnus chymicus. Aliis habetur fornax ſublimatoria, lapidi philoſophorum elaborando inſeruiens. Dicitur *piger Henricus*, & vterus chymicus. G. Ein Ofen genant Fauler Heintz.

ATHENATORIVM, eſt coopertorium ſpiſſum vitreum ſuper cucurbitam, habens collum gracile & ſpiſſum quod intrat cucurbitam, neutiquam illam ambiendo; inſeruitque præcipue ſublimationibus.

ATHEROMA, Gr. ἀθήρωμα eſt tumor propria tunica materiam pultaceam continens, indolens, digitis non facile cedens, nec preſſius cauitatem relinquens, natus plerumque in folliculo adipoſo, vel in cauernis glanduloſis, a materia tali collecta, vel ſtagnando ſic facta: ab ἀθήρα pultis genus. Ein Breygeſchwulſt.

ATHYMIA, eſt animi defectio & anxietas, ex α priv. & θυμὸς animus G. Ohnmacht.

ATLAS, eſt vertebra prima colli, immediate capiti ſubiecta; ſic dicitur quia caput ſuſtentare videtur corpore & apophyſi ſpinoſa caret; eius ſubſtantia reliquis ſolidior; ſupra & infra recipit, & non recipitur. Caput in eius anteriori parte articulatur, quo in articulo caput flectitur & extenditur. Foramen proprium eſt omnium maximum; proceſſus transuerſales reliquis longiores; peculiare quoddam ligamentum habet ſemicirculare, quod proceſſum dentiformem ſequentis vertebræ amplectitur, ab ἀτλάω ſuſtineo, perfero. G. Der Atlaswirbel.

ATOCIA, ſeu ATECNIA, eſt ex α priv. & τίκτω pario; Vide *Agonia*.

ATOMVS, eſt minima ſiue vltima corporis particula ex quarum congregata in vnum multitudine, corpus quoduis ſui generis componitur; & in quam, ſi ſeparantur partes iterum ab inuicem, vltimo diſſoluitur. Talis ergo particula eſt in diuiſione vltima; ergo vlterioris diuiſionis vera actione incapax, vnde conſtantiſſima talisque ſemper permanens; qualem pro principio omnium corporum aſſumſit Epicurus. Verum vſurpatur hæc vox plerumque laxiori ſenſu, qua denotantur particulæ corporum ſubtiles, quæ ſolæ ſpectatæ ſenſus humanos fugiant, adeoque indiuiſibiles noſtra poteſtate habentur; ex α priv. & τέμνω ſeco. G. Unzertrennlich Stücklein.

ATONIA, eſt languor, infirmitas & remiſſio virium ex α priv. & τείνω tendo. G. Schlappichkeit.

ATRA BILIS, vide *Melancholia.*

ATRAPHAXIS, Latinis *atriplex.*

ATRAMENTUM. Scriptorium quid ſit, omnibus hodie notum eſt. Veteres atramentum vocabant chalcanthum, quod nos hodie vocamus vitriolum. Sæpe cum additamento vocabant atramentum ſutorium. G. Victril, Vitriol.

ATRACTYLIS, eſt Cardui, ſeu cnici ſylueſtris ſpecies, ſic dicta, quod ex eius ſcapo longo, læuique, ruſticæ mulieres fuſos conficiant. Ἄτρακτος eſt fuſus. G. Feldſaffran.

ATRETUS, eſt cui anus aut genitalia non ſunt perforata, ſiue id ex natura fuerit, vel morbo; carne videlicet aut membrana ſupercreſcente, & meatum obſtruente. Ex α priv. & τιτράω perforo. G. Dem der Ars iſt zugewachſen. Id vitii genus vocatur *atreſia*, quaſi imperforatio.

ATRIPLEX, eſt oleris genus: planta eſt, quæ habet olia ampla, acuta, betam referentia, ſed minora, molliora, pulverem farinaceum habentia, coloris pallide virentis, ſaporis inſulſi. Calix eſt pentaphyllus; flores ſunt parui, flaui, monopetali, quinquifidi, alias ſtaminibus quinque præditi; in centro ſemen orbiculatum planum, vel quodammodo ouatum, ſaporis, dum recens eſt, nidoroſi. Eſt & capſula inuolutum, in iis, vbi flos fructui contiguus: vel ouarium ſubrotundum, tubis ſuis inſtructum, arcte comprehenditur a duobus foliis angulatis ſeu cordiformibus, planis, in iis, vbi flos mas a fructu remotus eſt. Radix recta, longa, fibroſa. Hæc planta colitur in hortis: videtur corrupta vox a voce Atraphaxis. Gr. Ἀτράφαξις, & χρυσολάχανον. G. Melte, Milte.

ATROPHIA, ſiue TABES, φθόη, φθίσις, φθινὰς νόσος τηκεδὼν, πύη *Aretæo.* Eſt cum totum corpus, vel aliqua pars, alimentis non reficitur, ſed ſenſim gracileſcendo emarceſcit. *Tabes* ſæpe tantum ſumitur, pro vlcere pulmonum, quo corpus vniuerſum ſenſim colliqueſcit, ex α priv. & τρέφω nutrio. G. Das Schwinden der Glieder, die Darre, das Abnehmen, Schwindſucht.

ATTENUANTIA, ſeu INCIDENTIA, ſunt medicamenta, quæ acutis ſuis particulis, poros aperiendo, craſſos & viſcidos humores incidere, & diſcindere poſſunt in particulas minores; vel ſunt potius illa, quæ vim habent ſingulas liquidi moleculas in minutiores reducendi, niſum particularum ad cohærendum tollendo. Gr. λεπτυντικὰ & τμητικά. G. Dünn machende Mittel.

ATTENVATIO, eſt particularum alicuius medicamenti ſubtiliſatio, vt eo melius & promptius lactea vaſa permeent. G. Subtiliſirung.

ATTONITVS MORBVS, idem quod *apoplexia*. Proprie de eo dicitur, cui caſus fulminis vicini, aut tonitru ſonitus ſtuporem afflauit. Gr. ἀπόπληκτος, ἐμβρόντητος.

ATTRAHENTIA ſunt, tenuibus ſuis particulis, poros aperiendo, humoresque contentos alliciendo foras, vbi minor eſt reſiſtentia, non tantum partes in tumorem attollunt & rubore ſuffundunt, ſed ſæpe etiam plures vapores & humores, quam per denſam cuticulam erumpere poſſunt, e cute & carne expellendo, ſub cuticula colligunt, eamque in veſiculas attollunt: imo non raro etiam feſtucas & aculeos infixos educunt. G. ἑλκτικὰ ἐπισπαστικὰ, ab ἕλκω traho. G. Austreibende, herausziehende Artzney.

ATTRITIO, dicitur ſolutio continui ſuperficiaria cuticulæ & cutis a compreſſione & motu oriunda; vti in itinere plantæ pedum, vel in obeſis nates atteruntur. G. Das Aufreiben, der Wolff. Sic quoque vocatur *Cardialgiæ* ſpecies, qua ventriculus ab aſſumto cibo, antequam excernitur, intenſe dolens, & æſtuans atteri videtur cum anguſtia & compreſſione anhelitus, vt ſtatim præfocari videatur.

AVCTIO CORPORIS, eſt conditio quædam, qua ſolida & fluida corporis animalis non tantum reſtituuntur ab aſſumtis, verum maiorem in extenſionem & copiam increſcunt, quam quotidie vi circulationis diſſipantur. Gr. Αὔξησις. G. Vermehrung, Wachsthum.

AVCVPALIS SORBVS & AVCVPARIA, ſic vocatur ſpecies, cuius baccis volucres capiuntur. G. Vogelbeere.

AVDITORIVS MEATVS, vide *Meatus auditorius*.

AVDITVS, eſt ſenſus, quo ex vario aeris corpori ſonoro circumſtantis motu tremulo, tympanum in meatu auditorio verberante, aerem in cauitate tympani mouente, ſoni per neruum auditorium, ſenſorio communi communicantur, ibique percipiuntur. Gr. Ἀκοὴ, G. Gehör.

AVELLANA NVX, eſt nux arboris coryli, inuolucris calloſis, ſuccoſis, herbaceis, barbatis, hirſutis, adſtringentibus & acidis obſepta, magnitudine, vt plurimum dimidio minor iuglande, oblonga, vel globoſa, putamine vmbilicato, per maturitatem flaueſcente; aut rufo, læui, lignoſo, aut duro ſatis, cui ſubeſt pellicula in domeſticis quibusdam coccinea, in aliis ſubrufa, in aliis alba, nucleum obueſtiens albidum, firmi-

firmiuſculum ſicuti amygdali nucleus, eiúſdemque ſapore dulci, lacteum remittentem ſuccum. Quidam malunt vocari *Abellana*, ab Abella, quæ & Auella, vrbe Campaniæ abundante optimis nucibus. Vocantur etiam Κάρυα πόντικά quod in Aſiam Græciamque e Ponto venerunt: & Λεπτοκάρυα, ſiue paruæ, quod iuglandibus minores ſint. Vide *Corylus*. G. Haſelnuß.

AVENA, eſt planta, quæ habet caulem tenuem; flos eſt apetalus, per faſciculos pendulos diſpoſitus: ſinguli nempe flores plurimis ſtaminibus conſtant, ex calice ſurgentibus: piſtillum autem deinde abit in ſemen oblongum, tenue, farinaceum, gluma, quæ floris calix fuit, obuolutum; ſinguli faſciculi ita diſponuntur in ſpicam, ut dependentes veluti parvulas locuſtas bipedes auena gerere videatur. Gr. Βρῶμος, forte a βρῶμα, quod cibum ſignificat. G. Haber.

AVGMENTVM FEBRIVM, ſeu INCREMENTVM, eſt computatio, a quo tempore, febris continuæ incendium totam ſanguinis maſſam occupauit, vsque dum peruenerit ad ſtatum. Gr. ἀνάβασις, ab ἀναβαίνω aſcendo. Vocatur item ἐπίδοσις, ἐπίτασις αὔξησις. G. Anwachſung des Fiebers:

AVICVLÆ CYPREÆ, ſunt paſtilli aromatici, Gallis *Oiſelets*, quia accenſi ſenſim ſenſimque auicularum more auolant, locumque odore replent.

AVRA VITALIS, notat quibusdam illud in corpore humano principium, a quo omnes functiones vitales pendent, quoque ſublato, vita perit.

AVRANTIVM MALVM, eſt fructus arboris, quæ folia habet rigida, ad baſin duabus vtrinque appendicibus ſeu lobis in cordis formam inciſis; calix eſt inſtar cotylæ orbicularis, parum cauus, breuis, quinquifidus, vel & ſciſſus in ſex ſegmenta; flos pentapetalus, roſaceus, multis ſtaminibus infra concretis ornatus: Ex imo centro calicis placenta orbicularis nata ſuſtinet ouarium, fere rotundum, tuba longa inſtructum, id fit fructus globoſus inſtar pomi, cortice cinctus, qui in vna ſpecie tenuior eſt, & fragrantior, in altera craſſior; ſi hic recens eſt ad oculum apparent folliculi rotundi, tenui lamella tecti, in quibus oleum aromaticum gratum, a quo odor & ſapor aromaticus dependet. Hoc adeo ſcatet, vt ex preſſo oleum exſiliat, & ad candelam accendatur. Pulpa diuiditur in varia loculamenta, ſucci & veſicularum plena, fœta ſeminibus calloſis. Creſcit hæc arbor in regionibus calidis, præſertim in Hiſpania & Luſitania, vocatur & Arantium,

Aureum malum, malum auratum, vel pomum Nerantium: dici volunt ab aureo colore, quem cortices habent. G. Pomerantze.

AVREA ALEXANDRINA, eſt ſpecies opiatæ ſiue antidoti: ſic dicitur a virtutis attributæ præſtantia & quia medicis Alexandrinis primum in vſu fuit.

AVREVM VNGVENTVM, ab aureo dicitur colore.

AVREVS ARABVM, ſeu DENARIVS ROMANVS, ſeptima unciæ pars eſt; pendet enim drachmam vnam & inſuper ſeptimam eius partem. Tres denarii ſeu aurei tetradrachmum conſtituunt: quatuor ſcrupulos computatur pendere.

AVRICHALCVM, vocatur æs factitium flauum, colorem auri præ ſe ferens, compoſitum ex lapide calaminari & cupro: quando metalli libræ 64. & lapidis libræ 46. inuicem funduntur, miſcenturque, exhibent aurichalci libras 90. G. Meſing.

AVRICVLARIS DIGITVS, minimus digitus eſt. Vide *Digitus*.

AVRICVLA, eſt illa pars auris omnium oculis obuia, quæ in capite extra os temporum prominet; pendula, patula, exterius caua, certæ ſemper & determinatæ figuræ in hominibus, externo ſuo ambitu renis circiter, vel phaſeoli admodum compreſſi, oualem figuram referens. In ſuperiori corporis loco, tanquam ad ſonum vndique facillime recipiendum, teſtibus ipſis animalibus in prato humi ſtratis, vel prono capite incedentibus, gramen mandentibus, ad minimum auditum ſonum, quem acutius audire volunt, corpus & caput erigentibus, aptiſſimo. Capiti ad locum oſſis temporum ita nexa eſt, vt ab eo naturaliter paululum vtrimque remota, parum antrorſum & deorſum infundibuli vel corniculæ inſtar incuruata, promineat & notabili eminentia ſupra os temporum eleuata ſit, vt in recens natis infantibus vel feris Aſiaticis hominibus, nudo ſemper capite incedentibus obſeruare licet. Mirabili autem hoc artificio efficitur, vt nunquam vel ab vlio non nimis remoto ſonoro centro libere propagati ſonori radii, vtramque aurem ſimul omnes præterlabi queant, ſed ſemper vel ab aurium alterutra vel ab vtriſque, neceſſario ſatis copioſi recipiantur.

AVRICVLA IVDÆ, ſunt ſambuci fungi, habentes ſubſtantiam fungoſam, ſpongioſam, leuem, coriaceam, membranaceam, auriculæ inſtar, ſubtus incanam & cineream, ſupra nigricantem, ſaporis terrei & aquei inſipidi, odoris nullius. Cum truncis ſambucorum annoſarum adnaſcatur, a Tournefortio ad agaricum refertur. Sic dicta, quod auriculam referant, cui additur Iudæ: quia vulgus in ea opinione eſt

 pſeuda-

pſeudapoſtolum Iudam ſe ex ſambuco ſuſpendiſſe. G. Holderſchwamm.

AVRICVLA MVRIS, eſt Alſines ſpecies: ſic dicta quia eius folia muris auriculis ſimilia ſunt, vel piloſella, Myoſotis. Gr. μυὸς ὦτις. G. Mausöhrlein.

AVRICVLA VRSI, ſpecies eſt verbaſci, quæ habet folia ex radice erumpentia, repentia borraginem teferentia, in margine aliquantulum inciſa, craſſa, lata, neruoſa, villoſa, aſpera, laciniata inſtar auris vrſi; caulis nudus eſt, ſine foliis, rotundus, ſolidus, habens ſuccum rubicundum, ſaporis dulcis & adſtringentis, calix eſt paruus, quinquifidus, flos monopetalus, infundibuliformis. Piſtillum floris fit teſta rotunda, calici adhærens, per maturitatem diſſiliens in plurimas partes, habens placentulam, cui ſemina adhærent minima, anguloſa. Radix fibroſa, rubicunda, lapidibus adhærens, ſaporis adſtringentis. Hæc planta creſcit in montibus, aliquando in locis humidis: nomen ſotitur ex eo, quod folia vrſi auribus non ſunt abſimilia, præſertim hyemali tempore, aut quando folia primum prodeunt. G. Bärenöhrlein, Aurickel.

AVRICVLA INFIMA, idem quod *Lobus auris.*

AVRICVLA CORDIS, numero duæ ſunt, dextra & ſiniſtra: ſunt duæ cordis appendices, cauæ, muſculoſæ, ingentes, duplici ſerie fibrarum, contrario decurſu in tendines oppoſitos latarum, inſtructæ, arteriis veniſque innumerabilibus donatæ, quarum dextra vno tendine ori venoſo dextri cordis thalami innixus, altero duriore in circulum fere formati venæ cauæ accreſcit: hæcque ex vena caua cruorem accipit, qui in ventriculum dextrum portatur, & inde pulmonibus imprimitur. Siniſtra vero eſt minor, cui ſanguis bene præparatus & ſolutus, miſtus, ſubactusque cum heterogeneis quibuscunque liquidis, a pulmonibus de nouo traditur, vt per ſiniſtrum ventriculum in arteriam magnam exoneretur, & in vniuerſum corpus diſtribuatur. G. Oehrlein am Hertzen.

AVRIGA, eſt faſciæ ſpecies, qua latera deligantur; atque in hunc modum iniicitur, media faſcia collum comprehenditur, capitaque obliqua per pectus attrahuntur, ibique inter ſe implicata ſub alis ad dorſum adducitur, ibi rurſus implicatur, atque ita donec totus thorax deligatus ſit, modo a poſteriori, modo a priori parte implicatur, extremaque inter ſe deuincimus, quo vinculo vtuntur aurigæ ad latera continenda. G. Die Fuhrmannsbinde.

AVRIGO, idem quod *Icterus.*

AVRI-

AVRIPIGMENTVM, eſt foſſile, ſulphuri plurimis dotibus ſimile, friabile, fuſile, facile inflammabile, tumque fœtore ſulphureo infeſtum, non acido volatili; iners, innoxium, parum venenatum, fuſione rubeſcens, tumque volatilem materiam emeticam præbens. *Arſenicum citrinum* male appellatur. Auripigmentum hoc natiuum, fuſum igne in vaſe clauſo, maſſam dat fragilem, facile conterendam, minii fulgore ſpectabilem, nec valde acrem aut venenatam, quæ videtur eſſe *Sandaracha* veterum. Græci vocant ἀρσενικὸν, arſenicum. Sed cauendum eſt ne ipſi noſtra arſenica ſubſtituamus, vtpote toto genere diuerſa. G. Operment, Auripigment.

AVRIS, eſt organum auditus, & notat omnia auditoria organa; diuiditur in tres cauitates, ſcilicet in exteriorem, mediam, & interiorem. Exterior auriculam meatumque auditorium; media tympanum; interior vero labyrinthum comprehendit. Gr. οὖς G. Das Ohr.

AVRVM, eſt metallum, omnium ponderoſiſſimum, ſimpliciſſimum, molle, maxime expanſile, in igne & aere fixiſſimum, coloris flaui, rubens ante fuſionem. Quanquam in Madagaſcar adeo molle naſci dicitur, vt leni igne inſtar plumbi liqueſcat. A ſale marino eiusue productis tantum ſoluitur: hinc rubigine caret, quum aqua regia & ſpiritus ſalis marini nusquam in aere volitent: vix ſonorum, ſpecificæ grauitatis ad aquam, vt 19636. ad 1000. G. Gold.

AVSTERVS, Gr. αὐστηρὸς, dicitur de eo, quod terreſtris eſt naturæ, cum ſalinis tartareis permixtæ, vim habens linguam, dum guſtatur, conſtringendi. G. Herbe.

AVTOGENES, ſic vocatur narciſſus, albo flore: quia eius bulbus needum terræ commiſſus folia emittit: ex ſeſe enim quaſi generatur aut naſcitur, ex ἀυτὸς ipſe & γίνομαι naſcor.

ΑΥΤΟΜΑΤΩΣ, de eo dicitur, quod ſua ſponte mouetur, vt eſt cordis motus, coctiones & fermentationes (vt vocantur) in ventriculo & inteſtinis. Hinc automatici vocantur motus, qui nobis inſciis, & nec intellectu nec valuntate noſtra concurrentibus, peraguntur. Tales ſunt, præter adductos, auctio corporis ſecundum omnem dimenſionem, fœtus incrementum & formatio in vtero. Opponuntur ipſis actiones & motus animales ſeu voluntarii, qui ad nutum noſtrum, quando ſani ſumus, peraguntur & ceſſant. G. Sich ſelbſt bewegende.

AVTOPSIA, ocularis alicuius rei inſpectio eſt, ex ἀυτὸς ipſe, & ὄψις viſus. Notat quoque obſeruationes, & me-

moriam effectuum in morbis, quos vnusquisque proprio intuitu obſeruauit.

AVTOPYRVS, eſt panis, ex puriſſima farina coctus, cui nihil furfuris ablatum fuerit; huiusmodi panis aliis præfertur, quia furfures habent vim, ob grauitatem, abſtergendi, ex *αὐτὸς* ipſe, & *πυρὸς* triticum. Vocatur etiam *συγκόμιςος*. Talis eſt Weſtphalorum panis groſſior, Pumpernickel dictus. Proxime huc accedit ille, quo ceteri Germani vtuntur, ex farina non omnino a furfuribus ſecreta. G. Hausbacken Brodt.

AVTVMNVS, dicitur anni tempus tertium, æſtatem ſequens, arcturo oriente incipiens & vergilliarum occaſu deſinens, quod notabile ob morbos mali moris plerumque eius comites: ab augendo opes, ex Feſto. G. Der Herbſt.

AVXILIVM ſeu REMEDIVM, eſt, quicquid contraria agendi vi, morbum impugnare eſt aptum. Eſtque triplex, *Diæta*, *pharmacia* & *chirurgia*. Vide *Medicamentum*. G. Ein Artzney, Hülfsmittel.

AXILLA, dicitur extrema pars humeri, vnde brachium incipit. Eſt diminutiuum ab ala, eadem ratione formatum vt paxillus a palo, maxilla a mala. Barbari ſcribunt Aſcella. Regio concaua ſub axilla, in adultis pilis conſita, vocatur ſubalaris. G. Die Achſel.

AXILLARES VENÆ & ARTERIÆ, ſunt illa vaſa ſanguifera, quæ a trunci ſummitate venæ cauæ, & arteriæ ſupra cor ad axillas, & brachium excurrunt. G. Die Achſel Blutadern.

AXIOMA, effatum euidentiſſimum, ſimpliciſſimis innixum ideis, quod cuncti mortales, ob ſimplicitatem & clariritatem, vno ore absque demonſtratione pro vero admittunt: nonnunquam autem eſt propoſitio ab *Hippocrate* vel *Galeno* in obſeruatis quamplurimis fundata, & pro inconcuſſa ab illis habita. G. Eine vollkommene ausgemachte Wahrheit.

AXIS, eſt vertebra tertia colli, capiti ſubiecta. Gr. *ἄξων*. Aliis potius ſecundæ deberi id nomen videtur, quia circum eius dentiformem proceſſum vertebra caput ſuſtinens, tanquam rota circa axim, mouetur.

AXVNGIA, pen. corripit,

Quodque recens vſſit glacies, axungia ſimplex
Mulcet. - - - - *Seren. tit. combuſt.*

Axungia, *Στέαρ ὕειον* *Dioſcoridi* *Ὀξύγγιον* *Ægin.* pinguedo vel adeps porci, ſebo mollior. Quia vero vero huius vnguinis præcipuus vſus fuit in axibus curruum inungendis, hinc illi nomen

nomen creatum, & grammatici omnes pro vnguine vehiculari exponunt, quamquam vſus tyrannus id nomen plerisque pinguedinibus, quæ in officinis aſſeruantur, attribuit. G. Schmeer, Schmaltz. Abuſiue tribuitur terris quaſi vnctuoſis & mollibus. Sic aliqui auctores terram ſigillatam Sileſiacam albam vocant axungiam lunæ, luteam autem axungiam ſolis, perſuaſi alteram a luna, alteram vero a ſole eſſe impregnatam.

Αὔξησις, ab αὐξάνω, creſco, αὔξω augeo, corporis eſt in omnem modum ampliatio.

AZOTH, modo mercurium cuiuscunque corporis metallici denotat, modo medicinam quorundam vniuerſalem putatam ex mercurio, auro & argento paratam. Ante aliquot annos per magnates, imo & vulgum celeberrimum, varii coloris; ſed pro diuerſitate præparationis, ſæpe minus ſollicitæ, mox pretio & fama vileſcere incepit.

AZYGOS, eſt vena ſanguinem reducens Venæ cavæ: duplici origine in abdomine inter duas diaphragmatis appendices oritur, dein thoracem ingreſſa ſub aorta iuxta dorſi vertebras, accipit venas intercoſtales, & venæ cauæ ſuperiori iterum inſeritur, eſtque inſignis capacitatis. *Sine Pari* dicta, ex α priv. & ζυγὸς iugum, par. G. Die Ader ohne Paar.

AZVR, a voce Arabica, & Perſica, *Lazur*, qua cæruleum pigmentum denotant.

AZYMVS, eſt panis non fermentatus, ex α priv. & ζυμόω fermento, ζύμη fermentum. G. Ungeſäuert Brodt.

B.

BACCA, BACCÆ, Gr. κόκκος, dicuntur fœtus ſeu fructus ſphærici minores herbarum, fruticum, arborumue, qui diſperſius rariusque naſcuntur: vel quicunque parui ſunt & rotundi, vt ribes, fraga, baccæ lauri iuniperi, plerumque molles; tenui membraua tecti, & ſemina in ſubſtantia pulpoſa nidulantia continent: atque in hoc ab acinis differunt, quod iis denſius proueniant. *Bacca*, forte a Baccho, quia vitiis, baccas producens, Baccho dicata. G. Beeren.

BACCAR, BACCARIS, eſt herba odorata ex qua coronæ contra faſcinum parabantur. Credunt aliqui eſſe aſarum.

BACCHICA, vide *Hedera.*

BACCINIA & BACCINIVM, vide vaccinia.

BACILLI, nomen imponitur medicamentis figura bacillorum oblonga ſeu tereti, vt bacilli, ſeu candelæ odoriferæ. Item

Item & bacilli ex glycyrrhiza, cocta, qui linctui inſeruiunt: Vt vulgo in affectibus pulmonum & tuſſi vel aſthmate, a Galenica & Arabica medicorum ſchola præſcribuntur. Sic quoque vocantur candelæ illæ, quæ vſui veniunt, ſi cadauer aliquod fœtidum diſſectionibus anatomicis vacet. G. Wohlriechende Kertzlein, Räucherkertzen.

BADIAGA, eſt plata aquatica, ſpongioſa, ex multis fibrillis herbaceis quaſi contexta, fragilis & friabilis, ſi ſicca, ſemina ſunt grana rotunda, coloris albidi, in altera parte inſtar lapidum cancri excauata: odor plantæ eſt teter & piſculentus. Eſt planta apud Moſcouitas in frequenti vſu, contra liuores oculorum & aliarum partium a verberibus, quos puluis impoſitus vna nocte tollere dicitur. Vide de hac Comment. Petropol. 2.

BALANEVM, Gr. βαλανεῖον, lat. Balineum ſiue Balneum, eſt proprie remedium corpori potiſſimum curando, detergendo, emolliendo, fouendo, quin & ſudando deputatum: nam eſt totius corporis lotio; non raro tamen & pro lotione partium ſolummodo inferiorum ſumitur, quas *inſeſſus & ſemicupia* vulgo vocant. Eſtque vel *ſiccum* vel *humidum*; ſicca parantur ex cineribus, ſale vulgari, arena, chalybe limato &c. *Humida* ſunt vel *vaporoſa*, vel *aquoſa: vaporoſa* fiunt ex coctione radicum, herbarum, florum, ſeminum, &c. cuius vapor tantum ſuſcipitur: *aquoſa* ſunt vel *artificialia*, quæ parantur ex decoctis medicamentoſis: vel mineralia, quæ *thermæ* vocantur, quarum aquæ, vt priſci deſcribunt, ſunt aluminoſæ, ferreæ, cupreæ, nitroſæ, ſulphureæ, bituminoſæ, vitriolicæ, &c. Ex βάλλω pello, & ἀνία triſtitia ſeu morbus: ſed eſt potius alluſio, quam etymologia vera. Proxime enim venit a βαλανεύς, *balneator*. βαλανεύω, *balneatorem ago*. Vnde ille dictus, ſit alia eſt quæſtio: forte a βάλανος, glans vnguentaria. Vide Etymologic. magn. G. Ein Bad.

BALANOCASTANVM, eſt radix tuberoſa, quæ etiam Bulbocaſtanum appellatur. Ex βάλανος, glans, & κάστανον caſtanea.

BALANOS, eſt glans proprie quercus, ſed latius ſæpe ſumitur pro quibusque fructibus oblongis & duris. Forte a βάλλω proiicio.

BALANVS, ſeu GLANS, eſt penis ſuprema pars, præputio tecta. G. Βάλανος. G. Der Kopff am männlichen Gliede. Item *clitoris muliebris*, vide *clitoris*. Sic etiam bulboſi fructus & radices appellantur, vt iuglans quaſi iouis glans; item glans quer-

quercus, Bulbocaſtanum &c. G. Ein Eichel. Item *Suppoſitorium*, & *glans*, vide ſuo loco.

BALANVS MYREPSICA, pen. corr. videatur *Myrobalanus*. Balanus Myrepſica, ſiue NVX VNGVENTARIA. Venit ex Aegypto, Arabia, Aethiopia, Syria & Barbaria. Fructus eſt arboris Tamariſco ſimilis, magnitudine auellanæ nucis, intus nucleum continens pinguem, & oleoſum veluti amygdalæ. Plinio dicitur *myrobalanum*. Arab. *Habel-ben*, vel *ban*, ab aliis *granum ben*, in officinis *ben*. ex βάλανος glans, & μύρον unguentum.

BALATRO ſiue BAMBALIO, eſt vitium linguæ in laxitate conſiſtens muſculorum aut vinculi, cui adeſt nimia oris ſaliua, loquuntur enim, ac ſi bucca pulte eſſet repleta. Sic G. Breyen. Quidam accipiunt pro homibus nullius pretii. Forte a balatu & vaniloquentia. G. Ein Plauderer, Gacker vel Fallender Troff.

BALAVSTIVM, Gr. βαλαύστιον, eſt flos mali punicæ, ſylueſtris coloris punicei, ſaporis adſtringentis. An a βλαστεῖν geminare? Gr. βαλαύστιον G. Wilde Granade.

BALBVTIES, G. τραυλότης, τραυλισμός, ψελλότης & ψελλισμός. Huc pertinet *blæſitas & blæſalingua*; *balatro & bambalio*. Eſt vitium in muſculis & organis loquelæ. Eſtque vox tarda & interrupta, varie flexa, & in quibusdam literarum pronuntiationibus admodum difficilis, hinc cum eas efferre non poſſunt, alium ſonum & inarticulatum ſiue ſibilum, & aſpirationem eo conatu, quo difficultati mederi volunt, adſpergunt, ſubinde ſilent, mox contentiore voce excutiunt incondita quædam, incongrua oris & linguæ contorſione. Porro tremulo ſono certa vocabula loquuntur & os habere ſolent humore nimium madens, quem ſæpe cohibere non poſſunt, quin effluat, aut in adſtantes expuatur. Tandem hoc habet balbuties, quod alio tempore maior ſit, alio minor: hinc ſani & qui bene loquuntur, nimium ſi feſtinent, ſæpe balbutiunt. G. Das Stammeln.

BALLISTÆ OS, vide *Aſtragalus*.

BALLOTE, Gr. βαλλωτή eſt marrubii ſpecies: habetque caules fortes, quadratos, lanuginoſos, rubicundos, folia ſibi inuicem oppoſita, maiora & oblongiora marrubio albo, meliſſam referentia, ſed obtuſiora, magis rugoſa, in margine inciſa, coloris viridis ſubfuſci, odoris fœtidi; flores verticillatos coloris rubri; ſemina oblonga, in capſula, quæ flori tamquam calix inſeruit, incluſa; radix fibroſa, perennis: ſic dicitur παρὰ τὸ βάλλειν, καὶ ὦτα, quod ad inueteratos aurium dolores ſit efficax.

ficax. Vocatur *marrubium* nigrum, a foliorum ſimilitudine & *nigrum* a caulis colore, qui niger eſt reſpectu marrubii albi: habet odorem viroſum vt caſtoreum.

BALNEVM, Chymicis dicitur vario modo, nempe arenoſum, cinereum, martiale, Mariæ, maris, vaporoſum &c. *Arenoſum balneum* eſt, cum retorta vel cucurbita in arena collocatur, vel in cineribus vel chalybis limatura. *Balneum mariæ* ſeu *maris*, quod hoc ſigno notatur B. M. & M. B. eſt cum eadem inſtrumenta aquæ calidæ imponuntur; & cum vaporoſum dicitur, inſtrumenta tantum vaporem aqueum excipiunt, vel corpora ſudationi exponuntur. G. Im Bad Diſtillieren. De cæteris balneis, vide *Balaneum.*

BALSAMELLA, idem quod *Balſamina.*

BALSAMINA, eſt planta, quæ habet caules craſſos, rectos, ramoſos, ſucculentos, aliquando in parte inferiori rubicundos: folia oblonga, acuta, aliquantulum in margine inciſa, ſaporis amari: flores polypetalos, anomalos; hi autem vel tetrapetali, vel hexapetali; floris tetrapetali petalum ſuperius fornicatum eſt, inferius concauum, & caudatum, duobus lateralibus auritis & amplioribus; floris hexapetali petalum inferius eſt caudæ expers. Piſtillum duobus foliolis ſtipatum, floris meditullium occupat, abitque deinde in fructum, nunc ex vtraque parte turbinatum, nunc ſiliquæ æmulum, valde contractilem, vi elaſtica hac illac diſſilientem, ſeminibusque fœtum, axi ſeu placentæ affixis; radix fibroſa, alba eſt. Nomen, quod ex floribus inſolatione balſamum fiat, ad vulnera ſananda, accepiſſe creditur, quod mirum; nam minime balſamum refert, neque eſt apta ad balſamum conficiendum, ſed penitus eſt venenata planta.

BALSAMITA, pen. producit, vt caetera deriuata in ιτης, quae & Latinis ſæpe in a exeunt, vt Συβαρίτης, Sybarita, παλαιστρίτης, palaeſtrita. Balſamita eſt planta, quæ habet caules canaliculatos, villoſos, ramoſos: folia oblonga in margine inciſa: flores in ſummitate caulium congeſti ſunt: his ſuccedunt capſulæ membranoſæ, compreſſæ, oblongæ, ſemina parua continentes: radix mentham refert, fibroſa eſt. Dicitur & coſtus hortorum, mentha corymbifera; deriuatur, ob odorem potentem, a voce balſamum.

BALSAMVM. Latini quidem penult. corripuere:

Balſamaque & baccas ſemper frondentis acanthi. Virg. 2. *Georg.*

Candida felices ſudent opobalſama virgae. Stat. 3. *Sylu.* 2.

Bal-

Balſama qui ſemper, cinnama ſemper olet. *Mart. l. 3. epiſt. 63.*

Nicander tamen Græco verſu heroico, tum in *Theriacis*, tum *Alexipharmacis* penult. producit. *Andromachus ſenior*, Neronis Archiater, carmine elegiaco penult. iam produxit, iam corripuit, vt apud *Galenum* videre eſt libro de *Theriaca ad Piſonem.* Balſami vero planta frutex eſt, ſeu arbuſcula, tres cubitos ad ſummum alta, folia alens rutæ foliis ſimilia. *Syriacum* dicitur rutæ folio. Naſcitur ſponte in Arabia felici, vnde olim in Iudæam, & hodie in Ægyptum translata, loco quodam occluſo, Cayro vicino, quem *Matercam* vocant, colitur. Eius fructus dicitur *carpobalſamus*; Ramuſculi *xylobalſamum*; Succus *opobalſamum.* Fructus eligatur recens, plenus, ponderoſus, guſtu mordax. Ramuſculi probantur recentes, tenues & odorati. *Balſamum* dicitur, quaſi *Beiſamin* quod in orientalibus linguis exercitati dicunt eſſe, Princeps oramatum, vel oleorum; vid. *Voſſius in Etym. Pauſanias*, ſi recte ſcribitur, *πάλσαμον* vocat. Alii *Βλάσαμον.* Ægyptii *Balaſſan* nominant. G. Balſam.

BALSAMVS vel BALSAMVM. Balſami vocabulum pluribus in officina vſurpatur ſignificationibus. 1. Denotat genus quoddam *odoramenti* craſſiuſculi inſtar vnguenti, vel linimenti, & hæc ſignificatio vſitatiſſima eſt e. g balſamus roſarum, apoplecticus & ſimiles. 2. Solent quoque ex gummi reſiniſue cum ſpiritu vini liquores deſtillari, qui extrinſecus illinuntur, balſamique nomine veniunt; vt balſamus neruinus, iſchiaticus & ſimiles. 3. *Inunctorium* liquorum ſignificat, eumque oleo craſſiorem, linimento liquidiorem. 4. Balſami nomina ſibi vindicarunt *ſalia fuſa & liquata*, vt balſamus ſalis gemmæ. 5. Sunt *ſingulares* quædam *præparationes*, quibus balſami nomen imponunt; vt balſamum ſulphuris, &c. 6 Tandem etiam lachrymæ quædam arboreæ balſami vocantur, vt balſamus copayuæ. 7. Balſamus eſt, quo cadauera condiuntur. G. Balſam.

BAMBALIO, idem quod *Balatro.*

BAMBAX, idem quod *Bombax.*

BAMMA, eſt tinctura ſeu liquor, in quo aliquid tingitur, aut madefit, vt panis iuſculo immerſus, a *βάπτω* immergo. G. Da man was eintaucht, einweicht, eine Tuncke.

BARAS, Arab. idem quod *Alphus.*

BARBA, eſt labiorum & menti pars piloſa. G. Der Bart.

BARBA CAPRINA, vel CAPRI: vocatur a florum figura, quæ caprinam barbam referre videtur.

BARBA HIRCI, idem quod *Tragopogum*, & *Vlmaria.*

BARBA IOVIS, eſt *ſemper viuum*, ſeu *ſedum.* Eſt arbuſcula quæ habet caulem durum, fere lignoſum, cortice lanuginoſo albo tectum, plures ramos dimittentem, folia bina villoſa, ſplendentia, coloris argenti: flores in ſummitate creſcentes, ſunt exigui, leguminoſi; geniſtam referentes, quo ad figuram, non quo ad magnitudinem; poſt florem ſequitur ſiliqua breuis, fere ouata, fœta ſemine ſubrotundo; creſcit in montibus & locis ſaxoſis circa mare. Gr Ἀείζωον, ſemperuiuum, a latinis ſic dicta forte quod putent cum Iouis barba ſimilitudinem habere. G. Hauslaub, Hauswurtz.

BARBAREA, eſt herba S. Barbaræ dicata. Apellatur alias *naſturtium hyemale.*

BARDANA, eſt *lappa.* Forte a bardus, hoc eſt hebes, quia folia habet mollia & hebetia Dicta etiam videri poteſt a bardo, vbi hæc vox cantorem & Poetam deſignat, vt prolixe in *Etym.* demonſtrat *Voſſius*, & in *Lex. Philol. Martinius.* Et certe cantores in Comœdiis lappæ huius foliis, faciem obvelabant, ne agnoſcerentur ſpectatoribus, unde perſonatam dici conſtat, & Græcis προσώπιον His natalibus ſi inſiſtendum, pen. producet, genitivo plurali, & analogia ſuadentibus; bardorum enim & bardarum flexus bardanam longam efflagitat, vt a quintus quintorum & quintarum facit quintanam. Ita a primus primana, a ſeptimus ſeptimana, a viceſimus viceſimana, a quartus quartana.

Sæva nocens febris ſaltem quartana fuiſſet. Mart. l. 10. ep. 77.

Vide *Lappa.*

BARYCOCCALON, eſt *ſtramonia*, ſiue pomum ſpinoſum, ac ſi diceres, quod ſit nux, grauem ſomnum producens, ex βαρὺς grauis, & κόκκαλος nucleus.

BARYECOIA, Gr. βαρυηκοΐα, eſt audiendi grauitas, ex βαρὺ graue, & ἀκόω audio. G. Harthörigkeit.

BARYPHONIA, eſt loquendi grauitas, a βαρὺ graue & φωνὴ vox. G. Schwere Sprache.

BARYPICRON, eſt abſinthium latifolium: quaſi diceres, ſupra modum amarum. Ex βαρὺ graue; & πικρὸν amarum.

BASILARE OS, vulgo denotat *os ſphenoides*, & palati os. Significat quoque occipitis os, quod & *os proræ*, *os memoriæ*, vel *os pyxidis* dicitur. Gr. ἰνίον.

BASI-

BASILICA, eſt vena brachii interna, *hepatica* dicta, a βασιλεύω regno.

BASILICVM, pen. corripit, vt cætera adiect. Græca in ικος, γραμματικὸς, κυκλικὸς, κριτικὸς ſic βασιλικὸς. Baſilicum, eſt medicamentum viribus pretioſum, & cæteris excellens, a βασιλεύω regno: hoc nomine tamen plerumque officinale vnguentum digeſtiuum inſignitur.

BASILICVM, eſt ocimum, herba odorifera. Sic dicta, ob vires quas præſtat regias. Βασιλικὸν eſt regium, βασιλεὺς rex. Quod autem *Officinæ* plantam *baſiliconis* nominant, in eo labuntur, rectius enim *baſilicum*, *i*, dicitur, quam *baſilicon*, *onis*, ita enim Græci recentiores ὤκιμον βασιλικὸν appellauere, a βασιλικὸς, ῆ.

BASIOGLOSSVM, eſt par muſculorum linguam deprimens, ortum a baſi oſſis hyoidis, finitur prope linguæ cuſpidem, fibris ſecundum longitudinem, & aliquatenus oblique ad latus excurrentibus: ex βάσις fulcimentum & γλῶσσα lingua.

BASIS, eſt cordis ſuperior pars mucroni oppoſita. Item ſuſtentaculum oſſis hyoidis pro lingua, & occipitis os pro ſuſtentando cerebro &c. Item in formulis præſcribendis præcipuum ingrediens: a βαίνω incedo; G. Der Grund, Boden eines Dinges.

BATHMIS, βαθμὶς, eſt ſinus in oſſe brachii ſeu humeri, vtrinque ſinguli; in quo cum extenditur flectiturque tota manus, vlnæ ipſius coronæ, ſiue proceſſus ingrediuntur, a βαίνω ingredior. G. Höhle vom Armbein.

BATHYPICRON, eſt *abſinthium latifolium*. Significat profunde amarum, ex βαθὺ profunde, & πικρὸν amarum.

BATINON MORON, eſt fructus rubi idæi, βάτος enim eſt rubus.

BATIS & BATOS, eſt rubus, vt docet Nicandri Scholiaſtes: dicitur, quod indomita ſit planta, acceſſumque propter ſpinas, quibus valde pungit, non admittit. Ἔιρηται, inquit, βάτος διὰ τὸ ἄβατος ἆναι. A contrario igitur nomen impoſitum, βάτος a βατέυω, vado, aditus, acceſſus, βατὴ γῆ terra facillis acceſſu: huius fructus βάτινον vocatur.

BATRACHOIDES, eſt geranii ſpecies batracho ſimilis: ex βάτραχος rana, & ἆδος forma. *Batrachion* enim eſt *Ranunculus*.

BATRACHIVM, Græcis, *ranunculus* Latinis. Apuleius nominat *ſceleratam*. Vulgus medicorum perperam *pedem*

corui vocat. Sunt etiam qui *flammulam*, ab vrendi facultate appellant. *Batrachion* autem ſiue *ranunculus* dicta eſt haud dubie, quod limitibus humidis opaciſque marginibus, ranarum more lætetur, aut quod aquis, vbi ranæ degunt potiſſimum, gaudeat; aut quod ſub eius vmbra ranæ frequenter inueniantur. *Agreſte* vero *apium*, quod foliis apium æmuletur. *Scelerata*, eo quod comeſta noxia ſit: vel, quod magis arridet, quia validi ſceleratique mendicantes ſibi crura & lacertos hac ipſa dilaniant, quo poſſint impudentius ſtipem extorquere, atque hac impoſtura pecuniolam aucupari.. Βάτραχος eſt rana. Vide *Ranunculus*.

BATRACHVS, RANA & RANVLA, ſeu HYPOGLOSSIS, eſt tumor ſub lingua ſcirrhoſus, ſuppuratorius, vel inflammatorius, continens nonnunquam in folliculo materiam meliceridi ſimilem, linguam ſummopere incraſſans, loquelam difficilem reddens, vnde coaxando vox producitur, a βατραχίζω ranas coaxando imitor; comp. ex βοὴ vox, τραχεῖα aſpera, & ἔχω habeo. G. Ein Geſchwulſt unter der Zunge.

BAVCIA, dicitur paſtinaca ſylueſtris. Forte a iucunditate; βαυκὸς enim eſt iucundus. Alii *brancam leoninam* aut *vrſinam* vocant.

BDELLIVM, *Diſcoridi l.* 1. *cap*. 80. βδέλλιον; penult. corr. quia Graecis ſcribitur ſine diphthongo, vt Chelidonium, cæt. Bdellium eſt gummi, aut lachryma reſinoſa, myrrhæ guſtu & colore proxima, ſed cuius arboris incertum eſt. Si bonum, guſtu erit ſubamarum, translucidum cum frangitur, pingue cum fricatur, odorum, facile molleſcens, flammam concipiens, eamque cum ſtrepitu pertinaciter alens. Gummi quidam arboris eſſe ſpinoſæ in Arabia, India, Media &c. eſſe putant; illud nomen denotat, quaſi diceres fœtens gummi, a βδέλλω fœteo, pedo.

BECCABVNGA, eſt veronicæ aquaticæ ſpecies: cuius eſt vox male ficta ex Germanico Bachbungen, Waſſerbungen.

BECHION, eſt *tuſſilago* ſeu *farfara*. Sic dicitur quia pectoris morbis medela eſt, βὴξ quippe tuſſis eſt, & βήττω tuſſio.

BECHICA, ſunt medicamenta tuſſim inhibentia, eiusque cauſas corrigentia, Lat. *Pectoralia* a βήττω tuſſio, βὴξ tuſſis. G. Bruſtartzney.

BEDEGARVM, ſeu BEDEGVAR, vide *Spina alba*.

BEHEN, officinæ noſtrates monſtrant radices nomine *behen*. Vnam *Behen rubram* appellant, alteram *albam*. De vtraque

que controuertitur cuius ſint ſpeciei. Arabibus (vt Serapioni) ſunt *Behen*, paſtinacæ radicibus ſimiles. Hinc ſcribit Hali Abbas, *behen & paſtinacæ ſylueſtris radices* nullum inter ſe diſcrimen habere. E recentioribus *beben albam* aliqui *polemonii*, ſiue *lychnidis ſylueſtris* ſpeciem eſſe autumant, quam Tabernæmontanus vocat *herbam articularem*. *Behen rubrum*, alii *limonii maritimi*, alii *ualerianæ rubræ*, alii *biſtortæ* ſpeciem eſſe putant: aliqui vero, Garzia & momente & reprehendente, *Zerumbeth* eſſe ſtatuunt. Hinc eſt quod aliqui in deſcriptionibus Arabum ſubſtituunt *eryngium*, alii *tormentillam*, alii *angelicam*, alii denique *caryophyllatam*. Actuarius & Myrepſus *behen hermodactylos* eſſe volunt, forſan auellanas purgatrices.

BELEMNITES, eſt lapis, vltra digiti longitudinem non aſſurgens, teres, in apicem obtuſum deſinens, aliquando plenus, aliquando concauus, terram vel arenam recondens, coloris albi, cinerei, aurei, pellucidus interdum, iuxta longitudinem habens rimam: nomen accepit, quia τοῦ βέλους, id eſt ſagittæ effigiem repræſentat: dicitur & lyncurius, quod ex vrina lyncis conflari falſo putent: vel dactylus Idæus, quod in monte Ida reperitur. G. Luchsſtein.

BELONOIDES, eſt proceſſus ſtyloides, cranii baſi infixus: a βελόνη, *acicula*, εἶδος, *forma*. G. Der ſpitzige Fortſatz der Hirnſchale.

BELLADONNA, eſt planta, quæ caules dimittit ad altitudinem quatuor pedum, qui ſunt craſſi, rotundi, ramoſi, villoſi; coloris rubicundi, obſcuri: folia ſolani ſed duplo vel triplo maiora, & latiora, oblonga, mollia, non anguloſa, aliquantum villoſa aut lanuginoſa: flores ex alis foliorum erumpunt, monopetali, campaniformes, vt plurimum in quinque partes laciniati; coloris albi & purpurei: flori ſuccedit fructus fere rotundus, mollis, ceraſum æmulans, niger, ſplendens, in duo loculamenta diuiſus, continens ſemina placentæ affixa, rotunda vel ouata: radix eſt longa, craſſa, albeſcens, in multos ramos diuiſa. Hæc planta creſcit in ſyluis, nomen eſt ex lingua Italica, & ſignificat pulchram & ornatam matronam. Putant aliqui eſſe corruptum ex *Bellonaria*, quo nomine olim dictum ſolanum ſomniferum ſcribit *Apuleius*. Eſt planta multis iam noxis infamata, quas imprudens eſus baccarum attulit. Medici quidam laudant aliqua experimenta ad cancrum vſu huius plantæ curandum: alii alia ab ipſa expetunt. Græce dicitur στρύχνον μανικόν, quod ad verbum eſt *Solanum furioſum*; quo nomine Latine dicitur: quamquam non tam furorem,

quam delirium aliquod, cum deglutitionis manifeſta læſione, inferre ſolet. Sed & necem intuliſſe illis, qui copioſe aſſumſerunt, obſeruatum eſt. Cum radice magis etiam caute, quam cum fructu, mercandum eſt.

BELLIS, BELLVS FLOS, & HERBA MARGARETÆ eſt planta parua, humilis, quæ habet folia parua, oblonga, læuigata, in extremitate ſua circularia, repentia, quædam parum crenata, alia integra; calicem monophyllum, profunde diuiſum, & multifariam ad baſin fere vsque: florem habet vel nudum, vel planipetalum; capitulum ſeminale per maturitatem, delapſo flore, aſſurgit; vbique in pratis nota. Sic fortaſſe vocatur, quod in pratis vbique bellum & lætum aſpectum præbeat. Vocatur & conſolidago; quia ſucco ſuo glutinoſo vulnera conſolidat. G. Maßlieben, Gånſeblumen, Monatblůmlein, Tauſendſchôn.

BENEDICTA HERBA, vide *Caryophyllata*.

BENIGNVS MORBVS, eſt qui nulla vehementia & ſæua, ſupra ordinarium curſum, habet ſymptomata. G. Eine nicht allzu ſchwere Kranckheit.

BENZOE, ſiue *Belzoe*, vox peregrina eſt, eoque incertæ nobis pronunciationis, quam libet tamen in penult. corripere, vt aloe, ob vocalem ante vocalem; Benzoinum autem, ſiue belzoinum oleum pen. corripiet, ad naturam cæterorum adiectiv. in INVS ex inanimatis deſcendentium.

BENZOIN, gummi reſina eſt, vt dicunt, arboris proceræ. Verum *Bontius* dicit reperiri in Iaua plantam ex pluribus ſarmentis coalitam, qualis eſt ſmilax aſpera ſeu ſalſa parilla, niſi quod ſarmenta ibi brachii craſſitiem æquent, vel etiam ſuperent, ita vt hæc in medio ſæpe truncus arboris continuus ſatis craſſus appareat, ex huius cortice inciſo colligitur gummi benzoin. *Grimmius* notat eſſe arborem egregiæ formæ, recti caudicis, & mediocris magnitudinis, habentem viri plerumque craſſitiem. Creſcit ad occidentem Sumatræ. Fructus fert rotundos ſed compreſſos, magnitudinis paruæ nucis auellanæ, & incluſus eſt tunicæ, inſtar nucum iuglandium, quæ tamen aliquantulum piloſa eſt. Folia profert tenera & mollia, inferius pallido-viridia, ſuperius vero ſaturate viridia. Nucleus huius fructus ſaporem habet ingratum & amarum. Arbor quinqennis vel ſexennis usque ad lignum, ſecundum longitudinem, vulneratur, vnde liquor albus, tenuis, viſcoſus, glutinoſus & pellucidus exſtillat, qui ſolari calore induratur, vnde

duplex

duplex gummi album & citrinum, vel craſſius & obſcuri coloris. Eſtque valde odoratum, & ſi bonum, pellucidum, globulis candidis refertum, thuris æmulum, citrineſcens eſt. Vocatur & *Aſa dulcis*. G. Benzoin.

BERBERIS, vox antiquis ignota, quæ tamen ſecundum analogiam penult. corripiet, vt verberis, piperis, cantharis, baſſaris, tyberis, phalaris. Berberis, eſt magna arbuſcula, ramoſa, ſpinoſa, corticem tenuem, & politum habens; folia oblonga parua, viridia, in margine inciſa, aliquantulum aſpera, ſaporis acidi; flores lutei in paruos racemos congeſti, & multis paruis foliis flauis inſtructi ſunt; his ſuccedit fructus tener, paruus, oualis, ſucco plenus, poſt maturitatem coloris rubri, ſaporis acidi, adſtringentis, grati, ſemina oblonga, dura, coloris fuſci in ſe habens: hæc arbuſcula creſcit in locis incultis: dicitur & *Oxyacantha*, idque a ſpinarum acuminatis cuſpidibus. *Berberis* vero eſt vox origine barbara. Vocatur etiam *ſpina acida* & *creſpinus* vel *criſpinus*, ab Italica voce *creſpino*. G. Preiſſelbeer.

BERIBERI, *Bontio* aliisque vox familiaris, quando loquunde morbis frequentioribus apud Indos. Vox eſt barbarica ſignificans paralyſis ſpeciem, cum quis nictitando genubus & eleuando, ouium inſtar incedit.

BERYLLVS, βήρυλλος, quaſi virillus, a virore lapidis.

BES, alias *Beſſis*, quaſi bis triens, quia duo aſſis trientes, ſeu quod dempto libræ triente ſupereſt, *hoc eſt*, vnciæ VIII. vulgo *marca*. Vox præterquam *Celſo*, multis aliis vſitata. Olim *Des*, veluti dempto triente. Alias libra numularia & octonaria.

BETA, eſt planta culinaria, quæ habet folia ex radice erumpentia magna, polita, ſplendentia, ſatis carnoſa, tenera, viridia, vel albeſcentia, aliquando viridia ſubfuſca, vel rubicunda: ſucco ſaporis nitri plena; flos eſt apetalus, ſtamineus, in globum collectus, calice quinquifido prehenſus; cuilibet floſculo ſubnaſcitur ouarium, quod eſt vaſculoſum, vno fœtum ſemine. Fructus tres, quatuorue in vnum colliguntur, radix annua, in nonnullis valde carnoſa, craſſa: dicitur cicla officinarum. Gr. σεῦτλον, vel τεῦτλον. G. Mangolt, Runckel, Bete.

BETONICA herba, pen. corr.

Betonicam ex duro prodeſt aſſumere Baccho. Seren. tit. hom. morſ.

Betonicæve leves, gallinæ aut iura vetuſtæ. *Seren. tit. ſerp. morſ.*

Ceſtron betonicam ſoliti ſunt dicere Græci. *Macer de herb. 40.*

Voſſius deriuat a Vettonibus, Luſitaniæ populo. Vide & *Plin. l. 25. c. 8.*

Betonica, eſt planta, quæ habet folia ex radice erumpentia oblonga, ſatis ampla, viridia, in margine inciſa, parum aſpera, ſaporis amari; caulem quadratum, parum rugoſum, folia hinc inde bina oppoſita habentem; flores in verticillos, deinde ad ſuperiora in ſpicas digeruntur, galea erecta, imbricata, bifida, barba trifida, ſegmento medio bifido, maiore; ſemina oblonga, in capſula, quæ flori tanquam calix inſeruiuit, incluſa; radix craſſa, fibroſa. Κέστρον a Græcis dicta eſt. Naſcitur in pratis, montoſis, frigidis & opacis locis, ideoque Gr. ψυχότροφον, vocata eſt, quaſi frigus alens. Ab inuentoribus Vettonibus Hiſpaniæ populis *Betonica* & *Vetonica* appellata eſt. Porro caryophylleus flos etiam vocatur *betonica*, vel *tunica* detractis a betonica duabus literis prioribus. G. Betonien.

BETVLA, pen. corr. vt cætera diminutiua in vla, aſſula, bucula, ſportula. Neque enim ei a Bethulia oppido nomen, ſed a batuo, vt betula ſit quaſi batula, quod non tantum in coercenda puerorum ignauia adhibeatur, ſed & olim faſces Magiſtratus armaret. De quo *Plinius l. 16. cap. 18.* *Gaudet*, inquit, *frigoribus ſorbus, & magis etiam betula. Gallica hæc arbor mirabili candore atque tenuitate, terribilis Magiſtratuum virgis.* Perperam in quibusdam *Plinii* editionibus legitur *betulla.* Betula & BETVLIA, arbor eſt mediocris altitudinis, cuius rami ſunt tenues, flexiles incuruati, cortex exterior trunci eſt craſſus, aſper, albus, fiſſus; interior vero eſt tenuis, politus inſtar pergameni, hunc etiam veteres papyri loco adhibebant; lignum eſt album; folia mediocriter lata, acuta, in margine dentata, populo nigræ ſatis ſimilia, viridia, tenera, polita, ſaporis amari; flos mas amentaceus, folioſus axi affixus capillaceo longo; fructus, loco a flore remoto ſquammoſus, cylindraceus, ſub ſquammis ſuis recondens ſemina alata. Hæc arbor creſcit in ſyluis: quidam dici putant, quod bitumine ſcateat; apud PLINIVM enim legere eſt; *Bitumen ex ea Galli excoquunt*, id quod hodieque faciunt ſeptentrionales. Vocatur oleum betulinum. Vtuntur eo veterinarii & coriarii. G. Birckenbaum.

BEZOAR, belzahar, badzahar, bedezaher, voces Arabicæ, Perſicæ, & ex Hebræis fontibus detortæ, de quibus videndus *Martinius.* De penultimæ mora ambiguum eſt iudicium, niſi quod opportunius videatur corripienda, tum quia id factitatum videmus a mercatoribus, qui lapides hos ex Indiis, & Perſide aſportant, atque ideo pronunciationem gentium orientalium ſequuntur; tum quia vox ipſa donata iam ciuitate latina, ad Latinorum quoquo regulam, vocalium ante vocales, meretur exigi. Bezoar, eſt vel chymicum, vel animale. *Chymicum* eſt compoſitio ex *butyro antimonii* & *ſpiritu nitri*, ex qua puluis albus componitur, aduerſus venena morborum malignorum, qui & ſudorem prolicit: *Animale* duplex eſt, *orientale* vel *occidentale.* Orientale reperitur in animali capri-cerua dicto. Eſtque animal Perſiæ ac Indiæ orientalis, partim ceruo ſimile, partim capræ: hinc fit vt aliis capra audiat, aliis hircus, aliis capri-cerua, Perſis *Paſen.* Iſte lapis in prædicto reperitur animali, nempe in prouentriculo, hinc & in ventriculo aliisque cauitatibus internis. Figuram habet oualem, rotundam, ſeſſilem & intus cauam, in meditullio paleam continet, pilos, vel ſimilia, ſuperficies eſt læuis & glabra cum ſplendore, ſubſtantia e laminis, cæparum ad inſtar ſibi incumbentibus, compacta, variante colore, plerumque atro virente, hinc dilutius virente, palleſcente, cineritio, fulueſcente, melleo &c. odore nullo, niſi contrito, tum muſcum aut griſeam ambram redolet: variante magnitudine & pondere: plerumque intra iuglandis magnitudinem conſtitutis, vel paulo maioribus aut minoribus. Dantur quoque artificialia, ſed vili pendenda. Inprimis reperitur hic lapis, notante KAEMPFERO, in Perſidis prouincia *Laar*, & quamuis plures regni regiones inhabitat, lapides tamen bezoardicos non omnes gignunt, quia non ferunt herbas, ex quibus depaſtis lapides creduntur generari, vel qui generantur non omnes æque nobiles ſunt, hinc in quibusdam locis nulla ex prædictis beſtiis datur ætate prouecta, quæ lapidem non contineat, cum in aliis extra Larenſem prouinciam, ex centenis, vix vna ſit, quæ lapide dotetur, eoque vt plurimum exigui valoris: in hircis lapides maiores & frequentius inueniuntur, quam in fœminis. Omnes bezoardici non æque æſtimantur boni; notam legitimi lapidis profitentur, ſi volæ manus cinere aſperſæ, vel creta oblitæ affrictus, lineam inducat luteam, vel ex luteo viridantem. Hæc illis lydius lapis eſt, quo veritatem ſimul ac bonitatem explorant; Acus candentis admiſſio, fallax bonitatis

 teſtis

teſtis eſt: legitimi enim plerique ita indurati ſunt, vt acum candentem reſpuant. Quos KAEMPFERVS in natali monte comparauit, & genuinos eſſe nouit, vix candentis acus veſtigium recipiunt, ſed attactu ignis diſſiliunt. Ex lapidis raritate & pretio facile colligitur, bezoardicos, quibus in pharmacopœis Europæi vtuntur, non eſſe Perſicos, vel ex eorum numero, qui a capris bezoardicis *Paſen* nomen ſortiuntur, ſed vel ex aliis animalibus, vel ſub alio cœlo degentibus depromptos & ſuppoſitos. *Occidentale* venit etiam ex capri-cerua, nulla tamen cornua gerente; naſcitur in Peru, dicitur *Vicuniras* ſeu *Taraguas*, in iis locis animalis, vt de priori dictum, inuenitur, circa rem heterogeneam in cauitate media contentam tunicatim concretus. Orientalibus vt plurimum maior; ſuperficie ſcabra, colore cinereo, albo, nigro, obſcureue virente, qui optimus. G. Bezoarſtein.

BEZOAR ANIMALE, eſt hepar & cor viperarum ſiccatarum & pulueriſatarum.

BEZOAR MINERALE, eſt præparatio antimonii ſudoriferi, cui attribuitur virtus, quæ bezoar orientali adſcribitur, vnde nomen.

BEZOARDICVM, eſt medicamentum alexipharmacum, venena & malignitates expellens. Deriuatur nomen a lapide bezoar. G. Widergifft.

BIBENELLA, idem quod *Pimpinella*.

BIBITORIVS MVSCVLVS, ſiue rectus, *Oculum adducens*, poſitus in maiori angulo oculi, ortus ex foramine orbitæ irregulari, anterius bulbo implantatur, ſic dictus, quod introrſum, naſum verſus, oculum ducat, bibenteſque cantharum inſpicere cogat.

BICEPS MVSCVLVS, hoc nomine gaudent duo muſculi, quorum vnus eſt tibiam, alter cubitum mouens. Qui tibiam mouet oritur vno capite in tuberoſitate oſſis iſchii, altero in inferiore & exteriore parte femoris, & inſeritur in epiphyſi ſuperiori fibulæ. Qui autem cubitum mouet, oritur vno capite a proceſſu coracoide, altero a cauitate clinoide ſcapulæ, inſeritur vlnæ parti anteriori. G. Der zweykôpffige Muſcul.

BICONGIVS, eſt menſura duodecim ſextarios continens: dicitur continere viginti quatuor libras vini.

BILIS, eſt duplex, vel quæ in hepate ſegregatur, vel in veſicula ſellea aſſeruatur. Vtraque per ductum cholidochum in inteſtinum duodenum exantlatur, vt ibi ciborum vlteriori

riori perfectioni inſeruiat, & fæces a ſecretione chyli relictas foras conuehat. *Bilis* chemice examinata conſtat ex ſulphure, ſale volatili & pauca aqua. Ordinario flaua vtraque eſt; tamen quæ in veſicula continetur eſt profundius flaua, ſpiſſior, amarior, quam quæ ex hepate continuo deſtillat. Et prior tantum copia, compreſſu externo, contractione fibrarum irritatarum in muſculoſa veſicæ tunica, excernitur; ſed hepatica dilutior, pellucidior blandior, iugi fluore ſtillat, & ſolis actionibus circumductorum humorum, & reſpiratione expellitur. Vtraque hæc bilis humor eſt ſaponaceus, abſtergens, olea aquæ miſcibilia reddens, reſinas, gummi, tenacia quæque reſoluens, attenuans, homogenea faciens, ſi cum his conteritur; nec alcalica eſt, nec acida, ſed oleo, ſale, ſpiritibus inprimis concreuit aqua dilutis, non combuſtilis, niſi ſiccata prius: hæc tamen bilis cyſtica plus, hepatica minus præſtat; vnde diuerſitas quædam videtur in his. *Præter* ordinem vero vitellina, porracea, æruginoſa, vel glaſtea eſt, quæ colorum diuerſitates ſolummodo ex ſpiſſitudine varia, & mora in cauo communi contracta expullulant. Bilis igitur eſt liquidum ex ſanguine ſecretum, neque bilis dicitur, niſi quando a ſanguine ſegregata fuerit; ideoque veterum ſententia de humore bilioſo, inuenta circulatione ſanguinis, prorſus corruit. Gr. χολή. G. Die Galle.

BILIOSVS, dicitur, præſertim veteribus, qui multa bile abundat, & hinc ob temperamentum illud in quoſdam inclinat morbos; ſed recentiorum multi ſtatuunt, bilem quidem deficere, ſed bonam nunquam abundare. G. Gifftgallig, der viel Choleriſche Feuchtigkeit hat.

BILIS ATRA, idem quod *Melancholia.*

BIOLYCHINON, eſt calor natiuus, qui a parentibus fœtui communicatur, ipſumque deinceps comitatur; verum poſtea cum in lucem editus eſt, hic calor ſenſim perit, poſtquam pueri ſpiritus & ſanguinis ab alimentis & aere nitroſo, alterantur, reficiuntur, mutantur. Ex βίος vita, & λύχνος lumen. G. Eingeborne Wärme. Terminus eſt, qui fere in deſuetudinem in hodierna ſchola medica abiit.

BIPINELLA, ſiue PIMPINELLA, eſt herba, cuius folia binis ordinibus plumatim ſiue pennatim digeſta ſunt, vnde nomen. Vide *Pimpinella.*

BISLINGVA eſt *Hypogloſſum*, ſeu *Laurus Alexandrina*, ſic dicitur, quia ſupra eius folium inſuper foliolum, habet linguæ inſtar. G. Zungenblat.

BISMALVA, ſiue ALTHÆA, eſt officinarum vox barbara. Vult dici, quaſi duplex malua, vel quæ alterum tantum viribus pollet. Vel dicitur quaſi malua ibiſcum, vel maluauiſcum. Vide *Althæa.*

BISMVTHVM, idem quod *Marcaſita.*

BISTACIVM, mutato B in P. fit *Piſtacium.*[1]

BISTORTA, eſt planta, quæ habet folia ex radice erumpentia, longa, ſatis ampla, & acuta, magis viridia in ſuperiori, quam in inferiori parte; ex his erumpunt caules rotundi, parua quædam folia habentes; calix monophyllus, membranaceus, geminus, vnus alteri ſuppoſitus, inſtar vaginæ. Ex fundo huius pedunculus oritur, cuius deinde fini adnaſcitur flos monopetalus, in ſegmenta profundiſſime ſectus, & staminibus octo præditus, in denſas & longas ſpicas congeſtus; in fundo huius floris inuenitur ouarium triquetrum, inſtructum tuba longa, continens poſt maturitatem ſemia triangularia, & ſplendentia. Radix eſt carnoſa, quaſi tuberoſa & geniculata ſeu nodoſa, oblonga, pollicem craſſa, in ſe contorta, capillitio donata, foris ex fuſco nigricans, intus ex flauo rubeſcens, ſaporis auſteriuſculi, adſtringentis, odoris nullius. Creſcit in locis humidis. Voluerunt quidam illam eſſe Britannicam veterum, ſed huius radix eſt tenuis, cum illa biſtortæ ſit ſatis craſſa, folia tamen vtriusque ſatis bene inter ſe conueniunt: dicitur *biſtorta*, ob radicem ſemel aut bis contortam: dicitur etiam *ſerpentaria*, *colubrina* & interdum *dracunculus*, vel *dracontium.* G. Natterwurtz.

BITVMEN, pen. prod.

> *Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros. Virg. Ecl. 8.*

Bitumen, dicitur omne corpus, quod igni admotum facile flammam concipit, naptha atque petroleo ſpiſſius, lentum valde, tenacitate tamen primo adhuc diffluente; ab ignis calore liqueſcit, in aqua non ſubſidet nec miſcetur; ſiue minerale, vegetabile, vel factitium fuerit, vnde nomen generale eſt.

BITVMEN IVDAICVM, vide *Aſphaltus.*

BLÆSITAS, eſt deprauata locutio, a vitio linguæ, in conformatione aut obſtructione peccantis. G. Liſpeln.

BLÆSVS, eſt vitio prædicto laborans. Item is cui pedes ſiue crura extrorſum vertuntur: vel cui dorſi ſpina anterius vel poſterius incuruata eſt. Paralyticum quoque ſignificat, a βλαισόω diſtorqueo.

BLAS, eſt nomen ab HELMONTIO confictum, ſignificans generaliter aſtrorum motum localem & alternatiuum; ſed quid ipſe per illud vocabulum ſignificet, forte neſciuit, ſaltem nos neſcimus.

BLATERONES, ex βλὰξ deriuatur. Eſt autem nomen piſcis inutilis, vt ſunt blaterones homines, multa, ſed inutilia dicentes.

BLATTA, vermiculus eſt quaſi blapta, ἀπὸ τοῦ βλάπτειν, id eſt nocendo, quia libros, ac veſtes erodit. Hinc blattaria herba, quæ blattis ſcatet.

BLATTA BYZANTIA, ſiue VNGVIS ODORATVS, eſt alicuius conchylii integumentum: odore ſuaui, colore fuſco, figura oblonga inſtar vnguis.

BLATTARIA, planta eſt verbaſcum referens, differt tantum ab eo, quod eius fructus ſit magis rotundus, caules habet rectos, fortes, in ramos diuiſos; folia eius ſunt longa, verbaſco anguſtiora, acuta, in margine inciſa, non lanuginoſa, coloris viridis nigricantis, in parte ſuperiori ſplendentia, odoris ingrati, ſaporis amari; flores in quinque partes diuiſi, odori parum, pedunculis villoſis adhærentes; his floribus ſuccedit diuiſis in eorum locum fructus, qui includit ſemina minima, nigricantia. Radix rapum refert, eſt alba, dura, aliquantulum fibroſa: hæc inuenit nomen hoc latinum, a colligendis in ſe blattis: nam ſi alicubi reponitur, vel proiicitur, dicunt plurimas blattas ſuper ea colligi. G Schabenkraut, Mottenkraut.

BLENNA, eſt mucus craſſus per palati foramina & nares deſtillans, qui prouenit ex poris & glaudulis membranæ Schneiderianæ, inueſtientis internas nares, cauitates oſſis maxillæ ſuperioris, ſinus frontales, oſſisque cuneiformis. G. Rotz, der Unflat durch die Naſen.

BLEPHARIDES, idem quod *Cilia*.

BLEPHARON, vide *Palpebra*.

BLEPHAROXYSTVM, inſtrumentum eſt, quo palpebræ raduntur & concinnantur, in trachomate, ſiue aſperitudine calloſa palpebrarum interiorum, ex Βλέφαρον, palpebra, & ξύω tondeo.

BLITVM, eſt planta, cuius duæ ſpecies dantur generales, vna alba, altera rubra, harum ſingulæ adhuc diuiduntur in duas alias, blitum album maius habet caulem album, ramoſum, quatuor circiter pedes altum; folia betæ inſtar, ſed minora; flores ſunt parui, tribus ſtaminibus conſtantes; ex calice tripartito ſurgentibus; piſtillum autem abit deinde in ſemen plerum-

que

que oblongum, in capſula veſicæ æmula, quæ calix floris fuit, reconditum: radix eſt longa, pollicem craſſa, ſaporis inſulſi, vt tota planta. Blitum rubrum maius, ſiue blitum nigrum, cum præcedente omnino conuenit, differt tantum colore; & quod eius folia plerumque ſunt minora; datur & blitum album minus, & blitum rubrum minus, refrigerantis & humectantis virtutis, quæ ab inſulſo fatuoque ſapore nomen habent. Gr. βλίτον, ſtolidum, ignauum G. Majer, Meyer.

BOA, papularum morbus eſt, cum maculis rubentibus & in tumorem ſurgentibus corpus rubet. Idem quod *Papula.* Quum lues venerea primum innoteſceret, a quibusdam boarum nomine notabatur. G. Böſe Blattern.

BOCHETVM, ſiue DECOCTVM SECVNDARIVM, eſt alicuius decocti ſecunda decoctio. G Schwacher Tranck.

BOCIA, eſt vas vitreum ventricoſum cucurbitæ inſtar. G. Bauchglas.

BOCIVM, idem quod *Bronchocele.*

BOLBOCASTANVM, vide *Bulbocaſtanum.*

BOLBOS, vide *Bulbus.*

BOLETVS CERVI, *Fungus ceruinus*, *Tuber ceruinum* creſcit in ſyluis, vbi ceruorum copia eſt. Sunt rotundi, magnitudine fere pilæ palmariæ, & aliquando minores; ſiccati cortice obducuntur ſubnigro, & intus continent materiam pulueruIentam nigerrimam. Βωλῖται nomen habent, teſte Marcello, ἀπὸ τοῦ βῶλος gleba, & λίαν valde. G. Hirſchbrunſt, Hirſchſchwamm.

BOLVS, eſt medicamentum internum, habens conſiſtentiam, melle paulo craſſiorem. Quantitas quæ vnica doſi offertur, non maior eſſe debet, quam quæ bucca commode excipi poteſt. G. Ein Biſſen, Mundvoll.

BOLVS, terræ genus eſt, ex pallido rubrum, vaporibus martialibus imprimis impregnatum. Eſtque Armena, Orientalis, Germanica, Bohemica, alba &c. in omnibus linguis *Bolus* appellatur. Gr. Βῶλος gleba.

BOMBAX, *acis*, *bombacinus*, vide *bombycinus.* Bombax, nobis, (ſed male) nam arboreus tantum frutex eſt, Baumwolle.

BOMBVS, idem quod *Borborygmus.*

BONNA, vel BONA, eſt Arabicum Bonn, quo denominatur ille fructus, ex quo toſto, molito & aqua feruente infuſo, paratur potus ille notiſſimus, quem arabes cahua, nos coffe vocamus. Nihil ipſi cum fabis, quas Germanice

nice Bohnen dicimus, commune eſſe hodie ſatis cognitum eſt, poſtquam hic fructus etiam in noſtris hortis ad maturitatem ſæpe perducitur. G. Coffebohnen.

BONIFACIA, idem quod *Laurus Alexandrina.*

BONVS GENIVS, eſt *Peucedanum*: a Græcis prophetis ἀγαθὸς δαίμων, fortaſſe ob eximias vires, vel ob prognoſtica boni ominis, quæ ex illo diuinare putabant.

BONVS HENRICVS, lapathi vel chenopodii ſpecies: planta ſcilicet, quæ plures caules habet pedem circiter altos, craſſos, multis foliis triangularibus cinctos, quorum quædam atriplici, alia aro ſimilia ſunt, ſed alba & farinoſa, longis pedunculis adhærentia. Flos eſt apetalus, conſtans plurimis ſtaminibus ex calice multifido ſurgentibus: piſtillum autem abit in ſemen orbiculatum planum in capſula veluti ſtelliformi, quæ floris calix fuit, reconditum: radix eſt longa, craſſa, in plures ramos diuiſa, coloris flaui: ob uires laudabiles appellatur etiam G. Guter Heinrich, Schmerbel. ſed officinas hodie non intrat, atque parum omnino conſtat de vſu. Nullum animal hanc plantam attingit; ex quo venenatam eſſe colligimus.

BORAGO, BORRAGO, eſt herba, quæ habet caulem rotundum, debilem excauatum, tenerum, ramoſum, ſetis quaſi obductum, terram verſus inclinatis: folia ex radice erumpentia, ampla, oblonga, aut fere rotunda, villoſa, parum acuta, tactui aſpera, plerumque repentia: flores in ſummitate caulis naſcuntur, cærulei, vel albi, pulchri, viſui grati, monopetali, rotati, ex cuius calice multifido oritur piſtillum, mediæ floris parti ad inſtar claui infixum, & quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui abeunt in totidem ſemina veluti viperini capitis æmula, nigra, quæ in calice ipſo longo ampliato matureſcunt: radix eſt craſſa, digitum longa, ſuccum viſcoſum & craſſum continens, inſipidum. Flores eius inter quatuor cordiales ab antiquitate commendatos accepimus. Putatur *Borago* dici quaſi *corago:* quod nomen Apuleius teſtatur a Lucanis bugloſſo tribui: de quo Plinius teſtatur, quod animi voluptatem augeat, ſi vino iniiciatur: quod idem Dioſcorides etiam repetit. Borago autem & bugloſſum a multis ad idem genus referuntur. G. Boretſch, Burretſch, Borrage.

BORAX. Multi putant eſſe ſal factitium ex ſale armoniaco, nitro, tartaro calcinato, ſale communi, alumine, quæ cum vrina liquentur, filtrentur, & tandem euaporentur. Sunt qui putant originem habere ex ſtabulis in quibus elephantes aluntur.

tur.

tur. Sed noſtro æuo cognitum eſt omnem boracem ex India afferri, ibique ex ſingulari minera, fere ad aluminis inſtar, parari. Hinc acceptum Veneti & Bataui depurant & forma cryſtallina pellucida nobis vendunt. Vſibus internis aliquando adhibetur: ſed plurimum conſumitur a mechanicis. Nomen deprauatum eſt ex Arabico *Baurach*, quod illi adhibent nitro deſignando. *Dioſcorides* dicit habere porri colorem, ſed noſtrum album eſt, inſtar nitri. Gr. χρυσοκόλλα ſiue auri gluten. Borrar, Burreß.

BORBORYGMVS, eſt murmur in inteſtinis amplis cum ſonitu, ortum a flatu incluſo, a βορβορύζω ſtrepidum edo. G Ein Gemurmel, Getöß im Leibe.

BOROZAIL, aut *Zail* Æthiopum. Ibi graſſatur morbus, partes genitales potiſſimum infeſtans, diuerſus ab eo, qui vulgo *Gallicus* dicitur, qui ex immodica venere, cui multum obnoxii ſunt, ortum habet, & hoc nomine denotatur.

BOTANICA, eſt ea ſcientiæ naturalis pars, quæ docet ſtructuram, vires, & vſum plantarum, eaſque certa methodo in ſuas claſſes & genera diſtribuit; hinc *Botanicus* dicitur, qui hanc ſcientiam tractat. A βοτάνη herba, G. Krautkennung.

BOTHOR, ſunt puſtulæ oris non ſerpentes, ſed tales quæ facile ſuppurantur & delentur, etſi nonnunquam leuiter eas ſuppurare contingat. Eſtque *Bothor* generalis appellatio etiam puſtularum faciei, pulmonis & aliarum partium. Variolæ ac morbilli etiam *Bothor* ab Arabibus nominantur, & pro veſiculis puſtuliſque oculis aduentantibus ſumuntur.

BOTRYS, eſt racemus vuarum vitis; vt & herbæ nomen, quæ ſic a ſemine vocatur, quod racematim ramulis adnaſcitur; ſiue quod plura eius ſemina caulibus ſic conferta pendeant, vt racemi in vua referant imaginem. a Cappadocibus ἀμβροσίαν vocari author eſt *Dioſcorides*. G. Traubenkraut, Krottenkraut.

BVNIAS, Gr. Βουνίας, ſpecies napi, cuius radix in rotundum creſcit.

BOVINA FAMES, idem quod *Bulimia.*

BRABYLA, prunorum ſpecies; ſic dicuntur, quia aluum ducunt. Gr. τὰ βράβυλα.

BRACHERIVM, idem quod *Amma*

BRACHIA, Gr. Βραχίονες, quid ſint in homine notum eſt. Ita quoque vocantur plantarum, præcipue autem arborum rami, quod inſtar brachiorum hominis extendantur. G. Der Aſt.

BRACHIALE, idem quod *Carpus.*

BRA-

BRACHIÆVS, ad *Brachium* pertinens.

BRACHIVM, ſiue LACERTVS, Gr. βραχίων, eſt membrum conſtans brachio proprie dicto, cubito & manu. G. Der Arm.

BRACHYLOGVS, eſt qui ſuas ſententias breuiter determinat. *Brachylogia* eſt breuis locutio. Vt ſunt *aphoriſmi Hippocratis*, βραχὺ breue, & λέγω dico. Vide *aphoriſmus*.

BRACHYPNOEA, ſignificat frequentius breuem, & ſimul ex longis interuallis factam ſpirationem.

BRADYPEPSIA, eſt tarda in ventriculo ciborum concoctio, orta ex defectu ſaliuæ, liquoris gaſtrici, fibrarum ventriculi laxitate, pituita viſcida abundante, motu corporis & reſpiratione imminutis: ex βραδὺ tardum & πέπτω coquo. G. Langſame Kochung des Magens.

Βραχυπόται, ex βραχὺς, breuis & πίνω, bibo, qui parum, & raro bibunt. Plerumque ſunt phrenitici, qvi ad potus neceſſitatem non attendunt.

BRANCA, eſt vox Italica, & ſignificat pedem: ſic vocatur acanthus, *branca vrſina*: ideoque a ſimilitudine quam eius folia cum anterioribus vrſorum pedibus habent.

BRANCHVS, eſt raucedo faucium, & aſperæ arteriæ. Raucitas *Plin.* rauis *Plauto*. Gr. βράγχος. Vide *Raucedo*.

BRASSICA, pen. corripit.

Fraenat commiſto quum feruet braſſica vino. Seren. tit. ſolut. ventr.

Braſſica, eſt planta, quæ habet caulem humilem, craſſum, cortice duro obductum, ſubſtantia medulloſa repletum, ſaporis acris ſubdulcis: folia in initio erumpentia ſunt ampla, obrotunda, fragilia, rubicunda, ſucculenta, rugoſa, inciſa, ſinuoſa, caulibus longis & craſſis adhærentia, plerumque conuoluta, neruoſa, foliis in parte inferiori deciſis, altera ſuperioris partis ſibi inuicem accumbentia & comprimentia. Formant magnum caput obrotundum: flores quadrifidi & cruciformes tetrapetali, ex quorum calice ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum, ſeu ſiliquam teretem, longam, cylindraceam, ſepto intermedio, cui valuæ imbricatæ vtrimque adhæreſcunt, in duo loculamenta diuiſam, ſeminibuſque fœtam ſubrotundis. Radix eſt craſſa, multas habens fibras. Gr. Κράμβη Nomen, docente Feſto & Varrone, accepit a præſecando, quod ex huius ſcapo minutim præſecatur, ſiquidem nunc tonſili, nunc cymoſo caule ſpectatur. Non deſunt, qui braſſicam contendant ἀπὸ τῶ βράττειν, *a vorando* nomen accepiſſe, Eſtur enim a tota

tota plebecula tum cocta, tum cruda, vel muria condita. Vide *Crambe*: hæc planta diuiditur in tres ſpecies, 1. eſt quæ folia clauſa habet, & dicitur capitata, 2. quæ folia explicata habet, 3. Braſſica cauliflora dicitur. G. Kohl.

BRASSICA MARINA, vide *Soldanella*.

BREGMA, eſt os ſincipitis, figuræ quadrangularis, anterius interuentu ſuturæ coronalis coniunctum oſſi frontali, poſterius interuentu ſuturæ lambdoidis connexum oſſi occipitali, laterali vna parte, intercurrente ſutura ſagittali, connectitur cum ſuo pari cognomine, altero latere cum oſſe temporum, a βρέχω madefacio, quia illa oſſa infantibus, & ſæpe adultis, humida & tenera ſunt.

BREVE VAS, dicitur vas venoſum a ventriculo in ramum venoſum lienarem tranſiens. Antiqui ita ſingulari numero appellant, forte magis ad animalium, quæ pro familia mactantur, quam ad hominum lienem attenti. In homine autem ſunt plures eiusmodi venæ, vnde recentiores malunt dicere vaſa breuia. Pleraque, quæ veteres vaſi breui tribuebant, falſa hodie deprehenſa ſunt. G. Das kurtze Geſäß.

BREVIS CVBITI MVSCVLVS, eſt muſculorum cubiti extenſor ſecundus dictus & breuis. Oritur ab humeri ceruice, poſterius miſcetur cum longo & humori os occupat, deſinit vero in illam olecrani partem, cui innitimur. G. Der kurtze Ellenbogenmuſcul.

BRITANNICA, eſt herba, quæ primum celebris facta eſt quum Romani in Germaniæ tractu maritimo, prope Friſios, caſtra poſuiſſent, ibique ſtomacace laborarent, huiusque herbæ vſu reſtituerentur. Hanc aliqui dicunt in conuallibus locis prope arcem *Bretten* reperiri, vnde nomen deducunt. Sed male: neque, a britannica inſula deduci debet, vt nonnulli ſtatuunt. Sed eſt vox origine Friſica. Medetur quippe gingiuis ſanguinolentis in ſcorbutico malo, quando dentes vacillant, conſumuntur, atque decidunt. Venit itaque a vocibus *Britten & Brit*, quod ſonat *firmiter claudere* vel *inhærere*, vt dentes ſanis in alueolis ſolent, deinde additur *Tan*, & vnius litteræ adiectione *D* fit *tand*: & *Hica* ſignificat dentium expulſionem: hinc noſtris *Hik* ſiue ſingultus, quia illa conuulſionis ſpecies cum flatu expellitur. *Abr. Muntingius*, qui eam reperiſſe ſibi videbatur, facit ſpeciem lapathi exigui, quod humidis locis prouenit, ſcripſitque de ea commentatiunculam.

BRIZA, eſt frumenti ſpecies, ex quo panes conficiuntur: dicta hæc planta ἀπὸ τοῦ βρίζειν, quod eſt onerare, aggrauare, & quaſi

& quaſi veterno ſopire; quod huius panis eſu euenire, ſcriptum reliquit GALENVS.

BROCHI, ſunt labiones, ſiue qui magna & inordinata labia habent: Item laquei chirurgici genus.

BRODIVM, eſt liquor in quo medicamenta vel aſſeruantur vel diluuntur. Item expreſſus ſuccus ex materia cocta, v. g. ex capone. G. Brühe.

BROMOS, eſt frumenti ſpecies: dicitur βρῶμος & βρόμος, non a fœtore, ſed potius quia veterina ea multum veſcantur, vel a fragore, ſonituque, quem ſeges matura, minimo tacta flatu, edit. Alii βρῶμος legunt a βρῶμα, quod cibum ſignificat. Vocatur aliquando *Auena*.

BRONCHIA, ſunt aſperæ arteriæ, ſeu fiſtulæ reſpiratoriæ ramificationes; quæ ex annulis cartilagineis & membranis contractilibus componuntur: quæque primo in ramos, dein in ramulos innumeros diuiſæ, deſinunt in minimas illas veſiculas, præcipuam pulmonum ſubſtantiam conficientes, quæ ramulis racemorum inſtar adhærent. Diminutiuum a βρόγχος, guttur.

BRONCHOCELE, eſt tumor in larynge, aut broncho vel glandula thyroide, apparens, ortus ab humoribus in folliculis adipoſis ſtagnantibus, vel ab aere emphyſematis ſpeciem referente, a βρόγχος media pars aſperæ arteriæ, & κήλη, hernia, tumor. G. Gurgelgeſchwulſt.

BRONCHOTOMIA, eſt aſperæ arteriæ, in membranoſa eius parte, quæ eſt intra duos annulos, ſectio; vſus eſt in angina caput laryngis occupante, ad ſuffocationem inhibendam, ex βρόγχος media pars aſperæ arteriæ, τέμνω ſeco. G. Eröffnung der Lufftröhre.

BRONCHVS, eſt aſperæ arteriæ portio media, fiſtuloſa, ex annulis incompletis, ſiue non perfecte rotundis, anterius conſtructa; poſterius per membranam muſculoſam connexis, vbi in rotunditate deficiunt; ſuperior pars *larynx*; inferior *veſicularis* dicitur: inſeruit voci & reſpirationi. A βρέχω irrigo, humecto. Vetuſtiſſimi enim phyſiologi docebant potum omnem ad pulmones demitti; vnde hic canalis totius corporis rigatorius exiſtimabatur. G. Die Lufftröhre.

BRVCHVS, Gr. βροῦχος, forte, a βρόχω, voro, comedo, vermis eſt herbas, & arborum frondes rodens.

BRVNELLA, eſt planta, quæ habet caulem minimum, repentem, lanuginoſum parum, anguloſum, coloris purpurei: folia oblonga, villoſa, rubicunda, ſaporis viſcoſi aliquantulum

amari: flores in ſpicam ſquammatam, denſam, breuem congeruntur, habentque galeam erectam, integram, cauam, longam, in ſuperiori parte in decem labiis diſſectam: ſemina obrotunda in capſula, quæ flori tanquam calix inſeruit, incluſa: radix eſt parua, fibroſa; creſcit hæc planta in ſyluis & montibus. Vide etymon in Prunella.

BRVSCVS, vide *Ruſcus*.

BRYGMVS, eſt dentium inter ſe colliſorum ſtridor & ſtrepitus, ortus a motu conuulſiuo muſculos maxillæ inferioris occupante, obſeruandus in epilepſia, ſimilibusque morbis conuulſiuis. Gr. Βρυχμὸς. G. Knirſchen mit den Zähnen.

BRYON, eſt muſcus, βρύειν pullulare, quia muſcus ex arborum corticibus expullulat. Vide *Muſcus*.

BRYONIA, pen. corripit.

Nec metuit ſenteis, nam vepribus improba ſurgens
Achrados, indomitasque bryonias alligat alnis. Columell. l. X.
Δαύκειον, ῥίζας τε βρυωνίδος, ἢ καὶ ἔφηλιν. *Nicand. Theriac.*

Bryonia, dicitur a βρύειν pullulare, quod in adiacentes ſcandens late pullulet: videtur deriuari a βρύον vua: vel a βρύειν germinare: vuas enim profert, & plura & longa germina. Gr. Ἄμπελος λευκὴ, ψίλωθρον. *Vitis alba* dicitur, non quod vitis ſit, ſed quod in vitis ſimilitudinem, iuxta parietes proſerpat, clauiculisque vbique adhæreat: *Viticella* idcirco quoque nomen eſt: vt & *Pſilothrum*, quod eius acinis coria depilari poſſint. Planta eſt quæ habet caules exiguos, ramoſos, teneros, villoſos, intra paruum tempus in magnam altitudinem creſcentes, ſcandentes, plantas vicinas amplectentes. Folia vitim referunt, ſed minora, aſpera, albeſcentia: flores ſunt manopetali, campaniformes, albi, exigui, patentes, quinquifidi, ora radiatim expanſa, calice tenaciſſime comprehenſi, proprio calici adnati, ita, vt vnum corpus eſſe videantur, quinque ſtaminibus præditi: alii flores ſimiles innaſcuntur ouario ſupra apicem eius calice inſtructum. Ouarium innatum fini pedunculi, eſt bacca rotunda, vel ouata in initio viridis, ſed poſt maturitatem rubicunda, ſuccum flaueſcentem ſaporis ingrati habens, in qua hærent ſemina plura ouata & acuta. Huius ouarii apex coronatur calice & flore hermaphrodito ſimili flori maſculino, ſed minore: radix longa, craſſa, tuberoſa, carnoſa, albida, flaueſcens, quaſi fungoſa, intus circulis donata, ſaporis acris mordacis, amaricantis, nauſeoſi, odoris viroſi, dum recens eſt; mitior fit, dum ſeneſcit. Obſeruatum eſt ad triginta annos viuere, & radicem ad hominis craſſitiem excreuiſſe; creſcit in ſepibus & locis vliginoſis: ſi radix eſt bifurcata, tunc illam ſæ-

pe

pe pro mandragora vendunt, cultro faciem fingunt, & in ſuperna parte infigunt granum hordei, quod deinde creſcens, emittit radices tenues, quæ pilos capitis referunt. G. Stůckwurtz, Gichtrüben.

BRYOPTERIS, ſeu DRYOPTERIS, eſt filix querna alba, muſco quercino innaſcens, a βρύον muſcus quercinus, & πτέρις filix, folia enim alarum in modum habet explicata, a πτέρυξ ala.

BRYTON, eſt cereuiſia; a βρύω germino, pullulo, quia hordeum, ex quo cereuiſia coquitur, prius pullulare, & germen emittere debet.

BVBONIVM, ſeu INGVINALIS; ſic dicitur quia bubones, ſeu tumores inguinales ſanare dicitur: βουβὼν enim eſt inguen, & tumor in iuguinum glandulis.

BVBO, eſt inguen, ſiue locus a flexu femoris ad pubem. Item tumor p. n. in inguinibus, a lue venerea, vel peſte excitatus, hærens in glandulis inguinalibus vel inflammatis, vel ſuppuratis, vel ſcirrhoſis. Gr. βουβὼν G. Druſen, Schlier, Wachs druſen.

BVBONOCELE, eſt *hernia* ſiue *ramex inguinalis*, hoc eſt quando inteſtina per proceſſum peritonæi dilatatum, iuxta decurſum vaſorum ſpermaticorum, in inguina delabuntur & tumorem p. n. conſtituunt. Nonnunquam pro bubone ſiue tumore in inguine ſumitur ex βουβὼν inguen, & κήλη tumor. G. Ein Leiſtenbruch.

BVCCA, Gr. Γνάθος, Κόῤῥη. Dicitur oris pars laxior, quæ inflando tumet, vti apparet in tubicinibus. G. Die Backen.

BVCCINATOR: eſt muſculus buccarum rotundus, circuli inſtar, tenuis & membranoſus, variis fibris intertextis ori tunica inſeparabiliter ſuccinctus. In huius centro obſeruauit *Caſſerius* robuſtum quoddam vinculum exterius enatum, & os genarum perreptans, vbi in muſculum quendam paruum & gracilem buccæ directe oppoſitum terminetur. Oritur a ſuperiori maxilla, inſeritur in inferiorem ad gingiuarum radices. Vſus eſt buccas cum labiis mouere: Eſtque dentibus inſtar manus, dum huc illuc ad dentes cibos propellit, quo exactius comminuantur. G. Der Backenmuſcul.

BVCCINVM, eſt flos regius, ſic dicitur a ſimilitudine tubarum, quæ buccinæ dicuntur.

BVCCVLA, eſt carnoſa ſub mento pars. G. Unterbacke.

BVCEROS, eſt fœnum Græcum: ſic dicitur quia eius ſiliquæ

ſiliquæ bouis cornu referunt, ex βῦς bos, vacca, & κέρας cornu.

BVCRANION, eſt *antirrhinon*, ſic dictum, quod eius florum anterior facies, bouis capiti ſimilis ſit. Ex βῦς bos, & κρανίον, caput, cranium.

BVGLOSSVM, eſt planta, quæ habet folia longa & mediocriter ampla, villoſa, aſpera, coloris viridis fuſci ſplendentis: caulis ad altitudinem vnius vel duorum pedum aſſurgit, ſetis quaſi cinctus, in parte ſuperiori diuiditur in plures ramuſculos, ex quibus naſcuntur floſculi rubri, cærulei, vel albi, qui ſunt monopetali, infundibuliformes, & multifidi, ex quorum calice ad baſin vsque ſecto, ſurgit piſtillum, infimæ floris parti ad inſtar claui affixum, & quatuor veluti ſtipatum embryonibus, qui deinde abeunt in totidem ſemina viperini capitis æmula, quæ in calice ipſo longe ampliato matureſcunt; & ſaporis ſunt amygdalarum: radix eſt longa, obrotunda, digiti craſſitie, intus alba, extus nigra; tota planta habet ſuccum viſcoſum: dicitur & lingua bouina: eſt ſpecies boraginis, & flores eius inter cordiales referuntur. Ex βῦς bos, & γλῶσσα lingua, quia folia huius plantæ figura & aſperitate ſua linguam imitantur. G. Ochſenzunge.

BVGVLA, eſt planta, quæ habet duos caules, quorum vnus flores habet & eſt quadratus, alter tenuis & repens eſt; ambo aliquantulum lanuginoſi ſunt: Folia habet oblonga, ſatis ampla, maiora origano, mollia, aliquantulum in margine inciſa, ſaporis ſubdulcis, poſtea amari & aſtringentis: flores in ſpica vertiticillatim oriuntur, labio breui ſtaminibus ornato, inferiori trifido, media parte procumbente bifida & maiore: ſemina obrotunda, in capſula, quæ flori tanquam calix inſeruiuit, incluſa: radix fibroſa, ſaporis adſtringentis. Datur & altera ſpecies bugulæ, quæ dicitur conſolida media Geneuenſis: eſt herba vulneraria, ideoque conſolida media dicta. Nonnulli vocem deriuant a bugloſſa. G. Gůldengůnſel.

BVLAPATHVM, eſt *Lapathum bouinum*, ſeu potius *magnum*, quia particula βȣ eſt intenſiua. Vide *Lapathum*.

BVLBI, Gr. Βολβοὶ, ſunt radices rotundæ, tunicatæ quales ſunt cæparum, tuliparum, hyacinthorum &c. etiam ad alias radices vox illa transfertur, nempe ad radices tuberoſas, vt glandes terreſtres, bulbocaſtana, ſolani tuberoſi & chryſanthemi tuberoſi &c. Radix bulboſa vocatur, quando plurimis conſtat lamellis vel membranis carneis ſibi inuicem parallele impoſitis; quæ deinceps maximam partem in folia explicantur, ex

ex quorum medio floriger caulis exſurgit, quæ omnia in autumno pereunt, ſed in medio gemmam relinquunt, quæ remanet, & in qua iam tunc noua futura exiſtit planta, quæ ſequenti vere radices ſuas emittit, caulem, folia, & flores explicat; vt in prædictis plantis videre eſt: imo in huius nucleo medio iam hæret planta anni tertii: hoc cum tuberoſis radicibus bulboſa commune habet, quod citra gemmam mediam, vnam, vel plures minores relinquat gemmulas (prout in magis vel minus fertili luxuriat ſolo,) quæ ſequenti plerumque anno nouas fibrillas emittunt, & ſui iuris factæ matrem deſerunt, & propriis præſunt muneribus. G. Bollen, Zwiebelgewächſe.

BVLBINA, & BVLBINE, videtur diminutiuum a *Bulbus*.

BVLBOCASTANVM, eſt planta, quæ habet folia tenuiſſime diuiſa, ad ſeſeli accedentia, ſed ſaporis debilioris, cauli longo purpureo adhærentia; flos, ſemina, & vmbella ad ſeſeli quoque accedunt; radix eſt bulboſa, nigra cute obducta, carnoſa, edulis, extus nigra, alba intus; pro bulbo habet quaſi nucem caſtaneam, hinc nomen dicitur Italis pancaſeole, ex pane, & caſeo, quia nutrit inſtar panis & caſei. Ex βολβὸς bulbus & κάςανα caſtanea, glans caſtaneam enim ſapit; vocatur etiam glans terræ. G. Erdnuß, Erdkeſten, Erdeichlen, Ackereichlen.

BVBONIVM, vide *Aſter*.

BVLBASPHODELVS, eſt Aſphodelus bulboſus.

BVLIMIA, idem quod *Bulimus*.

BVLIMVS, Aurel. *phagedæna*, *edacitas præter conſuetudinem* Horatiano. Gr. Βέλιμος, βελιμία, βέβρωσις, φαγέδαινα. Eſtque fames aucta nimis; quam ſæpe lipothymiæ comitantur, *bouina* dicta: oritur aliquando a ventriculi fermento nimium acri, & quacunque acrimonia huc dalata, vel vermibus, vel actionibus corporis validis, & fibrarum ventriculi & inteſtinorum robore ſummo, vnde tunicæ membranaceæ & nerui irritati remedium, ſcilicet alimentum, ſibi appetunt. Ex βȣ̃ς, bos, ſiue vt aliis placet ex particula βȣ̃, ſignificationem augente & intendente, & λιμὸς fames. G. Allzu groſſer Hunger.

BVMELIA, eſt *fraxinus bubula*, vel vt aliis placet, *fraxinus magna*: ex βȣ̃ς bos, aut ex βȣ particula augendi, & μελία vel μελέα Fraxinus.

BVNIAS, pen. corripit.

Quæque Amiterninis defertur bunias arvis. Columell. l. X.

Genitivus buniadis ſeqvitur genium ſtœchadis, Palladis, Aſclepiadis.

Τοσσὸν καὶ γλυκερῆς σπέρματα βουνιάδος. Pentam. *Andromach.* apud *Galen. l. de Theriaca ad Piſonem.*

Bunias ſiue NAPVS, ſignificat radicem tuberoſam craſſam & magnam. Gr. *βουνιάς.*

BVPHTHALMVM, eſt planta, quæ habet caules ad altitudinem vnius vel duorum pedum creſcentes, tenues, lanuginoſos: folia alternatim inciſa, lanuginoſa, dentata, tanaceti minoris ſimilia: flos eſt radiatus, eiusque diſcus ex plurimis floſculis, folio imbricato inter ſe diſtinctis, componitur, corona vero ex ſemifloſculis, embryonibus inſidentibus, & calice ſquammoſo comprehenſis: embryones autem deinde abeunt in ſemina plerumque tenuia & anguloſa. Radix eſt dura & lignoſa. Dicitur etiam *oculus bouinus* ſeu *cotyla fœtida.* Vocatur ſic, quia eius flores oculi imitantur formam & boum potiſſimum oculis ſimiles ſint. G. Krötendill, Hundsdill, Hundblume.

BVBLEVRON, eſt planta, quæ habet caulem nodoſum, in ramos diuiſum: folia ſunt oblonga, ſatis ampla, rigida, dura, neruoſa, acuminata, auriculæ leporis ſatis ſimilia, & alterno ordine cauli adnata. Flos eſt roſaceus, vmbellatus, quinque petalis conſtans in orbem poſitis, & calici inſidentibus; is autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum, oblongis, hinc gibbis & ſtriatis, inde vero planis. Creſcit hæc planta in locis montoſis ad ſepes, & in dumetis. Videtur componi ex *βοῦς* bos, & *πλευρὸν* coſta, quaſi diceres bouis coſta: dicitur & auricula leporis. G. Haſenohrlein.

BVPRESTIS, G. *Βουπρῆστις*, inſectum eſt de genere cantharidum, in arbore pinu degens. Dicitur ex *βοῦς* bos, & *πρηστὴρ*, qui incendit, ex *πρήθω*, quod ſi bos in paſcuis illud animal deuorauerit, inflammatione perit, & tumore abdominis.

BVRSA PASTORIS, eſt thlaſpios ſpecies, quæ habet folia oblonga, inciſa inſtar erucæ, repentia: caules ſunt exigui, ramoſi, in alas diuiſi, folia habentes, quædam integra, alia profunde inciſa: flores parui, albi, iuxta caules ordinati, quadrifidi, cruciformes ſunt; poſt florem ſequitur fructus triangularis, compreſſus, burſam referens, diuiſus in duo loculamenta, continens ſemina exigua, fere obrotunda, nigra: radix eſt longa, alba, fibroſa, ſaporis ſubdulcis & ingrati: creſcit hæc planta in omnibus locis incultis: ſic dicitur, quod eius folliculi ſeminales burſam paſtoriam apprime referant. Etiam *pera paſtoris* vocatur. G. Taſchenkraut.

BVRSALIS MVSCVLVS, eſt *obturator* femoris internus.

ternus, ſic dictus quia tendines quadruplices iunctos intra carnoſum veluti marſupium, a tertio & quarto quadrigemino, eleganter formatum abſcondit. G. Beutelmuſcul.

BVSELINVM, eſt daucus vulgaris, quaſi diceres *ſelinum bouinum*, id eſt *magnum*.

BVTOMON, eſt graminis arundinacei ſpecies, quæ habet caules rectos, craſſos, politos, æquales: folia graminea, triangularia, ex radice erumpentia: caulis eſt nudus; in huius capite vmbella ſuſtinetur vel flos polypetalus, roſaceus: floris piſtillum abit in fructum, qui conſtat coniunctis arctiſſimis vaginulis, que plurima ſemina plana, oblonga, exigua, recondunt: radix eſt craſſa, alba, nodoſa, fibroſa: hæc planta creſcit in locis aquoſis præſertim in pratis vel circa mare: dicitur & *platanaria*. Nomen accepit, quia auide a bobus expetitur; vel quia valde ſcindit, ex βῦς bos; vel βε, particula augente, & τέμνω ſeco. G. Riedtgraß.

BVTYRVM, Gr. βούτυρον, quaſi βοὸς, ſeu bouis, τυρὸς caſeus vel coagulum: pars eſt lactis pinguior ab ipſo multa agitatione & conquaſſatione ſecreta. A Chemicis hoc vocabulum translatum eſt ad liquores oleoſos ex mineralibus paratos, vti ex antimonio & mercurio ſublimato ſimul deſtillatis fit *butyrum antimonii*. G. Butter.

BVXVS, eſt arbuſcula, cuius truncus ſæpe inſtar femoris craſſus, lignum eſt durum, compactum, & flauum: folia ſunt oblonga, minima, dura, obrotunda, craſſa, polita, ſemper viridia, ſplendentia, odoris penetrantis ſatis grati: flores minimi, herbacei, tribus vel quatuor ſtaminibus conſtantes, e fundo plerumque tetragono calicis foliati ſurgentibus; embryones autem in aliis eiusdem plantæ locis oriuntur, abeuntque in fructus ollæ inuerſæ quodammodo æmulos, in tres partes apice dehiſcentes, in tria loculamenta diuiſos, ſeminibusque fœtos in capſula cartilaginoſa, vi elaſtica munita, reconditis: hæc ſemina ſunt fuſca, longa, ſplendentia. A Gr. πύξος, mutato nempe P. in B. venit a πυκάζω, denſo, nam denſum habet lignum. dicitur quoque *bruſcus* & *ruſcus*. G. Buchsbaum, Burbaum.

BYNE, eſt *Maltum*, ſiue hordeum madefactum, & germinans, quod poſtea ſiccatur, an a βύω, quia humore impletur. G. Maltz.

BYSSVM, BYSSVS, eſt lini aut potius lintei præſtantiſſimi ſpecies.

BYZANTINA BLATTA, *Byzantinus* ſyrupus, pen. prod.
Byzantina ſophos dedere regna. Phal. *Sidonius in laud. Narbon.*

C.

CACABVS ſeu LEBES, eſt vas terreum vel cupreum maius, ſtanno intus obductum, quod climactere ſuprá ignem ſuſpendi ſolet, in quo medicamenta coquuntur. G. Eine Pfanne, Keſſel.

CACATORIA FEBRIS, eſt febris intermittens, (ſic dicta clariſſimo SYLVIO de le BOE) cum alui deiectione multa vel frequenti, & quandoque ſimul torminoſa, diuerſo acceſſus tempore ægros valde affligens, ac debilitans: etiam *cathartica & deiectoria* vocari poteſt. G. Purgirfieber.

CACHECTICVS, eſt qui cachexia laborat. G. Bleichſüchtig und aufgedunſen.

CACHEXIA, eſt malus corporis habitus, ex humorum vitioſorum diſpoſitione mala, nutritionem corporis proinde deprauante, ortus, vnde febres lentæ, tabes, hydrops &c. contrahuntur: in cachexia facies ſæpe pallida & mali coloris eſt, corpus tumidum & inflatum. Cachexiæ late ſumptæ εὐεξία opponitur, ac vt bonus habitus omnibus partibus ſanis communis eſt, ita malus habitus ab omnibus malis propagatur. Stricte *cachexia* tantum ſumitur pro mala diſpoſitione in habitu corporis; *euexia* vero pro humorum ſiue ſanguinis pariter & corporis diſpoſitione bona accipitur. Cachexia pro cauſa agnoſcit, vel liquidi nutrientis deprauatam indolem quamlibet, vel vitium vaſorum recepturorum, vel defectum facultatis applicantis. Ex κακὸς malus & ἕξις habitus. G. Ubele und böſe Leibesbeſchaffenheit.

CACALIA, ſiue LEONTICE, eſt planta tuſſilagini vel petaſitidi non abſimilis, quæ habet folia magna, fere rotunda, craſſa, in margine inciſa, anguloſa, lanuginoſa, inferius alba, petaſitidem referentia. Ex his exſurgit caulis villoſus, medulloſus, in ſuprema parte in ramos diuiſus. Flos eſt floſculoſus plurimis petalis conſtans, quadrifariam diuiſis, embryonibus inſidentibus, & calice veluti cylindraceo comprehenſis: embryo autem abit deinde in ſemen oblongum pappis inſtructum: radix fibroſa, minimi digiti craſſitie: creſcit in montibus.

CACOA, eſt fructus arboris, magnitudine amygdali, colore fuſcus, tenui membrana concluſus. Tota autem ſiliqua, in qua concluduntur, magnitudinem habet cucurbitæ oblongæ mediocris, definit in acumen. Quatuor eius ſpecies recenſentur,

tur, vnde & quatuor ſpecies fructus apud mercatores obueniunt. Venit ex variis Americanis locis, ex Guatimala &c. adhibeturque loco monetæ, pauperibusque pro eleemoſyna datur, parant ex hoc tum potum Indis vulgarem, tum maſſam hanc *Chocolatam* dictam, quæ fit ex dictis granis toſtis & tuſis ac aromatibus mixtis. Vide *Chocolata*.

CACOCHYMIA, eſt humorum in ſanguine vitioſorum, abundantia. Eſt degeneratio ſanguinis, ſeri, vel lymphæ a ſalubri ſua conditione. Veteribus dicitur pro varia diſpoſitione, *vlceroſa*, *bilioſa*, *pituitoſa*, *melancholica*, *acida*, *ſalſa*, *pontica* &c. Sed vocabula hæc ob inutilitatem a neotericis irridentur; ex κακὸς prauus, & χυμὸς ſuccus, humor. G. Verdorbenes und unreines Geblüt.

CACOCHOLIA, eſt bilis male diſpoſita, ex κακὴ mala, & χολὴ bilis. G. Uebele Beſchaffenheit der Galle.

CACOCHYLIA, eſt deprauata chylificatio. Ex κακὸς malus, & χυλὸς, chylus, ſuccus. G. Böſe Däuung.

CACOETHES, CHIRONIVM VLCVS ſiue TELEPHIVM, eſt morbus, vel vlcus curationem reſpuens, quod vlcus malignum vocatur. Hoc fit cum vlcus fuerit calloſum vel ſinuoſum, cui nonnunquam oſſicula decidentia & carioſa ſubiacent. Ex κακὸν malum, & ἦθος mos, conſuetudo, eſt enim vlcus vel morbus mali moris. G. Ein böſes Geſchwür.

CACOPATHIA, eſt mala paſſio, ex κακὸς malus, & πάθος paſſio.

CACOPHONIA, eſt mala vocis prolatio, ex organorum vitio proueniens, ex κακῶς male, & φωνέω voco. G. ſchwere Sprache.

CACOPRAGIA, Gr. κακοπραγία, a κακὸς malus, & πράττω, facio. Eſt ſæpe deprauatio viſcerum nutrioni famulantium.

CACORRHYTHMVS, pulſus eſt arteriarum, nullum ordinem ſeruans. Dicitur etiam *Arrhythmus*, ex κακὸς malus, & ῥύθμος, ordo. G. Ungleich ſchlagender Pulß. Vide *Arrhythmus*.

CACOSPHYXIA, eſt pulſus vitioſus, ex κακὸν malum & σφύζω pulſo, ſalio. G. übeler Pulß.

CACOTROPHIA, eſt nutritio deprauata ex ſanguinis vitio: vt in lepra, impetigine &c. ex κακὸν malum & τροφέω ſeu τρέφω nutrio. G. Das Ungedeyen.

CACTOS, eſt cardui ſpecies: cur ita dicatur, haud facile dixerim. An κακτὸς quaſi κατάκτονος, παρὰ τὸ κατακτένειν

 inter-

interficere, occidere, quod pappi eius noceant, nec periculo careant? certe Dioſcorides inter plantas tales, & pappos cacton recenſet. Quidam a *καίω* vro, quia vrit ſeu pungit.

CACVMINA, idem quod *Summitates.*

CADAVER, a cadendo, quod anima ſpoliatum corpus in terram cadat; ex Iſid. G. Todtercörper.

CADMIA, vel CADMEA, penult. longa eſt, quia *Dioſcoridi l.5. c.84.* *καδμεία*, ſicut Thalia penult. prod. quia Græcis Θαλεία. Nomen ſortitur a *Cadmo Tyrio*, primo flaturæ metallicæ inventore, ſi credimus *Voſſio.* Cadmea Circe *Lucano* prod. penult. ſic iuuentus Cadmea *Statio*, & Thebæ Cadmeæ *Propertio.* *Vindicianus* tamen *verſ. 31.* penult. in *cadmia* corripuit; ſed quia præter morem veterum, non temere imitandus. De cadmia vid. infra *lapis calaminaris*: tutia etiam idem ſortitur nomen. Arab. *climia* vel *chlimia*, vide *Tutia.*

CADVS, ſiue *Ceramium*, eſt veterum menſura, continens vini centum & viginti libras; olei vero centum & quinque.

CADVCVS MORBVS, vide *epilepſia.*

CÆLESTIS, eſt IRIS, ſic dicitur, quia iridi cæleſti ſimilis ſit. Gr. *ὀρανία.*

CÆLI DONVM, eſt chelidonium maius, ſic appellatur ob egregias virtutes.

CÆLIFOLIVM, a quibusdam vocatur maſſa quaſi gelatinoſa, quæ matutinis horis ſæpe in agris reperitur, ex aere noctu delapſa. G. Sternſchnuppen, Sternputzen.

CÆLI ROS, eſt gramen mannæ; videtur milii ſylveſtris eſſe ſpecies.

CÆLI ROSA, & CÆLI FLOS, eſt *lychnis coronaria.*

CÆPA & CEPA, eſt planta, quæ habet folia ex radice erumpentia, longa, anguſta, fiſtuloſa, acria: ex his naſcitur caulis nudus, rectus, rotundus, fiſtuloſus, in ventrem aſſurgens turbinatum vtrimque: flos hexapetalus, in corymbum collectus ſphæricum: piſtillum floris fit fructus ſubrotundus, trilocularis, fœtus ſeminibus ſubrotundis, & nigricantibus: radix bulboſa, tunicata, orbicularis, odoris penetrantis & ingrati, ſaporis acris: Gr. Κρόμμυον, ſic dictum quod oculi pupillam comprimi cogat. Nam oculos vellendo expreſſis ſubinde lachrymis contrahi pupillas certum eſt: quidam deriuant a *κάρα* caput, quia capitata: ſed rectius a *κόρα* pupilla, & *μύειν* clau-

claudere, comprimere. *Cepa* vero ſic á capitis magnitudine dicitur: hinc deriuatur Friſica vox *Cipels*. G. Zwiebel, Zipollen.

CALABRINA manna, pen. prod. vide *Adiect. in* INVS *ab anim. & propriis.*

CALAMINARIS LAPIS, reperitur ſæpius in metallorum fodinis; eſt lapis foſſilis, ſubflauus, non admodum durus, dum accenditur fumum eructans: cuius vſus inſignis, dum additus cupro, ſuum regulum cum eo miſcet, illudque colore eleganti flauo donat, quod orichalcum vulgare eſt: in medicina magni quoque eſt vſus. Dicitur & *Cadmia*. G. Galmey, Galmeyſtein.

CALAMINTHA, CALAMINTHVM, eſt menthæ ſpecies, quæ creſcit ad altitudinem circiter vnius pedis, in plures ramos diuiſa anguloſos: folia ſunt obrotunda, parum acuta, villoſa, aut aliquantulum lanuginoſa, ſibi inuicem alternatim oppoſita: flores naſcuntur in pedunculis ramoſis ex foliorum alis, coloris purpurei, galea obrotunda, bifida: ſemina nigricantia, oblonga, in capſula, quæ flori, tanquam calix inſeruiuit, incluſa: radix fibroſa; tota planta habet odorem aromaticum & gratum: creſcit in montibus. Dicitur quaſi vtilis mentha: namque nidore ſuo ſerpentes fugat. Ex καλὴ vtilis, pulchra, & μίνθη mentha. G. Frauenmüntze.

CALAMITA, vel καλαμίτης, penult. prod. Vide *aetites, abrotonites*. Calamita, nempe *Styrax*, ſic vocatur, quia in calamis excipitur & aſſeruatur.

CALAMAGROSTIS, & CALAMOGROSTIS, eſt gramen arundinaceum; ex κάλαμος virga, calamus, & ἄγρωστις graminis ſpecies.

CALAMVS, *arundo*: dicitur παρὰ τὸ καλῶς ἀμᾶσθαι quod pulchre demetator arundo. G. Δόναξ, ἀπὸ τοῦ ῥᾷον δονᾶσθαι, quod facile a pento moueatur. G. Rohr.

CALAMVS AROMATICVS veterum, quid ſit, dubitatur. Alii *acorum* volunt, alii *galangam*. Garzias dicit eſſe aromaticum quidem, non vero odoratum, imo & iuncum eſſe duntaxat. Seritur per vniuerſam Indiam: Neque odoratus eſt niſi e terra euulſus: quantoque viridior, tanto tetriori odore, teſte eodem Garzia. Dicitur & calamus odoratus Indicus, Alexandrinus, &c.

CALAMVS SCRIPTORIVS, apud anatomicos dicitur dilatatio quædam circa cerebri ventriculum quartum, quæ dein-

deinde in mucronem exacuitur; & ab hac figura nomen ipſi primus impoſuit Herophilus.

CALATHVS, eſt rectus turbo, hoc eſt, id quod ex anguſtiis in latitudinem ſe diffundit. Calathi effigiem plane liliorum flores referunt.

CALCANEVM, idem quod *calx.*

CALCARIS FLOS, eſt FLOS REGIVS, ſeu dicitur, quod eius flores quodammodo calcaria referant.

CALCEOLVS D. MARIÆ, SACERDOTIS, MARIANVS, eſt aliſmatis ſpecies, cui in medio floris aliquid concauum, inſtar calceoli, apparet.

CALCINATIO, eſt miſti per ignem, aut res corrodentes, (per mercurium, aquam regiam &c.) in calcem ſolutio. G. Calciniren.

CALCINATIO PHILOSOPHICA ſeu SPAGYRICA, eſt, cum cornua, oſſa, aut vngulæ, ſuper aquam feruentem per aliquot horas ſuſpenduntur, donec omnem mucilaginem amiſerint & facile in puluerem tundi queant. G. Philoſophiſch Calciniren.

CALCVLVS, eſt præter ſanitatem in corpore humano lapidoſa concretio, quæ ſæpe in renibus, veſicis, aliisque in partibus, ex particulis ſalinis & terreſtribus concretis generatur. G. Stein, Blaſenſtein.

CALDARIVM, idem quod *laconicum.*

CALENDVLA, penult. corr. vt lauendula, & cætera in vla, vt aſſula, copula, crapula, fabula, matula, nouacula, papula, rabula, regula, tegula, tabula, bucula, ſportula, ficedula, monedula, nitedula, &c. Calendula, a calendis, ex ſententia *Lobelii*, nomen accepit, quod ſingulis fere calendis floreat; ſed alii putant, quod ſit corruptum nomen a Caltha, ſeu Calthula. Vide ibi. G. Ringelblumen.

CALENTVRE, eſt nomen morbi cuiusdam peregrini, quo nauigantes verſus Indiam occidentalem infeſtantur, dum ad tropicum appropinquant, & conſiſtit in deprauata imaginatione, cum pulſu debili, æquali, lento, absque febre & calore excedente.

CALIDVM INNATVM, vide *Biolychnium.*

CALLICREAS ſiue PANCREAS, eſt glandula conglomerata, magna, plana, carnei coloris, ſub ventriculi parte poſteriore collocata, tranſuerſim a duodeno, verſus lienem extenſa: longitudinem habet trium aut quatuor digitorum in homine; & iuxta alios octo vel nouem quaſi digitorum transuerſorum,

&

& latitudinem digitorum duorum, vel duorum cum dimidio; craſſitiem vnius digiti, figuram ad linguam caninam accedentem, latiorem prope duodenum, anguſtiorem verſus lienem, tenui membrana a peritonæo inueſtitur: habet ductum excretorium ex multis minoribus conflatum, qui terminatur in homine iuxta ductum communem biliarium in inteſtinum duodenum, quatuor vel quinque digitis infra pylorum, & vt plurimum eodem orificio cum ductu cholidocho: ex cuius ductu lympha volatilis & inſipida effunditur. Verum SYLVIVS de le BOE, cum diſcipulo ſuo de GRAAF, ſuccum acidum & ſubacidum, quandoque auſterum & dulcem, inueniſſe ſe dicunt, inde quoque originem fere omnium morborum deducunt. Sed ſciendum hoc fortaſſe fuiſſe obſeruatum; cum vix vnus ex centum hominibus exacte ſanus reperiatur. Vſus eſt, ſucco ſuo volatili chylum ſubacidum & bilis amarorem temperare, ſaponacea ſua vi omnia miſcere, ſubigere, & volatilizare, vt tandem dulci ſapore venas lacteas ſubeat & aſcendat. Componitur, ex καλὸν pulchrum, κρέας quaſi diceres carnem formoſam. G. Die groſſe Drůſe, das Růcklein.

CALLIGONVM, idem quod polygonon. Ex καλὸς pulcher, κάλλιον melius, & γόνυ genu, quia geniculata eſt herba. Sed forte melius deducitur a γονὴ, genitura, ſemen: quia copioſo ſemine ſe multiplicat. Nam ſi eſſet a γόνυ, rectius diceretur calligonatum.

CALIX, CALICES, ſunt oculi ſiue gemmæ florum prodromi, vt oculi populi arboris: vel eſt pars floris poſterior, craſſitudine quadam notabili a pediculo diſtincta, flores vel inuoluens, vel ſuſtinens. Vide *perianthium*.

CALLIONYMVS, eſt lilium conuallium, ex κάλλιον melius & ὄνομα nomen.

CALLITRICHVM, ſeu POLYTRICHVM, eſt herba capillaris, dicta quod capillorum inſtar multis & denſis foliis luxuriat. Ex καλὴ pulchra. & θρὶξ capillus, vide *polytrichum*.

CALLVS eſt durities in cute, abſque ſenſu, orta a vaſis minimis nimio labore compreſſis, conſolidatis in formam ſolidi. Item eſt ſubſtantia circa oſſium fracturas genita, oſſea, ſed mollior, effuſa huc ex vaſis materiam oſſeam naturaliter vehentibus, & fragmenta oſſium fractorum connectens. Gr. πώρωμα, πώρωσις, τύλος. G. Dicke Haut, Schwiele.

CALOMELAS, eſt mercurius cum ſulphure diu tritus, & in corpus nigrum redactus, cuius nomen deriua-

tur

tur a καλὸς pulcher & μέλας niger, ob colorem, & virtutem eximiam in purgando, aliiſue caſibus, vbi mercurii vſus requiritur. Sed alii hoc nomine intelligunt mercurium dulcem, quoniam loco eius, quod per ſe tritus nigredinem habet, in pulcram & cryſtallinam nitiditatem elaboratus eſt.

CALOR NATIVVS, vide *Biolychnium.*

CALTHA, eſt planta, quæ habet caules tenues, parum anguloſos, villoſos, ramoſos, fungoſos, viſcoſos parum: folia oblonga, integra, cauli adhærentia, carnoſa, mollia, villoſa, albeſcentia, ſatis ampla: flores diſcoides, radiati, rotundi, magni naſcuntur, coloris aurei, ſaporis fortis & grati, corona vero ex ſemifloſculis componitur embryonibus inſidentibus, & calice comprehenſis. Embryones autem abeunt in capſulas plerumque incuruas & marginatas, ſemine fœtas vt plurimum oblongo: radix lignoſa, fibroſa: dicitur & *calthula*, quam vocem deinde corrumpentes officinæ in *calendulam* immutarunt. Quamquam veriſimile etiam ſit, ſic nominatam eſſe, quod omnium menſium calendis, fruticare comperiatur. Atque hinc fit, quod nonnulli florem omnium menſium appellent. G. Ringelblumen.

† CALVA, PLIN. Caluaria. CELSO, cranium, κράνιον, quod cerebrum integat quaſi κράνος, id eſt galea, πόλος, κόγχος, σκάφιον, κύτος, eſt integumentum capitis oſſeum. Vide *Cranium.* G. Hauptſchedel, die Hirnſchale. Item pars capitis capillata ſuperior, quæ a morbo vel ſenectute primo calueſcit. G. Das oberſte des Haupts.

CALVARIA, idem quod *Calua.*

CALVITIVM & CALVITIES, apud Græcos vocatum eſt φαλάκρωσις, & μαδάρωσις, quod quidem vitium nihil aliud eſt, niſi depilatio capitis, potiſſimum ſyncipitis, ætate hominibus adueniens. G. Eine Glatze, Kahlkopf.

CALYPTRA, eſt inuolucrum tenue quorundam ſeminum, illa incluſa tenens, a καλύπτω occulto.

CALX, CALCANEVM, Gr. πτέρνα, σκέλις, eſt ſecundum os traſi in pede, reliquis magnitudine & robore præſtantius, oblongum & verſus poſteriora protenſum, vt ei firmius homo inſiſtat, nec lapſu facili retrorſum concidat. G. Die Ferſen, Untertheil des Schenckels.

CALX, in communi vita dicitur lapis quidam ad marmoris naturam accedens, exuſtus: pro quo illis locis, vbi eius copia non ſuppetit, conchas & conchylia aſſumunt. Chymicis dicitur quilibet puluis, per humiditatis ablationem, in partes

tes tenuiſſimas ac velut impalpabiles redactus, idque intelligendum eſt de *metallis*, *mineralibusque* corroſis, iterumque calcinatis, vt de calce ſolis, antimonii, ſtanni, &c. Nec non *vegetabilium* cineres; qui ſunt ſubſtantiæ terreoſalinæ, & *animalium* cornua, oſſa, &c. per ignis torturam partibus humidis, & volatilibus ſpoliata, a nonnullis nominantur *calces*. G. Kalck.

CAMARIVM, vide *fornix*, ex καμάρα fornix, teſtudo.

CAMAROSIS, eſt cranii ictus, in quo oſſis portio aliqua, in teſtudinis formam, ſuſpenſa relinquitur, eſtque quintuplex: 1. cum frangendo os vnum deprimitur, & alterum eleuatur. 2. Quando os abſque fiſſura deprimitur, quod infantibus proprium. 3. Eſt contuſio, in qua margines ſunt depreſſi & oſſis medium in fornicis ſpeciem eleuatum, remanente inferius ſpatio vacuo. 4. Depreſſio, quæ ſemet ſponte eleuat eo tempore, cum os adhuc eſt membranaceum, atque plectri ſpeciem conſeruat, donec oſſificari incipit. 5. Quando tabula ſecunda eſt depreſſa, & prima ſemet in priorem ſtatum reducit, a καμάρα teſtudo. G. Hirnſchalbruch, Gewölbbruch.

CAMBIVM, eſt humor ſecundarius ſecundum *Auicennam*, cuius vſus erat, partes nutrire: primus dicebatur humor *ros* ſiue *innominatus*: Secundus, *gluten*: & tertius, qui proxime in alimentum conuertebatur, *cambii* nomine veniebat. Sed ea figmenta, inuenta a nobis circulatione ſanguinis per tubulos, plane concidunt. Niſi per *rorem* intelligas chylum, per *gluten* particularum quietem, & per *cambium* chyli aſſimilationem.

CAMELINE, quibusdam *myagrion*, forte ſic dicitur, quod a camelis vale appetatur. Κάμηλος enim eſt camelus.

CAMELOPODIVM, eſt *marrubium*, quaſi diceres pedem cameli: ex κάμηλος camelus, & πȣ̃ς pes.

CAMERA OCVLI, oculi cauitas a quibusdam diſtinguitur in duas cameras, in anteriorem, & poſteriorem; antica lentis & proceſſuum ciliarium ſuperficie a poſtica; corneæ autem concauitate ab antica parte terminatur, & per ſeptum medium, vueam puta, in duas alias minores diuiditur, quæ per pupillam inter ſe communicant; harum anterior maior eſt poſteriore; poſtica vero cauitas, duobus, vt vocant, humoribus, cryſtallino ſcilicet & vitreo, repletur.

CAMERATIO, idem quod *camaroſis*.

CAMOMILLA, corrupte, ſed melius *chamæmelum*, vide ſuo loco.

CAMPANVLA, ſic dicuntur plurimi flores, qui campanulam referunt, vide *ceruicaria.*

CAMPHORA, penult. corr. quia recentiores Græci, *Sim. Sethi*, *Aëtius*, *Myrepſus*, καμφορὰν appellant. CAPHVRA autem penult. prod. quia Græcis καφȣρά, & *Avicennæ* Kafur, Camphora veteribus incognita. Productum eſt alicuius arboris in Sumatra prope Baros. Procera arbor eſt & denſa, ædificiis ſtruendis perutilis. Caudex recta aſcendit: ramos ordinate explicat: folia ſunt magna, carnoſa, anterius acuta, camphoramque ſpirantia. Fructus formoſi ſunt auellanæ nucis magnitudine, oblonge rotundi, tenui tunica cincti, quæ rurſus, inſtar nucum auellanarum, alteri tunicæ eleganti forma includitur, colore rubro, purpureo, flauo & viridi, integrum fructum contegit, & tulipæ inſtar ſuperius ſeſe aperit. Poſtquam arbor iſta fuerit camphora diues, a foliis, cortice, & externo ligno ſpoliatur, vsque ad medullam, quæ finditur, in qua caphura eleganti forma, coagulata & cryſtallina reperitur. In China & Borneo etiam naſcitur, ſed in *Iaponia* alia colitur arbor, quæ camphoram præbet, folio tenuiori, molliori, diutiſſimeque odorem camphoræ ſpirante; quæ eſt laurus camphorifera, arbor ſylueſtris; in Iaponia occidentali & adiacentibus inſulis in lætam vaſtamque tiliæ magnitudinem adoleſcens, cuius deſcriptionem vide apud KAMPFERVM in catalogo plantarum Iaponicarum. Ex radicibus quoque cinnamomi caphura elicitur, quod habeo ex viris fide dignis. Non nego tamen ex aliis etiam arboribus, fruticibus & plantis hoc concretum impetrari, nam ex ipſa ſaluia prolectum vidi. Eſt ex albo pellucidum, graueolens ex China, Iapan, aliiſque locis ad nos delatum. omnium optimum dicitur, quod ex Borneo venit, ſed ob pretium nimium forte huc non adfertur. Facile accenditur, & ſi conſeruetur in thecis apertis diſparet. Camphora non eſt gummi, ſed potius reſina vel oleum æthereum minimo frigore condenſatum, alba, pellucida, odoratiſſima, volatilis, & tritu difficilis; de arbore propria, regionibus feruidiſſimis, intra lignum, maxime ad corticem habetur, vti dictum eſt, in propria ſua naturali gleba cryſtallina. In Borneo & Ceylon omnium præſtantiſſima & pretioſiſſima. In alcohole perfectiſſime ſoluitur, pellucidiſſima ſpecie, & odoratiſſima in liquorem homogeneum, ſimulac autem guttula huius liquoris limpidiſſimi aquæ immittitur, vno momento albeſcens

ſcens tota camphora iterum apparet in aqua, integrum ſuum corpus reddens: ſoluitur in ſpiritu nitri, vitrioli, aqua forti, vt in alcohole, vnde affuſa aqua reuertitur nihil mutata camphoræ materies. Spiritus vini, quo camphora ſoluta eſt, omnis prius ab ipſa calore diſſipatur, quam camphora euolet: quare diſtillationibus, niſi cum alcali trita ſit, parum transuehitur. G. Kampffer.

CAMPHORATA, ſeu *camphoratum*, eſt abrotonum, ſic dictum quod camphoram oleat.

CANALES, ſunt ductus rotundi, intus caui vtrinque aperti, longi, per quos liquores tranſeunt: vt ſunt ductus ſaliuales, biliarius, hepaticus, pancreaticus, &c. Gr. πόροι ductus. G. Canäle, Röhren.

CANALES SEMICIRCVLARES, ſunt tres canales oſſei, ſemicirculares a forma dicti, quia nempe ſinguli in ſemicirculi modum curuantur; duriſſimi, cauitate fere elliptica donati, aliquando cylindrica; in medio autem curuaturæ anguſtiſſimi, hinc verſus orificia ſenſim dilatati, circa eadem latiſſimi, inæquales longitudines adeoque & magnitudines habentes, medio exiſtente minimo, eandem fere magnitudinem, figuram, ſubſtantiam, duritiem, ſortiti in infante & in adulto; veſtibulo a parte poſtica, exteriori, auriculam reſpiciente, appoſiti & continuati; membranula tenerrima neruea veſtibuli hic continuata veſtiuntur. Sex horum canalium extremitates, non niſi quinque oſtia conficiunt in veſtibulo, cum vnum ex illis commune ſit duobus canalibus, maiori ſcilicet & minori; minimus canalis duo habet orificia; quinque hæc orificia vnita, vna cum feneſtra ouali, orificio ſcalæ ſuperioris cochleæ, & quinque aliis minoribus foraminulis, nerueos ramulos transmittentibus, atque adeo per iſtos occluſis, veſtibulum formant. Vnde patet hos canales in veſtibulum hiantes eius cauum augere, quemadmodum cellulæ apophyſios maſtoideæ augent cauum tympani. Inſuper fluidum elaſticum in illis contentum, etiam per motum ſtapedis æqualiter cum fluido veſtibuli comprimitur, relaxatur; & tremores ſonori etiam poſſunt quam optime per horum caua propagari, in eorum latera incurrere, reflecti; & ſic ſonus quam optime colligi, conſeruari, roborari, & intendi, vt phænomena canalium oticorum incuruorum quam optime docent. Interim ſimul etiam per membranas nerueas molles, hæc omnia inueſtientes, impeditur clangor.

CANALICVLVS ARTERIOSVS, eſt vas inter arteriam pulmonalem & arteriam magnam in fœtibus, quod in adul-

adultis obliteratur. Medius eſt inter has duas magnas arterias, & vtrique continuatus: oritur ab anteriore parte pulmonalis, paullo antequam illa ſubit aortam, ſeſeque bipartitur; & priori pariter aortæ iam deſcendentis parti ſe inſerit, paulo vltra eum locum, a quo ſubclauia ſiniſtra abſcedit. Niſi potius dicendum ſit, arteriam pulmonalem in duos ſe diuidere ramos, quorum anterior eſt canalis arterioſus, poſterior pulmonalis ad pulmones tendens, canalemque illum cum aorta confluere in vnum, indeque effici aortam deſcendentem. Tantæ magnitudinis ille canalis arterioſus eſt, vt prope æqualis ſit tum pulmonali, qua illa vltra eum pulmones petit; tum ipſi aortæ; qua cum ea ſe coniungit. Vſus in fœtibus eſt, vt ex arteria pulmonali per canaliculum hunc ſanguis in arteriam magnam exoneretur, ex eo quod ſanguis, (quia fœtus in vtero aerem non reſpirat) per pulmones collapſos, vaſa nimis comprimentes, ſiue quæ veſiculas cingunt, vel in ſpatiis intermediis hærent, fluere non poſſit. G. Der Pulsader Canal.

CANCAMVM, quidam laccam eſſe putant, alii animæ gummi. Dioſcoridi eſt Arabicæ arboris lachryma, myrrhæ quodammodo ſimilis, viroſi guſtus: quod ad ſuffimenta vſurpant.

CANCER, vide *Carcinoma.*

CANCER, eſt ſpecies faſciarum, quæ capiti tegendo inſeruit. Krebswindel.

CANCRORVM OCVLI, ſunt lapides parui, albi, duri, cruſtacei, rotundi, compreſſi, vna parte conuexi, altera planiores, cum ſinu in medio excauati, concreti in ventriculis cancrorum, ſaporis cretacei. G. Krebsſteine.

CANDELA, eſt inſtrumentum chirurgicum, rotundum, oblongum, tenue, ex flexili materia conſtructum, cuius apex materiam corrodentem continet, quod meatui vrinario penis immiſſum, carunculas conſumit, vel abſque corroſiuo explorandis vlceribus vulneribusque inſeruit. G. Ein Wachsſtock.

CANDELARIA, ſeu CANDELA REGIA, eſt verbaſcum, quod etiam φλὸξ, flamma & cereus appellatur, quod cerei in modum floſculis ſuis ſe erigat. Vide *Verbaſcum* & *Phlomos.*

CANDISATIO, ſoli competit ſaccharo, quod in aqua ſolutum, purificatum, atque quadantenus inſpiſſatum, in cryſtallos concreſcit, idque condiſari vocant. Imponunt autem ſolutioni nonnunquam res medicamentales ſolidas, vt cryſtal-

lis

lis illis ſaccharatis obducantur, easque confectionibus adnumerant. G. Candirung, Candirte Sachen.

CANDVM, melius *cantum*, ſaccharum dicitur in cryſtallos redactum, vulgo *ſaccharum candi* ſiue *canthum*, *canthum*, id eſt *anguloſum*, *candidum*, *cryſtallinum*, *lucidum*. Eſtque ſaccharum depuratum, candiſando in cryſtallinam formam ſec. art. redactum, ad modum quo ſalia cryſtalliſantur. Eſt, pro viliori vel depuratiori ſaccharo, vel rubrum, vel album, a *κάνθος* angulus. G. Zuckerkant.

CANELLA, vide *cinnamomum* Videtur nobis deriuari a canna, hinc *cannula* & *canella*; ſunt enim cortices cannam referentes.

CANICÆ, ſunt furfures, vel potius farina ſecundaria, quæ ex furfuribus, & pane conſtat, hoc eſt cui flores cribro adempti ſunt. Sic dicitur, quia canes iis paſcerentur: hinc *panis canicaceus*; apud nullos, niſi barbariſſimos in vſu eſt.

CANICIDA, eſt aconiti venenoſi ſpecies: ſic dicitur, quod canes exinde moriantur. Ex canis, & cædo.

CANINA BRASSICA, eſt *Mercurialis*. Græc. Κυνοκράμβη.

CANINA LINGVA, idem quod *cynogloſſum*.

CANINA MALVS, idem quod *mandragora*.

CANINA SENTIS, idem quod *cynosbaton*.

CANINA APPETENTIA, vide *cynodes orexis*.

CANINA RABIES, idem quod *hydrophobia*.

CANINI DENTES, vide *Dentes* & *cynodontes*.

CANIRVBVS, quaſi *rubus caninus*, idem quod *cynosbatos*.

CANIS CEREBRVM, eſt *antirrhinum*, quia folliculi ſeminales canis capiti mortuo & oſſeo ſimiles ſunt.

CANITIES, eſt mutatio capillorum in colorem album. Canities vero duplex eſt: altera, quæ ſecundum ætatis curſum obuenit: altera vero quæ vitioſa, & morboſa ab *Ariſtotele* nuncupata eſt. G. Graue, oder weiſſe Haar.

CANNA & CANA, apud Hebræos *Kanech*, calamum ſignificat, vnde hoc nomen originem habere videtur.

CANNA MAIOR, idem quod *tibia*.

CANNA, MINOR, idem quod *fibulæ os*.

CANNABINA, habitus eius eſt cannabis, flos mas calice & ſtaminibus conſtans in vna planta, ouarium eſt capſula longa, trigona, fœta ſeminibus multis, ita vocatur, quia cannabim refert: eſt eupatorium cannabi ſimile: *Tournefortius* ad bidentem refert.

CANNABIS, *cannabinus*, vide *Adiect. in* INVS *ex inanimatis.* Cannabis, eſt planta, quæ habet caulem rectum, quadratum, vnicum, villoſum, aſperum, excauatum, cortice filamentoſo tectum: folia digitata inſtar manus apertæ in quatuor vel quinque partes diuiſa, dentata viridia, ſubfuſca, aſpera, odoris ingrati: flos apetalus eſt, comprehenſus calice quinquifido, expanſo, & ſtamina quinque habens, in vna planta; ouaria bicornia, conferta in caulibus, rotunda, teſta dura, tenui, fragili, includentia ſemina globoſa, parua, quæ ſub tenui cortice ex cinereo ſpadiceo glabro includunt medullam albam, ſaporis ſubdulcis: radix eſt annua, ſimplex, lignoſa, alba, fibris inſtructa: colitur hæc planta in pratis circa loca humida; diſtinguitur in duas ſpecies, vna eſt cannabis mas, altera fœmina ſiue ſterilis: quaſi κάναβος dicitur, quod circa fonticulos, ſparſasque ſcaturigines, ſponte & ſata luxuriet; κάναβοι enim fontes ſunt, multiplici riuo ſparſi. Alii deducunt a canna, quia cannæ iſtar eius truncus cauus ſit, *Barbaris* & *vulgo canapus ſatiua.* Gr. Σχοινοςόφον, quod magni in vita vſus ſit ad robuſtiſſimos funes texendos. *Syluestrem* Latini *Terminalem* vocant. G. Hanf.

CANNVLA, eſt inſtrumentum chirurgicum, cylindricum cauum, vtrimque apertum, cum manubrio, per cuius cauum cauteria actualia protruduntur & diriguntur, ne vicinas partes lædant exurendo; inſeruitque itidem acubus quibusdam, vbi foramen apertum relinquendum, veluti cum in aſcite aquam educere tentamus. G. Ein Röhrlein.

CANON, eſt inſtrumentum chirurgicum, quo, mediante acu, vulnera hiantia conſarciuntur: eſt rectum vel curuum, pro varia vulnerum φάσει. G. Röhrlein.

CANTABRICA PLINII, eam putant eſſe ſcorzoneram, in Hiſpania primum inuenta eſt, per Diui Auguſti tempora, idque a Cantabris, vnde nomen retinuit.

CANTHARIDES, penult. corr.

Cantharidum ſuccos, dante parente, bibas. Ovid. in Ibin.

Eodem modo in *Alexipharm. Nicander.*

Cantharides, ſunt inſectum pedatum, alatum, vaginipinne, oblongum, muſcæ maioris magnitudine, colore viridi, & aureo, lucente, reperiendum in frumentis, roſis, fraxinis, oleaſtris, liguſtris, in Italia, Hiſpania & Germania, ſaporis acris, & corrodentis, cuius vis veſicatoria, quando cuti applicatur, eſt inſignis, diureſin vtcumque mouens. G. Spaniſche Fliegen.

CAN-

CANTHVS ſiue HIRCVS, eſt angulus oculi, qui vel maior ſiue internus, vel minor ſiue externus. Gr. κανθοὶ. Quorum qui ad naſum ſunt, ῥαντῆρες & πηγαὶ appellantur, quod inde lachrymæ effluunt: & qui ad tempora, παρωπίαι *Poll. Nicandro.* G. Die Augenwinckel.

CANTVM SACCHARVM, vide *Candum.*

CAPELLA, idem quod *Cupella.*

CAPHORA, idem quod *Camphora.*

CAPILLAMENTA, ſunt filamenta illa tenuia, in florum medietate ſurgentia: ſeu particulæ teretes & oblongæ, in capilli modum extenuatæ: vocantur & caudæ, quæ nectendis ſuſtinendisque capitulis inſeruiunt, interdum tam tanuia ſunt, & ita petalis innata, vt vel non appareant, vel ex ipſis quaſi petalis oriri videantur. Cæterum diuerſus plerumque in quibuslibet florum ſpeciebus aſſignatur locus, vnde maſculina organa ſuam ſortiuntur originem: hæc autem filamenta, vel ſimplici, vt in gramineis, vmbelliferis & ſimilibus plantis, vel duplici, vt in ricino, lauro &c. vel multiplici vaſorum ſpermaticorum ſerie conſtant, vt in maluaceis & leguminoſis obtinet. vide ſtamina. G. Die Fäſelein mitten in der Blumen.

CAPILLARIA VASA, ſunt vaſcula minima, capilli ſpeciem ob tenuitatem referentia. G. Haarkleine Gefäßlein.

CAPILLARIS HERBA, ſic vocatur capillus Veneris, capillus terræ, capillus aureus, muſcus capillaris, trichomanes &c. idque ob capillorum fere ſimilitudinem.

CAPILLATIO, eſt oſſis cranii fracturæ ſpecies, ſenſum plerumque fallens; fere latens, quia non facile ſe oſtendit, mortis cauſam ſæpe adfert: ſic vocatur, quia fractura capillum refert. G. Ein Splitter der Hirnſchale.

CAPILLORVM DEFLVVIVM, idem quod *Alopecia.*

CAPILLVS, ac ſi diceres capitis pilus. G. Haupthaar.

CAPILLVS AVREVS, eſt *polytrichum*: idque a ſimilitudine capillorum, & aureo colore.

CAPILLVS VENERIS, eſt planta officinalis, quæ habet caulem durum & nigrum, fortem; folia filicem referentia, ſed ampliora, longiora, minutim inciſa, crenata, dura, ſubrotunda, coniungata, & cauli accreſcentia; floribus caret, & fructus naſcuntut in ſinubus ſeu complicatione foliorum, in quibus occurrunt capſulæ ſphæricæ, annulo vi elaſtica donato munitæ, cuius contractione rumpuntur & ſemina fundunt minutiſſima: radix fibroſa, nigra: appellatur ita forte: quia illa

 plan-

planta pudendi muliebris pilos quodammodo refert; vel a ſpecioſis reddendis capillis; nec alio nomine veneris vox adiecta eſt, quam quod hæc pulcherrima pingatur. G. Frauenhaar.

CAPISTRVM, eſt faſcia quædam chirurgica, quæ capiti, in prolapſu, aut vulnere maxillæ inferioris, accommodatur. G. Hauptwindel.

CAPITA, circa herbas denotant rotunda ſeminum, aut florum receptacula. Vide *Codia*.

CAPITILVIVM, eſt liquor quo caput lauatur. Comp. ex *caput & lauare*. G. Hauptwaſchung.

CAPITIS DOLOR, idem quod *cephalalgia*.

CAPITIS GRANVM, eſt *ſtaphyſagria*: ſic appellatum, quod capitis pediculos enecet.

CAPITVLA, vid. *Apices*.

CAPITVLVM MARTIS, eſt eryngium, procul dubio quia capitula habet armata, ſpinoſa, & martialia.

CAPNITES, CAPNIVM, & CAPNOS, eſt *fumus terræ*, ſeu *fumaria*.

CAPPARIS, *capparimus*, penult. corr.

Capparin, & putri cepas alece natantes,
Et pulpam dubio de petaſone voras. Mart. l. 3. ep. 77.
Capparis, & triſtes inulæ, feruleque minaces. Colum. l. 10.

Genit. καππάρεως eſt apud *Galen. l. de ſimpl. med. fac. c. 7.* de voce *capparinus* vide regul. *Adiect. in* INVS *ex inanim.*

Capparis, eſt arbuſcula ſpinis vncinatis armata, rami parum ſunt recurui: folia ſunt rotunda, ſaporis aliquantulum amari: ſurculos agit, in quorum ſummitate habet paruos calices virides, qui ad condiendum carpuntur, ſi hi calices, poſtquam ad magnitudinem requiſitam deuenerunt, in planta relinquantur, tum dehiſcunt & fiunt flores albi, roſacei, tetrapetali, expanſi, multis ſtaminibus donati: flori ſuccedit fructus pyriformis vel ſiliquoſus, carnoſus, in quo nidulantur ſemina plurima, plerumque ſubrotunda, vel reniformia: radix eſt longa, craſſa, eius cortex eſt tubuloſus, rugoſus, craſſus, cinereus, ſaporis acris & auſteri; cuius cortices a radicibus detracti ſunt in vſu, qui ſaporis amari, ſubadſtringentis, acris ſunt, nullius odoris; & annumerantur quinque radicibus aperientibus minoribus. G. Kappernbaum.

CAPREOLARIA VASA, dicuntur ea, quae in modum capreoli mire intorta incedunt; vt ſunt vaſa ſanguinea teſticulis & ouariis dicata. G. Gäbelein gleiche Geſäßlein.

CAPREOLI, ſunt filamenta tenuia, ex caulibus enata, contorta, quibus plantæ nonnullæ dotatæ ſunt, vt aliis ſeſe annectant, vti eſt in vite, clematitum, ſmilacum &c. ſpeciebus. G. Die Gäbelein.

CAPREOLVS AVRIS. Vide *Helix*.

CAPRIFICVS, quaſi diceres *ficus capri*, forte quia a capris expetitur: vel a carpendo, quod parietes & macerias, atque adeo ſaxa ipſa ſibi obſtantia, diſcerpat. Mart. *Marmora Meſſalæ ſcindit caprificus.* Gr. Ἐρινεὸς, ſeu Ἐρινὸς, an ab ἔρις, quod cum ea arbore velut contendendum ſit & luctandum, vt maturet fructus ſuos. G. Wilder Feigenbaum.

CAPRIFOLIVM, eſt periclymeni ſpecies: cuius folia ramorum nodis adhærent, bina, per interualla ſibi inuicem oppoſita, oblonga, acuta, mediocriter ampla, mollia, in parte ſuperiori viridia, in inferiori albeſcentia; finis pedunculi abit in foliolum, quod a pedunculo perforatur, in hoc foliolo, circa pedunculum perforato, emergunt ſex ouaria plerumque longa, vrceolata, quorum apex coronatur corona quinquifida; intra hanc, vt calicem, apici ouarii innaſcitur flos monopetalus, inferius tubuloſus, ſuperius bilabiatus, ſuperiori labio multifido, ſimplici, & linguæ ſimili: ſtamina quinque ex pariete interno tubulatæ partis floris: ouarium tuba longa apice globoſo donata inſtructum, fit bacca mollis, per maturitatem rubicunda; fœta ſemine compreſſo, fere obrotundo, ſatis duro: radix longa, repens, lignoſa: ſic appellatur, vel, quod eius folia a capris auide comedantur; vel quod extremi flexus ſint capreolati. Belgæ tamen Geitenblatt vocant, quaſi hircum oleret, vel hirco quid ſimile haberet, vel, a capiendo, quod circumuoluendo ad ſe vicinas arbores aut frutices capiat, aut vocet. G. Geißblatt, Waldlilgen.

CAPSICVM, eius variæ ſunt ſpecies, ſed vulgatiſſima eſt ſiliquis longis propendentibus; habet caulem anguloſum, durum, villoſum, ramoſum: folia longa & acuta, inſtar Perſicariæ, ſed latiora, ſatis carnoſa, coloris viridis fuſci, pediculis adhærentia: calix eſt paruus, breuis, rigidus, expanſus; flores monopetali, rotati, multifidi, fructui inſidentes: flori ſuccedit fructus mollis, membranaceus, in duo vel plura loculamenta diuiſus, politus, ſplendens, in initio viridis, deinde flauus, poſt maturitatem ruber aut purpureus, fœtus ſeminibus planis, fere reniformibus, coloris flaueſcentis ſubrubicundi: radix breuis, tenuis, multas fibras dans. Creſcit hæc planta in regionibus calidis, vt in Hiſpania, plerumque

pro pipere habetur Braſilienſi: & nomen hoc Actuarius accepiſſe credit a κάπτω, quod ſemen huius non tantum mordeat, ſed vrat. Vel ἀπὸ τῆς κάψης, quod in capſula ſeu folliculo, ac quaſi ciſta ſemen ferat. G. Spaniſcher Pfeffer.

CAPSVLÆ ATRABILARIÆ, ſiue *renes ſuccenturiati*, aut *glandulæ ſuprarenales*, ſunt duæ glandulæ flaueſcentes, compreſſæ, vtrinque ſuperiori renum parti incumbentes, in quibus anguſta cauitas, liquore fuſco ſubdulci illita: figura harum valde irregularis, quadrata, triangularis, ouata &c. magnitudo varia, in adultis ſæpe inſtar nucis vomicæ maioris; in fætu vero maior, & æqualis renibus, imo ſubinde maior. *Vſus* eorum a quibusdam iudicatur, vt lympham in ſuas cauitates ſuſcipiant, qua ſanguis craſſus a renibus refluus, & ſero maxima ex parte deſtitutus, diluatur, & ad curſum circularem fluidior reddatur: cum nullus ductus excretorius hactenus detectus ſit; ideo vſus harum incertior videtur, quam vt aliquid certi de his dici poſſit, videtur tamen maior in fœtu quam in adulto, eſſe: quippe certum eſt hanc partem in prima ætate maiorem eſſe & cum renibus continuam. G. Die Drůſen an den Niere, oder Nierenſäcke.

CAPSVLA CORDIS, idem quod *pericardium*.

CAPSVLA COMMVNIS, *Gliſſonii*, in hepate, nihil aliud eſt quam membrana a peritonæo producta, cui porus biliarius & vena portæ in hepate ſimul includuntur. Nomen habet a Fr. Gliſſonio, qui in anatomia hepatis eius conſiderationem amplorem inſtituit.

CAPSVLÆ SEMINALES, ſunt extremæ, vaſorum ſemen deferentium, capſularum inſtar, dilatatæ cauitates, quæ per duo foramina, ſemen a teſtibus receptum, in veſiculas ſeminales emittunt, vt in iis ad coitus tempus aſſeruetur, vel per vaſa lymphatica in maſſam ſanguineam reducatur. G. Das Saamenſäßlein.

CAPVT, eſt pars corporis humani ſuprema, collo ſuperpoſita, in ſe concludens tertium ſiue ſupremum ventrem, cerebri & cerebelli, in qua anima habitare videtur, domicilium præcipuum. Quod in ſummo poſitum eſt, oculorum ceterorumque ſenſuum gratia. Extus oſſibus tegitur & cute cum muſculis. Laterales partes ſinciput; poſterior occiput, & anterior frons dicitur. Infra frontem ſequuntur oculi, naſus, os, mala, mentum &c. G. Das Haupt, der Kopff.

CAPVT, in vegetabilibus eſt id, quod ſurſum deorſumue in globum extuberat, aut in orbem glomeratur Si magnitu-

dine

dine ceſſerit, *capitulum* nominatur. Extremam tamen vitis partem *caput* etiam vocant, id eſt, vltimum & productiſſimum flagellum.

CAPVT GALLINAGINIS, eſt quædam in vrethra caruncula, ſeu eminentia, iuxta quam ex veſiculis ſeminalibus, tanquam per duos oculos, ſemen in vrethram excernitur, facta ne ſemen ex vno latere erumpens, in oſculum alterius lateris impingat. Atque ſic a ſimilitudine dictum vocatur quoque *caput galli gallinacei.* G. Der Hanekamm.

CAPVT MORTVVM, eſt reſidua illa materia, craſſa & ſicca, quæ in deſtillationibus omnium corporum, præcipue mineralium remanet: communiſſime autem remanentiam vitrioli notat, vulgo *colcothar*, & *terra damnata.* G. Der Todtenkopff.

CAPVTPVRGIVM, idem quod *Errhinum.*

CARABE, pro ſuccino, vox *Officinarum*; *Auicennæ* Kahreba, vocabulo, vt ipſe docet, Perſico, quaſi rapiens paleas; videntur & Græci ſic appellaſſe, quod καρηβαρίαν *Hippocrati* ſic dictam tollat, a κάρα caput, & βαρὺς grauis. Niſi quis malit, εἰς κάρα βῆναι, unde carabo piſci natales. Quia autem ρα in κάρα ab Ionica in Doricam tranſit dialectum (*Hippocrati* enim κάρη eſt) ex regula Gramm. ρα producenda videretur, niſi obſtaret *Oppiani* & *Cointi* authoritas, quibus, nihil impediente etymologia ρα in κάραβος corripitur:

Κάραβος αἰκτὴς, μυραινάτες πουλυποδέσσι. *Oppian.* 2 *halieut.* 254.
Ὁ γριπεὺς καλάμοις κάραβον ἐκρέμασε. *Coint. l.* 6. *epig.*

CARANNA, eſt reſina duriuſcula, tenax, non admodum glutinoſa, tacamahacæ ſimilis, niſi quod ſit paulo odoratior, ſpledior, liquidior & denſior. Adfertur ex Carthagine Indiæ occidentalis, ſeu nouæ Hiſpaniæ prouincia, vbi ex vulnerata arbore elicitur, atque illinc foliis latis ac neruoſis, inſtar arundinaceorum foliorum, inuoluta ad nos peruenit. Sæpe illud gummi in cucurbitis excauatis quoque colligitur.

CARBO, vide *Anthrax.*

CARBVNCVLVS, idem quod *Anthrax.*

CARCHESIVS, eſt laquei ſpecies, ex duabus conſtans habenis, vim habens æqualiter extendendi. Sic dicitur a fune qui in ſummo nauis malo habetur, quem Gr. καρχήσιον appellant.

CARCINODES, eſt tumor cancro ſimilis, ex καρκίνος cancer, & εἶδος forma. G. Ein um ſich freſſend Geſchwär, wie der Krebs.

CARCINOMA, CARCINVS ſiue CANCER, eſt tumor ſemper in glandulis productus, ab acribus & obſtruentibus humoribus ortum ducens, rotundus, durus, liuidus, dolens, in principio piſi magnitudine, ſed poſtea gaudet venis circum ſe turgidis, pedeſque cancri referentibus, quamuis non ſemper. Ex καρκῖνος cancer, & νέμω depaſco. G. Der Krebs, das Gefräß, der Wolff.

CARCINVS, idem quod *Carcinoma.*

CARDAMANTICE, dicitur & *Iberis*, & CARDAMINA.

CARDAMINE, pen. producit; vide *alſine*. Cardamine, naſturtii ſpecies eſt planta, quæ folia ex radice erumpentia habet oblonga, obrotunda, caulibus longis adhærentia: flores in ſummitate caulium creſcentes, albi, aut aliquantulum purpurei, quadrifidi, cruciformes; flori ſuccedit ſiliqua oblonga, biualuis, cuius valuæ per maturitatem helicis inſtar retroflectuntut, & ſemina exigua ſubrotunda magno impetu eiiciunt: radix parua & fibroſa: hæc planta creſcit in pratis & locis humidis: ex κάρα & δαμῶ, quod caput tentat acrimonia ſua, dici volunt: quia ſinapi ſimile ſit. Alii ἀπὸ τῆς καρδίας, quod foueat cor, & in ſyncope illa, quæ cardiaca dicitur, plurimum valeat. Vel ἀπό τοῦ καρδάμου: imo verum etymon ἀπό τῆς καρδίας cenſeo: quod cordatos & ſapientes efficiat.

CARDAMOMVM, pen. prod. quia Dioſcoridi, & aliis καρδάμωμον, vide & *amomum*. Cardamomum, habetur *maius* & *medium* & *minus*. De maiori duas ſpecies vidi, *vulgare* nempe quod oblongis folliculis includebatur, magnitudine ſeminis, quod in minori concluditur. Nigrum erat uti aloe ſucotrina; ſapore cubebam fere æmulans. Vulgo *Grana Paradiſi*. G. Paradießkörner. Altera ſpecies concludebat ſemen in duobus folliculis, colore & magnitudine cannabis ſemini non cedens, ſed ſapore eodem. Primo intuitu videbantur mihi eſſe nuces auellanæ, ſui calicibus externis viridibus & exſiccatis, incluſæ. Sed vnicus calyx duos folliculos comprehendebat. *Medium* necdum vidi. Sed *Cardamomum minus vulgare*, minoribus includitur folliculis albis & tripartitis, non piperem ſapore æmulans, ſed magis aromaticum veluti ex caryophyllis & caphura, nomen a κάρδαμον & ἄμωμον, habens ob ſaporum, cum cardamomo, & amomo ſimilitudinem, vel dictum putant quaſi naſturtium ſuaue. Sed veriſimilius nomen accepiſſe ab exotico vel Arabico verbo Cordumeni. G. Cardamömlein.

CAR-

CARDAMON, Græce κάρδαμον, *naſturtium ſatiuum* Latine ſonat. Barbari noſtræ ætatis herbarii *creſſionem hortenſem* vocant. *Cardamon* vero Græcis nonnulli dictum eſſe arbitrantur a καρδία corde, quod eius morbis medeatur: vide *Cardamina*. Alii, diuerſa ratione vſi, ſic dictum credunt, quod caput ſuo calore & acrimonia tentet, quaſi καρήδαμον, caput grauans. Nam arcem mentis obſidens ſua ferit acrimonia, & ignea vi præditum caput tentat.

CARDIA, ſeu κέαρ eſt cor, ſiue muſculus principaliſſimus, ſanguini duntaxat circumferendo deſtinatus: vide *cor*. a κραδάινω palpo, vibro, ideo etiam pro καρδία dicitur κραδία. G. das Hertz. Vocatur interdum *ſtomachus*, ſiue ſiniſtrum ventriculi orificium. G. der Mund von dem Magen.

CARDIACA, eſt planta, marrubio ſatis ſimilis, plures habet caules ad altitudinem duorum vel trium pedum, craſſos, anguloſos, fungoſos, intus medulloſos: folia marrubio maiora, ſubrotunda, vrticam referentia, profunde inciſa, ex viridi fuſca: flos monopetalus, labiatus, cuius labium ſuperius imbricatum, & multo longius eſt inferiore tripartito: ex calice ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar claui infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeuut in totidem ſemina, angulata, totam capſulam, quæ floris calix fuit, occupantia: ſemina triangularia, nigra: radix fibroſa. Tota planta fortem habet odorem, & ſaporem amarum, creſcit in locis incultis, lapidoſis: ſic dicta quod morbis cordis, vel potius ſtomachi, medeatur, καρδία enim cor eſt. G. Hertzgeſpan.

CARDIACA PASSIO, *cardiacus morbus*, *cardiaca & ſtomachica exolutio*. Idem apud noſtrates quod *cardialgia*, quamquam apud veteres terribilem & valde acutum morbum denotat. Item eſt ſuffocatio cordis ex polypo, vel ſanguine coagulato &c. a καρδία cor. G. Hertzerſtickung.

CARDIACVM ſeu CORDIALE, eſt medicamentum, cor (vt olim putabant) roborans: Sed potius blandum motum ſanguini inducens, quo vires corpòris augentur, & ſpiritus exhauſti reficiuntur, vnde circulatio per conſequens benignior & facilior redditur, ex καρδία corr. G. Ein Hertzſtärckend Tränckl ein.

CARDIALGIA & CARDIOGMOS, Plinio *roſio ſtomachi*, eſt dolor ingens, morſus, roſio, aut contractio nerui paris vagi & intercoſtalis ſtomacho inſerti, a materia vellicante in ventriculo contenta, vel inflammatione in illo oborta. Ita vt eius dolore cor, ob conſenſum, anguſtatum, & contractum,

ctum, lipothymiam pati videatur. Vide *Cardiaca paſſio* a καρδία cor. G. Das Magendrucken / Hertzwehe.

CARDINALIS FLOS, ſiue Trachelium Americanum, ſic appellatur quod iſtius floris color ſumme rubicundus cardinalium veſtimenta æmuletur, præſertim ſole meridiano.

CARDIOGMOS, idem quod *cardialgia*, ex καρδιώσσω, *corde angor*, *cardialgia laboro.*

CARDOPATIVM, vide *Chamæleon.*

CARDVVS FVLLONIVS, vide *Dipſacus.*

CARDVVS SVARIVS & VARIVS: officinis & barbaris cardopatium appellatur, quod nomen haud dubie corruptum eſt, deductumque a dictione *pancration*, nam ſic olim eſſe nominatum chamæleonem Apuleius teſtatur: aut a carduo vario, a qua dictione, *u* ſc. littera in *p* & *r* in *t* mutata, in *Cardopatium* facilis eſt lapſus. *Suarius* porro carduus dictus eſt, quod ſues, ſi in polenta exhibeatur, perimat. Quid ſi *Cardopatium* ſit quaſi *carpatium*, quia ex montibus Carpathicis magna copia affertur?

CAREBARIA Gr. καρηβαρία, eſt cephalalgiæ ſpecies, ſeu grauitas capitis, ex κάρη caput, βαρὺ graue. G. Hauptwehe.

CAREVM, eſt planta, quæ habet plures caules ad altitudinem circiter ſeſquipedis, quadratos, nodoſos, vacuos, ramoſos: folia tenuiter laciniata coſtæ per coniugationes innaſcentia: flos eſt roſaceus & vmbellatus, plurimis ſcilicet petalis conſtans, cordiformibus, inæqualibus, in orbem poſitis, & calici inſidentibus: Is autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum exiguis, longiuſculis, inuicem iunctis, griſeis, hinc gibbis, & ſtriatis, inde vero planis, ſaporis acris & aromatici: radix longa, craſſa, carnoſa, alba, aliquando flaua: nomen habere refert Dioſcorides ex regione Caria, nunc Lango: vbi abunde creſcit. Dicitur etiam *Caros* & *Caruum.* G. Kümmel.

CAREX, eſt Iunci acuti ſpecies, in arenoſis tumulis circa mare ſuccreſcens, deducunt a caro: forte ob ſolida ſolia. G. Reitgraß.

CARICA, pen. corr.

Hic nux, hic miſta eſt rugoſis carica palmis. Ovid. Met. 8.

Quid vult palma ſibi, rugoſaque carica, dixi. Ov. 1. Faſt.

Carica, ſic ficus vocatur a Caria, natali ſolo.

CARIES, TEREDO & PÆDARTHROCACE, eſt oſſis cancer, ſeu corruptio & exeſio, a medulla in eius cauernulis putrefacta, vel aliis humoribus acribus, ibidem ſubſiſtenti-

ſiſtentibus, oſſis laminas corrodentibus, ſeparantibus ab inuicem, orta. G. Beinfäule, Beinfreſſer. Videtur tamen Cariei nomen longius patere, quam pædarthrocaces, quod proprie notat vitium, quod oſſibus in ipſis capitulis, quibus articulantur, inſidet.

CARINA, eſt illud rudimentum ſeminale primum, quod a mare communicatum ouo fæminino, poſt varias mutationes fit ipſum animal; quodque proprie ſic dicitur, cum conſtare obſeruetur ex cerebro, cerebello, medulla ſpinali, ex quibus explicatis, auctis, mutatis, cum aliis accretis coniunctis, animale corpus naſcitur.

CARLINA, pen. prod. qvia contractum eſt a CAROLINA. Carlina, eſt planta officinalis, quæ habet folia ex radice erumpentia, longa, ampla, profunde inciſa, repentia, in orbem diſpoſita, aſpera, aculeata inſtar carduorum, coloris viridis pallidi; calix multis expanſis aculeatis foliis cardui conſtat: floris diſcus ſat patulus, conſtans floſculis fiſtuloſis, radiatus, ita vt petala plana ſint, & ſecundo ſterilia: ſemina poſt ſingulum florem ſunt in apice vel pappoſa, vel emiſſis radiis penicilli modo coronata, foliolis exiguis a ſe mutuo diſſectis: radix ſat craſſa, cauliformis, fibroſa, vt plurimum in ſuperficie carioſa, foraminulenta, coloris foris rufi; intus albidi, odoris grauis & fragrantis, ſaporis penetrantiſſimi aromatici. Sic dicta putatur a Carolo Magno, primo eius nominis Romanorum Imperatore, cuius exercitus vſu huius radicis liberatus & præſeruatus a peſte olim fuiſſe fertur: dicitur etiam Leucanthe a λευκὴ alba & ἄνθη, ἄνθος, flos, quaſi eminenter albo & candido flore prædita.

CARMINANTIA ſeu CARMINATIVA, dicuntur flatus diſcutientia, ſimul cum inteſtionorum dolore ſublato, vti aniſum, &c. Carminare enim ſignificat demulcere carminibus: veteres enim exiſtimabant, poetas ope ſuorum carminum demulcere poſſe dolores atque motus nimis vehementes; vnde poeſios æque ac medicinæ inuentor habitus eſt Apollo. G. Windtreibende Mittel.

CARNEOLVS. vide *Sardius Lapis.*

CARNOSA MEMBRANA, ſiue caro quadrata, vel palmaris breuis, hæret in aponevroſi palmaris longi, dicitur contractam volam explicare. Fleiſchhäutlein.

CARO, eſt ſubſtantia muſcularis, conſtans ex fiſtulis, ſanguinem ex arteriis accipientibus, inque venas reuehentibus. Veteribus dicitur quintuplex *Muſculoſa*, *Fiſtuloſa* ſiue *Fibroſa*, vt in muſculis & corde. *Parenchymatica*, vt pulmo, hepar, lien.

lien. *Viſceroſa*, vt inteſtina. *Glanduloſa*, vt pancreas, glandulæ mammariæ, ſaliuares &c. *Spuria* vt gingiuæ, labia, penis glans, &c. Gr. σάρξ & κρέας, ſed illa diſtinctio nullius eſt momenti, cum proprie nulla caro ſit, niſi muſculoſa. G. Fleiſch.

CARO, etiam ſignificat ſubſtantiam iſtam molliorem fructuum ſucculentorum, quæ cortici ſubeſt, quam alias pulpam vocamus, vt *Pulpa* vel *caro citri cydoniorum*. G. Fleiſch.

CARO QVADRATA, vide *Cornoſa membrana*.

CAROTA, eſt nomen ex Italica hodierna lingua, quo denotant paſtinacam ſatiuam, & in primis illam, quæ flauas radices gerit: aliqui etiam rubras illas bæte, quibus pro acetariis vtimur. Credunt a Germanica voce deriuari *Garroth*, hoc eſt totum rubens, quia radix intus & extus obſcure rubet: ſed errant, nam a Græcis vocem hanc veniſſe ad Romanos veriſimile eſt: teſtatur enim Athenæus iam olim paſtinacæ aliquam ſpeciem vocatam fuiſſe, Caroton. G. gelbe Rüben, Morrüben.

CAROTIDES *arteriæ*, ſunt duæ arteriæ ortæ ex aorta paulum ſupra cor, vbi incuruari incipit, ſurſum exporrectæ verſus caput; vna eſt *dextra*, altera *ſiniſtra*, vtraque diuiditur in *externam*, & *internam*, poſtquam carotis ad cranium fere appulit, oritur *externa*, quæ paulum reflexa, ad fauces, faciem, capitis verticem, & retro aures varie diſtribuitur. *Internus* alter vero ramus apparatu quodam velut mechanico, os cuneiforme pertranſit, in eo enim peculiaris in vtroque latere canalis inſculpitur, in quo atteria illa in maiorem cautelam tunica inſuper aſcititia craſſiore inueſtitur: ſic igitur ducta inſtar S. duplicis canali oſſeo elapſa, tunicam aſcititiam deponit, & τῷ ἐγκεφάλῳ ſuo ſanguine proſpicit: circa neruum igitur ophthalmicum aſcendens, ad latera porrigitur, deinde ad anteriorem cerebri regionem intra ductum neruorum olfactoriorum: vltimo ad poſteriora protenditur & iuxta medullam oblongatam & ſpinalem medullam cranio exiens, eam ſuo liquore ad os ſacrum vsque irrigat. Olim arteriam illam vertebralem ſeu internam vocabant, eo quod putarint eam aſcendere & cranio immiſſam cum carotide coniungi, quod tamen iuxta accuratiſſ. VVILLISIVM, ſecus experimur. *Soporales* ſeu *Carotides* vocantur, quia ſi vinculo conſtringantur, ilico affectus ſoporoſi excitantur: Veteres ſoporem ordinarium inde produci exiſtimabant, a καρόω ſoporem induco. Cur autem non deducimus potius a κὰρ vel κάρα caput? G. Die Schlafpulsader.

CAR

CARPENTARIA, in Gallia ſic vocatur millefolium. Sic dicitur quod fabri lignarii ea vulneribus medeantur: *un charpentier* enim eſt faber lignarius. Eo quoque nomine *Naſtartinm hyemale* appellatur, quod vulgo barbaream vocant.

CARPESIVM, qualis ſit planta inter eruditos disquiritur; alii cubebam volunt, alii ruſcum, alii aliud quid. Gr. Καρπήσιον.

CARPIA, barbara vox, a Gallica *charpie*. originem ducit, vulgo *Carpie*. Latinis *linteamentum carptum* vulſumue e linteis concerptis: *Linamentum raſile*. Gr. τιλτὸς μοτὸς, διάσυρ☞ *Æginetæ*, τίλμα *Apſyrto*. *Delinamentum ſaniarium*; eſt concerptum linamentum, quo vulneri veceriue immiſſo ſanies inanitur. Ἔμπυ☞ μοτὸς *Hippocrati*, *Linamentum raſile*, e lanugine linteorum eraſa conficitur. ξυςὸς μοτὸς, ξύσμα *Erotiano*, ἄχνη ὀθονίε *Hippocrati*. *Linamentum tortile* a materia contorta fit. ςρεπτὸς μοτὸς. G. Plückſel.

CARPINVS, eſt aceris ſpecies, cortex huius arboris eſt ſcaber & aſper, coloris albeſcentis: rami valde extenſi; lignum durum, albeſcens: folia ſatis ampla, dentata vlmi ſatis ſimilia: flos amentaceus eſt, petalodes, axi longo communi adnatus; ſtaminibus multis ſub foliolis natis, in vno loco plantæ hærens. Ouarium ouatum apice piloſo, membranaceo inuolucro tectum & tubis binis inſtructum; fit fructus in eadem planta loco a flore remoto, in ſpicis foliaceis reconditus, oſſeus, vmbilicatus, compreſſus, ſtriatus, fœtus nucleo rotundo acuminato: putatur dici a carpo, vel a κάρφω ſicco, quia lignum habet ſiccum, vel quod facile finditur. G. Hanenbuchen, Steinbuchen.

CARPOBALSAMVM, eſt balſami fructus. Ex καρπὸς fructus, & βάλσαμον. Vide *Balſamum*.

CARPVS, vulgo BRACHIALE, prima palmæ pars *Celſo* καρπὸς, κτεὶς *Heſych*. eſt pars brachii inter partem inferiorem cubiti & manus. Conſtat ex oſſiculis octo, quibus cubitus manui connectitur. G. Das Gelenck an der Hand.

CARTHAMVS, pen. corripit, ut cinnamum, balſamum. Carthamus, ſiue CNICVS, eſt planta, quæ caulem vnicum ad altitudinem duorum circiter pedum dimittit, rectum, longum, rotundum, lignoſum, durum, in parte ſuperiore in plures ramos diuiſum: folia ſunt oblonga, mediocriter lata, acuta, venoſa, ad ambitum multis ſpinis inſtructa: ſummitates eius habent multa capita deſquamata, auellanæ craſſitie, alba, foliorum capitulo inſtructa: hiſce floribus delapſis apparent ſemina oblonga, nuda, hordei grano paulo craſſiora, polita,

alba,

alba, ſplendentia, corticee duro tecta, & plena medulla alba, dulci, oleoſa: poſtea acri, & nauſeoſa: radix eſt tenuis, flores tinctoribus inſeruiunt ad colorem rubrum conficiendum: An a καθαίρω purgo, an potius ab Arabico *Kirtam?* vide *Cnicus.*

CARTILAGO, eſt pars alba, ligamento ſiccior, duriorque; oſſe vero mollior, admodum elaſtica, & lubrica: obducit oſſium capita & caua, inunctaque pingui linimento, ex glandulis ligamentorum ſecreto, articulationem faciliorem reddit, parteſque varias ab iniuriis externis defendit. G. χόνδρος. G. Knorpel.

CARVM, & CARVVM, vide *Careum.*

CARVNCVLA, vid. caput gallinaginis.

CARVNCVLA OCVLI, quæ & *lacrymalis* dicitur, eſt corpuſculum in angulo maiori oculi ſitum, ſpongiolæ formam habens, multis protuberantiis hirtum, veluti acinus botryos, colore rubro; operculi inſtar incumbens ſacculo lacrymali, transſudans ex glandulis ſuis continuo humorem tenuiſſimum, ne areſcat vel cum vicinis concreſcat partibus; cuius vſus eſt, ne palpebræ contra bulbum oculi perfecte claudantur, ſed per hanc eminentiam cauum maneat, in quo liquidum lacrymarum collectum, per puncta deinceps lacrymalia abſorberi commode poſſit. Non reperitur hæc caruncula in animalibus, quibus cortina adeſt; non pertunditur vllis foraminibus hactenus notis, ex quibus liquidum qualecunque exire poſſit, neque videtur eſſe operculum ſacci lachrymalis lachrymas imbibens, nam ſimulac duo pūncta lacrymalia læſa ſunt, integra licet caruncula, fit lacrymarum ſtillicidium; verus ergo eius vſus videtur, vt non ſolum liquidum lacrymarum determinetur in puncta lacrymalia, ſed illud ſebaceum ibi appulſum, affigatur & colligatur ad ſcabritiem dictæ carunculæ, vnde poſtea in lemas ſiccatum auerritur.

CARVNCVLÆ MYRTIFORMES, ſunt orificii vaginæ muliebris corrugationes, ſeu membranoſæ inæqualitates nullo certo numero comprehendendæ, quæ in parturientibus, & poſt partum, ita obliterantur, vt earum veſtigium vel minimum non remaneat. Vt plurimum conſpiciuntur quatuor, ex hymenis laceratione creduntur oriri, & nunc duæ, tres, nuc quatuor, obſeruantur, eo præciſe loco, vbi olim hymen erat; deſuntque in infantibus. G. Myrtengleiche Stücklein Fleiſch.

CAR-

CARVNCVLÆ PAPILLARES, ſunt corpuſcula exigua in renibus, numero duodecim; proprie ſunt faſciculi a concentratione canaliculorum, ex quibus renum ſubſtantia maxime conſtat, orti, qui ſerum a canaliculis recipiunt & in peluim deducunt.

CARVS, eſt ſopor in quo ægri vellicati, compuncti aut vocati, vix ſenſationis notas oſtendunt, eſt tamen aliqua perceptio, ſed ſubitanea, absque febre, vel vt multi volunt cum febre; circa morbos enim ſoporoſos maxime diſſentiunt medici, lethargo maior, & apoplexia minor eſt. Cauſa eſt obſtructio vel compreſſio pororum & meatuum verſus cerebri meditullium euntium & in corporis calloſi limbo ſaltem extimo, ſedem habentium, ipſo cerebro illæſo manente. Gr. κάρος. G. Schlaffſucht.

CARYOCOSTINVM, pen. corr. *Vid. adiect. in* INVS *ab inanimatis.* Caryocoſtinum, eſt electuarium, ſic vocatum quod cariophyllos & coſtum recipiat.

CARYON, nux eſt cuiusuis generis, ſed præſertim iuglandis. Gr. κάρυον, quod forte eſt a κάρα caput, quia eſt fructus rotundus, inſtar capitis humani: vel quia capiti grauedinem adfert, aut, ſecundum alios, illud roborat.

CARYOPHYLLATA: Eſt planta, quæ habet folia lobata, id eſt quibus ad latera excreſcunt alia folia prioribus maiora, & ad pentaphylloides accedunt, hinc Raius aliique poſuerunt ad agrimonoides, ob habitus ſimilitudinem, villoſa inſtar agrimoniæ, ſed magis dura & aſpera, coloris viridis magis fuſci, in margine inciſa; flos eſt roſaceus, conſtans plurimis petalis in orbem poſitis, e diuiſuris calicis monophylli & peluiformis prodeuntibus; piſtillum abit in fructum fere globoſum, in quo ſemina plurima colliguntur oblonga caudata: radix craſſior, oblonga, obrotunda, fere fibroſa, coloris obſcuri, odoris caryophylli: ſic dicitur, quia eius radix caryophyllos quodammodo ſapit & olet; appellatur etiam *Herba benedicta* & *ſanamunda*, a diuina ſua efficacia. G. Benedictenwurtz.

CARYOPHYLLEVS FLOS, eſt planta florifera, monoangeia, polyſperma, cuius flores caryophyllos olent, vnde nomen. G. Graßnelcken, Nägeleinblumen.

CARYOPHYLLI, ac ſi diceres *Nucifolium*, nomen, quod ipſi rei neutiquam reſpondet. *Caryophyllorum* arbores propagantur maturo ipſorum fructu, qui non eſt vulgare illud *caryophyllum*, in tabernis notum, illud enim rudimentum

ſaltem eſt fructuum. Ipſe fructus aromaticus immaturus, non aliud videtur eſſe, quam quod verbi gratia, in roſa calicem, & quidem ſpeciatim eius capitulum, tandem fructum cynosbati conſtituit: huius pars ſuperior, in quatuor cuſpidulas diuiſa, cum roſarum illo cortice lacinioſo, alabaſtri nomine noto, conuenire videtur; ipſe flos ſummitati huic innaſcens exterius quatuor craſſioribus pelliculis inuoluitur; quæ inuicem complicatæ globulum illum efformant, hisque ſe pandentibus flos demum in conſpectum venit, itidem quatuor foliolis primo candidis, deinde virescentibus, ex vmbilico ſiue quadrato alueolo enatis, conſtans, & multis ſtaminulis albis, antheræ in modum, quaſi totidem floſculis, prominulum ex vmbilici medio apicem vel clauum vbique cingentibus, conſitus. Baccæ quando e viridi aut pallido rubeſcere incipiunt, capitulum aperiunt, floremque oſtendunt, & earum vindemia inſtat, cratibus imponuntur & latis ari foliis tectæ per aliquot dies fumo macerantnr, deinde in ſole exſiccantur, donec fuluum illum colorem acquiſiuerint, quali vulgo cernuntur. Arbores ſunt quibusuis lauris celſiores, non frutices. Folia lauro quoque ſimillima ſed anguſtiora. G. Nelcken, Någelein. Fructus porro maturi, quadruplo fere maiores ſunt & craſſiores, vulgo *Anthophylli* dicti: nucleum continent durum maiores; ſunt & magis ventricoſi. G. Mutternelcken. Eſt & alia ſpecies admodum rara minori forma, ſed magis denticulata, & vocatur noſtratibus Kronnågelein. Eſt & cortex quidam ex America, & inſula Cuba allatus, qui & odore & ſapore caryophyllis neutiquam cedit, vocaturque cortex caryophyllorum; arboris Xocoxochitl, ſeu Piper Tauaſci dictæ ab Hernande. G. Nelckenholtz. Sunt & alii *Caryophylli Plinii* dicti, rotundi, magnitudine ribium, colore fuſco, facile friabiles, racematim botri inſtar ſuccreſcentes. Folia habent magna. Sapor ſeminis intus concluſi imbecillem caryophyllorum ſaporem refert. Scribunt aliqui *Garyophylli*.

CASCARILLA, eſt cortex officinis noſtris inde a quadraginta forte annis familiaris. Nomen eſt Hiſpanicum quod corticem denotat, diminutiuum a *caſcara*. Eſt coloris ſubfuſci ferruginei, ſaporis aromatici amaricantis, grati odoris, præſertim ſi accenditur. De arbore, a qua venit, diſſentiunt auctores: nouiſſimi vocant *Ricinoidem elæagni folio*. Plurima affertur ex Bahamæ inſulis. Differt a cortice Peruuiano, quem chinchinam vocant, copia inſigni particularum ſulphureo-reſinoſarum. Ex veſica deſtillata cum aqua, largitur verum

oleum

oleum æthereum: cum ſpiritu vini extracta, & largæ quantitati aquæ deinceps infuſa, dat copioſam reſinam: quæ omnia in cortice Peruuiano non ſic reperiuntur. Viribus pollet carminatiuis & anodinis inſignibus: quare multum hodie in praxi frequentatur tam puluis, quam inde parata eſſentia & extractum.

CASIA, aroma, pen. corr.

Qvo ſimul & caſias, & nardi lenis ariſtas. Ovid. Met. 15.
Dum myrrham, & caſiam flebilis uxor emit. Martial. lib. 10. ep. 97.

Qvidam duplicato σ caſſiam appellant; ſed Galenus, Heſychius, & alii, κασίαν legunt. De voce ipſa videatur *Voſſii Etymol.*

CASSIA FISTVLA, *nigra*, *ſolutiua*, *laxatiua*. Huius fructus arbor eſt procera, inſtar iuglandis, quæ creſcit in Indiis orientalibus, & Ægypto, habet corticem griſeum, ſaporis adſtringentis; folia pinnata, & fere cum iuglande conueniunt, ſed acutiora ſunt, inſtar perſicæ foliorum. Flores pentapetali roſacei, in orbem poſiti, ſubflaui, odoris gratiſſimi; piſtillum abit in ſiliquam oblongam, rotundam, cylindricam, teretem, lignoſam, aliquando compreſſam, in varia loculamenta diuiſam a diſſepimentis transuerſim poſitis, obductis medulla nigra, liquida, dulci; in ſingulis loculamentis hærent ſemina depreſſa, dura, obrotunda, nitida, coloris flaui: floribus huius arboris deciduis, ſiliquæ adeo indureſcunt, vt a ventis agitatæ tantum ſtrepitum edant, vt a duorum milliarium diſtantia audiantur: Gr. κασία μέλαινα Vnde dicatur, non ſatis conſtat. Gr. Caßien, Caßie-Fiſtel.

CASSIA LIGNEA, eſt caſſiæ ligneæ Malabaricæ ſeu Sumatrenſis cortex, cinnamomi in modum conuolutus, cinnamomo craſſior, odore & ſapore debilior, colore magis fuſco, maſticata deliqueſcit in ore, & lentum quiddam, glutinis quaſi ſpeciem, relinquit, id quod cinnamomo non accidit, cuius reliquiæ perpetuo ſuperſunt; atque inde apparet hallucinatos fuiſſe illos, qui cortices cinnamomi & Caſſiæ ligneæ ſibi incumbentes, ab vna eademque arbore detrahi, crediderunt. παρὰ τὸ κάσαι dictam volunt, quaſi κοσμῆσαι διὰ τῆς εὐοσμίας τὰς αἰσθήσεις: κάσαι eſt enim ornare, vel quod ſenſibus fragrantiam largiatur. Vocatur & *Xylocaſſia*, & cinnamomum ſpurium, canella ignobilior, Caſſia Syrinx, vide *Cinnamomum*. G Mutterzimmet.

CASSVTHA, recentioribus Græcis *Caſſytha*, *y* in *u* transeunte, vt fere fieri ſolet, Latinis appellatur. Officinis & her-

bariis noſtræ ætatis hinc deflexa priſtini nominis vmbra, *Cuſcuta* dicitur, cum primum *Caſſutha*, dein conuerſa *Caſcutha*, poſtremo *Cuſcuta* cœperit appellari. Sunt qui *podagram lini* vocant, quod quaſi compedibus id, cui inſederit, illiget, nec vinctum eo facile poſſit extricari. PLINIVS eius videtur meminiſſe iis verbis; eſt in Syria herba quæ vocatur *Caſſithas*, non tantum arboribus, ſed ipſis etiam ſpinis circumuoluens ſeſe: *Caſſytas* enim legendum non *Caditas*, iam igitur memoria PLINII Caſſytas herba ſuo nomine Syriaco venerat in latium, quod multis poſtea ſeculis vſurpantes tam Pœni quam Arabes, ſuis ſcriptis protriuerunt; vide *Cuſcuta*.

CASTANEA, pen. corr.

Caſtaneæ molles, & preſſi copia lactis. Virg. Ecl. 1.

Caſtanea, eſt magna & craſſa arbor, cortice tecta polito, fuſco, maculato, lignum eſt durum, in igne crepitans: rami valde extenſiles, & magnam vmbram producentes: folia magna, ampla, longa, lata, tenuia, parum aſpera, in margine inciſa, neruoſa: flos mas, in hac arbore primo deprehenditur alio loco quam ouarium, ſolitarius, ex calice pentaphyllo, valde ſtaminoſus, per capillamentum tenue axi communi longo affixus, vt fiat amentaceus: alii flores hermaphroditi, conſtant calice & ſtaminibus atque ouariis apice multifido & tubis ſex diſtinctis, vno illo communi calice contentis: ouarium hoc deinde, vbi ſe expediuit, fit fructus echinatus, alio a flore primo loco in eadem arbore, ſubrotundus, quadrifariam dehiſcens, vt plurimum, fœtus caſtanea ſub coriaceo putamine rubicundo, nucleum continente: hæc arbor creſcit in regionibus calidis. A Caſtano Magneſiæ oppido; vel a Caſtanide terra nomen habet. Non dicitur a caſtitate, quod quidam opinantur. Alii Caſtanam vrbem Apuliæ ſcribunt; non procul a Tarento, de quo non laboro. Sufficit ab vrbe vel ab agro quodam nomen hoc accepiſſe, vocatur a Virgilio *Nux*. Nuces generaliter dicuntur omnia, tecta corio duriore, vocatur item Διὸς βάλανος, Σαρδιανὴ βάλανος, Λοπιμόν. *Sardianæ* quippe *Glandes*, dicuntur, quoniam circa Sardes optimæ naſcuntur. G. Keſten, Caſtanien, Marronen.

CASTOR, oris, CASTOREVM, pen. corripit utrumque.

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi,
At Chalybes nudi ferrum, viroſaque Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epeiros equarum. Virg. Georg. I.
Caſtoreas ſiliqvas bis ſex perqvirere cura. Seren. tit. par. dep.
Ἐς ποτὸν, ἢ πάνακες, ἢ κάστορος ἄλοον ἔρχιν. Nicand. in *Therias.*

Neque

Neque aliter exprimitur Deorum fratrum ſolenne nomen:

Non ego ſi medius Polluce, & Caſtore ponar. Ovid. 2. Art.

CASTOREVM. Alii teſticulos, glandulas alii ſuſpicantur. Anatomia detexit non eſſe teſticulos caſtoris, qui gallorum teſtes vix ſuperant, ſed veſiculas eſſe duas ſiue folliculos, qui tam in maribus quam in fœminis, vtrinque in inguinibus, ſtatim ſub cute, ouorum gallinaceorum magnitudine, & ſæpe maiores conſpiciuntur, ex quibus liquor oleoſus & graui odore emanat, quem animal lingua lambit. Veſiculæ cum contentis exſiccatæ verum ſunt *Caſtoreum.* Illud vtraque India præbet, Gr. Καςόρειον. G. Bibergeil.

CASTRATIO, eſt teſtium exciſio, ſeu priuatio, ne quis coitui aliquid contribuere poſſit, vel quando id ex neceſſitate corrupti teſtis fieri debet. Is qui exciſus eſt dicitur *caſtratus* ſeu *eunuchus.* G. Außſchneidung der Hoden.

CASVS VVVLAE, vide in *Cion.*

CATACLEIS, Gr. *κατακλεὶς*, eſt coſta prima, ſubclauicula dicta, ex *κάτω* infra, & *κλεὶς* clauis. G. Die oberſte Rippe. Sed veteres in genere ſic vocant partem colli & pectoris, vbi ſe mutuo contingunt.

CATAGMA, eſt oſſium fractura, ſiue ſeparatio continui in duris corporis partibus, quæ externe duro quodam inſtrumento, vi partem affligente, efficitur; cuius differentiæ a forma, a parte & accidentibus, deſumuntur. G. Ein Beinbruch.

GATAGMATICA, ſunt remedia ad fracturæ curationem neceſſaria, a *κατάγω* frango, *κάταγμα*, fractura.

CATALEPSIS, *Catochus*, *Prehenſio*, aut *Congelatio* eſt, quando homo ſubito corripitur, & in quo ſitu poſitus erat, immobilis manet, ſiue ſteterit, ſiue ſederit, ſiue aliter flexus fuerit, reſpiratione ſalua, ſaluo pulſu, apertis oculis, ſine motu, lonquela, aut ſenſu: nam rarum eſt ſi ſermones aliorum intelligant, aut cibum vel potum, quem præbemus, deglutiant. Verum inter externas cauſas ſunt fulminis ictus, & acre frigus: proxima cauſa videtur eſſe immobilitas ſenſorii communis, pro vt primo momento inſultus ſe habebat, a *καταλαμβάνω* prehendo, corripio. G. Sinnenbenehmung, oder Unempfindlichkeit.

CATAMENIA, ſunt menſtrua muliebria, quæ plerumque ſingulis menſibus, ab aucta copia, & hinc intumeſcentia maſſæ ſanguineæ inducta, turgeſcunt & foras ex vaſculis vteri, vel vaginæ dilatatis ex muliebribus prorumpunt. Quidam menſtruorum cauſam lunæ motibns adſcribunt, hoc autem conceſſo neceſſum foret, vt vno eodemque tempore, omnes

ſimul menſtruum fluxum paterentur. Menſtrua incipiunt anno duodecimo, decimo tertio, vel decimo quarto: Deſinunt vero, circa annum quinquageſimum; verum hoc exacte determinari vix poteſt. Supprimuntur in prægnantibus, & lactantibus. Regula tamen non eſt. ex κατὰ per, & μὴν menſis. G. Monatliche Reinigung, Monatzeit, Frauenzeit.

CATAPASMA, eſt puluis fragrans, qui odoris cauſa veſtibus inſpergitur. Item puluis fragrans qui poſt illinitionem, ſtomacho aut cordi applicatur, καταπασσάω, inſpergo. Vide *Diapaſma.*

CATAPHORA, idem eſt quod *coma*, verum in eo differunt, quod *cataphora*, tanquam genus omnium ſtuporum ſine febri ſumatur; videtur cari leuioris ſpecies. A καταφέρω deorſum fero, quia ægrorum membra deorſum concidunt. G. Die Schlaffsucht.

CATAPHRACTICA, eſt nomen alicuius faſciæ ſeu ligaturæ, quæ thoraci accommodatur. G. Bruſtwindel.

CATAPLASMA, eſt medicamentum externum topicum pultis conſiſtentia. Præſcribitur fere duobus modis, nempe vel per coctionem, vel ſine ea. Illud fit frequentius; hoc ſæpe maiorum eſt virium. In illo iubentur aſſumere vegetabilia, ſcopo conuenientia, vt radices, herbas, ſemina, flores, fructus &c. additis farinis appropriatis, aut illis omiſſis, quæ omnia in ſ. q. liquoris, v. g. aquæ, cereuiſiæ, lactis, vini, &c. coquuntur ad pultis conſiſtentiam. Hoc paratur fere ex vegetabilibus minutim conciſis, affuſo tantum liquore ſufficienti, ea ſolum quantitate, vt reſpondeat conſiſtentiæ pultis. Poſſunt hic quoque addi farinæ, mica panis, olea, unguenta, ſicuti quoque in prioris generis cataplaſmatibus: a κατυπλάσσω fingo, formo, illino. G. Ein Breyumſchlag.

CATAPOTIVM, vulgo *pilula*, eſt medicamentum internum; quod deglutiendo ad aluum ſubducendam & purgandam, in forma globulorum aſſumitur, ex κάτω deorſum, & πίνω bibo. G. Pillen.

CATAPTOSIS, eſt epilepſiæ ſymptoma, cum homines derepente in terram concidunt, a καταπίπτω deorſum cado, idem quod *decidentia*.

CATAPVTIA, pen. corr. ob vocalem ante vocalem, vt colocaſia. Tres cataputiæ dantur ſpecies, quarum ſemina in officinis ſeruantur, nempe *maxima*, quæ eſt ricinus Americanus maior ſemine nigro; *media* quæ eſt ricinus vulgaris, & *minima*. quæ eſt, tithymalus latifolius, cataputia dictus. Omnium vis eſt vrens, & vehementiſſime purgans ſurſum & deorſum. G. Springkörner.

CATARACTA, eſt duplex, *incipiens*, ſeu *ſuffuſio*, vel *confirmata*, ſeu *cataracta*, proprie dicta: *Incipiens* eſt oculi ſuffuſio, cum nempe nubeculæ, feſtucæ aut muſcæ, ante oculos volare videntur. *Confirmata* vero eſt, quando a pellicula tenui, pupilla in totum vel ex parte occluditur, ita vt radiis ſolaribus debitus ingreſſus præcludatur; vel quaudo ipſa lens cryſtallina opaca fuit facta, quam cauſam frequentiſſimam, priorem, vero rariſſimam eſſe hodie conſtat. Cataractæ confirmatæ curantur acu per membranam albugineam & corneam ad cataractam vsque adacta, quæ acu deprimenda, & ſi reſiliat, comminuenda, deinde oculus aqua roſarum & albumine conquaſſato obligandus. Dici videtur a καταῤῥάσσω, confundo, vel impetuoſe deturbo, quia ſæpe ſubito hic morbus oritur; alii a ſimilitudine cataractarum, quæ ſunt valuæ mobiles, quibus aquarum temperatur impetus, quia conſiderarunt hunc morbum tanquam valuam in humore aqueo, quæ viſum interciperet. Sed lubrica eſt omnis hæc etymologia, quum non facile occurrat exemplum, quod probet ab vllo Græco ſcriptore hoc nomen huic morbo datum eſſe. Vocant illi ὑπόχυμα. Celſus ſuffuſionem. Barbari quidam cataractas oculos Veneticos appellarunt: veneticus vel venetus denotat colorem vel dilute cæruleum. G. Der Staar.

CATARIA, vel *nepeta*: eſt planta, glaucum, cuius caulis ad altitudinem circiter trium pedum adſcendit, quadratus, villoſus, ramoſus: folia vrticæ vel meliſſæ, in margine inciſa, acuta, lanuginoſa, albeſcentia, odoris penetrantis, ſaporis acris: flores in ſummitate ramorum nati, flaui, aut albeſcentes, in ſpicam congeſti, galea erecta, bifida, ſubrotunda, barba tripartita, ſegmento medio excauato, eleganter crenato, amplo; cæterum binis ſegmentis, vt alis orificium patulum labiorum cingentibus: ſemina quatuor, oualia. Radix in multos ramos diuiſa, lignoſa: creſcit iuxta vias. Videtur vox inde impoſita, quia cati ſeu feles hac planta delectantur & veſcuntur. G. Katzenkraut, Katzenmüntze.

CATARRHOPVS, ſeu CATARRHVS, dicitur vulgo, quando humores, vapores aut flatus deorſum ex capite ruunt. Vide *Catarrhus*, ex κάτω, deorſum, & ῥέω, fluo.

CATARRHVS, veteribus dicitur humorum ex capite ad ſubiectas partes, vt nares, os, pulmones &c. defluxus; velut in coryza, & brancho contingit. Catarrhi tamen iſto ſenſu non dantur: nam a capite nihil fluit ad illas partes; ſed glan-

dulæ narium, & quæ circa oris partes ſunt, ſæpe obſtruuntur, inflammantur, & hinc illæ lachrymæ. Vetus eſt verſiculus:

Si fluat ad pectus, dicatur rheuma catarrhus.
Ad fauces branchus, ad nares eſto coryza.

Deſtillationes has Græci καταῤῥοῦς & καταςαγμοὺς vocant, aliique fluores: ſunt vt plurimum effectus frigoris, & præter naturam eueniunt ad glandulas, paſſimque per omnes corporis partes, vbi retruſa iacent vaſa ſecernentia ſubter loca frigore tacta; vt ſi frigore excipiatur facies, ſequatur deſtillatio in nares; ſi ceruix, & collum, quæque iuxta ſunt partes, tum fluor ad fauces; ſin inferiora, fiat inde fluxio ad inteſtina; & ſic porro; ſic pro diuerſitate arteriarum, venarum, aliarum partium frigore conſtrictarum; varii oriuntur effectus; deſtillationes ad varias partes, ex κάτω deorſum, & ῥέω fluo. G. Ein Fluß des Haupts.

CATARRHVS SVFFOCATORIVS, eſt quando (vt veteribus placet) humores excrementitii a capite ad organa reſpiratoria decidunt, & ſuffocationem minantur. Sed potius dicerem eſſe glandularum, circa laryngem, intumeſcentiam, vel inflammationem, aut conuulſionem muſculorum glottidis rimam claudentium, qua reſpirandi difficultas, & ſuffocatio inducitur: cauſæ frequentiores obſeruantur, materiæ eliquatæ in fauces & pulmones ſubita deſtillatio; neruorum ſumma vitia, vt in hyſtericis: polypus cordis maior ſubito in pulmones truſus; hinc videtur eſſe tantum hic morbus ſubito accidens ἄπνοια. G. Steckfluß, erſtickender Fluß.

CATASARCA, idem quod *Anaſarca*, ex κατὰ per & σάρξ caro. Eſt indeclinabile.

CATASTASIS, eſt corporis humani vel temporis diſpoſitio. a καθίστημι conſtituo.

CATATASIS, eſt extenſio corporis verſus inferiora, ex κάτω infra, & τείνω tendo.

CATECHV, vulgo, ſed ſatis inconuenienter, *terra Japonica*: ſuccus eſt ex variis adſtringentibus fructibus expreſſus, durus, gummoſus & reſinoſus, ex purpureo nigricans, punctis albis intertextis quaſi ſitum contraxiſſet. Venit ex Pegu, Suratta, Magni Mogolis imperio, Malabaria, Bengala & Zeilon. Inter Pinang cum foliis Betel vt plurimum vſurpatur. Verus fructus & baſis eſt acacia orientalis, planta tamarindo non abſimilis. Si tantillum ori indatur, aſtringit primo, deinde ſaporem dulcem & gratum relinquit, eodem modo ac folia Thee maſticata. Horti malabarici author, dicit eſſe ſuccum

inſpiſ-

inſpiſſatum alicuius palmæ areciferæ nucleo verſicolori nuci moſchatæ ſimili, cuius fructus ſeſſilis *Fauſel* dictus vel *Areca* & *Pynang.*

CATHÆRETICA, ſunt *cauſtica* ſeu *eſcharotica*, ſiue medicamenta, ſuperfluam carnem auferentia & perforantia: diſtinguenda tamen videntur a cauſticis, quia carnem viuam alterare non debent, ſed tenax adhærens, & ſemicorrupta vaſorum ramenta, ad viuam vsque carnem reſoluere & detergere; hinc detergentia fortiſſima ſiue exedentia. Ex *καθαιρέω* deiicio, ſubuerto, detraho. G. Brennende Mittel.

CATHARSIS, idem quod *Catharticum.*

CATHARTICVM, eſt medicamentum purgans, quod ventriculum, inteſtina & quicquid in ſanguine heterogeneum & vitioſum fuerit, expurgat, & in communem cloacam, ſeu inteſtina præcipitat. Vide *purgatio & vomitorium. Cathartica* diuiduntur vulgo in *Cholagoga*, *phlegmagoga ſeu Hydragoga & melanagoga*, ſed illa diuiſio a neotericis iure reiicitur, cum purgantia ita ſpecifice non operentur, vt creditum. Vocatur item *purgans*, *purgatio*, *medicamentum ventriſtuum* Aurel. quod aluum deiicit. *Κάθαρσις*, *Καθαρτήριον ἢ Καθαρτικὸν φάρμακον*, *Ὑπήλατον Hippocrat.* *Ἐλατήριον*, *Κενόσιμον φάρμακον*, *a καθαίρω* purgo, mundo. G. Ausführende Artzney, Purgation.

CATHEMERINA, idem quod *quotidiana febris.* Ex *κατὰ* & *ἡμέρα* ac ſi diceres *καθ' ἡμέραν.*

CATHETER, *immiſſor* vel *demiſſor*, eſt inſtrumentum recuruum & fiſtuloſum, quod per vrethram veſicæ immittitur, ad vrinam ſuppreſſam euacuandam, vel calculum in veſica hærentem explorandum; eſtque vel *flexilis* in priorem vſum, vel *immobilis* in poſteriorem ſimul; vel *ſolidus* cum crena, qui in inciſione adhibetur, excipiendo cultello dicatus in ſua crena. *Ænea fiſtula Celſo*, *Σίφων Æginetæ*, *a καθίημι* imitto. G. Ein Catheter.

CATHETERISMVS, eſt adminiſtratio, qua per cathetrem immiſſum vrina educitur, aut calculus in collo veſicæ obhærens reducitur.

CATHOLICVM, dicitur medicamentum vniuerſale ſeu commune, omnes vitioſos humores corrigens vel educens. Ex *κατὰ* per, & *ὅλον* totum. G. Eine Artzney wieder alle Kranckheiten.

CATHYPNIA, eſt graui & alto ſomno eſſe oppreſſum ex *κατὰ* per, ad, & *ὕπνος* ſomnus. G. Eine ſehr ſchwere Schlaffſucht.

CATILLVS CINEREVS, ſeu OBRVSÆ CATILLVS, Gallis *une coupelle*, eſt ſpecies Catini, ex cineribus lotis facti, cuius vſus eſt ad auri argentique depurationem. Vide *Capella.* G. Capelle.

CATINVS, idem quod *Cupella.*

ΚΑΤΩ PVRGARE, hoc eſt per inferiora purgare, cui opponitur ἄνω purgare, per ſuperiora purgare.

CATOCATHARTICA, ſunt purgantia per inferiora, ex κάτω infra & καθάρτικον purgans.

CATOCHE, idem quod *Catalepſis* a κατέχω detineo, retineo, dicitur etiam *catochus.*

CATVLOTICA, idem quod *cicatrizantia*, a κατουλόω cicatricem induco.

CAVCALIS, eſt planta, quæ habet caulem ramoſum, villoſum, ad altitudinem vnius circiter pedis: folia aliquantulum paſtinacæ ſimilia, ſed tenuius diſſecta, villoſa: flos eſt roſaceus & vmbellatus, plurimis ſcilicet petalis conſtans, inæqualibus, cordiformibus, in orbem poſitis, & calici inſidentibus. Is autem abit in fructum compoſitum ex duobus ſeminibus oblongis, quæ parte, qua ſe contingunt, plana ſunt, ab altera gibba, ſtriata, echinata; aculeata. Nomen accepit, vel a ſeminum effigie, quæ vaſcula ſemiſphærica imitantur: vel quod præarida ſtrepitum edunt: παρὰ τὸ κεκαύϑαι quod præter modum retorrida & exoleta ſit. Vocatur quibusdam Daucus Sylueſtris, hinc forte ex Daucus, *Daucalis* & *Caucalis.*

CAVA VENA, vide *Vena caua.*

CAVDA, vide *Capillamenta*, & *Coccyx.*

CAVDEX, Στέλεχον, Στέλεχος, Κόρμος, dicitur in arboribus & fruticibus, id quod a radice ſupra terram ſimplex aſſurgit, vſque dum in ramos explicatur, & in quod a radice fertur alimonia; producitur a concurſu plurimum radicularum in vnum truncum collectarum. G. Der Stamm eines Baums.

CAVITATES, ſunt ventres maiores, in quibus princeps aliquod viſcus continetur; vt in capite, cerebrum; in thorace, pulmo, cor &c. in abdomine, hepar, lien, renes ventriculus, inteſtina, veſica, &c. ſuntque tres, caput, thorax, & venter. G. Hölen. Sic tamen etiam vocantur cauitates minores, vt cerebri & cordis ventriculi, de quibus ſuo loco. Vide *Ventriculi.*

CAVLEDON, Gr. καυληδὸν, eſt fractura oſſis transuerſim facta, fracti oſſis partes ita ſeparans, vt e directo non iaceant, a καυλὸς caulis, virga. G. Ein Zwerchbruch.

CAV-

CAVLIS, vocatur *Braſſica*, quod præ cæteris oleribus inſigni caule vigeat. Vide *Braſſica*.

CAVLIS, idem quod ſupra ſolum ſimplex proſilit in herbis nominatur: ſic vtique caudex ad frutices & arbores; *caulis* ad herbas duntaxat pertinet. Gr. Καυλός. G. Der Stengel.

CAVSODES, quod *cauſo* eſt ſimile, a καῦσος, & εἶδος forma.

CAVSTICA, ſiue ESCHAROTICA, vel CATHÆRETICA, ſunt quæ cutim & carnem in duram cruſtam, ſiue eſcharam exurunt, & ſi fortiora ſint, vel diutius applicata maneant, conſumunt; ſunt proprie illa, quæ omnia, quibus applicantur, conſumunt. Vt ſuut æs vſtum, mercurius ſublimatus corroſiuus, ferrum candens &c. a καίω vro. G. Durchbrennende Mittel.

CAVSVS, ſeu FEBRIS ARDENS, ea eſt, quæ cum maiori æſtu, quam in aliis continuis, (cum hic ſit vrens fere ad tactum, & inæqualis diuerſis locis: reſpiratione anheloſa & cita, cutis ſiccitate magna, exacerbatione die impari, anxietate & inquietudine ſumma, ſiti fere intolerabili, aliiſque ſymptomatibus inſigniorem ſanguinis phlogoſin arguentibus, curſum ſuum peragit, a καίω vro. G. Ein hitziges Fieber.

CAVTERISATIO, eſt artificialis quædam vſtio mediante cauterio, a καυτηριάζω cauterio inuro. G. Das Brennen.

CAVTERIVM, Gr. καυτὴρ, καυτήριον, eſt inſtrumentum chirurgicum ex ferro, cupro, auro, vel argento confectum, quod, poſtquam incanduerit, actualem inurendi vim obtinet, cuius magnitudo & forma variat. Quandoque etiam pro cauterio potentiali ſumitur ex lixiuis vel calce viua cum ſapone paratum, a καίω vro. *Cauterium actuale* vocatur G. Fickeiſen, Cauterie, Brenneiſen: ſed potentiale cauterium, Ein Corroſiff.

CEDMATA, dicuntur defluxiones ad articulos, & præcipue ad coxendicem. G. Ein Fluß.

CEDRVS, eſt arbor valde procera, craſſa, erecta, pyramidalis, cariei non obnoxia: cortex politus: lignum duriſſimum, rubicundum, habens odorem cypreſſi. Rami tortuoſi & nodoſi: folia anguſta, viridia, parua, ſquammoſa, cypreſſi æmula: flos eſt amentaceus, conſtans folioli s multis, donatis, apicibus multis: fructus in eadem planta, loco a flore remoto natus, eſt bacca turgens oſſiculis angulatis, fœtis ſemine oblongo. Hæc arbor creſcit in regionibus calidis: in monte Libano elegantiſſima reperitur, hinc, ob altitudinem & pulchritudinem, dicitur arborum regina. Aeſtate,

vigente

vigente calore, reſina alba, pellucida, tranſparens, ſponte absque inciſione defluit, quæ inſtar maſtiches granorum induręſcit, quæ *Cedria* dicitur. G. Cedern.

CELE, eſt tumor hernioſus in quaecunque corporis parte excitatus, a κηλέω intumeſco. Vide *hernia*.

CELLVLÆ INTESTINI COLI, ſunt cauitates, vel veſiculæ, factæ a tribus ligamentis partem illam ſiſtulæ inteſtinalis contrahentibus: vt fæces ibi diutius remorentur, & maior fiat liquidi exhauſtio. In iis ſtercora aliquamdiu morantur, vt adiacentes partes ſuo calore foueant, & quæcunque cruda ſunt, diutius in iis coquantur & fermententur. Ita in veſiculis ſeminalibus habentur cellulæ, ad ſeminis ſubitum effluxum. G. Fächlein.

CEMENTATIO, eſt modus aurum purificandi per modum cementi regii. Vide in *Cementum*.

CEMENTVM, eſt puluis cuius ope calcinatio cementatoria peragitur. Vel vt alii, eſt mineralis acuta materia & penetrans, cum qua metalla ſtrata, ad cementandum reuerberantur atque ita corroduntur, vel calcinantur: eſtque vel ſimplex vel miſta: item in forma pulueris vel paſtæ. Hinc *Cementare & Cementatio*. G. Cement.

CENCHRIAS, eſt herpetis ſpecies, a ſimilitudine ſeminis milii, *herpes miliaris* dicta, a κέγχρος milium. Vide *herpes*.

CENCHROS, vide *milium*.

CENEANGIA, Gr. κενεαγγεῖα, eſt vaſorum euacuatio per venæ ſectionem, inediam, hæmorrhagias, purgationem. A κενόω euacuo, & ἄγγος vas.

CENOSIS, a κενόω euacuo, idem quod *Euacuatio*.

CENTAVRIVM, κενταύριον *Theophraſto l. 3. cap. 5. & Dioſcoridi l. 3. cap. 8. & 9.* pen. prod. cum ex Voſſio, aliisque conſtet κενταύρειον, & κενταυρεία & κενταύριον promiſcue ſcribi; unde *Plinio* centaurea, centaureum, centaureon. Poetæ autem conſtanter penult. in centaureon, & centaurion producunt.

Et panacea potens, & Theſſala centaurea. Lucan. l. 9.
Cecropiumque thymum, & graveolentia centaurea. Virg. Georg. l. 4.
Abrotonique graues & triſtia centaurea, Lucret. l. 4.
Ἶσα δ' ὀπῦ πάνακος σομμίσγεο κενταυρίῳ. *Andromachus* apud *Galenum libro de Theriaca ad Piſonem.*

Centaurium, vocantur duæ plantæ valde a ſe inuicem diuerſæ, quarum vna dicitur centaurium maius, altera minus. Maius dicitur & rhaponticum. Minus eſt planta, quæ habet vnum vel

vel plures caules paruos, anguloſos, politos: folia ſunt coniugata, ſat craſſa, oblonga, hyperici ſatis ſimilia: hæc ex radice, illa ex caule erumpentia: flos monopetalus, quinquifidus, in vmbellam congeſtus; coloris rubicundi vel purpurei, aliquando albi: poſt florem ſuccedit fructus ouatus, oblongus, in duo loculamenta diuiſus, ſemina exigua continentia: radix eſt exigua, inſipida, lignoſa: creſcit hæc planta in locis ſiccis & arenoſis. Sic appellatur, quod eo curatus dicitur Chiron Centaurus, cum Herculis excepti hoſpitio pertractanti arma, ſagitta venenata excidiſſet in pedem. Hinc a quibusdam etiam *Chironium*, Κενταύριον λιμνήσιον & λιμναῖον Græcis: *febrifuga* & *fel terræ* Latinis. *Limneſion* & *limnæum* dicitur, quod ſecundum aquarum ſcatebras ac paludes, quas Græci λίμνας dicunt, naſcatur: *febrifuga*, eo quod febres fuget & procul e corpore pellat. *Fel terræ*, ob ſummam quam habet amaritudinem. G. Tauſendguldenkraut, Erdgall, Fieberkraut.

CENTIMORBIA, vid. *Centum morbia.*

CENTRVM, eſt medium corporis, non mathematice ſed phyſice ſumptum, idque cor eſſe affirmant, a quo, tanquam centro, ſanguinis in ambitum corporis propellitur & circulariter relegatur, a κεντέω pungo; punctum enim eſt medium cuiusque circuli. G. Der Mittelpunct.

CENTVM CAPITA, vide *eryngium.*

CENTVMMORBIA, eſt planta, quæ plures habet caules tenues, longos, ramoſos, repentes: folia circinatæ fere rotunditatis, ex aduerſo caulis repentia, viridia, ſaporis adſtringentis. Flos monopetalus, multifidus, arcte cauli adnatus: huic flori ſuccedit capſula vel teſta rotunda, per maturitatem diſſiliens, habetque ſemina minima: radix parua: creſcit hæc planta in locis humidis. Creditur a mirifica ſua, quam in pluribus vlceribus medendis obtinet, facultate ſic appellari. Plerique tamen nummulariam vocant, a foliorum ſimilitudine, quæ nummi ſpeciem referunt. A nonnullis *hirudinaria*, quod paſſim terræ, hirudinis inſtar, affixa ſit, dicitur. Nec deſunt, qui ſerpentariam appellant, quod compertum ſibi eſſe dicant ſerpentes hac herba, ſi vulnerantur, ſibi mederi. G. Egelkraut, Pfennigkraut.

CENTVMNODIA, eſt *polygonum*, conſtans ex plurimis nodis.

CENTVNCVLVS, & CENTVNCVLARIS HERBA, vide *gnaphalium.*

CEPA, CEPE, idem quod *cæpa.*

CEPHALÆA, eſt dolor capitis pertinax, inueteratus, & difficulter cedens, a κεφαλὴ caput. G. Hauptwehe von langer Zeit her, ſtets währende Kopfſchmertzen.

CEPHALALGIA, ſiue *Capitis dolor* recens, & tranſitorius, hinc a *Cephalæa*, quæ inueteratus dolor eſt, differt. Aut totum caput, aut aliquam caluariæ partem affligit, atque adeo frequens eſt iſte dolor, vt raro inuenias aliquem, cui per totam vitam nunquam caput doluerit. Et certe capitis dolor, ex æquo omnes aggredi ſolet, atque nemini ferme parcere, ſiue fuerit obeſus, macer, toroſus, ieiunus, ventre plenus, ſobrius, intemperans, æger, aut quoad cætera ſanus; denique iuuenis, ſenex, vir, fœmina aut quiuis. Imo leuis adſit ægritudo oportet, illico *capitis dolor* perſentitur comes. Partes, quæ in dolore capitis affici ſolent, ſunt vel *externæ*, vt cutis, muſculi, pericranium: vel *internæ*, vti meninges, nerui, cerebrum, perioſteum &c. Diſtinguitur quoque in *externum & internum*; *particularem*, partem hanc vel illam affligentem, vnde variæ denominationes. In *accidentalem* a ſole, æſtu, ira, potu, febri &c. In *habitualem*, *leuem*, *vehementem*, *acutum*, *hebetem*, *breuem*, *diuturnum*, *perpetuum*, *intermittentem*, *fixum*, *vagum*, *moleſtiſſimum*, *frontis*, *a grauedine &c.* ex κεφαλὴ caput, & ἀλγέω doleo. G. Kopfſchmertzen, Hauptwehe.

CEPHALICA, ſunt medicamenta, quæ ſtomacho recepta, & ad caput delata, in idem operantur, vel ſanguinem, alias ineptum, ita diſponunt & præparant, vt capiti proſit ac medeatur, Cephalica autem duplicia ſunt, 1. quæ tenui oleo, ſale, ſpirituque abundant: omnia igitur attenuantia talia dici poſſunt, vt ſunt omnes herbæ cephalicæ dictæ, inſecta quædam vt aſelli; nec non ſpir ſalis armoniaci, ſpir. cornu cerui, tinct. caſtorei, nec non ſal volatile oleoſum, olea aromatica & reliqua, quæ odore & ſapore inprimis grata ſunt, vel 2. frigida, nimirum illa, quæ odore grato nares afficiunt absque calore, qualia ſunt lilium vulgare, lilium conuallium, roſa &c. G. Hauptartzneyen.

CEPHALICA, vena dicitur, quia in capitis morbis ſecari ſolebat, a κεφαλὴ caput. G. Hauptader.

CEPHALOPHARYNGÆI muſculi, eſt primum muſculorum gulæ par, a capitis ceruiciſque confinio demiſſum, & in tunicam œſophagi latius expanſum, ex κεφαλὴ caput, & φάρυγξ fauces.

CEPHALOPONIA, eſt grauitas aut dolor capitis, ex κεφαλὴ caput, & πόνος dolor, labor. G. Hauptwehe.

CERA, ſunt apum faui, ex quibus mel expreſſum eſt, & con-

conſtituunt corpus durum, ad calorem ductile, inflammabile, flauum, lenteſcens, in ſummo frigore duritiem fere friabilem acquirens, ſaporis & odoris mellei; inſeruitque omnibus fere emplaſtris pro baſi. Videtur terebinthinæ quædam ſpecies, quam ſucci pingues plantarum, ſole calefactarum, exſudant in ſuperficiem, aut intra capſulas apiculorum floralium gerunt, quæ ab apibus colligitur, in globulos cogitur, poſterioribus pedibus applicatur, in aluearibus deponitur, ibi in cellulas fauorum fingitur, vnde dein, vti dictum, melle ſeparato, fœcibusque repurgatis, comparatur in vſus humanos. Hæc materies ceracea apparet, minutiſſima quidem copia, in ſuperficie foliorum quibusdam in plantis, vt in Roſmarino, notate Cl. *Bœrhaauio*, & ſunt plerumque globuli exiliſſimi, qui ſaliunt de apiculis ſeminalibus plantarum apertis, in parte floris maſculina. Hæc vix vlla arte colligi queunt ab hominibus; attamen deprehendit idem Cl. Vir, quod aliquando, cupiens folia Roſmarini ſæpe cohobare cum alcohole, præter exſpectationem inuenerit ſaporem ingratum, & odorem ceræ deturpaſſe ſpiritus hos primo bonos. Inde folia hæc luſtrans miſcroſcopiis tubercula ceracea in ſuperficie deprehendere videbatur, manibusque tractans multum, ceram digitis ſenſim accreſcere experiebatur ſatis euidenter. G. Wachs.

CERÆÆ, Gr. κεραῖαι ſunt vteri cornua in brutis, in quibus generatio ſit, a κέρας cornu.

CERASVM, pen. corr.

Aut ceraſi victum longo iam tempore pomum. Seren. tit. Solut. ventr.

CERASVS, eſt arbor, quæ habet folia maiora, lucida: calix eſt valde cauus, monophyllus, coronatus corona quinquifida, expanſus, per maturitatem retroflexus: flos eſt roſaceus, pentapetalus, petalis natis ex interſtitiis ſegmentorum calicis; ſtaminibus triginta fœcundus: ouarium tuba longa inſtructum, in imo fundo calicis fit fructus pulpoſus, ſubrotundus, vel cordatus, fœtus teſta oſſea rotunda, nucleum eiusdem figuræ recondente: pediculus fructus valde longus: hæc arbor colitur in hortis, & ingens huius datur diuerſitas. Eius flores ceram olent, hinc forte a κηρὸς cera. Vel a Ceraſunte Pontica vrbe, τὰ κεράσια fructus ceraſi. G. Ein Kirſchbaum.

CERAMIVM, vide *Cadus*.

CERATIVM, eſt arboris ſiliqua, a κέρας, quia eſt corniculata. Denotat etiam pondus, quod quatuor eſſe granorum

ex veteribus intelligimus. Hinc videtur eſſe Caratium, Kirath Arabum.

CERATOGLOSSVM, eſt proprium muſculorum linguæ par, a cornibus oſſis hyoidis prognatum, & linguæ lateribus iunctum; vſus eſt linguam recta deorſum anteriora verſus mouere, quando ambo agunt: ſi vero alteruter contrahitur, in latus mouet dextrum vel ſiniſtrum ex κέρας cornu, & γλῶσσα lingua.

CERATODES, idem quod *Cornea tunica*, a κέρας cornu, & εἶδος forma.

CERATOMALAGMA, eſt compoſitio emolliens ex cera aliisque parata, a κηρὸς cera, & μαλάσσω emollio. G. Eine weich machende Salbe von Wachs.

CERATONIA, eſt arbor ceratia, ſeu ſiliquas, producens, ex κέρας cornu, quia ſiliquæ cornubus non ſunt abſimiles. G. Sanct Johannesbrodt.

CERATVM, pen. prod. quia a cera, cerarum, incerare;

Propter quæ fas eſt genua incerare Deorum. Iuuen. Sat. 10.

Sic mel *roſatum*, &c.

Ceratum, CEROTVM, vel CERATOMALAGMA, a cera ſic dictum, medicamentum eſt externum, ex cera, oleis, & nonnunquam pulueribus compoſitum, vnguento craſſius, & emplaſtro mollius. G. Ein Pflaſter von Wachs.

CERAVNIA TVBERA, dicuntur, quia olim crediderunt ea poſt fulminis ictus naſci: Κεραυνὸς enim fulmen eſt.

CERAVNOCHRYSOS, idem quod *Chryſoceraunius* puluis, ex κεραυνὸς fulmen, & χρυσὸς aurum, vſitatius aurum fulminans.

CERCHNOS, eſt laryngis quædam aſperitas, quæ inſtar granorum iuniperi ſentitur, vnde tuſſicula ſicca excitatur, a κέρχω raucedine laboro. G. Ein Schaffhuſten.

CERCIS, Gr. κερκὶς, eſt os cubiti ſecundum, quod *radius* appellatur, ob radii rotarum æmulationem. Vide *Radius*.

CERCOPITHECVS, κερκοπίθηκος, a κέρκος, cauda, & πίθηκος, ſimia: eſt ſimia caudata, in qua GALENVS potiſſimum anatomen exercere ſuaſit, & plura in ſuis libris potius ad cercopitheci, quam hominis, naturam deſcripſiſſe notatur.

CERCOSIS, dicitur carnoſa quædam excreſcentia ab vteri oſculo prodiens, & pudendum muliebre replens, quod aliquando exterius progreſſum caudæ figuram refert, a κέρκος cauda. G. Auswachs der Bårmutter.

CEREA,

CEREA, idem quod *Achor*.

CEREBELLVM, ſiue παρεγκέφαλις HEROPH. ἔγκρανον GALENO ἐπικρανὶς POLL. ὀπίσθιος ἐγκέφαλος, quaſi paruum cerebrum, ſub poſterioribus lobis cerebri, inferiori cranii parte ſitum; figuram habet ad globoſam accedentem, ſuperficiem minus gyroſam quam cerebrum, ſed quaſi ſulcatam, cuius ſulci in medio maximi, at per gradus ſenſim minores, deſinunt in proceſſum vermiformem; diuiditur in partem dextram & ſiniſtram, ſubſtantiam fere eandem habet ac cerebrum, ſed corticalis hic longe copioſior quam medullaris, quæ arbuſculas pulchre repræſentat, quarum trunci ita dictos pedunculos cerebelli conſtituunt. Nullæ hic adſunt cauitates, vt in cerebro. In hac cerebelli ſubſtantia ſpiritus animales, actionibus inuoluntariis & mere ſpontaneis obeundis generantur. In homine, non item in brutis, exterius ex plurimis lamellis, ſibi inuicem incumbentibus conſtare videtur. G. Das Hintertheil des Hirns.

CEREBRVM, vitalia capitis, PLIN. ἐγκέφαλος, λευκὸς μύελος SOPHOCLI. ſtricte ſumitur pro parte anteriore τοῦ ἐγκεφάλου, eſtque ſubſtantia ſui generis, exterius tegitur pia matre, plurimis gyris anfractibusque dotatur, exterior ſubſtantia cinerea eſt, in qua ſpiritus animales generantur: interior alba eſt, ſiue medullaris, quæ ſpiritus animales ex corticali recipit, eosque per corpus calloſum & medullam oblongatam in neruos exonerat, a quibus actiones voluntariæ maxime dependent. Item, cerebrum eſt imaginationis, iudicii, memoriæ & reminiſcentiæ ſubiectum. Ideæ enim, ſeu ſpecies rerum ab organis ſenſuum externorum receptæ, deferuntur ad ſenſorium commune, ſiue initium medullæ oblongatæ, deinde per corpora ſtriata ac corpus calloſum, vbi imaginatio & iudicium fit: verum in corticali ſubſtantia memoriæ ſedes dicitur; ſi ideæ poſt aliquod tempus ex memoriæ loco reuocantur, reminiſcentiæ nomine veniunt. Somnus item fit in cerebo, de quo vide ſuo loco. G. Das Hirn, oder Gehirn.

CERELÆVM, eſt linimentum ex cera & oleo compoſitum, a κηρὸς cera, & ἔλαιον oleum. G. Eine Salbe von Wachs.

CEREVISIA MEDICATA, eſt cereuiſia cui medicamenta, cuilibet morborum ſcopo conuenientia, infuſa fuerunt. G. Artzneybier.

CEREVISIA, CERVISIA, CELIA, eſt potus ex frumento compoſitus, qui ob egregias vires quaſi *Cereris vinum* appellatur. G. Bier.

CEREVS, eſt ſedi ſpecies, in modum cerei, ex cera confecti, erecta. G. Fackelkraut.

CERION, idem quod *Fauus & Achor.*

CERINTHE, eſt planta, quæ ex radice quatuor vel quinque ramos germinat, qui rami rotundi ſunt, ſucco pleni; folia habent oblonga, acuta, lanuginoſa, coloris ex viridi cærulei, punctis albis notata: flos eſt tubuloſus, in medio ventrem habens, infra & ſupra quaſi conniuens: ex floris calice ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar claui infixum, tetragonum, quod deinde abit in fructum, ex duabus teſtis ſubrotundis conſtantem, in duo loculamenta diuiſis, ſemine fœtis vt plurimum oblongis, acutis; cuius floribus apes paſcuntur, vnde cera, κηρὸς enim eſt cera; vel a Cerintho vrbe Bœotiæ, vbi copioſe naſcitur. G. Wachskraut, Fleckkraut.

CEROMA, idem quod *Ceratum.*

CEROTVM, Gr. κηρωτὸν idem quod *Ceratum.*

CERRVS & CERRIS, eſt arbor glandifera: ſic forte dicitur, quod eius glandes in aceruum coagmententur; alii deriuant a κέρας cornu, ob lignum durum. G. Cerraichel, Cerreiche.

CERVARIA, eſt ſeſeli Æthiopicum: an quod cerui illam plantam ament? G. Hirſchwurtz, Hartzwurtzel.

CERVICARIA, ſiue TRACHELIVM, eſt campanulæ ſpecies: ſic dicitur, quia morbis ceruicis, internis & externis, medetur. G. Halskraut.

CERVINVM CORNV, vide *Coronopus.*

CERVIX, Gr. αὐχὴν & ἰνίον. eſt poſterior pars intra caput & dorſum, vti anterior *Collum* vocatur. *Ceruix vteri* appellatur ea pars, quæ eſt intra fundum & os vteri. Ita oſſa dicuntur habere ceruices, vti videre eſt in ſuperiori parte oſſis femoris, inter illam partem quæ in acetabulo reconditur, & trochanterem maiorem: a quibusdam *nucha* dicitur: in plantis, pars eſt illa a capitatis radicibus prodiens, prælonga, teresque: ſic dicta, quod in colli ſpeciem figuretur. G. Der Nacke, das Genick.

CERVMINA, Gr. κυψελὶς, ſunt aurium ſordes, quæ in meatu auditorio ex glandulis auri adiacentibus proueniunt. Conſtant ex plurimo ſale & ſulphure aduſto, vnde amaritudo dependet.

dependet. Vtilia ſunt ne puluis, feſtucæ, animalcula, &c. aurem internam ſubeant, dum quoque membranam internam ab exſiccatione præſeruant. Vide *Marmorata aurium*. G. Ohrenſchmaltz.

CERVSSA vel CERVSA, eſt plumbum, mediante aceti vapore in calcem albam redactum. Gr. ψιμμύθιον. G. Bleyweiß.

CESTRVM, appellatur *Betonica*, a varietate, vt vocant, & copia remediorum, quoniam variis & plurimis accommodatur morbis. Sed aliis κέςρον vocatur, a floris ſpicata & mucronata acutie, verruculam præferente. Vide *Betonica*.

CETE, κήτη, διὰ τὸ κύτ☉, ob ſinuoſam cauitatem ſeu cauum ventrem. Intelligitur de maiorum piſcium genere. G. Wallfiſch.

CETERACH, quam vocem a *Pteryga* manaſſe volunt, atque *p.* in *c.* ſæpe mutari ſcribunt. Sic ex *Peteryga*, *Ceteriga* & corrupte *Ceterach*: eſtque Aſplenii ſpecies officinalis, vid. *ibid.* G. Hirſchzunge.

CHÆREFOLIVM, CHEREFOLIVM, CHEREPHYLLVM, CEREFOLIVM; ſunt ſynonima: eſt planta, quæ ex radice plures caules dimittit, tenues, ramoſos, teneros, a parte ſuperiore conuexos, inferiore vero concauos inſtar ſtillicidii, politos: folia habet petroſelini, ſed minora plus inciſa, & molliora, villoſa in parte ſuperiore, ſucco plena: flos eſt roſaceus & vmbellatus, plurimis ſcilicet petalis conſtans, inæqualibus, & calici inſidentibus: calix autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum, roſtri auium æmulis, non ſtriatis, nunc læuibus, nunc aſperis, hinc gibbis, inde vero planis; atque ſic planta nominari putatur, quod luxurioſa foliorum fecunditate & largiore coma gaudeat, vel quod gaudium, hilaritatemque folia excitent, ex χαίρω gaudeo & φύλλον folium. *Chærefolium* autem, Græca voce & Latina coaleſcentibus in vnum nomen, ob id dictum eſt, quod foliis luxuriet. G. Körffelkraut, Kerbelkraut, Körbel.

CHALASTICA, ſunt medicamenta, quæ humectando & emolliendo partes conſtrictas relaxant, a χαλάω relaxo, remitto.

CHALAZIA, item χαλάζωσις, grando, eſt tuberculum in palpebris grandinem referens. G. Ein Gerſtenkorn.

CHALAZÆ, binæ ſingulis ouis obtigerunt, altera in obtuſo, altera in acuto angulo, plus earum in albumine reperitur; vitello tamen validius adhærent, eiusque membranæ appenduntur. Corpora ſunt longiuſcula, quaſi duo canales caui, varios emittentes ſurculos per albumen & vitellum, quibus intra amnium communicant, & hinc oculo apparent concreta magis quam albumen, & albidiora, nodoſa, luciditatis cuiusdam non expertia, vt grando, vnde illis nomen. Conſtat enim quælibet chalaza pluribus quaſi grandinibus, ſeu canaliculis ex trunco maiori deriuatis; albumine ab inuicem ſeiunctis: earum altera maior eſt, & longius a vitello verſus obtuſum oui cacumen protenditur: altera minor, a vitello inferius verſus acutam oui partem porrigitur. Maior ex duobus vel tribus nodis, quaſi grandinis granis, globulisue conflatur, qui modico interuallo a ſe inuicem diſtant; minor ordine maiori ſuccedit, a χάλαζα grando. G. Der Hahn, das weiſſe im Ey. Eſt etiam ſuum morbus, quando caro apparet, ac ſi alicam hinc inde conſperſam contineret. Ideoque vocantur grandinoſi. G. Greißig, Pfinnig.

CHALBANVM, vide *Galbanum.*

CHALCITIS, penult. prod. qvia Græcis χαλκῖτις.

Cadmia, chalciti, chalcantho, chalco, & aduſto. Vindician. verſ. 31.

Μαλαβάθρον καλὰ φύλλα, καὶ ὀπταλέην χαλκῖτιν. *Andromachus* apud *Galenum de Theriaca ad Piſoneum.* Genitiui penultima corripitur, ſiue ſit χαλκίτεως, vt exprimit *Galenus*; ſiue *chalcitidis* qvomodo format *Plinius.* Ita enim Memphitidis penult. corripit *Juvenali*; oceanitidis *Virgilio*; Mareotidis *Lucano*; ſtaphidis *Nicandro*; a Memphitis, oceanitis, mareotis, ſtaphis. Chalcitis, eſt minerale ſimile æri friabile nec lapidoſum; ſory tenuius, myſi vero craſſius, tractu temporis ex ſory factum, a χαλκὸς æs. Arab. *Colcothar* vel *Cholchotar.* Sunt hæc nomina recrementorum metallicorum priſtini æui, nobis, qui nec easdem mineras habemus, nec eas eadem ratione tractamus, non ſatis cognita. Pro chalcitide pharmacopæi hodierni vitriolum album ſiue crudum, ſiue vſtum ſubſtituunt: forte melius vitriolum martis, certe in theriaca.

CHALCVS, vide *Æreolus.*

CHALYBS, eſt ferrum purificatum, a vulgari differens, quod durius ſit, & ignitum in aqua extinctum in ſummam duritiem abeat, a populis in Ponto ferrum præparantibus. G. Stahl.

CHALINOS, *Aureliano*, eſt vltimus Angulus oris ac compago, vel buccarum pars circa labiorum confinia, a χαλινὸς quod ſit veluti frænum & retinaculum oris.

CHAMÆACTE, eſt *ebulus*, ſiue ſambucus humilis, ex χαμαὶ humi, in terra, & ἀκτὴ ſambucus.

CHAMAEBALANVS; eſt terræ glans, vel ſimile quid vt bulbocaſtanum, terræ tubera &c. ex χαμαὶ humi & βάλανος glans; ſic dicitur quod ſub cortice terræ creſcat. Vide *Apion.*

CHAMÆBATOS, eſt rubus humilis, a χαμαὶ humi & βάτος rubus, ſentis. Vide *Rubus.*

CHAMÆCEDRVS, eſt abrotanum fœmina, & dicitur, quaſi humilis cedrus, ex χαμαὶ humi & cedrus.

CHAMÆCERASVS, eſt arbuſcula, quæ creſcit ad altitudinem duorum circiter pedum; habetque ramos lignoſos, fragiles, cortice albeſcente obductos, medulla alba plenos: folia inſtar periclymeni, ſed maiora, latiora, duriora, minus viridia, acuta; villoſa inprimis in parte inferiore, ex aduerſo oppoſita: flos monopetalus, parte inferiore tubuloſus, bilabiatus ſuperius, labio ſuperiore multifido ſimplici, linguæ ſimili inferiore, ouario inſidens, quandoque geminus in vno ouario, quinque ſtaminibus præditus: calix tenuis, longus, anguſtus, bifolius, cui inſidet ouarium, ſæpe vno pedunculo geminum, emittens intra quemlibet floſculum tubam longam; abit deinde in baccas molles, rubras, ſimiles ceraſo minori, ſucco amaro & ingrato plenas, & ſemine compreſſo, ſubrotundo fœtas; eſt ceraſus humilis, ex χαμαὶ humi & ceraſus.

CHAMÆCISSVS, vide *hedera terreſtris.*

CHAMÆCISTVS, in genere hic dictum volo, ne cramben centies coctam apponamus, quod χαμαὶ nihil aliud quam humile & humi ſignificet: eſt enim Græcum præpoſitum additæ voces ſunt tantum inueſtigandæ.

CHAMÆCYPARISSVS, eſt arbuſcula pumila, odore & forma foliorum cum cypreſſo arbore conferenda.

CHAMÆDAPHNE, vide *Clematis Daphnoïdes.*

CHAMÆDRYS, *yos*, Genitivi penult. corr. qvia deſcendit a δρῦς, δρυὸς, qvercus.

> Ἠ δρυὸς, ἢ πλεύκης, τὸ μὲν ἐ καταπήθεται ὄμβρῳ. *Hom.* ψ 328.
> *Forte ſimul Faunique pedem, Dryadesque puellæ. Virg. Georg. 1.*

Chamædrys, eſt planta parua, humilis, quæ plures caules habet ad altitudinem ſemipedis, tenues, rubicundos, lanuginoſos:

 folia

folia minima, per interualla ſibi inuicem oppoſita; oblonga, firma, villoſa, dentata inſtar quercus, ſaporis amari, acris, aromatici: flores in foliorum alis naſcentes, coloris purpurei, ſaporis grati: ſemina quatuor obrotunda in capſula, quæ flori tanquam calix inſeruiuit, incluſa; radix minima, fibroſa, lignoſa. Creſcit hæc planta in locis incultis, ſaxoſis. dicitur quaſi humilis quercus, quod ſc. folia quercus habeat, & huius reſpectu, quaſi humi repat: δρῦς quercus; dicitur ob paruitatem *quercula* minor & a ſerratis foliis *ſerratula* appellatur. Sunt qui *ſerratam* ideo dici putent, quod ab ea ſerra inuenta ſit. G. Gamanderlein, vergiß mein nicht, Batengel.

CHAMÆLEON, eſt cardui ſpecies, a foliorum varietate ſic dici ſolet; mutat enim cum terra colores; quod in animali chamæleonte etiam fieri ſolet.

CHAMÆLEVCE, dicitur tuſſilago, nam tuſſilaginis folia humi creſcunt, & inferiori ſuperfice albedine obteguntur.

CHAMÆMELVM, penult. prod. qvia *Dioſcoridi* χαμαίμηλον *l. 3. c. 154.* διὰ τὴν πρὸς τὰ μῆλα ὁμοιότητα; *Tralliano* itidem χαμαίμηλον *l. 8. c. 2.* Unde & *Martialis l. 7. epigr. 24.* melimelum.

Infanti melimela dato, fatuasque mariſcas.

Perperam alii, decipiente *Macro*, *camomillam* appellant. Chamæmelum, eſt planta, quæ plures caules habet tenues, ſemipedem circiter altos: folia laciniata, vel minutim diuiſa: flos plerumque radiatus, cuius diſcus ex plurimis floſculis, corona vero ex ſemifloſculis, componitur, embryonibus inſidentibus, & calice ſquammoſo comprehenſis. Embryones autem deinde abeunt in ſemina oblonga, thalamo affixa: radix eſt tenuis & filamentoſa. Trita planta habet odorem penetrantem non ingratum. Nomen autem accepiſſe videtur, quaſi eſſet humilis malus, quoniam odorem habet mali; ex χαμαὶ humi, & μῆλον malum. G. Chamille, Kamillen.

CHAMÆPITYS, penult. brevi eſt, qvia a χαμαὶ & πίτυς; *Dioſcoridi l. 3. 175. 176.* χαμαιπίτυς.

Ἠὲ πίτυς βλωθρή, τήν τ' οὔρεσι τέκτονες ἄνδρες
Ἐξέταμον πελέκεσσι. id eſt, vel pinus alta, qvam in monmontibus opifices amputavere ſecuribus. *Il. ν. 390. Il. π 483.*
Μακρῇσιν τε πίτυσσιν, ἰδὲ δρυσὶν ὑψικόμοισιν. *Hom. Od. ι. 185.*

Genitivi *chamæpityos* penult. corripit ut derivata inde *pityeia* oſtendit:

Καὶ πιτύειαν ἔχον, καὶ Τηρείης ὄρος αἰπύ. *Hom. Il. β. 336.*

Unde

Unde convenienter *Honterus 4. Coſm. 171.*

Artemidisque, chamæpityosque, atque achrados herbæ.

Παῦρα χαμαιπίτυος, τό τ' ὀνίτιδος αὖον ὀρείης. *Nicand. in Alexiph.*

Ἡ δὲ χαμαιπίτυος, καὶ φύλλα μαλαβάθροιο. *Poeta apud Galen. l. 1. de Antid.*

Chamæpitys, eſt planta, quæ habet plures caules paruos, longos inſtar manus transuerſæ, lignoſos, villoſos, repentes, inſtar arbuſculæ diſpoſitos: folia oblonga, anguſta, villoſa, dentata, albeſcentia: flos eſt monopetalus, vnilabiatus, in tres partes diuiſus, quarum media bifida, labii ſuperioris locum occupantibus denticulis. Ex floris fundo ſurgit piſtillum, quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina oblonga in capſula, quæ floris calix fuit, recondita: flores ſparſim in foliorum alis naſcuntur, non vero verticillatim: radix craſſa, fibroſa, longa, lignoſa: tota planta habet odorem penetrantem, reſinoſum & ingratum, ſapor eſt amarus: creſcit in montibus & locis ſabuloſis: dicta eſt, quaſi humilis & breuis, humique depreſſa picea, ex χαμαὶ humi, & πίτυς picea, pinus; eius enim folia piceam olent. Vocatur etiam *Abiga* & *Aiuga*. Hinc *iua* manauit in vulgi nomenclationem. Officinæ *iuam* cognomento *Moſchatam* appellant, vide *Abiga* & *Iua*. G. Vergiß mich nicht, je länger, je lieber, Schlaffkraut.

CHAMÆSYCE, χαμαισύκη, quaſi humilis ficus.

CHAOS, ex antiquo χάω quod ex χαίνω, hio, dehiſco. Eſt vaſtus hiatus: vel dicitur rudis indigeſtaque moles, qualis initio mundi fuit.

CHARACIAS, dicuntur plantæ quæ circa valla creſcunt, hinc tithymalus characias, &c. Nam χάραξ vallum eſt.

CHARACTER, eſt ſignum ſignatum & myſticum, quo apud chymicos aliquid deſignatur, a χαράσσω ſculpo. Apud botanicos ſic audit nota illa propria, qua genera plantarum ab inuicem diſtinguuntur. G. Ein Zeichen.

CHARTA EMPORETICA, ſeu BIBVLA, eſt papyrus ſine glutine facta, admodum poroſa, filtrationi inſeruiens. G. Flieſſend Papier.

CHARTA VIRGINEA, idem quod *Amnios*.

CHEBVLÆ myrobalani, penult. prod. qvia *Actuario* Græco μυροβάλανα κεβουλά.

CHEILOCACE, ſeu LABROSVLCIVM, eſt infantum morbus, adultos enim raro adoritur. Labra in eo admodum tument, tumore duro & nonnihil rubicundo, ſed ne-

quaquam feruido, aut inflammatorio, & qui nunquam ſuppuretur aut caput fœdet. Aliquanto magis introrſum quam extrorſum vergit: vnde labia a gingiuis & dentibus abſcedunt longius, & foras aliquatenus replicantur. Adſunt ſulci ſemper ſanie madentes, aut craſſo pure obſiti: vlcuſcula, vt plurimum, concomitantur in ore, palato, lingua, buccis, labiis, gingiuis. G. Waſſerkrebs, Mundfäule. Deriuatur a χεῖλος labrum ſeu labium, & κακὸν malum.

CHEIMETHLON, Gr. χείμεθλον, vide *pernio.*

CHEIRINVM oleum, pen. brevi eſt. Vide *Amaracinus ſeqv.*

CHEIRONIVM, idem quod *Cacoethes.*

CHELÆ, Gr. χῆλαι, ſunt denticulati cancrorum forcipes.

CHELIDONIVM, penult. corr. *Dioſcoridi l. 2. cap. 211. & 212.* χελιδόνιον.

Purpureaque chelidoniæ, pingvesque mariſcæ. Colum. l. 10.
Sæpe chelidoniæ rapidum ſociatur acetum. Serenus tit. aur. vit.

Eodem modo nouies vocem hanc metitur *Serenus*, bis *Macer*, ſemel *Honterus*, ſemel *Piſidas*, ſemel *Nicander.* Chelidonia, ſeu Chelidonium; diſtinguitur in minus & maius; minus eſt ſpecies ranunculi, habetque folia inſtar cochlearis rotunda, viridia, polita, ſplendentia, neruoſa, longis pediculis adnata, aliquatenus hederacea, ſed molliora; minora: calicem habet triphyllum, admodum fugacem, & ante petala caducum; florem polypetalum, roſaceum: ſemina in capitellum congeſta: radicem plurimis adnatis nodulis nodoſam; hinc ſcrophularia minor dicitur. Creſcit ad ripas, foſſasue. G. Scharbockskraut. *Chelidonium maius*, habet plures caules ſesquipedem altos, tenues, rotundos, nodoſos, ramoſos, parum villoſos: folia profunde inciſa, dentata, ſimilitudinem aliquam cum foliis aquilegiæ habentia, vtcunque tamen maiora, longiora, numeroque plura; flos tetrapetalus eſt, cruciformis, luteus: ſiliqua eſt biualuis, ſemina obrotunda & flaueſcentia habens: radix craſſa, fibroſa. Tota planta ſcatet ſucco luteo eſcharotico, odoris penetrantis, ſaporis acris, & amari: dicta a χελιδὼν hirundo: eo quod hirundines ea ſuis oculis medeantur, quamuis, vt tradunt, erutis. Sed *Chelidonium minus*, ſic vocatum quod floreat hirundinum aduentu. Alii putant dici quaſi *Cœli donum*, idque ob vires præſtantiſſimas, tam in oculorum morbis quam vulneribus. G. Schelkraut, Schwalbenkraut.

CHEMA, eſt veterum menſura, continens duo cochlearia parua.

CHE-

CHEMIA, idem quod *Chymia*. Olim ſignificabat artem χρυσοποιητικὴν & μεταλλουργικήν. vide *Chymia*.

CHEMOSIS, eſt tunicæ albæ tumor, ita vt oculi nigrum concauum videatur, a χήμη.

CHENOCOPRVS, eſt ſtercus anſeris: ex χὴν anſer, & κόπρος ſtercus.

CHENOPVS, vocatur *pes anſerinus*, eius etymon deriuatur a χὴν anſer, & πὰς pes. Vide *pes anſerinus*.

CHEREFOLIVM, ſiue CHERIFOLIVM, vide *Chærefolium*.

CHERMES GRANA, vide *Kermes*.

CHERMES & KERMES, eſt vox Arabica pharmacopœis familiaris: eſtque *coccus baphica*, ſeu *infectoria*, vulgo *ſcarlatum*, hinc *chermozinum*, id eſt color ex cocco extractus. Vide vlterius in *Coccos*.

CHERONIA praue pro Chironia, vide *Centaurium*.

CHILIOPHYLLON, eſt millefolium, propter millena foliola ſic nuncupatum, ex χίλιαι mille, & φύλλον folium.

CHIMETHLON, idem quod *Pernio*.

CHIMIA, idem quod *Chymia*.

CHIMIATRI, ſunt illi medici, qui medicamenta chymica præſcribunt, ex χυμία chymia & ἰατρὸς Medicus.

CHINA CHINÆ, vide *Cina Cinæ*.

CHINA RADIX, ſatis eſt craſſa, manum longa, contorta, nodoſa, inſipida, & ſine odore, eſt *orientalis* e China allata, & *occidentalis* quæ ex Hiſpania noua & Peru nobis adfertur. Præfertur tamen orientalis, quæ exterius eſt colore rubente aut ſubnigro, interius candicante aut ſubrubente: & hæc, quo nigrior eo melior. Occidentalis eſt colore interius magis ruffo: ſmilacis in modum creſcit, folia fere plantaginis magnitudine, cordiformia: caules habet ſpinoſos, repentes, & arboribus vicinis adhærentes. In morbis podagricis, in lue venerea, aliisque curatu difficilibus maximi vſus exiſtit, ſed an effectibus promiſſis reſpondeat, merito dubitatur. Chinenſibus dicitur *lompatan*, *lampacos & bonti*, nobis a regione China appellatur *radix Chinæ*. G. Pockenwurtz.

CHIRAGRA, eſt arthritidis ſpecies, ſiue articularis manuum dolor, vide *arthritis* ex χεὶρ manus, & ἄγρα, *captura*, quaſi manibus captus. G. Das Zipperlein der Hände.

CHIROMANTIA, eſt diuinatio ex inſpectione manuum, qua ex lineamentis futura prædicunt, medicis ſcitu non

 neceſ-

neceſſaria, cum potius ſit ars fallax, ex χεὶρ manus, μάντις vates. G. Wahrſagung aus den Händen.

CHIRONES, idem quod *Sirones*.

CHIRONIVM, eſt vlcus malignum, & curatu difficillimum. G. Ein böß Geſchwär. Vide *Cacoethes*.

CHIRONIA & CHIRONIVM, vide *Centaurium*.

CHIRVRGIA, eſt ars, qua ope manuum vel inſtrumentorum, morbos auferre nitimur. *Vel* eſt pars therapeutices, qua morbi incidendo, vrendo, & membra dearticulata reſtituendo, curantur. *Vel* chirurgia eſt ſcientia docens modum & qualitatem operandi in corpore humano viuente. *Vel*, vt *Vigo* habet, chirurgia eſt ſcientia docens modum & qualitatem in carne, neruo & oſſe hominis laborantis, propriis chirurgorum manibus, omne morboſum curandi. Eſtque quintuplex: quamuis alii quadripartita diuiſione gaudent. 1. *ſynthesis* ſeu ſeparata coniungens. 2. *diæreſis*, continua ſoluens. 3. *diorthoſis*, compreſſa & contorta corrigens. 4. *exæreſis*, ſuperflua extirpans. 5. *anapleroſis*, deficientia reſtituens, ex χεὶρ manus & ἔργον opus. G. Wundartzney.

CHIRVRGVS, eſt vir artis chirurgicæ peritus, ex χεὶρ manus, ἔργον opus, qui inſtrumentis & manibus ſuis in corpore humano operatur. G. Ein Wundartzt. Habentur, qui in genere omnia, quæ ſunt in arte chirurgica, aggrediuntur, vt vulgares chirurgi. Sed & ſunt, qui circa vnicum ſolummodo accidens verſantur, vt *lithotomi*, qui calculum ſecant. Alii qui oculos curant; alii lui venereæ medentur. Nonnulli dentes euellunt; quidam membra luxata, vel contracta reſtituunt &c.

CHLOROSIS, ſiue MORBVS VIRGINEVS, vulgo *icterus albus*, quia ex albo virent. Videtur eſſe ſpecies leucophlegmatiæ, ex ſanguine viſcido, ſiue potius ex inertia ſolidorum, quo ſanguinis periodus & ſpirtuum animalium confectio præpeditur, cum menſium obſtructione, & diaphoreſi denegata, vnde fibris muſcularibus obſtructis, & ſpiritibus, deficientibus; ad quoduis opus peragendum tardæ & ſegnes euadunt, a χλωρὸς, *pallidus*. G. Junferkranckheit, Bleichſucht.

CHOANA, eſt infundibulum in medullæ oblongatæ baſi prope coalitum neruorum opticorum repoſitum, rimam in concurſu ventriculorum amplectitur, vnde per hoc liquida ſeroſa, ex cerebri ventriculis, ad glandulam pituitariam deducuntur. Item peluis renum, de qua ſuo loco; eſt item inſtrumentum ex quouis metallo factum, vel vitro, per quod

liquores

liquores in aliud vas funduntur. Gr. χόανος item πύελος, ληνὸς HEROPHILO, a χέω fundo. G. Ein Trichter.

CHOCOLATA, eſt compoſitio quædam ex fructibus *Cacoa* dictis, vaniglia, cinnamomo, ſacharo &c. quæ omnia in maſſam vel placentulas rediguntur. Dicitur & *Succolata*, & *Chucalata*; præparatur cum lacte vel aqua cocta & feruida, atque agitando chocolata liqueſcit, & ſorbendo calide bibitur. Vide *Cacoa*.

CHOENIX, eſt menſuram veterum, continens cotylas tres, ſiue ſextarium vnum & dimidium, ſiue duas libras menſurales cum quadrante. Notatur ſigno X. & deſuper imponitur V. ſecundum aliorum calculum continet vini quadraginta & quatuor vncias, & olei circiter quadraginta.

CHOERAS, Gr. χοιρὰς, idem quod *Scrophula*, a χοῖρος porcus: forte quia porcis familiaris eſt.

CHOLAGOGA, ſunt medicamenta quæ dicuntur ordinatam in hepate & veſicula fellis ſecretionem bilis augere, illam vel in inteſtina ducendo, vel receptam per inteſtina ſtatim & recta expellendo. a χολὴ bilis, & ἄγω duco. Vide porro *Catharticum*.

CHOLODOCHVS, vulgo ſic ſcribitur, & effertur penultima producta. Græcum eſt χοληδόχος. Ergo Latine erit CHOLEDOCHVS vel cholidochus: vtrumque correpta penultima. Choledochus eſt *ductus biliarius communis* dictus, recipiens ortu ſuo ductus hepaticos, & veſiculæ fellis, quæ cum poro biliario ad angulum acutum iungitur ſuo ductu: & duo hi ductus vniti faciunt ductum communem, maiorem prioribus, oblique deſcendentem, qui ad angulos acutos oppoſitus duodeno, penetrat exteriorem eius tunicam, dein inter hanc & alteram deſcendens, mox perforata & hac, inter ſecundam & tertiam longo itinere progreſſus, foramine rotundo in cauum inteſtini libere exit; & per hunc ex veſicula fellis & ductu hepatico, bilis ad inteſtinum duodenum propellitur: ex χολὴ bilis & δέχομαι recipio. G. Der Gallengang.

CHOLERA, ſiue *paſſio felliflua*, eſt conuulſiuus motus ventriculi & inteſtinorum, in quo omne, quod in ventriculo & inteſtinis continetur, ſed præcipue bilis, copioſe per os & anum eiicitur, imo aliquando omnis quæ in corpore exiſtit. Adſunt anxietates magnæ, grauis cardialgia, ſitis ardens, inquietudo & virium ſubita proſtratio, diarrhæa quoque ſeu bilis, & aliorum humorum per inferiora effluxus magnus. Hinc pulſus in principio celer & frequens, debilis fit, tradus & intermit-

termittens; animus deficit, exteriora frigent, & mors accedere incipit, quæ aliquando intra paucas horas ingruit. Huc referunt *choleram ſiccam*, quæ eſt eructatio magna multorum flatuum cum dolore & crepitu. Gr. χολέρα bilis. G. Die Gallenkranckheit, Choleriſche Feuchtigkeit.

CHOLERICVS, dicitur de eo, qui plurima bile abundat. G. Gallſüchtig.

CHONDRILLA, eſt planta, quæ folia ex radice erumpentia habet magna, cichorei ſylueſtris ſimilia, profunde inciſa, per terram in orbem ſparſa, ex his caulis enaſcitur, inferius ſpinoſus & in plures ramos diuiſus flexiles, nudos, vel foliola tantum quædam gerentes anguſta inſtar graminis; flos eſt ſemifloſculoſus, conſtans plurimis ſemi floſculis, embryoni inſidentibus, & calice veluti tubulato ac cylindriformi comprehenſis. Embryo autem abit deinde in ſemen pappis inſtructum: radix eſt longa; pollicem craſſa, ſucco lacteo valde viſcoſo plena, ſaporis dulcis non ingrati. Hæc planta nomen inueniſſe videtur ab euentu, quod in ramulis imis gummi reperiri ſolet magnitudine fabæ, maſtichæ ſimile, aut nucleo thuris, quem χόνδρον Græci nominant. G. Wartzenkraut, klein Wegwart.

CHONDROS, vide *Cartilago*: eſt etiam granum, grumus concretus, vt maſtiches, thuris &c. Hinc *Chondrilla*.

CHONDROSYNDESMVS, eſt ligamentum cartilaginoſum, ſiue vnio oſſium, interueniente cartilagine, ex χόνδρος cartilago & συνδέω colligo. G. Knorplichte Zuſammenfügung der Beine.

CHORDA, idem quod tendo, neruus, vel inteſtinum de quibus ſuo loco. Ita etiam dicitur tenſio quædam penis verſus perinæum, cum dolore, ex venere maligna ſæpe contracta.

CHORDA MEMBRANÆ TYMPANI, eſt neruus quidam formatus a concurſu duorum neruorum, filamenti ſc. tertii rami quinti paris, & filamenti ſeptimi paris, tympani membranam non tangens. Hoc ipſum eſt paruum illud nerui filamentum, quod olim anatomici velut *chordam membranæ* tympani arbitrati ſunt, quod cerdiderunt ſonum aliquem excitare poſſe, communicando motum ſuum tremulum membranæ; ſicut fit in chorda, quæ ſuper pellem tympani militaris tenditur; ſed eius vſus patet ex natura ſua neruea, & diſtributione. G. Die Seitengleiche Sennader im Ohr.

CHORDAPSVS, ſic *Celſio* dicitur, a *barbaris miſerere mei*; aliis *iliaca paſſio*. Tormentum *Aurelianus* dixit. *Voluulus* etiam non inſcite appellatur, vulgo *ileus*. Eſtque fæcum aluina-

uinarum per ſolum os eiectio, ab obſtructione excrementorum, a flatibus, inflammatione, aut inuolutione & conuulſione inteſtinorum, inducta: cum nempe ſuperior pars inteſtinorum in inferiorem, vel contra, ſeſe inſinuauerit, qua inuolutione velut nodi inde exoriuntur, vnde quoque motus periſtalticus inuerſus. Vide *Iliaca paſſio*, ex χορδὴ inteſtinum, & ἅπτω nodum facio, necto. G. Darmgicht.

CHOREA SANCTI VITI, eſt inſaniæ ſpecies, quæ aliquando diu graſſata eſt, hominibus non decumbentibus, ſed ὀρθοϛάδην, vt *Hippocrates* appellat, diſcurrentibus, & ſaltantibus, ac choreas ad extremum vsque ſpiritum, niſi per vim inde abſtracti fuerint, ducentibus. *Horſtius* inquit ſe cum mulieribus quibusdam locutum, quæ quotannis ſacellum S. *Viti*, quod eſt in finibus *Vlmenſium*, viſitantes, ibidem ſaltu cum perturbatione mentis, eousque ſeſe nocte dieque exercent, donec ecſtaticarum inſtar corruant: qua ratione ſibi reſtitutæ videntur, vt parum vel nihil ſentiant per annum integrum, vsque ad Maii tempus ſubſequens, vbi membrorum inquietudine eouſque ſeſe torqueri referunt, vt viciſſim circa feſtum *S. Viti* ad prædictum locum, ſaltationis gratia, ſeſe conferre cogantur. G. St. Veits Tantz.

CHORION, Gr. χορίον, eſt membrana ſecundinarum externa, vna cum cæteris membranis & humoribus fœtum in vtero comprehendens. Deſcriptio eius ab anatomicis petenda eſt. Scribunt aliqui χωρίον. Dicitur forte ſic a χωρέω ſecedo, quod poſt fœtum editum ſecedit: vel a χωρίον, paruus locus, eo quod in ipſa membrana, tanquam in loco paruo, fœtus nouem menſes habitat, vt volunt. *V.* FORT. PLEMPIVS cum *R. de* GRAAF, vel ἀπὸ τῦ χορῦ a choro, quia in eo vaſa, vt in choro ordinata ſunt; plerumque ſecundinæ nomine donatur. G. Das Aderhäutlein an der Nachgeburt.

CHOROIDEA, CHOROIDEVS, quod vulgatiſſimum eſt pro CHORIOIDES, penultima longa. Græcum eſt χοριοειδὴς, quod chorio ſimile eſt. Sic vocatur Græcis 1. *meninx tenuis* indeque 2. producta portio, quæ ventriculos cerebri ſubit, & vaſa illuc defert arterioſa, vulgo *plexus choroideus*, 3. *tunica oculi mollior* exteriori, quæ, a duritie, vocatur hodie ſclerotica: de qua appellatione infra dicemus. Mundinus illam vocauit *ſecundinam*. Ceterum *choroides* excuſatius dicitur, quia aliquæ editiones ſic exhibent: videatur Gorræus.

CHORIOIDES, eſt plexus arteriæ carotidis & venarum plurimarum, ſub ſpecie membranarum tenuiſſimarum inuicem cohærentium, in ventriculis cerebi anterioribus reperiundus,

in

in quibus, vt caui maneant, arteriæ liquidum continuo deponunt, quod venæ ex illis iterum abſorbent. Item *Vuea tunica* pupillam conſtituens. Ex χορίον, chorio, & εἶδος forma, quod chorii ſimile ſit. G. Netzgleiche Gefäßlein.

CHRISTOPHORIANA, eſt planta, quæ caules habet exiguos, teneros, ramoſos, ad altitudinem circiter duorum pedum creſcentes; folia ſunt magna, ampla, in plurimas partes oblongas diuiſa, acuta, dentata, coloris viridis albeſcentis: flores pentapetali, ſtellati, roſacei; flos non aperitur, quin diffletur calix, ſic & petala cito difflantur, ita vt de numero petalorum non conueniant inter ſe auctores. Poſt florem ſequitur bacca mollis, fere ouata, aliquantulum carnoſa, quæ per maturitatem fit nigra, continens ſemina gemina, ordine vt plurimum ſuper inuicem poſita. Radix ſatis craſſa, fibroſa, externe nigra, interne flaua: creſcit hæc planta in montibus. Obſcurum eſt a quo Chriſtophoro nomen habeat.

CHROMATISMVS, eſt coloratio ſeu tinctura in ſano & morboſo ſtatu vrinarum, ſaliuæ, cruoris, vel ſtercoris, a χρωματίζω coloro.

CHRONICVS, eſt morbus diuturnus, vltra quadrageſimum diem extenſus, vt febris quartana, phthiſis, aſthma, hydrops &c. a χρόνος tempus. G. Eine langwierige Kranckheit.

CHRONIVS, idem quod *Chronicus*.

CHRYSANTHEMVM, eſt planta, quæ habet caulem altum, ſquammoſum, cineritium, in multos ramos diuiſum, multa folia inciſa, millefolium referentia, habentem; quilibet ramus florem radiatum aurei coloris in ſummitate habet; huius diſcus ex plurimis floſculis, corona vero ex ſemifloſculis componitur embryonibus inſidentibus, & calice ſemiſphærico ac ſquammoſo comprehenſis: embryones autem deinde abeunt in ſemina plerumque angulata aut ſtriata, vel tenuia & acuta: radix annua eſt, fibroſa, non longa, minima, alba; creſcit in montibus ac pratis; floret per totam æſtatem, eius appellatione plures herbæ, flores luteos eximio ſplendore micantes habentes, veniunt, ex χρυσὸς aurum, & ἄνθος flos.

CHRYSOCERAVNIVS PVLVIS, eſt *Aurum Fulminans*, quod præparatur ex auro ſoluto, in menſtruo, ſale armoniaco impregnato; infuſo oleo tartari, calx ad fundum præcipitatur, quæ edulcoratur & ad vſum exſiccatur, ex χρυσὸς aurum, & κεραυνὸς fulmen. G. Donnergold.

CHRYSOCOLLA, eſt ſal foſſilis, figuræ variæ, magnam aquæ, vigecuplo maiorem, copiam ad ſolutionem requirens, &

& calorem magnum; ſapore ſubamareſcente, ſed dulceſcente in exitu; ad ignem facile fluens; ſimul in ſpumas tum aſſurgentes ſe effundens; aquam plurimam ita dimittens; reſiduo in vitri pulchri ſpeciem ſubſidente; corporum ſibi commiſtorum fluxum in igne valde promouens; ſic metallorum, auri præprimis, conſolidationem efficiens. Vide *Borrax*.

CHRYSOCOME, eſt herba flores aureos & comoſos proferens, ex χρυσὸς aurum, & κόμη coma.

CHRYSOLACHANON, eſt atriplicis ſpecies, foliis ſubluteis, ex χρυσὸς aurum, & λάχανον olus. Vide *Atriplex*.

CHRYSOLITHOS veterum, vel *topaſius* gemmariorum hodiernorum, eſt gemma aurei coloris. Duo habentur genera, *Orientale & Europæum*. Vt illud colore, ita & duritie, Europæum ſuperat: hoc enim inſtar cryſtalli molle eſt, & cum aureo colore, vel multum vel parum nigricat. Inuenitur in Bohemia paſſim. Gr. χρυσόλιθος, ex χρυσὸς aurum & λίθος la. G. Ein Chryſolith.

CHRYSOMELA, ſunt mala citrei vel aurei coloris, ex χρυσὸς aurum & μῆλον malum.

CHVS, Gr. χοῦς dicitur & *congius*, & *choa*. Liquidorum menſura Atticis fuit, ſex ſextarios continens, vel cotulas atticas duodecim. Libras olei continet nouem, vini vero decem, mellis tredecim cum dimidia. LINDENIVS vini tantum tribuit libras octo cum vnciis quatuor. RHODIVS congium denas libras pendere affirmat: aliis continet vini octo libras, & olei ſeptem cum quarta parte.

CHYLIFICATIO, eſt actio in ventriculo & inteſtinis, qua cibi & potus, & digerendo & mouendo in chylum mutantur. Vide *Chylus*.

CHYLOSIS, idem quod *Chylificatio*.

CHYLVS, eſt ſuccus albus, ex leui diſſolutione & motione alimentorum, præcipue ſulphuris & ſalis, quibus eſculenta abunde ſcatent, in ventriculo & inteſtinis, qui interueniente ventriculi ſucco acido, albus redditur: ſi enim liquori cuilibet, ſulphure, aut ſale volatili imprægnato, humorem acetoſum confundas, ilico lacteſcit; vti cernitur in præparandis lacte ſulphuris, aut extractis vegetabilium reſinoſis. Quin & ſpiritus cornu cerui, aut fuliginis, ſale volatili plurimum refertus, ſi liquori acido vel aquæ ſimplici confundatur, colorem lacteum acquirit. Vera tamen chyli albitudinis cauſa debetur imprimis miſcelæ partium oleoſarum ingeſtorum cum aqua, bene-

neficio bilis, tamquam medii coniunctionis, vnitarum, quod ſatis euidenter apparet in emulſis, quæ eo magis albeſcunt, quo olei plus continent. Tandem Chylus poſt commixtionem bilis pariter & ſucci pancreatici volatilis inteſtinorum papillas & lacteas venas ſubiens, ſanguini ſuffunditur. Latinis etiam *Chymus*. G. χυλὸς, ſuccus. G. Der Milchſafft aus den Speiſen.

CHYMIA vel CHEMIA, eſt ars, docens regulas, quarum exercitatione fiunt operationes, quarum effectu corpora ſenſibilia, quæ vaſis capi poſſunt, inter ſe componuntur, vel reſoluuntur; horum mutationes per ſenſus examinat, idque inprimis ope eius inſtrumenti, quod ignis dicitur, Eius partes ſunt duæ, vel *ſolutio* corporum, vel *compoſitio*. Dicitur *chymia*, vel *chemia*, ſeu cum Arabico articulo *alchymia* vel *alkymia*. Vnde hæc nomina deducta ſint, alii aliter ſentiunt. Alii Chymiam a χύω vel χέω dictam exiſtimant, quod ſcilicet metalla dura, viſceribus terræ effoſſa, liquare & fundere primum docuerit. Alii χημίαν nominant, quaſi, vt quidam volunt, *artem Aegyptiam*. Cum enim, vt refert PLVTARCHVS in libro *de Iſide & Oſiride*, Aegyptus a ſacerdotibus ſacra lingua Chemia appellaretur; aut vt eſt apud HERODOTVM, in *Aegypto* oppidum quoddam vetuſtum, *Chemis* nominaretur, hinc *Chemiam*, quaſi *artem Aegyptiam*, in *Aegypto* ſcilicet primo, ſeu inuentam, ſeu excultam, dictam putant. Ex Arabica lingua articulum, AL, qui intendit ſignificationem, acceſſiſſe facile patet. Differentiam hodie faciunt inter Chymiam & Alchymiam, nempe chymiam referunt ad artem medicam, verum alchymiam ad artem χρυσοποιητικήν. Vocatur etiam *Spagiria*, *Hermetica ars*, *ars perfecti magiſterii*, *ars ſegregatoria*, *ſeparatoria*, & *deſtillatoria*. G. Chymie, Schmelzkunſt, Gießkunſt, Scheidkunſt.

CHYMIATRIA, idem quod *Chymia*, eſt medicandi ars per medicamenta chymica, ex χυμία & ἰατρεία, medicatio.

CHYMICA, ſunt medicamenta, quæ chymici præparant, vt gratiori & minori quantitate ab ægris aſſumantur.

CHYMICVS, eſt artis chymicæ peritus; ſiue chymicus eſt artis diſſoluendi, & viciſſim coagulandi peritus. G. Ein Chymiſt.

CHYMVS, idem eſt quod *chylus*. Græce χυμὸς, *ſuccus*. Nonnulli eo deſignant partem chyli optimam, a fæcibus ſeparatam, & lactea ingreſſam, alii tantum præparationem in ſtomacho.

CICATRISANTIA, ſunt medicamenta, quæ impedimentum tollunt, quo vetabatur vaſorum ex vnione diſſolutorum concretio vel exſiccatio. Sunt igitur, quæ liquida allata ad ſoluta vaſa reddunt blanda, dein vaſorum fines flexiles reddunt, extenduntque: denique vaſa hæc exſiccant; inter quæ præcipua ſunt, quæ ex plumbo conficiuntur, vel quæ ex illo conſtant. Gr. Κατελωτικὰ φάρμακα, ἐπιδερμικά. G. Wundheilende, oder Hautmachende Artzney.

CICATRIX. Cicatrices ſunt veſtigia quædam & notæ, quæ relinquuntur poſt grauia vulnera & vlcera, quare cutis defœdatur. Aliæ ſunt ſimplices, aliæ cum cauitate & diminutione partis, aut ſuperexcreſcentia. Gr. ἐλή. G. Ein Wundmal, Narben, eine Schramme.

CICER, eris, penult. corripit:

Nec ſi quid fracti ciceris probat, & nucis empt. Hor. in Art. Poet.

Cicer, eſt leguminis ſpecies; quæ habet caules tenues, lignoſos, duros, ramoſos, aliquantulum villoſos: folia exigua, villoſa, dentata, bina coſtæ adhærentia: flores ſunt parui, leguminoſi, albi, aut rubicundi: flori ſuccedit ſiliqua breuis, continens ſemina referentia caput arietinum, vnde hæc planta cicer arietinum dicitur. Cicer eſt vel rubrum vel album, rubrum officinale, album culinarium; cicera rubra ſunt ciceris ſatiui ſemina rotunda, anguloſa, piſo maiora, vnico angulo acuto prædita, coloris ex fuſco rubentis, ſaporis viſcoſi & leguminoſi: radix longa, exigua, alba. G. Kirchern, Ziſer-Erbſen.

CICERBITA, eſt ſonchi ſpecies. Vide *ſonchus*.

CICHORIVM, *Theophraſto l. 7. c. 7.* κιχώριον. *Dioſcoridi l. 2. c. 160.* κιχώριον. *Galeno l. 8. ſimpl.* κιχώριον. Vox Ægyptia auctore *Plinio l. 20. c. 8.* *Honterus* ſuperiores intuitus Auctores penult. corripit. Oportet tamen *Horatium* alicubi inueniſſe κιχόρεον, quando antepenult. corripiat, penult. vero producat. Et certe *Nicander in Alexipharm.* o corripit:

Κίχορα δαρδαμίδας τε, καὶ ἣν πέρσειον ἔπεσιν.

Me cichorea, leuesque maluæ. Alcaic. *Hor. Carm. l. 1. Od. 31.*

Quid igitur ſupereſt, niſi ut cum *Hontero* penult. in *cichorium* corripiamus, cum *Horatio* autem penultimam in *cichoreum* longam pronunciemus? Cichoreum, eſt planta, quæ habet caulem intortum, craſſum, rotundum, villoſum, excauatum, ramoſum: folia longa, valde lacteſcentia, amara, plus minuſue inciſa, aliquantulum villoſa: calix floris totus maturus redditus, valde eſt compreſſus, oblongus, ſquammoſus, atque inſtar vaſis cuiusdam recondit ſemina anguloſa inſtar cunei, in parte ſuperiore excauata, alba: radix craſſa, ſat longa,

ga, & fuſca extus, intus albicans, ſuccum habet ſaponaceum; in orbiculos diſciſſa dat lac amarum, hinc inter lacteſcentia refertur. Diſtinguitur in ſylueſtre & ſatiuum, ſed prius vſitatius eſt in medicina ob amaritiem. Aegyptium nomen eſſe, ac inde in Græciam, poſtea in cæteras nationes commigraſſe docent. Apud CELSVM vocatur *ambubeia*, pro quo aliqui putant legendum *ambuleia*, vide ſupra *ambubeia*. Græci referunt inter eas plantas, quas *ſeris* appellant, lacteſcentes edules. G. Wegwart, Hindleufft.

CICINDELA, eſt genus ſcarabæi nocte lucentis. G. Johanniswürmlein. Gr. λαμπυρὶς.

CICONIÆ pinguedo, penult. corr.

Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido. Hor. 2 Sat. 2.

CICVTA, penult. prod.

Hac te nos fragili donabimus ante cicuta. Virg. Ecl. 5.

Cicuta, eſt planta, quæ habet caulem ſatis altum, craſſum, politum, ſerpentis cutim referentem, excauatum: folia minutiſſime diuiſa, & ſubdiuiſa, petroſelino ſimillima, inodora: flores ſunt albi in vmbellas creſcentes, plurimis conſtantes petalis cordiformibus, inæqualibus, in orbem poſitis, & calici inſidentibus: is autem abit in fructum fere globoſum, ex duobus ſeminibus compoſitum, exiguis, hinc gibbis & ſtriatis, inde vero planis: radix cauliformis, longa, alba, craſſa. Tota planta habet odorem ingratum, ſapor eius eſt acris: eſt herba lethifera, morte SOCRATIS clara. Præ cæteris infamis eſt *cicuta aquatica*, de cuius noxis ſingularem librum ſcripſit WEPFERVS. Gr. Κώνειον. G. Schirling, Wutſcherling, Wüterich.

CICVTARIA, eſt planta, quæ habet caulem ingentem, nodoſum & concauum: folia cicutæ maioris ſimillima, ſemina profunde ſtriata, anguſta, oblonga, magna: radix fibroſa, cuius nomen a cicuta deriuatur.

CILIA, proprie ſunt extrema palpebrarum corpuſcula duriora, & cartilaginoſa, ſemilunata, quæ Græci ταρσους vocant, quibus pili inſiguntur, quos *cilia* appellant. Superioris palpebræ pili verſus ſuperiora curuantur, ſed inferioris verſus inferiora; ſemper fere eandem ſeruantes magnitudinem, impedientes ne leuiora oculo incidant: nam duplici pilorum inſignium ſerie conſtituti ſunt. Horum etiam vſus videtur, moderari lucem, & oculum quaſi in vmbram conſtituere; ne a radiis lucis fortioribus lædatur: hinc fit, vt qui his carent, non niſi in crepuſculo bene videant. Gr. βλεφαρὶς, ὀφρὺς. G. Härlein an den Augenliedern, Augenbrahnen.

CIMO-

CIMOLIA TERRA, Gr. κιμωλία, a Cimolo inſula in mare Cretico, vnde ortum habuit: eſt boli ſpecies.

CINA CINÆ, ſeu CHINA CHINÆ, eſt cortex Peruuianus, non abſimilis cortici iunioris quercus, ſaporis nonnihil adſtringentis, penetrabiliſſimi & amari, paulum ingrati & quo amarior & ponderoſior eſt iſte cortex, eo melior, aduerſus febres maxime laudatur. Dicitur & *Kinkina, Quinquina, Palo de Calenturas, Gannanaperide &c.* Arborem repræſentat T. BARTHOLINVS, ſed deſcriptionem nullam dat. Hinc cuiusnam arboris cortex ſit, hodie nondum bene conſtat. G. Fiebertinde.

CINAMOMVM, Dioſcoridi, & aliis κιννάμωμον. penult. prod. vide & *amomum.* Cinamomum, eſt arbor altitudine citri aut mali aurantii; magna habens folia, lauri foliis ſimilia, glabra. Vidi ramulum cui adhuc ſex folia inſidebant, & integrum folium ſeruo, referens figuram, quam edidit ABRAH. MVNTING; *A Coſta* repræſentat etiam cinamomi folium: ſed non conuenit cum meo, ſed potius ipſum malabatrum refert. Fructus habet nigros, glandes referentes: magnitudine auellanæ nucis. Cortex interior cinamomum proprie eſt. Differt a *Caſſia lignea,* cum cinamomi certex grandior ſit & ſapore penetrantior: caſſiæ vero tenerior & manducata mucilaginem præbeat: optimum cognoſcitur ſolum guſtu, nam licet color & odor adſint, ſæpe tamen non eſt bonum, nam mora, & adulteratione ſæpe vim amittit. Cortex externa parte liberatus, ſecatur in laminas, & exſiccatur, ſic ſponte conuoluitur; hinc cortex ramorum eſſe videtur, cum ſit reuera trunci. Radix ſuppeditat *Camphoram*; lignum roſeum ſpirat odorem; folia iuniperum olent; fructus vero expreſſi & cocti ceram velut adipem dant & caryophyllos odore imitantur. Flores habet albidos fere & inodoros. Colitur in Zeilon, maximum eſt aroma, & in medicina quoque maximi vſus. Dicitur & *Canella*; *Cinamomum* dictum contendunt, quaſi *amomum Chinenſe*, ſeu *amomum* ex China delatum: alii alias nominis rationes dant, quibus non immorabimur, quia ſunt luſus ingenii. G. Canel, Zimmetrinde, Zimmet.

CINARA, penult. corr.

Hiſpida ponatur cinara, & quæ dulcis Iaccho. Colum. l. 10.

Cinara, eſt planta, quæ ex radice folia erumpentia habet longa, larga, ampla, profunde inciſa, ex his emergit caulis ſatis magnus, ſtriatus, lanuginoſus, craſſus, intus medulloſus, plures ramos dimittens, quorum ſinguli habent in ſummitate ca-

pitulum variæ magnitudinis, valde ſquammoſum, rigidum, durum; ſquammæ, fructu facto grandiore, diſſoluuntur, ac ſuperius virent, interius vero ac inferius carnoſæ ſunt & albidæ. Comeduntur ex hoc capite partes duæ, nempe ſquammarum vngues, & medius diſcus, cui pappoſum ſemen inſidet: florem habet floſculoſum, plurimis ſcilicet floſculis conſtantem multifidis embryoni inſidentibus. Dictam volunt a *Cinara* puella, quæ in eius ſpeciei carduum mutata ſit; vocatur etiam ſcolymus. Gr. Σκόλυμος: nonnullis *Cocalus*, *Alcocalus*, *Articoca*, & *Articocalus*. Vide *Articocalus.*

CINERARIA, appellatur Iacobæa marina, cuius folia cinereum habent colorem.

CINERARIVM, idem quod *Coniſterium.*

CINERATIO, idem quod *calcinatio.*

CINIS, eſt puluis ille griſeus ex combuſtione rerum combuſtibilium reſiduus, conſtatque ex ſale, qui elixiuari poteſt, atque terra, vt dicitur, mortua. G. Aſche.

CINIS CLAVELLATVS, proprie cinis eſt ex clauiculis vitis. Aliis eſt caput mortuum ex deſtillatione fœcum vini reſiduum, combuſtum & elixiuiatum. Nonnullis eſt ſal ex cineribus lignorum quorundam extractum, optimeque reuerberatum. G. Weidaſche, Potaſche.

CINNABARI, & CINNABARIS vox Indica eſt centedo *Plinio l.33. c.7.* cuius pen. corr. *Scaliger, Man. Catull. 27.*

Plumbo, cinnabarique, ſulphurique. Phalæc.

Nec iniuria, vt analogia ſuadet in Phalaris, Baſſaris, magudaris, piperis, &c. Genitiu. cinnabareos penult. corr. quia κινναβάρεως *Galeno de ſimpl. med. fac. l. 8.* Cinnabaris, alia eſt *factitia*, & alia *natiua* ſiue *mineralis*. *Factitia* conficitur ex ſulphure & mercurio, quibus mixtis fit ſublimatio. *Natiua* eſt terra mineralis lapideſcens, rubicunda, conſtans etiam ex ſulphure & mercurio viuo cum terreſtri materia, inſtar lapidis, compactis. In ipſis fodinis ex ſulphure & argento viuo coaluiſſe, per fuſionem ab igne ſubterraneo factam, docet arte facta cinnabaris; & eius reſolutio facilis in verum ſulphur & mercurium. Adfertur ex India orientali, Vngaria, Germaniæque locis variis; prope Alsheimium Palatinatus &c. Eligenda quæ grauida mercurio & Sulphure præſtantioribus, adeoque Vngarica, vtpote quæ auro aliquantulum pollet; quo quidem reſpectu minus valet vſui medico quam ciuili. Veteribus dicitur *minium*; quamuis diuerſum nobis; a cinnabari ſit. Datur etiam cinnabaris antimonii, quæ eſt maſſa compacta, dura, opaca, ponderoſa valde,

valde, quæ in collo retortæ, vbi præparatur butyrum antimonii, reperitur, a parte qua ſuperficiei vitri adhæret, ſplendet, ab altera ſcabra, trita in pulueren, dat veram cinnabarim ex mercurio & ſulphure antimonii vnitis conſtantem. G. Zinnober.

CINNABARIS, CINNABRION HERBA, appellatur rubia tinctorum, quia eius radicibus lintea &c. rubro tinguntur colore, cinnabari vix diſſimili.

CINNVS. Gr. Κυκεών. Potus genus apud veteres nominatiſſimum ex polenta, caſeo aliisque vino incoctis, vnde verbum *concinnare*.

CION, *Columella*, *gargareon*, *gurgulio*, *uua*, *vuula*, *epiglottis* Plin. *Sublinguium* Iſidoro, penſilis de palato *iſthmus*, ſiue *gutturis operculum* dicitur. Gr. κίων, item κιονὶς, ex palato in ore penitius, iuxta narium meatus, ſupra laryngis rimam inter tonſillas dependet, eſtque proceſſus ex ſubſtantia, vt videtur, glanduloſa ſpongioſa & rubra, quam putat *Columbus* oriri ex palati tunica, eo loci reduplicata: ſed *Riolanus* a muſculis ibi deſinentibus: glaberrima eſt, flexiliſſima, ſubpellucida, plena cryptis apertis, mucoſis, & fibris longis muſculoſis, in vnum punctum collectis, cæterum tota vaſculis innumerabilibus contexta. Vaſa reperiuntur arterioſa, venoſa, omnium fere ſerierum, tam in vſus communes, quam potiſſimum ad officium cryptarum; muſculi huic machinæ proprii, plures attribuuntur. Figura eſt rotunde oblonga, ſuperius craſſior, & in acutum obtuſe deſinens. *Vſus* eſt moderari vocem & aeris frigiditatem, & impedire ne potus ad nares ruat. G. Der Zapfen. Interdum vuula nimis propendet ab humoribus obſtruentibus, qui per vaſa lymphatica redire nequeunt, vnde caſus vuulæ oritur. G. Das fallen, oder ſchieſſen des Zäpffleins.

CIONIS, idem quod *Cion*.

CIRCÆA, eſt planta, quæ habet caules tenues, rotundos, rectos, villoſos, medulla repletos: folia ſibi inuicem oppoſita naſcuntur iuxta longitudinem caulium; ad baſim latiora, ad apicem acuta, dentata, pediculis adhærentia: flos ex duobus petalis, calici etiam bifolio inſidentibus, conſtat: calix autem deinde abit in fructum pyriformen, in duo loculamenta plerumque diuiſum, ſemine fœta vt plurimum oblongo. Vocatur a Circe, ſolis filia, quæ hac herba quondam alios faſcinaſſe putatur, vel quia huius plantæ fructus ſe veſtibus affigit, hocque modo homines ad ſe trahit, ſicut dea Circe ſuis incantamentis facere credebatur. Illud nomen etiam aliis plantis imponitur.

CIRCVITVS, idem quod *Periodus.*

CIRCVLATIO ſanguinis, vide *Periodus.*

CIRCVLATIO CHYMICA, eſt liquores puri, per circularem deſtillationem in pelicano, vel alembico cæco, agente calore, exaltatio. Dum enim liquor, in recipiente contentus vndique clauſo, exhalare nequit in auras, ſed colligitur in ſuperiori parte vaſis, cadit inde iterum ad fundum vel directo lapſu, vel per laterales alas pelicani, idque aliquoties circuli in modum, pro genio liquoris deſtillandi. G. Oſtwiederholtes Diſtilliren.

CIRCVLATOR, idem quod *Circumforaneus*: vide *Agyrta.*

CIRCVLATORIVM, eſt vas vitreum, vbi infuſus liquor, aſcendendo ad ſummum vaſis, & iterum in locum ex quo venerat, deſcendendo per laterales alas cauas, colligentes omne quod in ſupremum vaſis adſcenderat, quaſi in circulo rotatur. Varia ſunt huius generis vaſa, ſed duo præcipue ſunt maioris momenti & vſus duntaxat, *pelicanus* nimirum, & *diota.* G. Circulierglaß.

CIRCVLATVM MINVS, nihil aliud eſt quam *ſpiritus vini*: quamquam alii chymici aliud in arcanis habent, a quo ingentes vires ſibi & aliis pollicentur. Præcipue laudat ſuum GEORG. STARCKEY.

CIRCVLVS, eſt inſtrumentum rotundum ad chemicorum vitra abſcindenda, ex ferro factum. Circulus igne candefactus vitro circumponitur, illudque tamdiu ſtringitur, donec ferueſcat & incaleſcat, cumque adhuc feruet frigida gutta immiſſa, aut frigidi halitus afflatu, diſſilit, atque disrumpitur. G. Ein Ring.

CIRCVMFORANEVS, idem quod *Agyrta.*

CIRRI, plantarum & inprimis radicum tenuia ſunt capillamenta, quæ contorta criſpantur.

CIRSION, CIRSIVM, eſt cardui ſpecies, quo cum conuenit in omnibus, & ab eo tantum differt ſpinis mollioribus: quia putatur hæc planta varicibus mederi, nomen accepit a Κιρσὸς varix, cum vena multo ſanguine dilata eſt. *Fuchſius* nominat *bugloſſam* vel *linguam bouis.*

CIRSOCELE, eſt varicoſa vaſorum ad teſtes euntium dilatatio, ita vt tertium teſticulum quandoque mentiatur, ex κιρσὸς varix, & κήλη tumor. G. Geſchwollene, auſgelauffene ſaamen Adern.

CIR-

CIRSOS ſiue VARIX, eſt nimia venarum in exteriori corpore ſitarum dilatatio, in tumorem elata, flexuoſa, in vna aut pluribus corporis partibus hærens; oriunda ab impedito ſanguinis, valde moti per has venas, transfluxu, vnde ad ſedes valuularum a ſanguine collecto ita dilatantur ſæpe, vt rupturam minentur. Inuenitur apud Græcos duplex nomen: Alterum eſt frequentiſſimum κιρσὸς ſeu (vt eſt apud *Pollucem*) κιρξὸς, alterum vero non ita frequens ἰξία, quod quidem poſtremum vſurpatum inuenitur ab *Hippocrate*. Latinis *varix*; *ramex* tamen apud *Plautum* pro varice pectoris aliquando ſumitur, in Merc. I. II. *Tua cauſa rupi ramices, iamdudum ſputo ſanguinem.* G. Aderbruch, Krampffadern, Kindsadern, quia grauidis præcipue ſolent euenire.

CISSAMPELOS, dicitur de conuoluulo, vineas amante, quia iuxta illas ſæpe ſuccreſcit. Ex κισσὸς hedera, a κίω quod in pariete vel arboribus late ſerpat: vel a κίω ſcindo, quia hedera arborea alias arbores ſcindit & perdit, atque ἄμπελος vitis, vinea: Vide *Helxine Ciſſampelos.*

CISSIVM ſeu CISSOPHYLLVM, ſunt vincetoxici ſynonyma: quia habet folia hederæ ſimilia. Κισσὸς eſt hedera, cui adiicitur φύλλον folium.

CISTERNA CHYLI, idem quod *ſacculus chyliferus.*

CISTVS, Gr. κίϛος & κίϛος, eſt frutex, cuius folia obrotunda, villoſa, aſpera, coniugata: flores raſacei, quinquepetali, coloris rubicundi: calix triphyllus, piſtillum abit in fructum, qui eſt captula obrotunda, villoſa, aſpera, quæ per maturitatem dehiſcens ſemina exigua, & rufa fundit: radix lignoſa, ramoſa: creſcit in regionibus calidis, præſertim in locis ſaxoſis: ex huius foliis ladanum gummi exſudat.

CITRAGO, appellatur meliſſa, ob citreum, quem ſpirat, odorem. Vide *meliſſophyllum.*

CITREA MALVS, eſt arbor ſemper virens, cuius rami ſunt extenſi, flexiles, cortice viridi & polito inſtructi: folia laurinis ſimilia, longa, acuta, rigida, absque appendice, carnoſa, in margine dentata, coloris viridis ſplendentis, præſertim in parte ſuperiori, odoris penetrantis: flos eſt roſaceus, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtans, ex cuius calice ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum oblongum, donatum cortice craſſo, inæquali, carnoſo, in initio viridi, poſtea citreo ſplendente, intus albo, odoris grati, ſaporis aromatici & grati. Fructus hic diuiditur in loculamenta ſucco acido grato, & ſeminibus externe duris, oblongis, albis medullo-

ſis, ſaporis aliquantulum amari, fœta. Hæc arbor creſcit in regionibus calidis, ſed & apud nos ſatis copioſe in hortis colitur & fructus maturos perficit. G. Citronen.

CITRINVM ſuccinum, arſenicum, ſulphur, citrina ſtœchas, citrinæ myrobalani. pen. corr. vide *Amaracinus*, *ſequ.*

CITRVLLVS, anguria eſt, ſic a citri luteo colore dictus.

CITTA, ſiue PICA, eſt appetitus deprauatus, quo ea appetuntur, quæ ab eſu humano prorſus aliena ſunt, vt calx, fiſtulæ tabaceæ, carbones, teſtæ, panni, coria, arena &c. Cauſa latet in deprauato ventriculi ſucco, qui non niſi per inſueta aſſumpta mutari poteſt, vel a circulatione ſanguinis mutata, vt in grauidis, vel ab imaginatione deprauata. G. Der ſchwangern Weiber Luſt zu unnützen Sachen.

CIVETTA, a voce Indica *zibeth*. Eſt animalculum, ex cuius veſiculis circa inguina ſuccus pinguis fragrantiſſimus educitur. Vid. *Zibethum*.

CLARETVM, pen. prod. Vox barbara, a clareo, es, clarere, deducta:

Non potuit nobis nota clarere figura. Cic. in Arat.

Claretum, eſt vinum, aromatum infuſione impragnatum, ac ſaccharo edulcoratum, dicitur alias *vinum Hippocraticum*: nominatum, quod per manicam Hippocratis colatur & purificatur. G. Hippocras, Gewürtzwein, claret.

CLARIFICATIO, eſt modus, quo ſucci vel decocta turbida, & craſſa clariora redduntur: quod fit filtratione, ſubſidentia, fermentatione, vel additione aceti, albuminis oui, aut lactis. G. Reinigung, Clarificirung.

CLASSIS, ſic a botanicis vocatur congeries plantarum, quibus nota quædam communis adeo propria adeſt, vt hac ab omnibus aliis generibus prorſus differant. Solentque hodie omnes plantæ in ſua genera & claſſes redigi, vt ſcientia botanica ad methodum doctrinæ deducatur, & facilius nomina plantarum memoriæ mandari poſſint.

CLAVDVS, eſt qui altero pede minus æque incedit, altero breuiore, aut aliter diſtorto, vel contracto, vel minus robore valente, ob muſculos aliquos femoris relaxatos, vel paralyticos. G. Hinckend.

CLAVICVLÆ, ſunt oſſicula duo thoracem claudentia, oblonga, dupliciter incuruata, ſcapulamque cum ſterno firmantia: ſic dicuntur a clauibus ædium antiquis, quarum figuram referunt. *Celſus iugula* vocat a iungendo, alii *ligulas*, *os furcale*

furcale, &c. Gr. appellant κλεὶς, κλῆις *Hom.* κληῖϑρον *Gal.* tranſuerſim ſub imo collo ſitæ ſunt, in pectoris ſummo, vtrinque vna. *Figuram* habent oblongi *ſ.* Latini. G. Das Halsbein, Droſſelbein.

CLAVICVLÆ, in plantis capillamenta intorta, vel *Capreoli* ſunt, quibus quaſi manibus proreptans vitis adminicula comprehendit. Vide *capreolus*.

CLAVVS, Eſt verrucæ ſpecies, calloſa, parum eleuata, digitos vel plantas pedum occupans, ex calcei preſſione inæquali, vel attritu oriunda. G. Ein Hüneraugе, Leichdorn. vide *helos*. Eſt etiam paſſio in parua capitis parte. Sæpiſſime eſt ſupra oculum in ſupercilio, & videtur ægris, ac ſi pars capitis clauo vel terebello perforaretur. A Celſo claui etiam vocantur calloſa in albo oculi tubercula, quibus nomen a figuræ ſimilitudine eſt.

CLEMA & CLEMATIS, dicuntur plantæ ſarmentoſæ, vt vitis &c. a κλάω frango, quia fragiles.

CLEMATIS DAPHNOIDES, eſt planta, quæ habet caules exiguos, tenues, longos, rotundos, virides, nodoſos, repentes, vbique adhærentes: folia ſunt oblonga, viridia, polita, bina, ſibi inuicem oppoſita, caulibus breuibus adhærentia, ſaporis amari, ſtyptici. Flos eſt monopetalus hypocrateriformis, multifidus, coloris vt plurimum cærulæi, aliquando albi, raro rubri, ſine odore. Ex huius calice ſurgit piſtillum, infimæ floris parti, ad inſtar claui, infixum, quod deinde abit in fructum oblongum, duabus ſiliquis conſtantem, quæ continent ſemina plurima oblonga fere cylindracea, ſulcata ab vna parte; radix fibroſa. *Peruinca* officinis, *vinca peruinca* vulgo nominatur. *Clematidem* Græci, quoniam κλήματα, hoc eſt ſarmenta ſeu viticulas per terram ſpargit, dixerunt. *Daphnoidem* vero a foliorum lauri, quam eius folia habent, figura. PLINIVS clematida *Aegyptiam* nominat *vincam peruincam*, alioque nomine *chamædaphnen* dici tradit, quod ſcil. humilis videatur laurus, vt nomen ſonat. Vinca dicta fuit, quia in thalamis nuptialibus inde cingula conficiuntur. G. Ingrün, Sinngrün.

CLEMATIS PASSIFLORA, ita appellatur, quod varia in flore habeat Chriſti paſſionis ſigna. G. Paßionsblume.

CLIMACTERICVS ANNVS, vide *Annus Climactericus*.

CLINICVS, eſt medicus, qui diæta aut medicamentis, ſuccurrit hominibus ægrotis lecto decumbentibus. A κλίνη, lectus. Quin & ipſi ægroti vocantur, & propriiſſime quidem, clinici, quando orthoſtadiam non amplius tenere poſſunt, ſed decumbere coguntur. Sicque clinicus opponitur illis, qui cum morbo ſuo ſtare, ambulare & negotia obire vtcunque valent, quos homines in ſtatu neutro valetudinis verſari dicimus.

CLINOIDES APOPHYSIS, Gr. κλινοειδὴς, a κλίνη, lectus, cubile. Quod hæc oſſis protuberantia ſinum paruum habet, qui lectum refert. Vti ſcapulæ apophyſis, humeri os recipiens, &c.

CLINOPODIVM, eſt planta, quæ habet caules tenues, quadratos, villoſos, longos: folia maioranæ ſylueſtris ſimilia, ſed minus odora, ſibi inuicem oppoſita, villoſa, ſaporis ſaluiæ: flores in verticillos denſos, cauli circumpoſitos, aggeſti ſunt, galea erecta rotundula, bifida, barba tripartita: flori ſuccedunt quatuor ſemina oblonga, tenuia, rubicunda, in capſula, quæ flori tanquam calix inſeruiuit, incluſa: radix fibroſa: creſcit in ſyluis: quibusdam *Marum* appellata, eſt proprie lecti pedunculus, quod folia habeat lecti pedibus ſimillima, a κλίνω inclino, reclino; vnde κλίνη lectus, & πὸς pes. G. Maſtixkraut.

CLITORIS, ſeu AMORIS DVLCEDO, eſt velut penis muliebris, titillationi inſeruiens, genitalibus fæmininis appenſus parte ſuperiori. Conſtat, vt penis virilis, ex duobus corporibus neruoſis, quæ ab inferiore parte oſſium pubis ortum ducunt, etiam in extremitate obtegitur glans præputio; eius ſubſtantia ſpongioſa eſt, adeo vt a ſanguinis maiori vel minori copia, effuſa in cellulis cauernoſis, tempore voluptatis intendi & relaxari poſſit, non tamen vt in viris perforata eſt. Gr. κλειτορὶς, dicitur & nympha. G. Schamzünglein.

CLOACA, corporis immunditiarum eſt receptaculum. Dicitur a ſimilitudine fornicatorum ductuum ſubterraneorum, qui Romæ immenſis ſumtibus facti erant, vt per illos omnis aqua, omne immundum, in Tiberim ſubduceretur.

CLYDON, eſt fluctuatio aſſumtorum in ventriculo, ob laxitatem fibrarum eius, & vim minorem muſculorum abdominalium, quam vt viſcera contenta ſufficienter comprimat, a κλύζω abluo, lauo.

CLYMENVM, eſt planta, ſimillima in omnibus lathyro, niſi quod folia plurima vni coſtæ adnaſcantur, non modo duo, ſed aliquando quatuor, ſex vel octo ad eundem exorſum: dictum ſcribunt ab inuentore Clymeno Rege.

CLY-

CLYPEALIS CARTILAGO, idem quod *Thyroides.*

CLYPEVS, ſiue clupeus a cluendo, hoc eſt purgando, vel quaſi calypeum, a καλύπτειν, tegere, quod tegat.

CLYSMA, idem quod *Clyſter.*

CLYSTER, eris, pen. prod. qvia Græcis κλυστὴρ, ῆρος. Ita apud *Galenum* legimus: πολὺ ἐν τῷ ποιῷ τῷ κλυστῆρι κεῖται. A κλύζω abluo, eluo.

Πολλάκι δ' ἐν κλυστῆρι νέον γλάγος οἰὸς ἀμέλξας. Nicand. Alexipharm.

CLYSSVS, eſt, quod alicuius rei eſſentiam, ſecundum chymicos, continet: vel quando eiusdem rei ſpecies variæ, ſeorſim elaboratæ, iterum coniunguntur, vt cum ſal commune, ſulphur, oleum, ſpiritus & mercurius iterum in vnum corpus coagulantur. Dicitur & *aqua ſtimmea* vel *ſulphurea*, eſtque ſpiritus quidam mineralis, cuius baſis præcipue antimonium, nec non alia ſulphura mineralia. Vide *Eſſentia quinta.*

CLYSTER & CLYSMA ſeu ENEMA, eſt medicamentum fluidum, quod per anum in inteſtina ope ſiphonis iniicitur. Clyſteres alii ſunt emollientes, & laxantes, alii detergentes, adſtringentes, alii anodyni, alii ad alias intentiones parati, a κλύζω abluo. Gr. κλυστήρ. *Clyſter* ſumitur aliquando latiori nomine, pro *metrenchyta*, *otenchyta*, &c. quæ ſuis vocabulis ſuo loco reperiuntur. G. Einſprützung, Clyſtier.

CNICVS, vocatur *Carthamus*, herba flores proferens croco ſimiles. Forte ἀπὸ τοῦ κνίζειν, quod mordere & pungere ſignificat: vel ἀπὸ τοῦ κνίσμου, quod pungendo pruriginem excitet, quod de ſylueſtri rectius, quam de ſatiuo dici poteſt. G. Wilder Saffran, Saflor.

CNIDE, eſt vrtica vrens, quia nocenti lanugine pungit, a κνάω ſcindo, ſcalpo, pruritum excito.

CNISMVS & CNESMVS, a κνάομαι ſcalpo, prurio. Vide *pruritus.*

CNISSOREGMIA, ſiue SODA, eſt ciborum ex regno animali in ventriculo debili hærentium, nec ſubactorum ſatis, adeoque in initio putredinis poſitorum, eructatio, vnde *ructus nidoroſus* dicitur: ſi autem cibi ex regno vegetabili fuerunt, adeoque ſuam ſequentes naturam, eſt in ventriculo quaſi exuſtio, & pruritus, cum eructationibus acidis, a κνάομαι prurio, & ῥήγνυμι rumpo, quia calor cum aciditate erumpere videtur. G. Hitze des Magens, Sode.

COAGVLANS, medicamentum dicitur, quod partes fluidum conſtituentes, in maſſam ſtrictam & concreſcentem mutat,

mutat, ita vt multæ ſub vna ſuperficie moneantur antea ſeparatæ: hocque facit vel exhalando diluens, vel addendo glutinans, vel partes inter ſe compingendo. G. verdickendes Mittel.

COAGVLATIO, dicitur humoris a re aliqua vel vera priuatio, vel ſaltem talis, quæ ſenſibus noſtris non apparet, vel particularum ante fluidarum in ſolidum cohærens mutatio. G. Das Gerinnen, zuſammengeloffen.

COALESCENTIA, eſt partium ſolidarum vnio, quæ antea erant diuiſæ. G. Zuſammenwachſung.

COARTICVLATIO, idem quod *Diarthroſis*.

COBALTVM, *cadmia natiua*, *foſſilis*, *metallica*, eſt minerale terreum, colore fere nigrum, æris vel argenti particeps. Foditur copioſe in Miſnia. Cauſticum eſt & erodens, adeoque inter venena habendum. G. Kobalt, Muckenpulver, quia muſcæ eius guſtu perimuntur.

COCHIA, Gr. *τὰ κοκκία.* Diminutiuum a *κόκκος*, bacca, granum. Sic veteres appellabant pilulas, vt videre licet apud ALEX. TRALLIANVM. Sunt hodieque illæ pilulæ in vſu, præſcribunturque *pilulæ Cochiæ*, vbi *ch.* more Italorum vt *c.* vel *k.* proferendum eſt. Germani vocant geſchärffete Hauptpillen. Videtur etiam apud veteres celebratum Coccum Gnidium potius habendum eſſe pro compoſita medicina, quam ſimplici aut fructu chamelææ.

COCCVS, in genere ſumitur pro omni bacca, ſed proxime refertur ad ilicis minoris baccas, quæ *grana kermes* ſeu *chermes* appellantur, & quia coccus fouet vermiculum, qui ſingulis baccis innaſci ſolet, hinc eiusmodi color vocatur *Vermeil* & *Vermillon* a verme nempe. Arabes vocant *chermes*, *kermes*, hinc *color chermeſinus* &c. G. Carmoſin, *coccineus color*.

COCCVS CNIDIVS ſeu GNIDIVS, baccæ eſſe putantur chamelææ: admodum vrentes & acres, hinc aliqui deducere volunt a *κνίω* vro, vel *κνίδη* vrtica vrens: vrticæ enim inſtar vrit, mordet, pruriginemque excitat. Pipere enim, quod calidum ſatis, calidius eſt. Sed indubium eſt a Cnido, quæ & Gnidus, Aſiæ vrbe nomen deduci, quoniam antiqui illius vrbis medici hoc genus medicinæ induxerunt. Incertum tamen eſt an has chamelææ baccas, an aliud, & forte compoſitum medicamentum debeamus intelligere. Vide *Cochia*.

COCCVS BAPHICA, idem quod *Kermes*.

COCCYMELEA, Gr. *κοκκυμηλέα*. Eſt pruni ſpecies, & quibuſdam videtur eſſe *cuculi malus*, *κόκκυξ* enim eſt cuculus,

lus, & μῆλον malus. Quia obſcurum eſt, quid cuculo cum hac arbore rei ſit, videndum an ſit quaſi prunus præcox, a κόκκυ vel κόκκυ, quod auctor etymologici & Suidas teſtantur eſſe Atticum, & deſignare *celeriter*. Heſychius exponit τὸ κόκκυ, ἐλάχιστον, rem minimam. Secundum hunc igitur idem erit, ac ſi diceres *pruneola*. Si cuculi notionem hic vellemus quærere deberet eſſe *coccygomelea*.

COCCYX, eſt oſſea compages, quæ conſtituitur ex tribus oſſiculis, rarius quatuor, quæ oſſi ſacro ſubſunt, horum ſupremum latius inferiori, ita vt caudam referant, quæ introrſum inclinata, faciliori ſeſſioni inſeruit. Dicitur & *orropygium*, *vropygium*, *Sacra ſpina*, Iſidoro, κόκκυξ, ὀῤῥοπύγιον, σπονδύλιον. G. Schwantzbeinlein.

COCHLEA, pen. corr.

Curvarum domus uda cochlearum. Phalec. *Stat. 4. Sylv. 9.*

Dictamnum bibit, & cochleæ manduntur edules. Seren. tit. concept.

COCHLEA, tertia labyrinthi pars eſt, ſtructuræ valde mirabilis, quæ veſtibulo in parte canalibus ſemicircularibus oppoſita, anteriori, interiori, faciem reſpiciente, poſitu tamen canalibus inferiore, appoſita, & pro parte continuata eſt; a Veſalio buccinæ comparatur, vulgo cochlea a ſimilitudine quam optime dicitur, teſtam enim limacis ſpirali ſua fabrica exactiſſime refert. Eſt autem canalis oſſeus, ſubſtantia oſſea, tenerrima, friabili, in auribus ſaltem exſiccatis calcinatum os referente, conſtans, latiori fere circulari baſi ſeu orificio, partim a veſtibulo, partim a feneſtra rotunda incipiens, ſenſim in progreſſu extenuatus, arctatus, tandem anguſtiſſimus, tenuiſſimus, in apicem deſinens, hinc conicus, quia circa alium conum, ſimili ſubſtantia oſſea, tenerrima, friabiliſſima, fragiliſſima conſtantem, baſin verſus cranii cauitatem, apicem vero verſus tympanum habentem, a parietibus eius ſinuoſitatis, per quam nerui auditorii portio mollis ad cochleam pertingit, efformatum, quem nucleum, modiolum, conum ſuſtentantem firmantem, appellare licet, ſpiralem in modum circumpoſitus, a baſi eius ſurſum a baſi ſua binis gyris perfectis, non libere continuatis, ſed ſibi inuicem impoſitis cohærentibus, cum vno dimidiato confectis, apice ſuo anguſtiſſimo ad modioli ſeu coni firmantis apicem perfectæ cochleæ inſtar terminatur, deſinit. Interim canalis hicce conicus, ſpiralis, diaphragma habet, ſeu ſeptum medium, ſpirali ſuo decurſu canalis ſpiralem ductum ſequens hinc *Laminæ ſpiralis* nomen non immerito ferens,

formam

formam Iſoſcelis trianguli, ſi explicetur, habens; quod iterum linea fere perpendiculari, ab apice ad baſin demiſſa, in duo triangula fere rectangula, & æqualia diſtinguitur. Horum triangulorum alterum, quod cono ſuſtentanti proximum eſt, oſſeo-cartilagineum, ſenſim verſus apicem tenueſcens, tenerum, tenue, politum, elaſticum, ab ea ſede, qua canalis modiolo adhæret, proueniens, aſſurgens, vltra medium eiusdem caui vix progreditur: alterum reſpectu coni firmantis, externum vbi præcedens oſſeum deſinit, incipiens, eique annexum, continuatum, membranaceum, tenuiſſimum, tenerrimum, colorem obſcuriorem habens, neruoſum, ad oppoſitum canalis latus a nucleo auerſum pertingens, ei annectitur, firmatur, reflectitur, euoluitur, & totam canalis huius ſuperficiem internam inueſtit, interim tenſum, elaſticum, tremulum, cum priori oſſeo non exacte idem planum formans, ſed paulo inferius declinans. Vltima hæc pars membranacea ad minimum ex binis adhuc lamellis compoſita videtur, dum ſc. quæuis binarum canalis cauitatum ſua membrana inueſtitur, quæ binæ membranæ inueſtientes etiam partem oſſeam ſepti, eam deſerunt, ſibi inuicem applicantur, & ſic formant vnam membranam, vt etiam in membrana tympani, & in variis aliis corporis locis contingit. Inter has autem adhuc videtur intercipi tertia lamella neruea, ſeu expanſio quædam neruoſa. Ope huius diaphragmatis cochleæ cauitas diuiditur in duos cuniculos cauos, fere ſemiconicos, & æquales, æque longos, ſibi inuicem incumbentes, forte non communicantes, membranis tenerrimis, neruoſis, vaſculoſis; intus inueſtitos, *ſcalas* appellatos, quarum ſcalarum ſuperior, habens ſuperficem læuiſſimam, cauitatem ſemiconico ellipticam propter defluxum partis membranoſæ ipſius ſepti, amplo & patulo orificio aperitur in veſtibulum ad anteriora oualis feneſtræ, inferior vero cauitatem ſortita magis irregulari figura donatam, nec non ſuperficiem modiolo adhærentem aſperam & inæqualem; a foramine rotundo in tympano excauata exoritur, & ab ipſa huius foraminis membrana inhærente ſtriæ, partim dimidiato margini foraminis, partim ipſi ſepto inſculptæ, occluditur. *Κόγχη Rufo. ἀςακὸς Poll.* G. Das Schneckengleiche Beinlein.

COCHLEAR, a medicis adhibetur quantitatis determinandæ cauſa. Maximum capit drachmas quatuor: magnum ſeſquidrachmam: paruum drachmam vnam; minimum drachmam ſemiſſem. G. Ein Löffel.

COCHLE-

COCHLEARIA, eſt herba antiſcorbutica, humilis, quæ habet folia ex radice erumpentia, obrotunda, mediocriter ampla, carnoſa, excauata aliquando inſtar cochlearis, viridia, ſplendentia, ſucco plena, caulibus mediocriter longis purpureis adhærentia: caules ex his naſcuntur ad altitudinem vnius circiter pedis, anguloſi, rubicundi, ramoſi, folia exigua oblonga ſine caulibus habentia: flores quadrifidi, cruciformes, & albi iuxta longitudinem ſummitatum caulium naſcentes; flori ſuccedit ſiliqua fere ſphærica ſepto medio inſtructa, cui ad latera adhæreſcunt ſemina exigua, fere rotunda, rubicunda: radix exigua recta, & fibris albis inſtructa: ista planta vel contrita habet odorem penetrantem, & ſaporem acrem; creſcit plerumque in locis maritimis: ſic vocatur a cochlearis forma, quam folia habent. G. Löffelkraut.

COCLES, quaſi vnoculus, vel κύκλωψ, quod a κύκλος circulus, & ὤψ viſus.

COCTIO, eſt aſſumtorum craſſiorum in minimas particulas redactio, cum liquidis oris & ventriculi &c. miſtio, ita vt apta euadant tranſitui per lactea, ſanguineaque vaſa & nutritioni corporis. *Prima* coctio fit in ventriculo, a fermento ibidem a reliquiis ciborum remanente, partim ab humore gaſtrico ex glandulis vaſa ſua accipientibus ab arteriis cœliacis in ventriculum affluente, & a reſpirationis motu, & ipſius ventriculi contractione, & ambientium calore ac compreſſione. *Secunda* fit in inteſtinis a bile, & ſucco pancreatico, & prioribus adminiculis. *Tertia* in glandulis meſentericis, a lympha cum Chylo ſeſe miſcente. *Quarta* in pulmonibus, a nitro aereo inſpirato, aeriſue in vaſa ſanguinea actione, dum in inſpiratione cunctis viribus in veſiculas pulmonales irruit, adeoque vaſa ſanguinea has cingentia & interpoſita miræ mutat & comprimit. *Quinta* in vaſis & viſceribus, puta liene, hepate, teſtibus virilibus &c. Impropriæ coctionis nomine indigitatur, quia coquere igni proprium eſt. Si enim calor eſſet fermentationis cauſa, quid tunc dicendum de piſcibus, aliisque in quibus calor ſenſibilis nullus ineſt. Coctio eſt proprie aſſumptorum in noſtram naturam mutatio, per vim ſolidorum & fluidorum, ſiue per actiones naturales. G. Verdäung. Pharmacopœi eodem coctionis vocabulo vtuntur in coquendis medicamentis, quæ nihil aliud eſt quam particularum quarundam, ex medicamentis, mediante ebullitione, extractio. G. Die Kochung.

COCTIO, practicis ſignificat illum ſtatum morbi, quo marteria morboſa prius cruda, per circulationem ſanguinis, vel per propriam materiæ indolem, vel per medicamenta, ſic mutatur quo ad molem, figuram, cohæſionem, mobilitatem, inertiam, vt non amplius adeo recedat a ſano ſtatu, minus ægrotum reddat corpus, & impetum morbi minuat; ſtatus ille morbi, in quo hæc ita fiunt, appellatur coctio, maturatio, vel πεπασμός.

COCVLVS INDICVS, fructus magnitudine & figura inſtar lauri baccæ, racematim pediculis hærentes, hederæ corymborum modo, ex Alexandria adferuntur. Quidam ſolani maniaci, alii clematis fructum cenſent. Dicuntur alias *baccæ leuanticæ*, *baccæ orientales*, *baccæ cotylæ*, *elephantinæ*, *cuculus indicus*. Contra pediculorum acies, vt & ad piſces capiendos, vtitur vulgus. G. Dollkörner.

CODIA, ſunt capita papaueris, ex quibus ſyrupus conficitur, ſed ſtricte: late vero ſumitur pro omni plantarum capitulo. Gr. κώδεια & κώδια. G. Mohnhäupter, Magſamenkopff.

COECVM INTESTINVM, eſt in ordine a ventriculo quartum, & craſſorum inteſtinorum primum, ſitum eſt ad os ilium dextrum, incipit, vbi inteſtinum ilium deſinit & in appendice ſiue proceſſu vermiformi finitur; valde capax, longitudo huius inteſtini non excedit latitudinem 3 vel 4 digitorum transuerſorum; ſaceuli inſtar propendens, & ab vna parte imperuium eſt. Gr. τυφλὸν ἔντερον G. Der blinde Darm.

COELIA, eſt cauitas magna, vt venter infimus, medius & ſupremus, a κοῖλος cauus. G. Höhle.

COELIACA ARTERIA, eſt quæ a trunco arteriæ magnæ oritur, ventriculo, hepati & lieni ſuis ramificationibus proſpicit. G. Die Magen Pulsader.

COELIACA PASSIO, ſiue affectio, eſt alui fluxus, in quo cibus vel in totum, vel ex parte mutatus, absque chylificatione, per anum eiicitur. Eſtque duplex, *prima* in qua cibus in ventriculo ſolummodo coquitur: *altera*, quando in ventriculo, & inteſtinis coctio ſeu fermentatio ſimul peragitur, verum propter obliterationem aut obſtructionem papillarum inteſtinalium, vel vaſorum lacteorum, ex longa nempe inedia, vel dyſenteria purulenta &c. non intrat in corpus, a κοιλία venter, aluus. G. Bauchfluß.

COELOMA, eſt vlcus cauum & rotundum, in cornea oculi tunica, a κοῖλος cauus.

COELVM, eſt cauitas oculi verſus canthum. *Cœli τροπαὶ*, ſunt aeris conſtitutiones. Cœlum etiam dicitur *palatum* anterius.

COFFE, fructuum ſpecies eſt, in Arabia Felici naſcentium, ſed nunc etiam in aliis vtriuſque Indiæ tractibus copioſe prouenientium, ex quibus toſtis & tritis, aqua feruida tinctura extrahitur, quæ ſorbillando a Turcis, Ægyptiis, Perſis aliisque nationibus ex vaſculis ebibitur. Arbor Euonymo ſimilis eſt, ſed folia craſſiora, durioraque habet, imo viridiora, & perpetuo virentia. Singuli vel plures fructus folliculis pulpoſis, caſtanei coloris includuntur. Vocatur *Coffee*, *Coffi*, *cahua*, *Bon*, *Chaoua*, vide *Bonna*.

COGGYGRIA, ita vocant aliqui *Coccymeleam*.

COHOB & COHOBIVM, COHOBATIO eſt, quando liquor deſtillatus, ſpeciebus ſuis reaffunditur, & deinceps deſtillationi exponitur; vt rurſus deſtillatus ſic viribus maioribus impraegnetur, & magis reddatur ſpirituoſus. G. Oft wiederholte Diſtillierung,

COINDICANTIA, ſunt ſigna, quæ cum aliis ſignis ſimul conſiderata, idem auxilii genus in morbis adhibendum indicant.

COLATORIVM, eſt cribrum, pannus, aut aliud quid, per quod aliquid colatur. G. Ein Seihtuch, ein Durchſchlag.

COLATIO & COLATVRA, eſt quando liquor poſt coctionem aut infuſionem, per cribrum, aut pannum percolatus eſt, & a craſſioribus particulis liberatur. G. Durchſeihung.

COLCHICVM, eſt bulbus florem auctumni initio ferens, folia habet lilii; florem liliaceum, monopetalum, ex ipſa radice ortum, tubi tenuiſſimi forma, in ſex partes ſenſim ampliati; piſtillum autem e fundo floris ſurgit, in capillamenta tenuia deſinens, abitque in fructum oblongum, trigonum, trilocularem, fœtum ſeminibus ſubrotundis: radix eſt gemina, tuberoſa, rotunda, auellanæ magnitudine, compreſſa, albida, carnoſa, quarum vna exterior elapſi anni ſterilis, marceſcens; altera in fibras porrecta, intra priorem latens, eodem inuolucro membranaceo inuoluta: ſaporis, dum recens eſt hæc planta, acerrimi, dum annoſa, ſubdulcis farinacei paullulum viſcoſi vel lenti, odoris nullius; creſcit hæc planta in pratis & montibus, bulbus dicitur eſſe venenoſus, a Colchide veneni ferace, in qua naſcitur, nomen ſumſit. Gr. ἐφήμερον, aliqui hermodactylum vocant. G. Zeitloſen, wild Saffran.

COLCOTHAR, vox Arabica, penult. prod. ob poſitionem, quia *Auicennæ* vocatur kolkhotthar, cuius [prima] initia haud dubie a Græcorum chalcitis, profluxere. Colcothar, eſt

illud corpus ſiccum & terreſtre, quod poſt deſtillationes validas in vaſis remanet, vulgo *Caput mortuum*, & proprie intelligitur de vitriolo. G. Der Todtenkopff.

COLES, COLIS. Idem quod *penis*.

COLICA PASSIO, idem quod *Colicus dolor*.

COLICVS DOLOR, eſt dolor acutus in inteſtinis craſſis potiſſimum ſedem habens, oriundus a quacunque cauſa, quæ fibras neruoſas inteſtinorum valde diſtendit, erodit, comprimit, ſoluit: a colo inteſtino nomen habet, ſed immerito, quia in omni inteſtinorum loco reperiri ſolet: eſt vero maior aut minor; continuus aut intermittens, & ſæpe habens ſtatas periodos, murmura ventris, & punctiones vel vagas vel fixas; aluus plerumque ſuppreſſa eſt, vel flatibus plena. Interdum eructatio & vomitus vrgent, & febris, vel inquietudines, & vrinæ quoque ſuppreſſio. Quod ſi diuturnus, fixus & vehemens fuerit, ei ſolet denique remittenti paralyſis artuum, quæ proprie pareſis vocatur, ſuperuenire. Nomen antiquitus ſortitus eſt a Græco κῶλον, quod inteſtinum denotat. G. Das Bauchgrimmen, Bauchwehe, Colick, Darmgicht, Darmwinde.

COLLA, eſt GLVTEN, Gr. κόλλα. G. Leim, Kleiſter.

COLLATITIVM, eſt caro cocta vel aſſata pulli aut caponis, quæ in mortario tunditur, tuſa iuri veruecino admiſcetur, quæ ægris cum omphacio aut Limonum ſucco propinatur, forte ex κόλλα gluten.

COLLETICA, ſunt medimenta conglutinantia, vt *ſarcotica*, a κολλάω glutino. Gr. κολλητικά.

COLLICIÆ, ſunt *Lachrymalium punctorum* in vnum ductum concurſus, humorem palpebrarum in narium caua deriuantes, in homine ipſis ciliorum apicibus ad canthum maiorem inſculpta foramina, breues demittunt canaliculos, demonſtratu difficiles, niſi caute diffractis narium oſſibus, tunicæ relinquantur integræ, mox enim vbi oſſa penetrauerint (quouſque tenui ſeparantur membrana) in ſinum ampliati narium continuantur tunicæ. In oue, lepore, vitulo, cuniculo, non in ipſis ciliis, ſed interius paulo eadem reperiuntur oſtia, quæ profundius in auibus quærenda, vbi quam in vllo alio genere longe maiora, receptum maiorem ſtylum per palati rimam emittunt: breuis hic admodum, quæ foramina diſtinguit, membrana. G. Thränenlöcher.

COLLIQVAMENTVM, eſt liquidum in ouo humano vel animali contentum, quod fotu vel incubatu fluidiſſimum, tenuiſſimum, pellucidiſſimum factum eſt, ita vt eo rudimen-

tum animale innatans nutriri poſſit: hinc in ouis animalium membranaceus ſacculus rudimentum ambiens, in quo hæret hoc liquidum, vocatur ſacculus colliquamenti.

COLLVM, eſt illa pars corporis, quæ inter caput & pectus media eſt, & ſuſtentat caput. Conſtat ex ſeptem vertebris, muſculis, arteriis carotidibus, venis iugularibus &c. Anterior pars tantum dicitur *Collum*, poſterior vero *Ceruix*. G. Der Halß. Sic *Collum Vteri*, eſt media pars inter fundum vteri & eius os. G. Der Halß, Mund der Bärmutter.

COLLVTIO, eſt oris ablutio, qua dentes vacillantes, vel qua gingiuas, & vlcera detergimus. G. Außſpülung.

COLLYRIVM, quondam erat medicamentum ſiccum, oblongum, quod præcipue in oculorum affectibus ſumebatur. In oblonga vero, nonnunquam orbiculari forma paratur, & vſus tempore vehiculo conuenienti diſſoluitur, aut intra fiſtulas & caua vlcera immittitur. Diſtingunt aliqui inter κολλύριον & κολούρια, atque hoc vltimo deſignari putant, quæ vlceri immittuntur oblonga forma. G. Wiecken: prius medicamenti genus paſtillis ſimillimum, a κολλύρα, panis ſpecie, denominatum videtur. G. Augenartzney.

COLOBOMA, Gr. κολόβωμα. Vocatur quicquid curtum vel mutilatum eſt in quauis parte, ſed præcipue in labiis naribus, auribus. A κολοβόω, mutilo, decurto.

COLOCASIA, eſt planta aquatica, caulem habens quinque vel ſex pedes altum, digiti craſſitie: folia ſunt ampla, rotunda, in parte inferiori neruoſa, longis & craſſis caulibus adhærentia, ſuccum aquoſum & viſcoſum habentia, læuia, pedunculo in vmbilicum folii inſerto, finis pedunculi dat calicem monophyllum membranaceum, infra cauum, turgentem in oualem figuram, ſupra in vaginam acutam, ſemipatulam, inſtar auris ouillæ explicatam, ex imo fundo calicis axis eſt, cui circumnaſcuntur multa oua ſphærica, baccata, ſingula inſtructa ſunt tuba longa, tenui, filamenti inſtar, gerentia vnum vel alterum ſemen ſubrotundum. Eidem axi ſupra hæc oua circumcreſcunt ſtamina maſculina denſe ſtipata, ſuis teſticulis inſtructa: denique ſupra hæc iterum tertia ſeries filamentis numeroſis eundem axim ornat, qui tum fermat pedunculum graciliorem purpureum. Ille denique eminens in clauam longam, nigram plerumque abit: radix eſt tuberoſa, craſſa, carnoſa, farinoſa, edulis, ſaporis caſtaneæ. Creſcit hæc planta in lacubus & paludibus, præſertim in Aegypto circa Alexandriam: putatur eſſe arum Aegyptium.

COLOCYNTHIS, idis. pen. genitiui corripitur.

Æquora juſſiſti ſucco colocynthida amaro. Mant. 6. Faſt.

Colocynthis, eſt citrulli ſpecies, amariſſima; quæ habet plures caules repentes, villoſos, aſperos, folia caulibus ſatis longis adhærentia, a ſe inuicem ſatis diſtantia, ampla, profunde inciſa, villoſa, aſpera, albeſcentia, inprimis in parte inferiori, punctis plurimis albis notata: flores flaui, palleſcentes. Flori ſuccedit fructus læuis, amarus, rotundus, non edulis, pugni magnitudine, ex flauo viridis, occludens ſub cortice tenui, polito & ſplendente medullam candidam, fungoſam, leuem; & ſemina in cellulis parua, compreſſa, oblonga, cucumeracea, quaſi ſordida, albicantia, ſaporis, quod mirum eſt, non amari. Creſcit hæc planta in tractibus orientalibus. Fructus aduehitur nobis cortice denudatus, & tunc albidi eſt coloris; ex Italia, Hiſpania, Gallia &c. Eſtque maior & minor, rotunda, quæ in vſu eſt, oblonga, pyriformis, pomiformis, ſemina quoque continet plurima. Vehementer purgat. G. Κολοκυνθὶς cucurbitam ſignificans paruam. Vide *Cucurbita*. Arab. *Alhandal.* G. Coloquinth.

COLON, eſt craſſorum inteſtinorum ſecundum; eius ſitus ſic ſe habet. In dextro ilio a cæco inteſtino oritur, & reni dextro adhæret; deinde ſurſum reflectitur ſub hepate, vbi folliculo fellis nonnunquam annectitur, a quo luteo colore inficitur; vlterius pergit transuerſim ſub fundo ventriculi, & a ſiniſtris lieni iungitur, deinde reni ſiniſtro alligatur, vbi gyros habet admodum obliquos, & inde in rectum recta deſinit. *Longum* eſt plerumque palmas octo vel nouem, latiſſimum vero & ampliſſimum omnium. *Cellulas* habet multas. Ligamentum quoddam, medii digiti latitudine, per eius medium parte ſuperna intexitur, deinde ob amplitudinem duo ligamenta fortia habet, vnum ſurſum, alterum vero deorſum, vt ſupernis & infernis partibus alligetur. Circa initium habet valvulam, ſurſum ſpectantem, ne ſc. ex craſſioribus inteſtinis in tenuia aliquid remeet. Gr. κῶλον, ἡ κάτω κοιλία RVFO, POLL. νειαίρη HOM. G. Der groſſe Darm.

COLON, Gr. κῶλον, vide *Membrum.*

COLPHONIA, pen. corr.

Quæ Colophoniaco Scyllæ dicuntur Homero. Virg. in Cir.

[illegible] *nec origine gentis*

Clara, ſed ante fuit pater huic Colophonius idmon. Ovid. Metam. 6.

Colophonia pix dicitur, quod ex Colophone vrbe olim aduehebatur. Eſt ſubſiſtantia oleaginoſa, flaueſcens, arida ac friabilis,

residua

reſidua ex reſinis abietina, ſtrobilinaque coctione dum purgantur, vel deſtillantur, inſpiſſatis ac frigore induratis; ſi in puluerem redigatur, & puluis per candelam accenſam diſpergatur, flammam concipit, & fulgur repræſentat. Vocatur & Pix Græca. G. Spiegelhartz, Colophonie.

COLOSTRVM, dicitur lac primum, quod poſt partum in mammis colligitur, tenuius & acidius, facillime coagulatur. G. Bieſt.

COLPVS, idem quod *Sinus*.

COLVBRINA, eſt ari ſpecies, *ſerpentaria* dicta, idque ob ſerpentinum, ſiue colubrinum colorem, quem habet caulis. Vide *Dracontia*. Eodem quoque nomine inſignitur *biſtorta*.

COLVBRINVM LIGNVM, ſiue SERPENTARIVM, proprie radix eſt arboris Timorenſis, admodum amara, colore fuſco. Vtuntur aduerſus colubri morſus; medetur & febricitantibus. Naſcuntur in *Zeilon* tres ſpecies. G. Schlangenholtz.

COLVM, eſt omne illud, per quod, ad liquorum depurationem, aliquid colatur & transmittitur, vt cribrum, manica Hippocratis, linteum, papyrus bibula, &c. G. Ein Durchſchlag, ein Seihtuch.

COLVMELLA, idem quod *Cion*.

COLVMNÆ CORDIS, ſunt carneæ & rubræ eminentiæ in auriculis & ventriculis cordis conſpicuæ, quæ ſunt totidem quaſi muſculi, cauitates inæquales reddentes, vt ſanguis his quaſi manibus, dum cor contrahitur, confringatur, & ſeparetur. G. Hertzſenaderlein.

COLVMNA NASI, eſt naſi pars carnoſa in medio prominens: labio ſuperiori vicina. G. Die Naſenſäule.

COLVMNA ORIS, idem quod *Cion*.

COLVMELLARES DENTES, vide *Dentes*.

COLVTEA, eſt arbuſcula, cuius lignum intus cauum, fere inſtar ſambuci, ſed durius, & non medulloſum, duplici cortice obductum, ſuperius cinereo, inferius viridi: folia nouem aut vndecim vni coſtæ adhærentia, ſennam referentia, ſed maiora, molliora, & magis ſubrotunda, obtuſa, in ſuperiori parte polita, & magis viridia quam ſennæ, albeſcentia & villoſa in parte inferiori, ſaporis amari: flores ſunt leguminoſi, coloris flaui, in ſpicam congeſti: flori ſuccedit ſiliqua membranoſa inſtar veſicæ inflata, polita, plerumque rubicunda, in duas partes dehiſcens; continens ſemina reniformia, flaua, poſt

maturitatem fere nigra, ſaporis piſi. Dicitur etiam ſenna ſpuria vel ſenna pauperum. G. Welſchſennebaum, Welſche Linſen.

COMA, eſt in plantis, quidquid hilari venuſtate crinium modo, ſumma ramorum vel colliculorum exornat. Vide *Summitates*.

COMA SOMNOLENTVM, eſt ſopor lethargo minor, ſine febre, in quo æger excitatus ad interrogata reſpondet; & ſtatim in profundum ſomnum relabitur, ore hiante & maxilla inferiori demiſſa, mortuis ſimilior quam viuis decumbit. *Cauſa* eſt obſtructio cerebri cum nempe viſcida illuuies anfractuum ſiue gyrorum cortices, vna cum minoribus medullæ incluſæ riuulis inuaſerit. Idem eſt quod *Cataphora*. G. Schlaffſucht.

COMA VIGIL, ſiue AGRYPNIA, eſt morbus, in quo ægri continuo ad ſomnum procliues ſunt, attamen vix dormire poſſunt, cum immani capitis grauedine, ſenſuum & omnium motuum torpore, quibus non raro delirium accedit. Ob inſomnia, imagines & velut ſpectra, quæ imaginationi indeſinenter obiiciuntur, excitantur. Hinc ſi eos excitaueris, oculos attollunt; & torue te aſpiciunt, ſæpe inſomnia ſua narrant, mox ad ſomnum ſe rurſus reponunt, ſubinde ſeſe iactant, erigunt, moxque relabuntur; adeo vt *coma vigil* ſit ſtatus medius inter lethargum & phrenitidem, ideoque *typhomania* dicitur. Gr. ἄγρυπνον κῶμα. G. Wachende Schlaffſucht.

COMARVS, vide *arbutus*.

COMBVSTIO, vide *ignis actualis*.

COMITIALIS MORBVS, idem quod *Epilepſia*.

COMPLEXI MORBI, ſunt, qui ita inuicem comitantur, ut vnus absque altero eſſe non poſſit; vt pleuritis & febris. G. Zuſammengefügte Kranckheiten.

COMPLEXI MVSCVLI, pertinent ad occiput. Ortum habent a ſeptimæ colli & quinque thoracis vertebrarum ſuperiorum transverſis proceſſibus; qui variis occipiti tendinum radiis atque carneis vinculis affiguntur.

COMPLEXIO, vulgo pro temperamento habetur; alias dicitur de morbis complexis & complicatis, item de febribus diuerſo tempore inuadentibus. Sic & pulſuum differentium, varia coitio inter complectiones recenſentur. G. Complexion, Geſtaltniß.

COMPLICATI MORBI, ſunt quando diuerſi morbi in vno ſubiecto concurrunt, exempli gr. ſi vulneri capitis adſint cranium fractum, meninx læſa, cerebrum vulneratum &c. G. Zuſammengewickelte Kranckheiten.

COM-

COMPOSITA, ſunt medicamenta, quæ ex variis ſimplicibus medicamentis parantur; vt ſunt aquæ quædam, ſyrupi, electuaria, opiata, trochiſci, vnguenta, emplaſtra, &c. quæ in vulgaribus officinis proſtant. Sunt etiam quædam chymica, vt varii ſpiritus, ſalia volatilia oleoſa, tincturæ, balſama, eſſentiæ, pulueres &c. G. Vermiſchte, vermengte Artzeney.

COMPOSITIO, eſt, cum varia medicamenta inuicem miſcentur, vt in theriaca & mithridatio. G. Vermiſchung.

COMPRESSIVA MEDICINA, dicitur *Auicennæ* ſicca, membro ſiccitatem inducens, obturando tranſitus & meatus. Et ex fortitudine compreſſionis & coadunationis partium membri ad inuicem, coguntur humiditates ſubtiles, in eius concauitatibus permanentes, exprimi violenter ex motu eius oppoſito.

CONARIVM, ſiue GLANDVLA PINEALIS, in cerebri plexu chorioide pendet, a coni ſeu turbinis forma ſic dicta. Collocatur inter thalamos neruorum opticorum & natium prominentias. Hanc animæ ſedem eſſe, aut principes facultates ab eadem oriri, CARTESIO viſum fuit: ſed vix credimus, quoniam animalia, quæ imaginatione, memoria, aliisque ſuperioribus animæ potentiis fere in totum deſtitui videntur, hanc glandulam ſatis amplam atque auguſtam habent. Senſorium itaque conſtitui debet, vbi & nerui oriundi ſunt. *Vſus* eſt humores ſeroſos, a ſanguine arterioſo depoſitos, excipere, & in ſe retinere; donec aut venæ depletiores factæ, eosdem reſorbeant, aut lymphæductus (ſi qui adfuerint) eos extra conuehant. Doctiſſ. F. BAYLE, de vſu tamen eius dubitat, cum dicit: quis ſit verus illius glandulæ vſus, non eſt ita facile ſtatutu; quum in variis cerebris hominum, boum, ouium ſemper deprehenderim glandulam illam manifeſta ſalſedine atque ſatis acri eſſe imbutam, ſuſpicor in ea ſalem aliquem volatilem a ſanguine ſeparari, ſali volatili armoniaco analogum, qui in caudicem medullæ ſpinalis diffuſus, vigorem addit ſpiritibus animalibus & eorum coagulationem impedit, a κῶνος, meta, turbo.

CONCAVATIO, idem quod *Arcuatio.*

CONCENTRATIO & CONCENTRANTIA MEDICAMENTA, ſunt ea, quibus acidum ita temperatur, additione alcali, vt nullum eorum prædominetur: vt in tartaro vitriolato. Vnde dicitur humores concentrare quando acidum ſuperfluum ab alcali ſubiugatur. Vide *Abſorbentia.*

CONCEPTVS & CONCEPTIO, eſt quando poſt fœcundum concubitum, ouum ex ouariis fæmininis abreptum, per tubas Fallopianas delatum, a ſemine maris fœcundatum, & & in vterum maternum illapſum fuerit. G. Empfångniß.

CONCHA, eſt auriculæ externæ cauitas maxima in ipſius medio ſita, coarctata & portione helicis, anthelicis, trago, & antitrago terminata, figuræ fere elliptico-hemiſphæricæ, diuiditur iterum quaſi in binas cauitates, nimirum ſuperiorem minorem, *cymbam* dictam, & inferiorem maiorem, *innominatam* vocatam: diſtincta eſt ope eminentiæ cuiusdam, quæ ad helicis exortum incipiens, ad oppoſitum conchæ latus perueniens, terminatur & euaneſcit in ſua cauitate maiori & inferiori, foramen auris format, ſiue oſtium meatus auditorii. G. Muſchel der Ohren.

CONCRETIO, eſt liquidæ alicuius ſubſtantiæ, aut ſucci in maſſam ſolidiorem condenſatio, vt abſinthii ſucus condenſatus, ſuccus glycyrrhizæ, acaciæ, hypociſtidis &c. G. Dickmachung.

CONDENSANTIA, ſunt quæ moles ſolidiores cuiusque particulæ fluidum conſtituentis, magis in contractus immediatos comprimunt, adeoque ſolidiores faciunt. G. Verdickende Mittel.

CONDITVM & CONDITVRA, a *condire*, eſt compoſitio, e conſeruis, pulueribus, ſpeciebus aromaticis, cum ſyrupo conuenienti in electuarii formam redactis. Sumitur etiam pro medicamento ſimplici, ſaccharo vel melle condito: vt zingiber, helenium &c. conditum. G. Eingemachte Sachen.

CONDVCTOR, eſt inſtrumentum argenteum, vel orichalceum, cauum, quod veſicæ immittitur, & viam alii inſtrumento itinerario monſtrat ad extrahendum calculum. G. Wegweiſer.

CONDYLOMA & CONDYLVS, eſt articulorum iunctura, vt in maxilla, ſiue nodus, aut oſſium internodia. Item proceſſus maxillæ inferioris retuſus, qui mediante membranoſo ligamento, interuentu cartilaginis mediæ, mobilis, oſſis iugalis proceſſui coarticulatur. Item tumor quidam calloſus in digitis manuum aut pedum, præſertim vero circa anum & pudenda muliebria; tuberculum nimirum durum; & occalleſcens ex humoribus, ibidem reſtagnantibus, ſenſim excreſcens, & tædio potius plerumque, quam dolore moleſtum. Interdum quoque inflammationem coniunctam habet, a κόνδυλ☉ digiti articulus. G. Feigwartzen, harter Knochen.

CON-

CONFECTA, vocantur res (vt ſemina, amygdala, nuces pini, cinamomum, &c.) ſaccharo ſicco obductæ, & incruſtatæ. G. Confect, mit Zucker eingemacht.

CONFECTIO, eſt compoſitio ex pulueribus, gummi, ſaccharo, melle, ſyrupis &c. in vnam maſſam coniuncta: eſtque duplex; arida, vt trochiſci, tabellæ: vel humida, vt opiata, condita, conſeruæ, & omnis generis Antidota. G. Mit Zucker vermiſchte Artzneyen, eine Conſerve, Lattwerge.

CONFORMATIO, eſt illa conditio partium firmarum corporis animalis, qua in ſtatu ſano & naturali gaudent omnibus requiſitis, vt *numero*, *magnitudine*, *figura*, *cauitate*, *ſuperficie*, & *ſitu*. vel qua in ſtatu morboſo & præternaturali his ſex vel abundant vel priuantur. G. Rechte Geſtalt.

CONFORTATIVVM & CONFORTANTIA idem quod *Cardiacum*.

CONGELATIO, eſt quando liquores in maſſam, glaciei ſimilem, rediguntur, vt ſunt omnes ſalium *cryſtali*. G. Cryſtallmachung. Ita vocatur etiam *Catalepſis*, quia homines quaſi congelati ſunt.

CONGIVS, eſt menſura veterum continens decem vini libras, & nouem olei.

CONGLOBATA GLANDVLA, eſt glandula rotunda per ſe ſubſiſtens, ſimplex, vt ſunt glandulæ meſenterii & & cæteræ omnes, quæ lympham accipiunt, & iterum eructant in alueos magnos, vel in ſanguinem, vel extra corpus, ab A. NVCK *muſcoſa* appellata. G. Runde Drüſen.

CONGLOMERATA GLANDVLA, eſt, quæ ex variis conglobatis glandulis eſt coagmentata, ſeu conglomerata, & per vaſa communia adunata, vnaque omnibus communi membrana connexa; huic vnum plerumque commune emiſſarium eſt, quod excipit humorem ex cunctis emiſſariis partium immiſſum, eum colligit, & in cauum aliquod maius effundit. Tales ſunt innominata oculi, parotis, pancreas, glandulæ ſaliuales &c. quæ ductum habent proprium excretorium, vt ſunt ductus pancreaticus, ſaliuales &c. in quem omnes glandulæ per canaliculos minimos ſuum humorem effundunt, a NVCKIO *vaſculoſa* vocatur. G. Zuſammengeſetzte Drüſen.

CONISTERIVM, eſt fornacis *cinerarium*, ſiue locus infimus in quo cineres colliguntur. Ex κόνις cinis, puluis. G. Das Aſchenloch.

CONIZA, vel CONYZA, eſt planta, quæ habet caules tres vel quatuor pedes altos, coloris obſcuri, villoſos, la-

nuginem albeſcentem habentes, ramoſos: folia verbaſcum nigrum referunt, ſed minora, adorata, acria, & parum amara: flos ex meris floſculis compoſitus, multifidis, embryoni inſidentibus, & calice ſquammoſo plerumque cylindraceo comprehenſis. Embryo autem deinde abit in ſemina papposa: radix diuiſa, lignoſa, odora, amara & acris. Creſcit hæc planta in montibus & ſyluis. Sic dici volunt, a κονίζειν quod puluere fœdetur, qui ob exſudantem pinguedinem foliis facile adhæret. Donnerwurtz, Dürrwurtz.

CONIVNCTIVA TVNICA, vide *Adnata.*

CONOIDES, vide *conarium.*

CONQVASSATIO, eſt quando vegetabilia ſucculenta, vel fructus recentes, qui ad ſuccum exprimendum expetuntur, piſtillo craſſiuſcule contunduntur.

CONSENSVS, fit in morbo, ab alio morbo dependens, vt in pleuritide læditur ob conſenſum reſpiratio. Item, eſt *correſpondentia* variarum partium per connexiones communes, neruorum ſc. & tendinum. G. Mittleyden, Sympathie.

CONSERVA, eſt compoſitio, qua quoduis vegetabile recens minutiſſime conciſum, aut contuſum ſaccharoque permixtum, futuro vſui medico aſſeruatur. G. Eine Conſerve.

CONSILIGO, eius plantæ nomen a ruſticis creditur inditum, quod in aruis inter ſiliginem frequentiſſime inueniatur. Vocant hodie elleborum nigrum Hippocratis, ſed eſt aconiti ſpecies.

CONSOLIDA, eſt ſymphytum, quæ planta officinalis, & valde mucilaginoſa, hinc conglutinans egregie partes: a conſolidandis vulneribus nomen habet. G. Wallwurtz, Beinwell.

CONSISTENTIA, dicitur, cum res aliquatenus ad certam craſſitiem coquitur; vt in ſyrupis coquendis aliiſque euaporandis fieri ſolet. G. Dickmachen.

CONSOLIDANTIA, ſunt, quæ in vulneribus acres humores temperant; ſordesque detergendo, efficiunt, vt alimentum in partem ſolutam commode impellatur, & ſic ſolida concreſcant. G. Heilende Mittel.

CONSTIPANTIA, medicamenta ſunt, quæ vaſorum emiſſaria ita obſtruere poſſunt, vt fluxus vitalis per illa intercipiatur; aguntque vel externe vaſi inhærendo, adeoque id comprimendo, vel quatenus vaſa intrant, ſeſe eorum lateribus applicant, atque ſic infarciunt. Stopffende Mittel.

CON-

CONSTITVTIO, idem quod *Cataſtaſis*.

CONSTRICTORES MVSCVLI, ſunt qui partem conſtringunt & coarctant. Vide *ſphincter*.

CONSVMMATVM, IVSCVLVM CONSVMMATVM, eſt quando alicuius gallinæ minutim conſciſſe ſuccus, in vaſe bene obturato, ſine additione, per B.M. extrahitur; demptis ſolummodo capite, pedibus & pinguedine. Vocantur autem hodie ſic iuſcula quarumuis carnium diu in aqua cocta, & in gelatinam redacta, in hunc ſcopum, vt debiles citius & magis nutriant, quam ſi darentur iuſcula tenuia. G. Conſumat, Kraftbrühe.

CONTAGIVM, eſt venenum, quod ab vno ſubiecto propagatur in aliud: hoc dupliciter contingit, ad diſtantiam, per aerem, quod dicunt contactum virtualem, vel ſimplici & phyſico contactu. G. Anſteckende Kranckheit, eine Seuche.

CONTEMPLABILES DIES, vide *Critici dies*.

CONTINENS CAVSA, Gr. συνεχὴς, eſt cauſa morbi interna, quæ ita morbo proxime adhæret, vt ea poſita, morbus ponatur, ſublata tollatur.

CONTINENS FEBRIS, eſt, quæ ſine intermiſſionis, aut remiſſionis tempore, aſſidue affligit. Eſtque duplex; primaria, aut ſecundaria: *primaria* oritur a ſanguinis circulatione nimis euecta & exaltata, vt in cauſo, pleuritide, agina &c. *Secundaria* vero ſeu *ſymptomatica*, producitur ex vulneribus, velceribus, &c. vt in phthiſi, vulneribus capitis, &c. G. Ein unaufhörendes Fieber.

CONTINVA FEBRIS, eſt, quæ continuo quidem affligit, ſed cum remiſſionis & exacerbationis tempore: Eſtque *quotidiana*, *tertiana*, *quartana*, & *erratica*. G. Das anhaltende Fieber.

CONTORSIO, eſt quando membrum aliquod ſeparatur a iunctura ſua, ſeparatione non completa, ita vt partes extra naturalem locum recedant. Ita in ſpecie *contorſio* eſt luxatio vertebrarum dorſi in latus aliquod, & ita ſpecies gibboſitatis eſt.

CONTRACTVRA, ſic vocatur alicuius partis, pedis, manus, cubiti, dorſi &c. contractio ſenſim facta, vnde flexio impeditur, aut non niſi cum dolore, & vi quadam peragitur. Habet ſæpe contorſionem in malam figuram, vt in gibboſis, & pumilionibus; atque ad illam figuram non niſi lente peruenitur, ſæpe atrophia antecedit, inflammatio etiam, & abſceſſus vel vulnus, vel vlcus, imo paralyſis nonnunquam coniungitur, & dum in vno loco contractura fit, cum eminenti tumore ac figura

figura membri peruerſa, in alio fit depreſſio. Demum hæc conuulſio eſt, quæ oſſa non modo e ſedibus ſuis dislocat, ſed aliquando mirum in modum reflectit, incuruatque, vnde in vicinis carnibus plerumque macies fit, ſeu atrophia, vbi hac laborantes muſculi, cum ad reſiſtendum ſatis validi non ſint, efficiunt, vt antagoniſtæ fortiores contrahantur, & contracti remaneant. Gr. ἀγκύλη, ἀγκυλοῦσθαι incuruari. G. Das ſpannen, Zuſammenziehen, Contractur.

CONTRAFISSVRA, eſt quando quis ceciderit in pauimentum læua cranii parte, inque oppoſita parte fiſſura reperiatur; triplex eſſe perhibetur: 1. in eodem oſſe, quando pars ſuperior eſt læſa, & inferior fracta. 2. in diuerſo oſſe, cum poſt caſum in occiput, coronale os frangitur. 3. in diuerſa tabula, quando ſuperior eſt læſa, & ſecunda frangitur. Sed num detur contrafiſſura apud principes medicos lis eſt. G. Ein Gegenbruch.

CONTRAHENTIA, medicamenta ſunt, quæ puncta diſtantia ab inuicem ſolidæ fibræ motricis in propiorem adigunt contactum & cohæſionem, ſic vt inde fibra ſolidior, durior, firmiorque euadat; atque proinde tota ſolidorum compago, ex fibris meris compoſita, cui hæc medicamenta applicantur. G. Zuſammenziehende Mittel.

CONTRAINDICATIO, vide *Antendeixis*.

CONTRAYERVA, eſt radix, vndique verrucoſa, & aſpera, oblonga, tenuis, foris colore rubro, intus albido, odoris aromatici, ſaporis nonnihil adſtringentis, penetrantis, ſatis acris, aromatici, amari, inprimis ſi radix vegeta, tum habet acrimoniam aromaticam ſatis magnam; iridis vel cyperi radicibus non abſimilis; hæc annis abhinc aliquot ex prouincia Peruuiana Charcas apportari cœpit. Ex Latino *contra* & Hiſpanico vocabulo *yerua*, quaſi diceres contra venenum: Drakena apellata fuit a Cluſio in honorem F. DRAKE, qui primus dicitur hanc radicem inueniſſe, & in Europam adportaſſe; nondum conſtat, cuius plantæ radicula ſit; datur aduerſus venena, & ſudorem mouet. Dicitur & *Radix yerua, bezoartica, Cyperus odorus peruuianus, Drakena &c*, G. Gifftwurtzel.

CONTVSIO OSSIS, eſt, cum inſtrumento quodam duro & obtuſo os ita læditur, vt externe integrum videatur, cum tameu verſus interiora a toto ſeparatum ſit. G. θλάσις & θλάσμα. G. Zerſtoſſung, Zerknirſchnng.

CONVOLVVLVS, idem quod *Voluulus*.

CONVOLVVLVS & CONVOLVVLVM, ſeu SMILAX. Sic etiam proprie vocantur duæ plantarum ſpecies, quarum vna conuoluulus maior, altera minor: prior eſt planta, quæ habet caules longos, tenues, ſarmentoſos, ſcandentes, & omnia apprehendentes: folia hederam terreſtrem referunt, ſed molliora & maiora, viridia, acuta: flores monopetali, campaniformes, ad ora expanſi, coloris albi; ex floris calice ſurgit piſtillum, infimæ floris parti ad inſtar claui infixum, quod deinde abit in fructum ſubrotundum, membranaceum, ipſo calice plerumque inuolutum, modo vnicapſularem, & ſeminibus fœtum angulofis, nigricantibus, vel aliquando rubicundis. Radix exigua, longa, intus alba: hæc planta eſt amara & acris: illud nomen imponitur omnibus plantis, quæ ſeſe adſtantibus arboribus, ſtipitibus &c. circumuoluunt, iiſque adhærent. Vide *Helxine ciſſampelos.*

CONVS, Græcis vel *pyramis*, eſt inuerſus turbo in plantis, hoc eſt, id quod ex latitudine in arctius protrahitur ac faſtigiatur, cui calathus contrarius, vt diximus, exiſtit.

CONVS FVSORIVS, ſeu PYRAMIS, eſt crucibuli ſpecies, ex lato in anguſtum abiens, ex ferro alioue metallo coflata, cuius ope reguli plerumque ſeparantur a ſcoriis. Dum enim liquatum minerale huic infunditur, concutitur malleolo conus vt tremiſcat, tum partes grauiores cadunt ad fundum, & leuiores, vt ſunt ſcoriæ, ſupernatant. G. Gieſpuckel.

CONVVLSIO, eſt contractio muſculi, vel fibrarum verſus principium, violenta, nunc deſinens, nunc renata, aliquandiu perſeuerans, vnde eam accipere oportet, tam in muſculis maioribus quam minoribus, ſiue fibris. Dicitur quoque *ſpaſmus*; ſed hic tamen aliquomodo differt, cum ſit perpetua tenſio absque remiſſione: neque opus eſt cum ſcholis addere *inuoluntariam* eſſe conuulſionem, quia decet conuulſionem etiam ad fibras illas contractas referre, in quibus nunquam *motus voluntarius* exiſtit, adeoque etiam nullus præter aut contra voluntatem. Eſtque *vniuerſalis*, quæ ad plures & præcipuos muſculos, qui corporis machinam ſuſtinent & mouent, vna vice extenditur; vel *particularis*, quæ in vno tantum vel pluribus vnius membri muſculis contingit, & ſæpe comitem habet paralyſin. Gr. Σπασμὸς. G. Der Krampf, krampfhafte Ziehung und Dehnung.

CONVVLSIVVS MOTVS, vide *motus conuulſiuus*

CONYZA, vide *Coniza.*

COPAL GVMMI, eſt reſina duriuſcula, admodum candida, vel ex albo flaueſcens, pellucida, bene odorata, in maſſam redacta: adfertur ex India occidentali, ſiue Noua Hiſpania, vbi ex vulnerata arbore guttatim ſtillat. Aliquantulum odoris ſpirat. Sunt duæ ſpecies, altera *Xolocb copalli* dicitur, altera *Copal Cahuitbl.*

COPAYVÆ BALSAMVM, ſeu COPAL YVÆ OLEVM, colligitur ex arbore balſamifera Braſilienſi fructu monoſpermo, cuius caudex terebra perforatur, ex quo foramine inſtar terebinthinæ deſtillat, & quidem tanta copia, vt ferunt, vt ſpatio trium horarum duodecim libræ colligi poſſint, vulnus obducitur poſtmodum cera aut argilla, & quando poſt quindecim dierum ſpatium rurſus adaperitur, maiori adhuc in copia defluit. Arbor naſcitur in Braſilia. Lignum habet rubrum; folia obrotunda, quatuor aut quinque digitos longa, duos vel tres cum ſemiſſe lata; florem fert mediocrem, quinque foliis obrotundis conſtantem. Fructus illi eſt ſiliqua obrotunda, vel vt Piſo, inſtar baccæ lauri, qui ab incolis comeditur.

COPHOSIS, Gr. κώφωσις, eſt aurium ſurditas vel incipiens, vel perfecta, a quauis cauſa orta, qua impeditur vel tollitur ſonorum delatio ad ſenſorium commune, fitque plerumque ab obſtructione meatus auris, relaxatione, ruptura, inflammatione & incraſſatione membranæ tympani; concretione tubæ Euſtachianæ, muſculorum oſſiculis adhærentium paralyſi, nerui acuſtici compreſſione &c. a κωφόω ſurdus ſum. G. Taubheit.

COPOS, Gr. κόπος, eſt corporis laſſitudo, quando muſculorum vaſcula minima humoribus viſcidis aggrauantur, & obſtruuntur, & ſpiritus animales in cerebro deſunt; adeoque nec in muſculos determinantur, ita vt motibus obeundis inepti, & pigri euadant. G. Müdigkeit.

COPROCRITICA, ſunt medicamenta, quæ fæces aluinas ſubducunt & euacuant, ex κόπρος ſtercus, & κρίνω cerno.

COPROPHORIA, idem quod *purgatio*, ex κόπρος ſtercus & φορέω fero, geſto.

COPROSTASIA, eſt alui conſtrictio, ex κόπρος ſtercus, & στάσις ſtatio. G. Hartleibigkeit.

COQ. AD MED. CONSVMPT. hoc eſt, coque ad medietatis conſumptionem.

COQ. in S. Q. AQ. hoc eſt, coque in ſufficiente quantitate aquæ.

COQ.

COQ. S. A. eſt, coque ſecundum artem. Sunt hæ abbreuationes, quibus medici in formulis ſuis breuitatis ergo vtuntur.

COR, eſt ſubſtantia carnoſa & fibroſa, ex variis muſculorum ordinibus & tendinibus conflata, demonſtrante LOWERO: habet duas auriculas totidemque ventriculos; dextræ auriculæ vena caua, ſiniſtræ vena pulmonaris adhæret; dextro ventriculo arteria pulmonaris, ſiniſtro vero arteria magna connectitur. Inueſtitur ſacculo membranaceo *pericardium* dicto, quo mediaſtino & diaphragmati coniungitur; ſuperius baſin, inferius cuſpidem habet, collocatur in medio thoracis intra pulmonis lobos, ſitu transuerſo, ita vt vere horizonti parallelum iaceat, ſanguini recipiendo, eumque valida contractione muſculorum circumuehendo tantummodo inſeruit. In corde elephanti glandulas dari inuenit DVVERNOI, tradiditque in *Comm. Petropolit. vol.* 2. Gr. καρδία & κῆρ. G. Das Hertz.

COR, in vegetabilibus, eſt quod in medio ligni reſidet, & tertium a cortice continetur, velut in oſſibus medulla, a nonnullis *matrix*, & ab aliis *medulla* nominatur. G. Das Marck.

CORACOBOTANE, eſt nomen quod imponitur bruſco, & lauro alexandrinæ, & ſignificat *herbam corui*, deriuatur enim ex κόραξ coruus, & βοτάνη herba.

CORACOBRACHIÆVS, idem *Coracoideus*.

CORACOHYOIDES, ſunt muſculi a ſcapulæ proceſſu coraciode orti, qui ad os hyoides procedunt ipſique inſeruntur. *Vſus* eſt oblique deorſum mouere os hyoides, ex κόραξ coruus, & ὑοειδὲς hyoides os. G. Des Zungbeins Rabenſchnabel gleiche Mauß.

CORACOIDES PROCESSVS, eſt *roſtriformis* ſcapulæ proceſſus, vide *Ancyroides*, a κόραξ ceruus, & εἶδος forma. G. Der Rabenſchnabel gleiche Auswachs.

CORACOIDEVS, ſiue CORACOBRACHIÆVS, eſt vnus ex muſculis brachium mouentibus. Oritur a coracoide proceſſu ſcapulæ, vnde ei nomen: & inſeritur in internum humerum circa medium, iuxta tendinem deltoidis. Principium habet nerueum & breue, oblongum ventrem, ſatis corpulentum & robuſtum tendinem. Venter eius perforatus eſt, vnde etiam *perforatus* dictus & tranſitum neruis largitur, qui ad cubiti muſculos diſtribuuntur. Hunc muſculum alii ſaltem muſculoſam portionem bicipitis, vocarunt, vtilem ad brachium ſcapulæ proceſſui adducendum, ſiue antrorſum ſupra pectus

pectus attrahendum, ex κόραξ corvus, & εἶδος forma. G. Rabenſchnabels Mauß.

CORALLINA, *coſtinum* oleum; *cryſtallinum* arſenicum; penult. corr. vide *amaracinum*, *ſeqq.* Coralina, eſt muſcus petroſus marinus, inhærens ſcopulis, & piſcium teſtis corallisque, eo ſane modo, quo muſcus arboribus innaſcitur, optimaque eſt, quæ a corallis detrahitur. Color griſeus eſt; ſapor ſubſalſus. G. Meermoos, Corallenmoos. Lumbricos enecare dicitur.

CORALLOIDES, eſt planta maritima, ramoſa, nulla folia habens, ſimilis Corallis figura & duritie, vide *Dentaria.*

CORALLVM & CORALLIVM, num ad vegetabilia, an vero ad mineralia pertineat adhuc lis eſt inter multos. Videtur tamen ad vegetabile regnum deduci debere, hincque dici poteſt planta in fundo maris nata, foliis carens, cuius neque flos neque ſemen cognitum, rupibus & aliis corporibus affigens aliqualem radicem, cortice veſtitam, & in ramos diuiſam. Extremitates horum ramorum molles ſunt, paruorum globulorum ſeu ribium ad inſtar rotundæ, in ſex cellulas diuiſæ, repletæque humore albicante, craſſo, acri adſtringente. Hi globuli capſulæ ſeminales eſſe creduntur, & ſuccum, quem fundunt, producere plantas corallorum in omni corpore, cui illabitur. Variæ corallorum in vtraque India, imo & in Europa & Aſia, dantur ſpecies, colore quoque differenti. Eſt & rubrum, album, nigrum, cæruleum. Tum quoque differunt figura: aliæ inſtar arboris racematim ſe eleuant; aliæ glabris ramis, aliæ hiſpidis; nonnunquam fiſtuloſæ ſpecies inueniuntur, vel figuram tuberoſam, vel lactucæ folia, aut lichenis terreſtris, aut cornu ceruinum &c. referunt. Coralla ſub aquis mollia eſſe, ſed in aere indurari vnanimiter dicunt. Exinde promittuntur tincturæ, magiſteria &c. ſed in puluere ad ſcrupulum intus ſumpta, acidum in corpore noſtro potenter domant. Gr. κοράλιον. G. Korall, Corallen.

CORCHORVS & CORCORVS, eſt planta ſesqui pedem circiter alta: folia ſunt alterna in caulium nodis appoſita, in margine inciſa, parte ima barbulam vtrinque vnam, ſeu apophyſin lingulæ inſtar tenuem poſſident: flores roſacei quinquepetali vt plurimum, lutei: ex huius calice ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum, qui eſt longa ſiliqua cornuta, quæ quinque loculamentis conſtat, per quinque ſepta media diſſecta, in quibus loculis quinque valuæ ſe expandunt, & dimittunt ſemina numeroſiſſima, exigua, coloris cinerei,

ſapo-

ſaporis viſcoſi. Hæc planta creſcit in hortis; an anagallis, an ocymum ſylueſtre, vel alia planta? diſputatur: eius tamen etymologiam deducuut, ἀπὸ τῆς κόρης, καὶ κορέω, quod oculi pupillam ornet, ſiue purget: eſt melochia Alpini Aegypt. quidam nomen a corde deriuant, quia eius fructus cor referre creditur.

CORDIALIA, COR ROBORANTIA ſeu CARDIACA, vide *Cardiacum*.

CORIANDRVM, eſt planta, quæ caulem habet ſesquipedem vel duos circiter altum, rotundum, tenuem, medulla repletum, ramoſum: folia inferiora petroſelini ſimilia, ſuperiora magis inciſa, & chamæmelo proxima: flores parui roſacei, & vmbellati, plurimis ſcilicet petalis inæqualibus & cordiformibus conſtantes, quandoque æqualibus, in orbem poſitis, & calici inſidentibus, is autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum, nunc ſemiſphæricis, nunc ſphæricis, ſtriatis, ex cinereo fuſcis, includentibus ſub cortice tenui medullam ſubfuſcam, duriuſculam, in medio quaſi diſſepimentis diſtinctis, ſaporis ſubdulcis, ſubacris, aromatici: volunt nomen deriuari a κόρις cimex; quia recentis folia & ſemina cimices olent. Gr. κόριον & κορίαννον. G. Coriander.

CORIS, eſt hypericum, an a κείρω ſcindo: quod vulnera ſanet? vel quod tota pulchella, & perquam hilari facie ſit, κορὶς enim & κόρη, *virgo*, *puella* dicitur.

CORNEA OCVLI TVNICA, ſeu CERATODES, quæ etiam *ſcelerotes & dura* vocatur, a dura meninge originem habet; anterius pellucida, eſt, & in eminentiorem figuram protuberat, in vno homine plus, in altero minus; a lateribus tunica albuginea obducitur; interius humorem aqueum continet. Corneæ huius ſtructura mirifica eſt; ſi conſtringatur oculus a parte poſtica, vbi muſculi inſeruntur, & ſoluitur tunc leuiſſima manu acutiſſima lanceola, vulnere perpendiculari leuiſſimo, mox dilatatur vulnuſculum, contrahentibus ſeſe fibris, ſecedit lamella; ſi nouum iterum fit vulnuſculum, idem fit; quod quidem usque ad 30. vices fieri poteſt, & quauis diſſectione erumpit liquidum tenuiſſimum, quo abſterſo mox erumpit nouum, nullum habens ſaporem, niſi leuiter ſubſalſum; vnde apparet, quod cornea conſtet ex membranaceis ſtratis, per tranſuerſales fibras annexis. Hinc quoque non ita abſurda videtur illorum ſententia, qui corneam, tamquam membranam a ſclerotide diſtinguunt. Tota pellucens in viuis, in morientibus ſenſim obſcuratur; in extinctis penitus opaca, vnde

illa obſcuritas inter certa inſtantis mortis ſigna adnumeratur ab HIPPOCRATE. G. Das Hornharte Häutlein.

CORNICVLARIS PROCESSVS, vide *ancyroides.*

CORNVA, dicuntur additiones acuminatæ vngulares, naſcentes ſuper iuncturas in extremitatibus, propter operationis vehementiam.

CORNVA VTERI, ſeu CERÆA, ſunt duæ vteri partes laterales in quibusdam brutis, vt vaccis, ceruis, ouibus, capris, canibus, &c. in quibus fœtus in imprægnatis his matribus habitant. Cornua tamen ex horum imitatione tribuerunt etiam humano vtero authores; quia ad fundi latera, aliqua vtrinque eſt protuberantia, vbi vaſa deferentia inſeruntur; ſed peſſime, & rariſſime muliebris vterus bipartitur, vt in brutis. G. Die Krümme der Bärmutter.

CORNV CERVI, vide *Coronopus.*

CORNVS, eſt arbor, quæ habet lignum durum, compactum, album, ſatis magnum & extenſum, corticem durum, rubicundum, vel cinereum habens, ſaporis adſtringentis; folia ſunt longa, ampla, venoſa, mollia: flores in extremitate ramorum creſcentes, pedunculis breuibus adhærentes, quadrifidi, in crucem diſpoſiti; calix abit in fructum carnoſum, oualem, oliuam fere referentem, ſed minorem, in initio viridem & acerbum, poſtea per maturitatem rubrum & aliquando flaveſcentem, ſaporis ſubdulcis cum aliqua grata acredine, & adſtrictione. In hoc fructu inuenitur oſſiculum oblongum, albeſcens, in duo loculamenta, quæ ſingula vnicum ſemen oblongum includunt, diuiſum. Hæc arbor creſcit in hortis; dantur duæ ſpecies corni, ſc. mas & fæmina: dicta eſt quod duritie & rigiditate cornibus ſimiles ramos habeat. G. Welſche Kirſchen, Kornelbaum.

CORNVTA, idem quod *Retorta.*

CORONA, eſt ſuperior dentium molarium ſuperficies.

CORONALIS SVTVRA, Gr. στεφανίτης & στεφανιαῖα, eſt fiſſura, quæ pectinatim, dentatæ ſerræ inſtar, coit; eſtque in ſuperiore parte cranii ab vno tempore ad aliud, & circumſcribitur oſſibus frontis & bregmatis, in cuius medio ſagittalis ſutura terminatur. G. Die Cronnath der Hirnſchalen.

CORONARIA VASA, ſunt venæ & arteriæ cor, nutritionis & motus gratia, cingentes. Item vaſa ſanguinea ſiniſtrum os ſtomachi cingentia. Arteriæ coronariæ cordis duæ, oriuntur ex aorta, mox ſupra valuulas ſemilunares cordis ſiniſtri, & oppoſito itinere vnum componunt canalem baſi cordis inne-

innexum toto ambitu, vnde demiſſæ arteriæ, variis inter ſe anaſtomoſibus iunctæ, in innumerabilia exiliſſima vaſcula diſtribuuntur, quæ vltimæ roris effuſi more humorem fundunt, & quæ omnia ſenſibilia cordis puncta peruadunt, omnemque fere cordis ſubſtantiam cum venis ſimiliter poſitis, componunt, accreta inter vaſa pinguedine externa. G. Die Hertz Gefäſſe.

CORONE, eſt proceſſus oſſeus, acutus, & anterior inferioris maxillæ, a ſimilitudine roſtri cornicis, *roſtriformis* dictus. Gr. κορώνη cornix. G. Krähenſchnabelsgleicher Auswachs.

CORONOPVS hortenſis, eſt planta; quæ habet folia ex radice erumpentia multa, longa, anguſta, neruoſa, profunde inciſa, longis ad margines laciniis appoſitis laciniata, paruum cornu cerui referentia, ſaporis aliquantulum adſtringentis, ſed grati: naſcuntur ex foliis caules tenues, rotundi, rigidi, villoſi, pedem unum vel ſesquipedem alti: flores & ſemina plantaginis. Radix plerumque exigua, ſed aliquando digitum craſſa, alba, ſaporis aliquantulum adſtringentis. Hæc planta colitur in hortis. *Pes cornicis* dicitur a pedis cornicis ſimilitudine, quam eius exprimunt folia. Alii quod eius ſtylus, e mediis foliis exſurgens, in cornicis pedem conformatus articuletur, reliquam exhibens crucis effigiem: vocatur & *ſanguinaria & ſanguinalis*, quod ſanguini ſiſtendo apta ſit herba. Sunt qui *herbam ſtellæ* nominant, alludentes haud dubie ad Græcam appellationem *aſtrion*. Nonnulli quod folium eius multipartito confectum in ceruini cornu imaginem effigietur, *ceruinum cornu* vocarunt. Ex κορώνη cornix, & πȢ̃ς pes. G. Krähenfuß.

CORPORA NERVOSA PENIS, FR. RVYSCHIO *Corpora nerueo ſpongioſa*, ſunt duo corpora longa, orta a parte inferiore oſſium pubis ſeorſim, & cincta membrana propria, iunguntur ſibi mutuo ope ſepti medii, quod ſenſim euaneſcit verſus anteriora, & ex cellulis plurimis membranoſis contexta, quæ maximum penis corpus conſtituunt. Si illa corpora expandantur, per ſanguinem in cauernulas maiori copia infuſum, erectio iſtius inſtrumenti fit. Ex ſimilibus duobus corporibus etiam conſtat mulierum clitoris. G. Die Sennadrigen Theile des männlichen Glieds.

CORPVS CALLOSVM, eſt medulloſa ſeu potius fibroſa cerebri pars, ex cuius complicatione ventriculi cerebri anteriores conſtituuntur. Eſtque tota medulloſa, nulla mem-

brana obtenſa, medullæ oblongatæ apicibus vtrobique affigitur. Ab iſtis apicibus, tanquam ortu ſuo, medullaris hæc ſubſtantia, cerebrum obducens & concamerans, verſus poſteriora expanditur, ac ſenſim minuitur, demum huius expanſi limbus exterior arctius contrahitur, ac inferius medullæ oblongatæ caudici, membranarum & vaſorum nexu, coniungitur. Porro firmioris connexionis gratia, ab anteriore ipſius parte, iuxta ipſius apices, proceſſus medullaris exoritur, qui cerebri fiſſuram ſubtendens, ad limbos eius pertingit; quibus, velut brachiis vtrinque reflexis, vnitur: quæ quidem brachia medullæ oblongatæ caudicem amplectuntur, adeoque illum cerebri limbum ſibi firmius annectunt.

CORPVS GLANDVLOSVM, ſeu GLANDOSVM, idem quod *Proſtata.*

CORPVS PAMPINIFORME, vide *varicoſum corpus.*

CORPVS PYRAMIDALE, idem quod *Varicoſum corpus.*

CORRECTIO, eſt quando medicamini ſal quoddam aut aliud quid additur, ad effectum accelerandum, vel quando vis violenta reprimitur. G. Verbeſſerung.

CORRECTORIVM, eſt, quo medicamenta emendantur, ne cuiquam noceant, & facilius aſſumi queant, vt quando ſennæ additur ſemen fœniculi, folia ſcrophulariæ &c. Ad hæc medici attendere ſolent, dum morbis profligandis accomodant remedia, quæ ſi ſola non ſatis conuenirent in data ægri temperie, additione aliorum ad ſcopum medicum dirigun-tur, & ſic corriguntur. G. Verbeſſerung.

CORROBORANTIA, idem quod *Cardiaca.*

CORROSIO chymica, eſt corporis miſti, per res corroſiuas, calcinatio. G. Zernagung.

CORROSIVVM, eſt medicamentum ſolida corporis animalis corrodendi vim habens, vt ruptorium, calx, aqua fortis, &c. Cuius ope ſuperflua carnis excreſcentia abſumitur. Vel fontanella fit ad pus vel aquam effuſam euacuandam. G. Corroſif.

CORRODENTIA, ſunt quæ acutis ſuis particulis carnem excreſcentem edunt, & conſumunt; & quidem omnia, quibus applicantur. G. Zernagende Mittel.

CORRVDA, eſt aſparagus ſylueſtris.

CORTEX, eſt exterius tegumentum, ſeu cutis vegetabilium, vt & nucum, malorum granatorum, arantiorum &c.

Item exterior ſubſtantia cerebri & cerebelli. Gr. λέπισμα, φλοιός. G. Die Rinde, Schale.

CORTICALIS SVBSTANTIA CEREBRI & CEREBELLI, eſt ſubſtantia eius exterior, plurimis labyrinthis & mæandris exterius dotata; tenui meninge obducitur, cinericea, mollis, humidior, cingens vbique, accurate, totam originem alterius ſubſtantiæ internæ, albiſſimæ, ſolidioris, exſuccæ magis, quæ medulla cerebri & cerebelli vocatur; ita vt hæc ab illa oriri manifeſte videatur vndequaque, in appendicibus, ventriculis, cruribus, medulla oblongata. In interiori vero parte medullæ ſpinalis ſimilis eſt cortici recondita ſubſtantia, tota pariter ibi arterioſa, quam medulloſa ambit; inuerſa ratione quam in priori, & iuxta *Malpighium* ex glandulis minimis oualis figuræ compoſita, iuxta alios, & quidem veroſimilius, ex meris vaſculis a vaſis piæ matris oriundis. Corticalis hæc ſubſtantia ab interiori ergo cerebri parte medullarem ſeu fibroſam ſubſtantiam ſibi vicinam habet, quæ ex cortice originem ducit, vt clare in cerebello patet. Vſus eſt ſpiritus animales ſegregare & e maſſa ſanguinea excipere, ex qua per medullarem ſubſtantiam & neruos diſtribuuntur, & per vniuerſum corpus deferuntur. Secundo, forte memoriæ & ſomni ſedes ibi collocatur. G. Die Rindengleiche Theile im Gehirn.

CORTVSA, eſt planta, quæ habet folia ex radice erumpentia, ampla, rotunda, inciſa, aſpera, ſaporis ſtiptici, caulibus longis adhærentia. Ex his naſcuntur caules parui, nudi, in ſummitate habentes flores quinque petalis conſtantes, purpureis: radix valde fibroſa; tota planta eſt valde odorata; creſcit in locis arenoſis, & argillaceis, ſatis conuenit cum auricula vrſi, dicitur & ſanicula alpina, vel montana latifolia, laciniata. Eſt Matthiolo caryophyllatæ ſpecies, ſic dicta quod a *Cortuſo* primum hæc planta reperta ſit.

CORYLVS, eſt arbuſcula, quæ plures habet ramos longos, flexiles, ſine nodis, cortice tenui obductos: eius lignum eſt tenerum, album: folia ſunt ampla, ſparſa, in margine dentata, acuta, in parte ſuperiori viridia, in inferiori albeſcentia: flos mas conſtat tribus ſquammoſis foliolis, quorum exterius hinc interioribus incumbit, ex infimo flore quatuor pedunculi emergunt, ſinguli habentes teſticulum ſuum. Omnes flores ſimul adnati axi longo referunt caudam cati: flos fæmina in eadem planta, loco diuerſo a mare naſcitur, conſtans calice ſquammoſo, foliolis multis ſe inuicem ſuccingentibus

facto, intra quem ouarium latet, inſtructum multis tubis incuruis, rubris, acutis: fit deinde fructus oſſeus putamine nucleum condens carnoſum, hærens arcte innatus calici foliaceo: radix longa, craſſa, robuſta. Hæc arbor creſcit in ſyluis, cuius fructus nux Auellana & λεπτοκάρυον dicitur. Fortaſſe erit vox corrupta ex καρύα cum κα ſit mutatum in κο, ρυ manet, deinde a in us, hinc corylus. G. Haſelnuß, Haſelſtrauch.

CORYMBI, ſunt ſummitates hederarum, velut vuæ dependentibus acinis coactæ. Transfertur tamen vox ad multos herbarum fructus.

CORYMBIA, CORYMBOS, CORYMBE, eſt hedera arborea, ſic dicta, quod ſupra arborum capita aſcendat; deriuatur a κάρα caput.

CORYPHE, Gr. κορυφὴ, eſt vertex capitis; item digitorum extremitas interior iuxta vngues.

CORYZA, ſiue GRAVEDO, eſt ſuccorum noſtri corporis, ab externo frigore, inſpiſſatio, vnde in minimis vaſculis, vbi hi alluunt, fit obſtructio; vel ab eadem cauſa vaſcula contrahuntur, hinc a liquido ſuo inflammantur, quod cum facillime fit in locis vbi continuo alluit aer, tota membrana a SCHNEIDERO deſcripta, nares &c. inueſtiens afficitur, vnde ex glandulis eius fit liquoris acris & ſalſi defluxus. Sic & glandulæ pulmonarem fiſtulam perreptantes ob acrem ſuccum excitant tuſſim. Coryza eſt vel ſine vel cum febre. Gr. κόρυζα, vide *Catarrhus*. G. Schnuppen.

COSMETICA, ſunt medicamenta externa, illiniendo applicata, cutim dealbantia, emollientia, ad pulchirtudinem illi conciliandam; vt oleum tartari, lac virginis, diſſolutio ex mercurio ſublimato, ſulphure, camphora, &c. a κοσμέω orno. G. Schmincke.

COSTÆ, Gr. πλευραί. Sunt illa oſſa, quæ arcuata, oblonga, vna cum aliis partibus thoracem conſtituunt. Poſterius connexionem cum vertebris dorſi, anterius vero cum ſterni cartilaginibus habent: numero in quolibet latere duodecim ſunt: ſeptem ſuperiores veræ ſeu potius longæ, quinque inferiores ſpuriæ, ſeu breuiores dicuntur. G. Rippen. Item νόθαι πλευραί, μαλθακαί πλευραί. Coſtarum pars latior *palmula* dicitur, πλάτη *Poll.* anguſtior, quæ ſpinæ vertebras attingit, *remulus* κώπιον; *Polluci* μεσοπλεύρια, coſtarum ſpatia intermedia dicuntur. G. Die kurtzen Rippen.

COSTVS, Gr. κόσος, eſt herba bonum odorem ſpirans, duplex in officinis proſtat, *albus* & *niger*: vocatur etiam mentha

tha *Saracenica*, & *Græca*, Straboni *coſtarium* vocatur; alias mentha corymbifera a diſpoſitione florum & odore, herba S. Mariæ. Balſamica, quæ vide. Coſtus Arabicus, eſt radix exoticæ arbuſculæ, ſambuci ſatis ſimilis, oblonga, pollicis craſſitie, grauis, compacta, coloris buxei flaueſcentis extus, intus rubri, ſaporis acris, amari, aromatici, grati, ſubdulcis, odor eius ſi in ignem coniicitur, ſat gratus. Tres coſti dantur ſpecies, Arabicus, dulcis, & amarus; ſunt qui volunt has tres ſpecies inter ſe non differre, niſi ratione ætatis, ſed quemadmodum de plurimis exoticis, ita de coſto nihil adhuc indubitanter diſſeri poteſt.

COTINVS, eſt arbuſcula ſex vel ſeptem pedes alta, cuius lignum eſt flauum, ramos demittens rotundos, cortice rubicundo & obſcuro instructum: folia ſunt ampla venoſa, fere rotunda, in longo pedunculo: caliculus exiguus, quinquefidus; floſculus roſaceus, pentapetalus, in ramulis capillaceis: ouarium fit fructus orbicularis, duro putamine impartibili tegens ſemen triangulare coloris rubicundi, fuſci aut nigri: radix lignoſa. Hæc arbuſcula creſcit in montibus: eſt oleaſter ſylueſtris. Gr. *κότινος*. G. Wilder Oelbaum.

COTONEA, & CYDONIA MALVS, eſt arbor, quæ habet lignum tortuoſum, durum, pallidum, albeſcens, corticem mediocriter craſſum, ſatis politum, externe coloris cinerei, interne rubicundi; folia mali, integra, albeſcentia, in parte inferiori lanuginoſa; flos eſt roſaceus, quinque vel pluribus petalis in orbem poſitis conſtans, cuius calix abit in fructum turbinatum, carnoſum, in loculamenta diuiſum, ſeminibus plurimis, glutinoſis, oblongis, & calloſis fœtum; radix magna, coloris obſcuri: creſcit hæc arbuſcula in montibus & locis aridis: ſic dicta eſt, a Cydone, Cretæ oppido, vnde primum aduecta eſt. G. Quittenbaum, Küttenbaum.

COTONIVM, COTONVM, COTVM, vide *Xylon*.

COTVLA, eſt Chamæmeli ſpecies, quæ in duas diuiditur, quarum vna dicitur cotula fœtida ſiue chamæmelum fœtidum, quæ habet folia Chamæmelo vulgari ſimilia, odore abominabili, guſtu amaro. Altera ſpecies, dicitur cotula non fœtida, & diſtinguitur ſolo narium iudicio, ſapore amaro, vocatur & Chamomilla inodora, buphthalmum: datur & tertia ſpecies cotulæ, quæ eſt flore luteo radiato, ſiue chryſanthemum tenuifolium, folio millefolii. G. Krötendill. Gr. *Κυνάνθεμις*, *Κυνοβοτάνη*.

COTVRNICIS pingvedo, penult prod.
Et capris adipes, & coturnicibus auget. Lucret. l. 4.

COTYLA ATTICA, pendet vncias nouem, vt hemina Italica. *Cotyla Italica* vero eſt libra menſuralis vnciarum XII. vel capit ſemiſextarium.

COTYLE penultima correpta, κοτύλη. Homer. Iliad ἰ verſ. 306. 307. Cotyle ſeu Cotyla, eſt *Acetabulum* ſeu cauitas oſſis coxendicis, quæ caput femoris oſſis excipit. Gr. κοτύλη, γλῆνον *Theocr. interp.* G. Die Schüſſel, oder Höle darin ſich das Hüfftbein füget.

COTYLEDON, idem quod *Cotyle.*

COTYLEDON, ACETABVLVM: ſiue VMBILICVS VENERIS, vide *acetabulum.*

COTYLEDONES: penultima correpta Græce Κοτυληδόνες. Cotyledones ſeu ACETABVLA VTERINA, vel πλεκτάναι, κεραῖαι. Sunt glandulæ per externam fœtus membranam ſeu chorion diſperſæ, quæ ſuccum nutritium fœtui alendo ex vtero ſegregant; ſed hoc locum tantum habet in quibusdam animalibus: in mulieribus vero placenta vterina earum vicem gerit. Item venarum vteri hiantium oſcula, quæ acetabulorum & cotyledonum nomine veniunt. A foliorum Cotyledonis herbæ ſimilitudine nomen ſortiuntur.

COXÆ OS Celſo, aliis *innominatum & ilium, coxendix* Varroni, ἰσχίον *Heſych.* dicitur; lateribus oſſis ſacri annexum eſt; in infantibus ex oſſibus tribus conſtat, ilio nempe, iſchio, & oſſe pubis, per cartilagines inuicem coniunguntur vsque ad ſeptimum annum, tum triplici linea diſtinctum apparet; adultis in vnum coaleſcit. G. Das Hüfftbein.

COXENDIX, idem quod *coxa & iſchium.*

CRAMA, eſt mixtio cuiuscunque rei, ſiue medicamenti, ſiue elementorum, a κεράννυμι miſceo. G. Eine Vermiſchung, Vermengung.

CRAMBE, Gr. κράμβη, eſt planta, quæ habet folia braſſicæ rubræ, ſed magis craſſa, magis carnoſa, viſui gratiora, circa margines vndulata, & veluti criſpa, ſaporis non ingrati, ex foliis naſcuntur caules, qui in ſummitate habent flores cruciformes, quatuor ſcilicet petalis conſtantes; ex quorum calice ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam vnicapſularem, bifariam dehiſcentem, ſemine fœtam vt plurimum oblongo; creſcit hæc planta circa loca maritima. Crambe eſt

vox

vox græca ſignificans braſſicam, ſed cum hac male confunditur, nam braſſica eſt aliud genus plantæ, hinc a Tournefortio optime ab inuicem diſtinctæ, & nomen braſſicæ ſiue crambe hic retentum eſt, ob defectum vocabulorum. Vide *Braſſica.*

CRANIA. Vide *Cornus.*

CRANIVM, τὸ κρανίον: aliqui veteres CRANEVM male ſcribunt. Cranium eſt compages octo oſſium capitis, ad quod pertinent oſſe frontis, ſincipitis, occipitis, temporum, ſphenoides, & cribriforme: ſeſe habet velut κράνος, galea, quia cerebrum ab externis iniuriis defendit; ſuperior eius pars ex diplomate, ſiue duplici tabula conſtat, ab aliis calua & caluaria appellatur. Vide *Calua.* G. Die Hirnſchale.

CRAPVLA, eſt capitis dolor, ex nimio vini vſu contractus, ex Gr. κραιπάλη, quod a κάρα caput & πάλλω vibro. G. Hauptwehe von übrigen Trincken.

CRASIS, ſiue TEMPERAMENTVM, eſt mixtio ex conuenienti quilitatum conſtitutione. Temperamentum dicitur ſimplex vel compoſitum: *ſimplex* cum vna tantum qualitas excedit, vt calidum, frigidum, humidum, ſiccum, falſum, acre &c. *compoſitum*, cum plures qualitates eminent, vt calidum & ſiccum, calidum & amarum, ſalſum & acre, acidum & frigidum, acidum cum acrimonia &c. Item aliud eſt *inſitum*, quod partibus inhæret; aliud *influens*, quod a ſpiritibus, & ſanguine in partes influit: eſtque *moderata* vel *immoderata*: *totalis* vel *partialis*: *natiua* vel *adſcititia*: *permanens* vel fugiens: ad pondus vel ad *iuſtitiam* & ſic finguntur plurimæ differentiæ, quæ vix vllius momenti ſunt, κεράννυμι miſceo. G. Die Vermiſchung, das Temperament.

CRASSVLA, eſt telephii ſpecies ſic dicta, ob folia ſolito craſſiora: vt & vermicularis, eandem ob ſimilitudinem, *craſſula* vocatur *minor.*

CRATÆOGONON, herba cerealis, videtur & affinis melampyro aut milio. Noſtris regionibus incognitum videtur.

CRESSIO, vide *Cardamon.*

CRATICVLA, eſt inſtrumentum chymicum ex bacillis ferreis quadratis digitalis craſſitudinis, iuxta ſe in acutum ita poſitis, vt ſemidigitale ſpatium inter illos interſit, factum, focis conficiendis, carbonibus ſuſtentandis inſeruiens. G. Ein Roſt.

CREMASTER muſculus, carneus oritur a parte inferiore anteriore ſpinæ oſſis ilium, obliquo deſcenſu adnaſcens car-

neis fibris ad marginem anteriorem deſcendentem oſſis ilium, verſus os pubis, vnde antrorſum, deorſum, oblique ſe expandit, lateralia, & anteriora, tunicæ vaginalis amplectitur, dum a parte anteriore oſſium pubis, poſt vaginalem tunicam fibræ carneæ ortæ, recta demiſſæ, deorſum, ſe applicant parti poſticæ tunicæ vaginalis, & ita ſimul formant muſculum cauum, vndique accurate clauſum, quo tunicam vaginalem, teſtemque, eleuat, ſuſtinet, comprimit, exprimit, a κρεμάω, ſuſpendo. G. Der Hodenmuſcul.

CRENÆ, ſunt quædam in extremis oris inciſuræ, a quibus crenata herbarum folia vocantur, hoc eſt ſerrata, & per ambitum ſecta.

CREPATVRA, a *crepare*, eſt quando hordeum aut aliud quid coquitur, donec crepat.

CREPITVS LVPI, vide *orbicularis*.

CRIBRATIO, eſt pulueris tuſi per cribrum dimiſſio, ſeu materiæ tenuioris a craſſiore beneficio cribri ſeparatio. G. Siebung, das Sichten.

CRIBROSVM OS, vide *ethmoides*.

CRIBRVM, Gr., ἠθμὸς, κόσκινον, eſt inſtrumentum ex lana, linteo, cannabe, ſerico, ſeta &c. quo olea, liquores &c. percolantur, vel pulueres traiiciuntur: atque eſt vel rarum vel denſum, apertum vel clauſum. G. Ein Sieb.

CRICOARYTÆNOIDES, ſunt muſculi a cartilagine cricoide ſiue annuliformi profecti, qui arytænoidi inſeruntur, quam, dum retrorſum atque exterius abducit, rimam quoque laryngis dilatat, ex κρίκος annulus, ἀρυτὴρ vel ἀρύταινα, hauſtrum, vaſis genus, & εἶδος forma.

CRICOIDES, eſt capitis laryngis cartilago annuliformis, ex κρίκος annulus, & εἶδος forma. G. Das ringgleiche Knorpelbein.

CRICOTHYREOIDES, eſt par muſculorum ab annulari cartilagine ortum, & in ſcutiformem terminatum, nonnihil oblique mouendo, rimulam laryngis dilatat, ex κρίκος annulus, θυρεὸς ſcutum, & εἶδος forma. G. Der ſchildbeins muſcul.

CRIMNOIDES ſeu CRIMNODES, eſt vrina, cui craſſa & farinacea ſedimenta inſunt, a κρίμνον farina & εἶδος forma. G. Dicker und dunckler Harn.

CRINALE, eſt inſtrumentum quoddam chirurgicum, ophthalmicum, in ægylopes cura commodiſſimum, cuius inuentor eſt *ab Aquapendente*.

CRINIS,

CRINIS, ſeu PILVS, corpus notiſſimum eſt, teres, ſolidum, filamenti inſtar, quod facillime in quamcunque partem flectitur, microſcopio perluſtratum, tranſparens eſt: ſæpe nodoſum, extremitas eius inſtar penicilli ſæpe fiſſa, radix ſiue bulbus ob figuram dicta intra cutim reconditur, veroſimiliter caua eſt & vaſculoſa, vt pennæ auium in radicibus, quæ vaſculoſa pars folliculo includitur, in ſetis & maioribus pilis conſpicuo; oriuntur pili ex ipſis pinguedini interpoſitis glandulis, vel folliculis; defendendæ cuti & firmandis poris inſeruiunt in cute, vt & in aliis partibus, vt in cauo narium anteriore &c. diuiduntur in capillos, in crines & pilos. G. Das Haar.

CRINON, lilium, Gr. κρίνον: vocatur & λείριον. Vide *lilium.*

CRINONES, ſunt vermiculi cutanei, qui & *Dracunculi* vocantur. G. Miteſſer.

CRISIMA, ſunt ſigna decernentia, & iudicantia, a κρίνω iudico.

CRISIS, veteribus erat ſubita, & repentina mutatio in morbo, ad ſalutem vel ad mortem contingens. Aliquando ſignificat humorum ſecretionem. Sed magis frequens, & vſitata eſt illius acceptio pro iudicio ſuper morbum habito. *Criſis* alia eſt *perfecta*, alia *imperfecta. Perfecta* eſt, quæ ægrum perfecte, & integre a morbo liberat: eſtque vel *ſalutaris*, vel *lethalis.* Ad ſalutarem requiritur. 1. Vt ſit optimis ſignis indicata. 2. manifeſta. 3. vt die critica contingat. 4. fida. 5. ſecura. 6. conueniens morbo & ægrotanti. *Criſis imperfecta* eſt, in qua morbus perfecte non iudicatur; ſed tantum ſecundum partem, & alteri criſi futuræ locum poſt ſe relinquit; eaque duplex eſt, *altera ad melius*; *altera* vero ad *deterius.* Ad *melius* ea eſt, quæ non omnino tollit morbum, ſed facit vt eum æger alacrius ferat. Ad *deterius* eſt, quæ morbum reddit vehementiorem, & periculoſiorem. Criſin a lunæ & ſiderum motu, & influentiis dependere, eorumque aſpectus quadratos, oppoſitos, aut συζυγίας ſequi, verum non eſt; a materiæ vtique maiori, vel minori maturatione criſes videntur dependere, ſed in hiſce regionibus non tam accurate obſeruantur: a κρίνω iudico, ſecerno. G. Criſis, merckliche Verånderung in Kranckheiten.

CRISPINVS & CRESPINVS, Vide *Berberis.*

CRISTÆ, ſunt carnis excreſcentiæ circa anum pullulantes ex præpoſtera venere ortæ, ad quarum radices plerumque ſciſ-

ſuræ,

ſuræ, ſeu rhagades adſunt. G. Ein Hanenkamms gleicher auswachs.

CRISTA GALLI, eſt pars tertia oſſis ethmoidis, ſiue proceſſus interior gallorum criſtæ haud abſimilis, inter olfactorios neruos, ſiue proceſſus cerebri papillares aſſurgens, cui infigitur extremitas ſinus tertii duræ meningis. G. Der Hanekamm.

CRISTA GALLI, Gr. ἀλεκτορόλοφος, ſic dicitur a florum figura, cum eorum folliculis. Vide *Alectorolophus.*

CRITERIVM, idem quod *Criſis.*

CRITHAMVM, idem quod *Crithmum.*

CRITHE, Gr. κριθὴ eſt hordeum; Vide *Hordeum.*

CRITHE, eſt tuberculum paruum, oblongum, palpebræ cilio, qua pili ſunt, adnaſcens; & ſic ab hordei ſimilitudine dictum. G. Ein Gerſtenkorn.

CRITHMVM, CRITHMVS, & CRITHAMVM, eſt fæniculum marinum, vocatur & *crethmum.* Eſt planta, quæ habet caules ſeſquipedem circiter longos, ramoſos, craſſos, lignoſos, interdum repentes, aliquando rectos: folia trifariam diuiſa, carnoſa, anguſta, atro-virentia: flos eſt roſaceus & umbellatus, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis, & calici inſidentibus. Is autem abit in fructum compoſitum ex duobus ſeminibus coniunctis, inuolucrum aliquod habentibus, quod per maturitatem deponunt, ſtriatis, oblongis, albis, planis, odoratis: creſcit in regionibus calidis ſuper ſaxa circa mare. Gr. κρίθμον, κρῆθμον. G. Meerfenchel, Seeſenckel, Bacillenkraut.

CRITICI DIES, ſunt, in quibus ſubita morbi conuerſio fit. Eorum tres ſunt *differentiæ*: alii *vere & perfecte critici* dicuntur, alii *intercidentes.* *Perfecte critici*, *principes* aut *radicales* appellantur; quoniam, quæ his diebus contingunt criſes, omnes perfectæ criſeos notas habent: eiusmodi ſunt ſeptenarii tres, nimirum ſeptimus, decimus quartus, & vigeſimus. *Indices*, qui *contemplabiles*, & *internuncii* nominantur, ſunt, qui criſin ſeptenario die futuram indicant: ſuntque numero tres: quartus, vndecimus, decimus ſeptimus. *Intercidentes*, qui & intercalares, ſeu irrepentes, vel prouocatorii nominantur, ſunt qui inter principes, & indices intercidunt, criſesque imperfectas moliuntur, ſuntque tertius, quintus, nonus, decimus tertius, & decimus nonus. Reliqui vero dies, qui neque principes ſunt, neque indices, neque intercidentes, *vacui & medicinales* appellantur: ſuntque ſextus, octauus, decimus, duodecimus, decimus ſextus & decimus octauus. Dierum criticorum compu-

computatio inſtituenda eſt ab ea hora, in qua æger percipit manifeſtam actionum ſuarum læſionem. Hoc obiter notandum, quod dierum criticorum ſupputationes, in hiſce regionibus, calculis Hippocraticis non exacte reſpondeant. Illi dies omnes dependent, a materiæ morbificæ citiori vel tardiori maturatione, a κρίνω, iudico. G. Die Tage aus denen man die Veränderung der Kranckheiten urtheilet.

CRITICA SIGNA, ſunt, quæ ex criſi, vel ad ſalutem vel ad mortem, deſumuntur, ſuntque alia *antecedentia*, quæ vel tempus criſium prænunciant, vel ſpeciem criſeos ſignificant; alia concomitantia, quæ cum ipſa ſpecie criſeos ſimul apparent. Alia denique *ſubſequentia* nominantur, quæ oſtendunt an ſanitas imperfecta ſit expectanda, vel an metus ſit recidiuæ.

CROCOMAGMA, eſt compoſitio cuius baſis eſt crocus.

CROCVS, eſt planta, quæ habet folia anguſta, graminea, ſtriata, linea media alba diuiſa, ſeptem vt plurimum, theca membranacea inuoluta: flos eſt liliaceus, monopetalus, inferius tubulatus, in ſex partes profunde diſſectus, pediculo inſidens. Piſtillum e fundo floris ſurgit, in terna capillamenta capitata & criſtata diuiſum: calix vero deinde abit in fructum oblongum, trigonum, in tria loculamenta diuiſum, ſeminibusque fœtum ſubrotundis: radix gemina, carnoſa, tuberoſa, quarum altera, quæ minor eſt, alteri maiori fibroſæ inſidet, vtraque vero inuolucro membranoſo obducitur. Variæ ſunt ſpecies, vernalis enim eſt & autumnalis, qui colore aliisque circumſtantiis variant. Ex India, Gallia, Anglia, Auſtria, aliisque locis nobis adfertur. Veteres optimum laudant Cyrenaicum. *Crocus*, dicitur quaſi κροκὶς vel κρόκη, id eſt *trama*, *filum*, ſeu *ſubtegmen:* id quod ſtamini inſeritur, intertexiturue; cuiusmodi ſunt croci ſtamina, ſeu villi, qui κροκίδες appellantur, qui cum ſoli in vſum veniant, per excellentiam croci nomine donantur. G. Safran.

CROCVS, chymicis eſt calx puluerea ad croceum vergens colorem, vel eſt quilibet puluis colorem croci æmulans, paratur ex marte, venere, antimonio &c. vt crocus martis, veneris metallorum &c.

CROTAPHITES, dicuntur muſculi, venæ, & arteriæ temporales, κρόταφος enim tempus, forte a κροτέω verbero, pulſo, quia arteriæ in eodem loco continuo pulſant: quandoque etiam *crotaphium* pro dolore capitis ſumitur. Vide *temporalis muſculus*.

CRVCIATA, eſt gentianæ ſpecies, quæ habet caulem pedem circiter altum, tenuem, mollem, debilem, quadratum, villoſum, nodoſum: folia in caule in crucis formam diſpoſita, quaterna, hirſuta, parua, oblonga: flores parui ſunt, verticillati, coloris flaui: baccæ poſt florem geminæ, fere ſphæricæ, cutim ſiccam & villoſam habentes: radix tenuis: iuxta foſſas, aquarum riuulos, & quandoque agrorum margines creſcit: nomen accepit, quod radix ſecundum longitudinem tripartito, aut quadripartito fiſſa ſit, cum foliis cauli cruciatim incumbentibus. Hinc Gr. *σαυρότυπος* appellatur: vocatur etiam aſperula aurea.

CRVCIBVLVM, ſeu TIGILLVM, eſt vas fuſorium ex terra in igne contumaciſſima factum, acutiore baſi & fere in ampliorem capacitatem forma triangulari, vel rotunda deſinentem, ad fundenda & eliquanda mineralia, & metalla formatum. Fit etiam crucibuli ſpecies, quæ vulgo teſta appellatur, fundendis metallis adæquata. G. Ein Schmeltztiegel.

CRVDITAS MORBORVM, dicitur cum materia morbi per vim vitæ nondum ſatis attenuata, vt circulo ſanguinis reſtitui, atque ſic ex corpore per ſecretoria expelli queat, ſed adhuc prædita eà mole, figura, cohæſione, mobilitate, inertia, vt augeat vel faciat morbum.

CRVDITAS VENTRICVLI, eſt, cum cibi ex vitio alimenti, aut alia cauſa, non legitime fermentantur, & in chylum transmutantur: eſtque triplex, *apepſia*, *bradypepſia*, & *dyſpepſia*, de quibus ſuo loco ſpecialiter.

CRVOR, Gr. *αἷμα*. Vide *ſanguis*. HELMONTIVS ſanguiguinem a cruore diſtinguit. Sanguinem contineri dicit in arteriis; cruorem vero in venis. G. Das Blut.

CRVRÆVS MVSCVLVS, cur non potius cruralis? nam omni analogiæ grammaticæ repugnat: ſubiacet muſculis vaſtis, femoris oſſis inuolucro vbique, extima præter, affixus, huius quatuor tendineæ expanſiones, in vnum quaſi collectæ, validum fingunt tendinem communem, ipſius officium eſt tibiam cum cæteris muſculis extendere. G. Der Schenckelmuſcul.

CRVS, ſiue MAGNVS PES, Gr. *σκέλος* & *κνήμη*, dicitur totum id membrum corporis humani, quod a natibus ad digitorum pedis extremitates extenditur, conſtans ex femore, tibia, & pede cum digitis proprie dicto. G. Der Schenckel.

CRVSTA LACTEA, eſt ſpecies achoris, hac tamen cum diſtinctione, quod achor tantum caput infeſtat, verum cruſta

cruſtâ lactea obtingit infantibus in lactationis principio, atque non ſolum faciem occupat, ſed vniuerſam fere corporis cutim inquinat. Cruſta lactea albicat, achores vero alium colorem obtinent.

CRVSTA VERMICVLARIS, idem quod *velamentum bombycinum.*

CRVSTA VLCERIS, vide *eſchara.*

CRVSTVLA, idem quod *ecchymoma* in oculo, hoc eſt ſanguis, qui ad coniunctiuam tunicam a ſuis deſcendit arteriis cum ipſæ crepuerint, a percuſſione, vulnere, vlcere &c.

CRYMODES, AETIO eſt febris continua ardens cum inflammatione eryſipelacea pulmonum, & proinde ob circulationem ſanguinis inæqualem, frigus magnum partes externas occupat, ex κρυμὸς frigus, algor, & εἶδος forma.

CRYPSORCHIS, eſt teſticulorum virilium in abdomine occultatio. Ex κρύπτω abſcondo, & ὄρχις teſticullus.

CRYSTALLI, ſunt puſtulæ per vniuerſum corpus diſperſæ lupini magnitudine, albæ ac inſtar cryſtalli diaphanæ.

CRYSTALLINA TVNICA, vide *arachnoides tunica & aranea.*

CRYSTALLINVS HVMOR OCVLI, etiam *glacialis* dictus, ipſe intra tunicæ vueæ aperturam, quaſi vitrum foramini impoſitum, anterius habet humorem aqueum, poſterius humorem vitreum, cui nectitur ope membranulæ pellucidæ, a choroide reflexæ, radios vndique aduentantes colligit, ac refringit. Huius ſubſtantia inſtar glutinis, aut gummi arboris admodum pellucida eſt, ac conſiſtentia inſtar ceræ colliqueſcentis prædita, licet comprimi poſſit, haud tamen ſponte diffluit, duriorque eſt humore vitreo. Figura eius in homine, ad ſpeciem lentis accedit, cuius nempe ſuperficies extima planior, ac intima gibboſior. Cryſtallinus humor dicitur, quia olim humor credebatur eſſe, ſed hodie per anatomicorum iniectiones conſtat, quod componatur ex multis ſegmentis ſphæricis, ſibi immediate impoſitis, pellucidiſſimis, mere vaſculoſis, humorem pellucidiſſimum vehentibus, tamen *membranula* propria *aranea* dicta includitur. Corpus hoc conuexiori ſua parte vitreo inſidet humori, ibi loci, vbi fouea ſatis notabilis vitreo eſt inſculpta, cuius figuræ exactiſſime reſpondet, atque hac ratione præcipuam dictæ cauitatis partem implet, non vero totam, libere hæret in parte anteriore, & vitreo nectitur parte poſteriore & lateribus. A κρύσταλλος, *cryſtallus.* G. Die cryſtalline Feuchtigkeit.

CRY-

CRYSTALLISATIO, eſt alicuius ſalis depurati in cryſtallos redactio. Proprium eſt ſalium, quibus & tartarum & ſaccharum addere licet. Videlicet hæc in liquore aqueo ſoluta, ſi in frigidum locum repoſita fuerint, concreſcunt in cryſtallos. Vbi nota, ſi nimium liquoris adſit, antequam reponantur, aliquantulum exhalandum eſſe. Porro, poſtquam prima vice cryſtalli exemptæ fuerint, quia reliquis in liquore ſc. reſtantibus cryſtallis liquor diſproportionatus eſt, exhalet nonnihil, hinc reponatur iterum. Sacchari cryſtalliſatio fit mediante calore, in nimiam enim ſpiſſitudinem ſacchari-ſyrupus coquitur, deinde ollis, figuram metæ habentibus, infunditur, deinde in caldariis reponuntur, & quod ſuperfluum per metæ cuſpidem inuerſam (perforata enim eſt) deſtillat, & quod cryſtalliſandum, metæ læteribus adhæret. G. Cryſtalliſirung.

CRYSTALLVS, lapis tranſparens eſt, aquam in glaciem conuerſam omnino referens. Inuenitur variis in locis, vt Germania, Bohemia, Vngaria, Cypro & Luſitania, & nonnunquam in agris. Quanquam coloratæ minime negligendæ ſunt, ac præcipue pſeudo-adamas, qui aliis nobilior, attamen in præparationibus Chymicis recipitur Cryſtallus proprie ſic dicta, quæ eligenda eſt puriſſima, pellucidiſſima, ac eximie intenſa. Dicitur *Cryſtallus* a κρύος, gelu, & στέλλω, contraho. G. Bergcryſtall.

CVBEBA, Indis cubab, *Auicennæ* Kebaba, penult. corrip. quia *Actuario*, & aliis Græcis recentioribus appellatur κάπεπερ, κόμπεπερ, κόμβεβαρ, & κόμβεβα. Cubebæ fructus ſunt aromatici, piperis magnitudine fere, vnicum petiolum ſinguli habent Sapor piperis inſtar eſt. Creſcit eodem fere modo ac piper, hederæ modo per arbores repit. Fructus racematim cohæret. Flos eſt odoratus. Adfertur ex India orientali. G. Cubeben, Schwantzpfeffer.

CVBIFORME, vide *Cuboides*.

CVBITÆA arteria; vox nullius auctoritatis aut analogiæ. Cur non ſimpliciter *cubiti*? aut, vt eleganter *Riolanus*, *vlnam recta percurrens*. Idem iudicandum de RADIÆA, pro quo dicas *arteria radii*, aut, cum *Riolano*, ramus radio attenſus. Puto talia conficta eſſe ad exemplum quorundam Græcorum, vt νωτιαῖος, στεφανιαῖος. Sed in aduerbiis Græcis alia eſt ratio, alia & diuerſa in Latinis.

CVBITÆVS muſculus, melius cubiti, (nam cubitæus eſt vox nihili) *internus* eſt vel *externus*. *Primus* oritur a condylo oſſis humeri interno, confundens principium cum palmari ſubli-

ſublimi, per interiorem & anteriorem cubiti partem extenditur, inſeritur forti tendine oſſiculo carpi, quod primi ordinis eſt extimum, ſupra digitum minimum. Alter *externus*, ab externa brachii apophyſi emergens, iuxta cubi externi longitudinem ſtratus, auricularem infra digitum, prope metacarpi os quartum, tendine deſinit ſpectabili. G. Der Ellebogenmuſcul.

CVBITVS, PLAVTO gibber brachii. Gr. ὠλέκρανον, ἀγκὼν, κύβιτον, κύβωλον. Eſt media pars inter humeri os & carpum; componitur ex duplici oſſe, vlna ſcil. & radio: quorum extrema quidem commiſſa ſunt; intermedia autem ab inuicem ſecedunt, quamuis membranoſo ligamento copulata. G. Ein Ellnbogen. Eſt quoque menſura, quanta patet a cubiti flexura usque ad ſummum medium digitum, quæ ſex palmis digitiſue viginti quatuor conſtat.

CVBOIDES ſeu CVBIFORME, eſt quartum os tarſi in vtroque pede, quod & *os teſſeræ, grandinoſum*, & πολύμορφον vocatur, ex κύβ☉ cubus, & εἶδ☉ forma. G. Das Würfelbein.

CVCVLVS uſtus Rondeletio laudatus, pen. prod.

Ceſſiſſet magna compellans voce cuculum. Hor. 1. Sat. 7.

Ita *Plautus* & in *Pſeudolo*, & *Aſinaria* penult. prod. & opportune quidem hoc accentu pronunciationem volucris importunæ imitatur. Eadem ſententia eſt *Becmanni*, *Torrentini*, *Paræi*, aliorumque eruditiſſimorum hominum, vt neceſſe ſit & *Buchananum* penult. corripientem ſibi excidiſſe, & adulterinum illum *Martiali* attributum peccare verſiculum:

Quamuis per plures cuculus cantauerit annos,

& ſpurium illum *Ouidio* in *Philom.* attributum:

Et cuculi cuculant, fritinnit rauca cicada.

CVCVLLARIS MVSCVLVS, ſeu TRAPEZIVS, eſt primus ſcapulæ muſculus, a figura *cucullaris* dictus. Incipit ab occipite & colli vertebrarum ſpinis, & ſubinde pluribus dorſi ſuperioribus; inſeritur tendine lato partim ſpinæ ſcapulæ, partim acromio & clauiculæ. G. Dit Mönchskappe.

CVCVMER, CVCVMIS, & CVCVRBITA pen. corr.

Cæruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre. Prop. l. 4. c. 2.

Cucumeris pen. corr. ut piperis, ciceris, vomeris. Eſt planta, quæ habet caules plurimos, villoſos, repentes; quibus alternatim adnaſcuntur folia, ampla, lata, anguloſa, inciſa & dentata, aſpera, repentia, flores ſunt monopetali, campaniformes, patentes, quinquifidi, flaui, ex quibus alii ſteriles ſunt, nulli embryoni adhærentes, alii fœcundi, embryoni inſidentes, qui deinde abit in fructum variæ & ſingularis figuræ, (eſt

enim oblongus, rotundus aut tortuoſus,) carnoſum, edulem, mollem, viridem aut flaueſcentem, verrucis aliquando præditum, corticem tenerum habentem, teretem, in terna vel quatuor loculamenta diuiſum, ſemina oblonga, plana, alba, continentia, in medio paululum tumida ſeu conuexa, candicantia, ad extremitatem acuta, ſeminibus melonum anguſtiora, corticem durum habentia, in quo latet amygdala dulcis, vnctuoſa, ſaporis grati: radix fibroſa, alba, recta: hæc planta in hortis colitur. Varroni dicitur a curuore, quaſi curuimer: plerumque enim incuruantur. Gr. σίκυς & σίκυος. Sunt qui *Anguriam* appellant. G. Gurcke, Cucumer.

CVCVPHA, eſt integumentum capitis, fit ex cephalicis odoratis, quæ in puluerem redacta, cotone moſchato excipiuntur, & inter pannum ſericum interpunctantur; quod aduerſus catarrhos, aliosque capitis morbos, ſuper caput geritur, vel pileo intus aſſuitur. G. Ein Kräutermützlein.

CVCVRBITA, eſt vas chymicum turbinatum ex terra vel vitro confectum, deſtillationibus per alembicum inſtituendis, aptum. Quandoque etiam pro cucurbitula ſumitur. G. Ein Kolb, Cucurbit.

CVCVRBITA, eſt planta, quæ habet plures caules ſarmentoſos inſtar digiti craſſos, longos, repentes, aut ſcandentes cum capreolis: folia ſunt ampla, magna, rotunda, mollia, lanuginoſa, in margine aliquantulum crenata; flores albi, campaniformes, vt plurimum quinquifidi, villoſi; ex quibus quidam ſteriles ſunt, nulli embryoni inſidentes; alii vero fœcundi, ſeu inſidentes embryoni; qui abit in fructum, in quibusdam ſpeciebus teretem & longum, in aliis lageniformem, vel inflexum in ſex loculamenta plerumque diuiſum, fœta ſeminibus pallidis, planis, oblongis, hinc obtuſis, inde latioribus, & quaſi introrſum emarginatis, ſeu auriculatis duabus apophyſibus, quaſi anguloſis eminentibus, & duabus lineis per longitudinem excurrentibus notatis; hic fructus habet corticem durum, lignoſum, flaueſcentem; eius caro eſt fungoſa, medulloſa, alba & inſipida: radix tenera & fibroſa, hæc planta in hortis colitur. Gr. κολοκύνθη. G. Ein Kürbs, Kürbis.

CVCVRBITINI LVMBRICI, ſunt vermes lati ſemini cucurbitæ ſimiles, quorum vnus alteri adhæreſcit, vnde fiunt omnium longiſſimi, quamplurimas vlnas interdum æquantes, in humanis inteſtinis reperiundi; vocantur quoque *Tæniæ. Lumbrici lati.* G. Kürbsſaamen gleiche Würmer.

CVCVR-

CVCVRBITVLA ſeu CVCVRBITA, eſt vas ventricoſum, ex vitro vel ſtanno conflatum, quod corpori cum ſcarificatione, vel ſine ea, applicatur, ad ſanguinum extrahendum: ſi ſine ſcarificatione inſtituitur, *cucurbita cæca & ventoſa* appellatur. Gr. σικύαν κώφην vocant. G. Blindköpfe. Cucurbitulæ apponuntur in partibus maxime carnoſis, vbi vaſa magna & nerui lædi non poſſunt. *Tractio* illa, quæ fit in cucurbitulis applicatis, hoc modo peragitur: poſt cutis ſcarificationem, aer in cucurbitula contentus vi flammæ vel ſtupæ incenſæ rareſit & dilatatur, poſtea vero, frigefacto & condenſato aere interno, minus ſpatium occupatur, tum aer externus premens carnem, ſanguinem in cauitatem cucurbitulæ propellit. Scarificatam Gr. σικύαν μετὰ χασμῦ appellant. Cucurbitularum duo genera ſunt, *inquit* Celſus, *æneum & corneum.* Ænea, altera parte patet, altera clauſa eſt. Cornea, altera parte æque patet, altera foramen habet exiguum. In æneam linamentum ardens coniicitur, ac ſic os eius corpori adaptatur, imprimiturque, donec inhæreat. Cornea, per ſe corpori imponitur; deinde vbi ea parte, qua exiguum foramen eſt, ore ſpiritus adductus eſt, ſuperque cera cauum id clauſum eſt, æque inhæreſcit. At ſi cætera defecerunt, caliculus quoque aut pultarius, oris compreſſioris, ei rei commode aptatur. Vbi inhæſit, ſi conciſa ante ſcalpello cutis eſt, ſanguinem extrahit: ſi integra eſt, ſpiritum. Ergo vbi materia, quæ intus eſt, lædit, illo modo, vbi inflatio, hoc imponi ſolet. *Corneis* hodie vtuntur *Ægyptii*, vt patet ex *Proſp. Alpino.* G. Köpfe ſetzen, Schröpfen, Badkopf.

CVLEVS, eſt veterum magna menſura, quæ capit vrnas quadraginta.

CVLMVS, frumenti calamus eſt, qui ſpicam ſuſtinet.

CVMINVM, quibusdam CYMINVM, pen. prod.

Rugoſum piper, & pallentis grana cumini. Perſ. Sat. 5.

Pallerem caſu, biberent exſangue cuminum. Hor. ep. l. 1. 19.

Νίτρυ σὺν δὲ κύμινα χέας, ἔλαιόν τε κονύζης. *Nicand. Theriac.*

Planta eſt officinalis, ſpecies carui, habet caulem in multos ramos diuiſum: folia ſunt vt fœniculi minutim inciſa, ſed minora: flores in vmbellam creſcunt in ſummitate ramorum, coloris albi. Semina his ſuccedunt bina ſibi inuicem iuncta, oblonga, ſtriata, minima, acuta ab vtraque parte, coloris cinerei, virideſcentis aut flaueſcentis, odoris penetrantis & ingrati, ſaporis plerumque acris ſubamareſcentis; radix tenuis, oblonga, quæ perit ſemine maturo. Cæterum ſatis conuenit cum fœniculo. Apud nos in hortis curioſorum quidem colitur,

Q 2 ſed

ſed officinis adfertur ex Italia & vlterioribus regionibus calidioribus. G. Kramkümmel.

CVNEIFORME OS, dicitur a cuneo, cuius formam referre volunt: ſed quis vnquam cuneum huius formæ vidit? Antiquis *πολύμορφον multiforme*, ob varios, quibus aſperatur intus & extra, proceſſus, ſub media cerebri baſi ſitum habet, eique ſubſternitur, ita vt omnia fere capitis, maxillæque ſuperioris oſſa tangat. Hinc quoque *baſilare os* dicitur. Vide ſphenoides. G. Das Keilgleiche Bein.

CVNEIFORMIA OSSA, ſunt quæ quintum, ſextum & ſeptimum os tarſi conſtituunt. *Sphenoidea, innominata & calcoidea Fallopio* dicta. G. Die Keilbeinlein.

CVNICVLI pinguedo, penult. corr.

Gaudet in effoſſis habitare cuniculus antris. Mart. 13. 60.

CVNNVS, eſt pudendum muliebre, ex clitoride, nymphis, labiis &c. conſtans à *κύω* pario, concipio. Vocatur etiam natura *Plin.* muliebria *Eid.* hortus *Ouid.* genitale aruum *Virg.* vtrumque honeſta metaphora. ſic *κῆπος Laertio, νέμος Heſych.* Interfemineum *Apul.* vulua, porcus *Varroni* ad imitationem. Gr. *φύσις Artemidoro, χοῖρος, κλεὶς Rufo. σάκανδρος, ἀπόῤῥητος μυχὸς Suidæ. δόριλλος Etymol. βλῆχον, τρῆμα, ὕσσακος, μύρτον, μέλαθρον Heſych. κλητωρὶς, φορμίσιον Ariſtoph. διασφὰξ Euſtathio, γέῤῥον, ἐπίσειον, ἴκταρ Hippocr. κένταυρος* teſte *Euſtathio*, apud *Theopompum, ὀρθαγόρας, & εὐτοτὸς Ariſtoph. γλωττοκομεῖον Eubulo* comico, *σινδικὸν* teſte *Stephano, παιδοπόρος γένεσις Epigr. δέλτα, σάροβος.* G. Die Weibliche Scham, das Geburtglied.

CVPELLA, COPELLA, & CAPELLA ſiue CATINVS, eſt catillus ex cineribus oſſium elixiuiatis depuratisque, aut aliis rebus compoſitus, in quo, dum ſummo igni reſiſtere poteſt, aurum & argentum depuratur. Vide *catillus cinereus.* G. Eine Capelle.

CVPRESSVS, idem quod *Cypreſſus.*

CVPRVM, vide *æs.*

CVRATIO, ſeu MEDELA, eſt recta ratio & ordo inueniendi per intentiones & indicationes, certa cuique morbo remedia, quibus ſanitas amiſſa reſtituatur. Gr. *θεραπεία.* G. Geneſung, Artzney, Cur, Heilung.

CVRCVLIO, idem quod *Cion.*

CVRCVMA, pro cypero Indica, vox recentior *Officinarum*, nomen ei ab inæqualitate radicis, lupatis equorum ſimili, quæ olim, hodieque nodis ferreis oliuarum inſtar ſibi cohærentibus diſtin-

diſtinguuntur, κάρκαμα nuncupatis, ut probe in *Theophraſto ſuo* obſeruauit *Bodeus a Stapel*, & ante eum *Pollux l. 1. c. 2.* Vnde *Heſychio*: ἐν κημῷ, ἐν καρκάμῳ, & *Achin. c. 271.* Ἐι δ' ἄνευ δεσμῶν σιδηρῶν, ἢ καρκάμων. &c. Penult. ergo producit, quia eſt a Græco κάκρεμον *Borrich.*

CVRCVMA, ſiue CROCVS INDICVS, eſt radix exotica, non tantum croceo colore apparens, ſed & eodem alia tingens. Duplex communiter eſt, aliquando longa, aliquando radice rotunda: hæc multo acrior priori exiſtit, atque cum zingibere ſæpe affertur. Folia habet & floſculos cannæ Indicæ iunioris ſimillimos: qui plura deſiderat, conſulat hortum Lugduno-Batauum, ab HERMANNO editum. Deriuatur ab arabica voce *curcum*: eſtque crocus Indicus. G. Gelbwurtz, Gelſuchtwurtz. Ab aliquibus vocatur *terra merita*.

CVSCVTA, vox *Officinarum*, Græcis recentioribus κασσύθα, quæ καδύτας *Theophraſti 2. de cauſ. 3.* exiſtimatur, & cadytas *Plinii l. 16. c. 44* Kusjouths *Auicennæ* vocatur, haud dubie a κασσύθα Græcorum. Quia ergo cuſcuta levi detorſione a Kusjouths, & κασσύθα naſcitur, & κασσύθα penult. producit, ſequitur idem cuſcutæ fatum eſſe. Opportune vero κασσύθα appellatur a κασσύω, conſuo, quod velut filis intortis plantarum aliarum folia conſuat, iungatque. De quantitate ita Poeta:

-- -- -- -- ἔοικε
Πέλμασιν οἷα πέδιλα παλίμβολα κασσύουσι. *Nicander apud Athen. l. 9.*

Vide CASSVTHA.

CVSPIS vel HAMVS, eſt faſciæ ſpecies, quam GALENVS *de faſc. cap. 91.* in hunc modum tradit: duæ faſciolæ iuſtæ longitudinis, latitudinis autem duorum digitorum, mediæ brachiorum capitibus iniectæ, pendeant extremis capitibus, deinde a dorſo, pariterque ab vmbilico, adducantur ad imitationem x. litteræ, & fibula inter ſe nectantur, poſtmodum addatur Geranis, ſimilitudinem fiſcellæ habens. *Geranis* autem eſt aliud faſciæ genus, quod ibidem deſcripit *cap. 86.*

CVSTOS OCVLI, eſt inſtrumentum, quo in operationibus quibusdam circa oculum præcauetur, ne oculus lædatur. G. Augwächter.

CVTICVLA, eſt operimentum cutis, ſine ſenſu, membranæ modo, ſupra vniuerſam cutim foris extenſa, innumeris porulis peruia, ad externarum iniuriarum declinationem, vaſorum cutaneorum occluſionem, & dum nudos neruos tegit, ad perfectiorem qualitatum tactilium perceptionem, ſquammu-

lis minimis accommodata, in ſulcos areasque exſculpta. Nutritur, nam amiſſa denuo reſtituitur, licet eius vaſa minus ſint conſpicua. Non condenſatur frigore, quoniam in fœtibus abortiuis eam ſæpe oſtendi. Nec vaporibus oleoſis condenſatur, propterea quod vapores condenſati, facillimo negotio eluuntur. Gr. ἐπιδερμίς. Vid. *epidermis.* G. Das åuſſerſte Håutlein.

CVTIS, in viuo homine. Nam *Pellis* eſt a carne iam diducta, quæ & *Exuuiæ*: Illa χρώς, hac vero δέρμα, παρὰ τὸ δέρειν, & δορὰ, & στέρφος *Lycophr.* παρὰ τὸ στέρφειν τὸ σῶμα ἀμφιεννύμενον, & ῥινὸς *Homero*, ἀνθρωπηίη *Herodoto*, δερβιστήρ. Eſtque velamentum totius corporis externum, ſiue membrana ſatis craſſa, ex filamentis vaſorum ſanguineorum, lymphaticorum, neruorum, varie inter ſe complicatis contexta, quibus, ex quorundam opinione, glandulæ numeroſæ, & lymphæ ductus, ſiue ſudoris & vaporum vaſa excretoria denſiſſime interponuntur: plurimis poris hinc inde peruia eſt, variis in locis ſenſibiliter, ad neceſſariorum introitum & exitum, perforata, vt circa os, nares, oculos, aures, pudendum, anum, &c. in capite eſt craſſiſſima; in ceruice, dorſo, &c. mediocriter dura eſt; rarior in facie, pene & ſcroto; tenuis in lateribus, tenuiſſima in labiis, in quibusdam locis, vt in cubito, fronte, plantis pedum &c. firmiter cohæret. G. Die Haut, oder Fell.

CYAMVS, vide *faba.*

CYANVS, a colore cyaneo ſic dictus, penult. corr.

Κυάνεοι δὲ δράκοντες ὀρωρέχατο ποτὶ δειρήν. id eſt, *cærulei autem ſerpentes protenſi erant circa collum. Hom. Il.* λ.

Tranſeat inſtabiles ſtrenua Cyaneas. Ouid. 1. Triſt.

Cyanus, eſt planta, quæ habet caules multifidos, anguloſos, lanuginoſos, excauatos, ramoſos, albeſcentes: folia ſunt oblonga, anguſta, profunde inciſa vt dentis leonis, villoſa, coloris viridis palleſcentis: flores in ſummitate ramorum creſcunt, magni floſculi, plurimis ſcilicet floſculis ſed diſſimilibus conſtantes. Alii enim, qui meditullium occupant, cæteris minores ſunt, in lacinias æquales diuiſi; cæteri vero ad circumferentiam poſiti, longe maiores ſunt, magisque conſpicui, & veluti bilabiati, vtrique embryoni inſident, & calice ſquamoſo non aculeato comprehenduntur. Embryo autem dein abit in ſemen oblongum, pappis inſtructum: radix minima, lignoſa, fibroſa: creſcit inter ſegetes. Nonnullis *baptiſecula*, rectius tamen *blaptiſecula* vocaretur, quod βλάπτειν Græcis nocere ſignificat, ſecula autem falcem. Noſtri *Florem frumentorum* nominant, quod ſcil. in frumentario naſcatur agro. *Cyanus* hæc

hæc planta dicitur, ob florem, quem profert, cæruleum. G: Kornblume.

CYATHVS, Barbaris *bickarium*, forſan a Germanico, ein Becher. Arab. corrupte *Alcuatus* & *Alcuatum*. Menſura eſt tam aridorum quam liquidorum, non, vt quibusdam viſum, poculum vulgare, verum ſextarii pars octaua; ſed ad drachmarum pondus decima, ſecundum Atticos, duodecima Simlero & Menæ, quomodo PLINIVS accipit. Oribaſio drachm. XII. obſeruatione communi, cui *Fernelius* ſubſcribit, quibus addit *Ægineta* ſcrupulos IV.

CYCLAMINVS, κυκλάμινος, *Dioſcoridi l. 2. c. 194.* & *Theophraſto l. 9. c. 10.* & *Galeno de ſimpl. pharm. fac. c.* ζ cyclaminus *Plinio l. 25. 9.* & *l. 21. c. 9.* cyclaminum, i. vulgo cyclamen, inis, planta ſic dicta ab orbe tum folii, tum radicis; *Cyclamen* autem penult. corripit, & *cyclaminus* penult. producit, de utroque ſecuros nos eſſe iubet Poeta *apud Athæn. l. 15.*

> Καὶ γεραὸν πώγωνα, καὶ ἐυτραπέας κυκλαμίνυς. Id eſt, ut nec ſenilem barbam, nec ſpecioſum cyclaminum.
>
> Ἵππειαν λαχῆνα, καὶ ἐν κυκλάμινον ἀγέρας. *Nicand. in Theriacis.*

Nicander hic *Colophonius* eſt, ſcriptor antiquiſſimus, Attalo Regi tempore æqualis; quem ſtudioſiſſime & legit *Dioſcorides*, & in venenorum hiſtoria, atque curatione imitatus eſt. Vide ſupra *Arthanita.*

CYCLISCI, ſunt ſcalpra ſemilunaria, operationibus chirurgicis accommodata, diminutiuum a κύκλος circulus.

CYCLOPHORIA SANGVINIS, idem quod *Periodus ſanguinis.* Ex κύκλος circulus & φέρω, fero.

CYDONIVM, penult. corr.

> *Quæque ſuos curuant matura cydonia ramos,*
> *Cornaque adhuc noſtris non ſatis apta cibis.* Ouid 3. de Art.
>
> *Si tibi Cecropio ſaturata cydonia melle.*
> *Ponantur, dices hæc melimela licet.* Martal. l. 13. ep. 24.
>
> Vide *Cotonia.*

CYLINDRVS, eſt emplaſtrum oblonga forma volutum, officinis *Magdaleo.* μαγδάλια. G. Eine Pflaſterrolle.

CYLLVM, eſt crus exterius luxatum. Item claudus & curuus, a κυλλόω claudum reddo, vnde *Cylloſis* claudicatio.

CYMA, CYMÆ, ſunt teneri cauliculi, *iuli* dicti, vel potius, cymæ ſunt herbarum delicatiores teneriore sque colliculi, quos a prima germinatione, in ſumma ſtirpe proferunt.

Nam cum vernum tempus appetit; primo quoque foliorum pullulatu, præcluſis adhuc florum calycibus, quosdam quaſi turiones olus ſubminiſtrat, in quibus floris primum, mox ſeminis fœtus concluditur. G. Die Keimein, Schößlein der Kräuter.

CYMBALARIA, putant a cymbalio nomen corrupte traxiſſe hanc herbam. Cymbalium autem vocant plantam, quæ & umbilicus veneris dicitur. Sed differre cymbalariam a cymbalio nuda inſpectione patet.

CYMBIFORME OS, vide *Nauiculare os.*

CYMINVM, vide *Cuminum.*

CYNANCHE, & Λυκάγχη *Aurel.* quod canes ac lupos frequenter afficiat: eſt internorum muſculorum laryngis inflammatio, cum reſpiratione difficillima & febri continua. Ex κύων canis & ἄγχω ſuffoco. Vide *Angina.*

CYNANTHEMIS, eſt cotula fœtida, ſeu flos caninus, ex κύων canis, & ἄνθεμις chamæmelum.

CYNANTHROPIA, eſt rabies canina, qua ægri lucem & quæuis clara ac ſplendida fugiunt, aquam metuunt, ac ad eius conſpectum & commemorationem contremiſcunt. Naſcitur plerumque ex veneno rabidi animalis, vt canis, lupi &c. homini per morſum vel quouis alio modo, communicato, ex κύων canis, ἄνθρωπος homo. G. Der von einem tollen Hunde gebiſſen iſt. Nonnunquam deſignat delirium melancholicum, in quo homines ſeſe credunt in canes mutatos, quorum actiones omnes æmulantur.

CYNICVS SPASMVS, vide *Spaſmus Cynicus.*

CYNOBOTANE, eſt cotula fœtida, ex κύων & βοτάνη herba.

CYNOCOPRVS eſt ſtercus caninum, ex κύων & κόπρος ſtercus.

CYNOCRAMBE, Gr. Λινόζωστις, eſt braſſica canina, ſeu mercurialis. Ex κύων & κράμβη braſſica.

CYNODES OREXIS, eſt appetitus caninus, ſiue fames præter modum aucta, nullo vtcumque copioſo cibo ſedanda. Oritur ex fermento ventriculi nimium aucto vel acrimonia quadam, vel robore fibrarum nimio. Ex κυνώδης, *caninus*, & ὄρεξις, *appetitus.* G. Hundshunger.

CYNODESMVS, eſt vinculum, quo membri genitalis cuticula cum glande colligatur, ex κύων canis, δεσμὸς vinculum, a δέω vincio. G. Hundsband.

CYNODONTES, ſunt dentes illi inter molares & inciſores poſiti, quatuor numero, *canini*, *columellares* & *oculares dicti*, ex κύων canis & ὀδὼς dens. G. Die Spitzzähne, oder Augenzähne.

CYNOGLOSSVM, eſt herba, quæ habet plures caules duos pedes altos, ramoſos, lanuginoſos: folia ſunt longa, anguſta, acuta, lanuginoſa, mollia, albeſcentia, odoris penetrantis: flos monopetalus, infundibuliformis, & multifidus, huius piſtillum abit in fructum, ex quatuor capſulis conſtantem; vtplurimum aſperis, & ſemine fere plano fœtis, placentæ pyramidatæ & quadrilateræ affixis: radix oblonga, craſſitie digitali, foris ex atro rubens, intus albida, ſaporis fatui mucoſi, aliquando ſubdulcis, odoris grauiuſculi, aliquid fœtidi canis redolentis, narcotici, ſi creſcit in locis vliginoſis, in ſiccioribus inodora fere, admota naribus ſomnum conciliat. Lingua canina, ob canis linguæ ſimilitudinem, quam folia referunt, dicta. Vel quia huius plantæ foliis credebant ſic demulceri poſſe vulnera, ſicut a lingua canina fit. Ex κύων canis, & γλῶσσα lingua. G. Hundszung.

CYNOREXIS, idem quod *cynodes orexis*.

CYNORRHODOS, eſt roſa canina, ex κύων & ῥόδος roſa. G. Hundsroſen, wilde Roſen.

CYNOSBATOS penult. corr.

Χειρίδας τ' ἐπὶ χερσὶ, βάτων ἕνεκ' αὐτὰρ ὕπερθεν.

id eſt, *chirothecas manibus* (geſtabant) *ruborum gratia, at deſuper*.

Cynosbatos, eſt rubus caninus; ex κύων & βάτος rubus; idem quod *Cynorrhodos*.

CYNOSORCHIS, eſt teſticulus caninus, ſatyrii ſpecies, ex κύων & ὄρχις teſticulus. G. Knabenkraut.

CYPARISSVS, idem quod *Cypreſſus*.

CYPERVS, *Dioſcoridi l. 1. c. 4.* κύπειρος, eodem modo ſcribitur *Theophraſto*, *Theocrito*, *Heſychio*; *Varroni* cyperum, is *Galeno* tamen *de ſimpl. pharmac. facultat. l. 7.* κυπέρον, ſed haud dubie tacite ibi diphthongus intelligitur; qvid ſi fefellerint librarii? Qvicqvid ſit, tutius penult. producetur tot antiquis ſcriptoribus ſuſtentato. Hinc *Vindicianus v. 59.*

Cyperum, ladanum, ſagapenumque & tragacanthum.
Acceptæ Veneri baccæ, bicolorque cyperus. *Sam. 3. Pæd.*
Ἠὲ φιλοζώοιο κυπείροιο, ἠὲ κυπείρου. *Nicand. Alexiphar.*

Cur autem alibi *Vindicianus* cum *Homero* penult. corripuerit, viderit ipſe.

Cyperus duplex eſt, *longus & rotundus*. Longus ſiue odoratus, vel officinarum, habet folia porri, ſed longiora, duriora, tenuiora & acutiora: caulis eſt rectus, duos circiter pedes altus, ſine nodis trigonus, medulla alba plenus, flos apetalus eſt, plurimis ſcilicet petalis conſtans, in capitulum ſquammoſum collectus; in ſquammarum autem alis oritur piſtillum, quod deinde abit in ſemen plerumque triangulare: radix oblonga, craſſa inſtar cygni plumæ, nodoſa & geniculata, contorta, repens, fractu contumax, fibroſa, flexilis, foris coloris ſubobſcuri, intus griſei, ſaporis ſuauis, ſubacris, & aromatici paululum exſiccantis, odoris fragrantis, ad nardum accedentis. Cyperus rotundus, habet radicem rotundam, oliuæ magnitudine & figura, foris rufam, ſcabram, intus albam, pluribus ex vno capite tenuibus quaſi filis dependentibus, ſaporis & odoris eiusdem cum cypero longo: creſcit in India orientali nempe in Iaua, & aliis in locis. Adfertur ex Italia, Syria, Alexandria, India &c. eſt iunci ſpecies, a radicis effigie, quæ pixidulam aut poculum, vaſculumue puſillum imitatur, dictus videtur, ſiquidem apud THEOPHRASTVM folliculus ulmi Κύπερος τῆς πτελέας legitur: iuxta aquas facile ſuccreſcit, & radices odorem gratum ſpargunt. G. Cyperwurtzel.

CYPHEOS trochiſci, penult. corrip. qvia *Galeno lib. 2. de Antid.* per υ ſcribuntur:

Ἐπεὶ οὖν κύφεως ἐμνημόνευσεν ὁ Δαμοκράτης &c.

CYPHOMA, CYPHOS, idem quod *Cyphoſis*.

CYPHOSIS, Lat. *incuruatio*, eſt ſpinæ dorſalis verſus poſteriora incuruatio, a κύπτω inclino. G. Ein Buckel ein Hocker.

CYPRESSVS ſeu CVPRESSVS, eſt arbor frondis amœnæ, procera, valde ramoſa, pyramidalis: lignum habet durum, compactum, odoratum, coloris flaueſcentis, cariei non facile obnoxium: folia ſquammatim ſibi mutuo incumbunt, profunde ſunt inciſa, vt in tamariſco, ſed magis carnoſa, duriora, & firmiora: flos mas amentaceus, ſquammoſus, apices pulueruIentos habens: fructus eſt quaſi nux, nucis moſchatæ magnitudine, ſubrotundus, ſiccus, griſeus, dehiſcens in multos quaſi clauos, ſub quibus ſemina anguloſa, plana, rubicunda, medulloſa. Hæc arbor ſemper viret, diſtinguitur in marem, qui ramis eſt extra ſe expanſis, quæ vero ramos in metæ faſtigium erectos habet, dicitur fæmina: creſcit in Græcia, Italia, Hiſpania, Creta & Aſia, inque regionibus calidis fundit reſinam, quæ per inciſionem, in trunco arboris factam, educitur:

Gr.

Gr. κυπάριϲϲος. Poetæ cupreſſum a Cypariſſo in hanc arborem conuerſo dictam putant. Plutoni ſacra eſt. G. Cypreſſenbaum.

CYPRINVS LAPIS, penult. producit *Oppiano*. Vide & *Adiectiua in* INVS *ab animatis deriuata.*

CYRTOMA, CYRTOSIS, eſt gibbus dorſi. Item tumor contra ſanitatem in quacunque corporis parte excitatus; a κυρτόω incuruo.

CYSTHEPATICVS DVCTVS, eſt is, qui in ductum hepaticum & folliculum fellis implantatur. Inſpice Anatomicos.

CYSTICA, ſunt medicamenta aduerſus veſicæ morbos, a κύϲτις veſica.

CYSTICVS DVCTVS, ſiue BILARIVS, idem quod *porus bilarius.*

CYSTIS, Gr. κύϲτις, eſt veſica vrinaria, aut fellis.

CYSTIS CHOLIDOCHVS, idem quod *folliculus fellis.*

CYSTOTOMIA, eſt veſicæ ſectio; ſed per illam intelligitur *lithotomia*, vide ſuo loco.

CYTISVS, eſt frutex, qui creſcit ad altitudinem quatuor vel quinque pedum: caules ſunt tenues, lignoſi, in multos ramos anguloſos, flexiles, & virides ſe extendentes: folia terna, acuta, villoſa: flores ſunt papilionacei, leguminoſi, coloris flaui, raro albi: flori ſuccedit ſiliqua plana, ampla, nigra, villoſa, in duas partes dehiſcens, fœta ſeminibus planis & oblongis: radix diuiſa eſt in multos ramos, neruoſos, flexiles, flauos; tota planta habet odorem penetrantem, & ſaporem amarum: creſcit in locis deſertis & montibus.

D.

DACRYDIVM, Gr. δακρύδιον, *lacrymula*, ſic vocatur ſuccus, quem ſcammonii radix vulnerata fundit, exſiccatus. Vulgo corrupte dicitur diagrydium, aut diagredium.

DACRYODES, ſiue LACRYMOSVS, eſt vlcus continuo ſaniem aut ichorem effundens. Gr. δακρυῶδες ἕλκος a δακρύω lacrymor.

DACRYON, idem quod *Lacryma*, a δακρύω lacrymor.

DACTYLVS, a ſimilitudine digiti ſic dictus, penult. corripit, ut

Dactylicos, elegos, choriambum carmen, epodos. Auſon. ep. 10.

Dacty-

Dactylus, eſt fructus palmæ, oblongo rotundus, dulcis, intus duriſſimum continens nucleum. Arbor procera eſt viginti vlnarum & amplius, creſcit in Iudæa, Syria, Ægypto, Africa, India &c. Folia enſibus ſimilia habet, deorſum cannarum modo decidentia. Vere floret. Ramus enim quodam inuolucro oblongo, veſicæ modo, ad ver vſque clauſo, & tunc aperto præditus, flores emittit paruos, albos, odoratos, racematim deorſum ab inuolucro reſidentes, ac pendentes. Autumno fructus maturantur. Dicitur Gr. φοίνιξ; hinc compoſitio illa *diaphœnicon* dicta, quæ recipit dactylorum pulpam. G. Datteln.

DANICH, pendet grana octo, idem quod *lupinus*.

DAPHNE, vide *laurus*.

DAPHNOIDES, eſt laureola, ſic ob lauri ſimilitudinem dicta, ex δάφνη laurus & εἶδος forma.

DARSIS, eſt excoriatio cutis, a δέρω excorio. Vide *intertrigo*.

DARTVS, eſt membrana ſcroti, quæ celluloſæ tunicæ eſt lamella interior, cui accreſcit muſculus corrugator; eſtque vera burſula, ambiens teſtem vndique, cui ab altera parte alia ſimilis accreſcit, ſicque ſeptum dictum conſtituunt, vel potius faciunt duo ſcrota, vnicuique teſti vnum, hinc proprie ſeptum dici non debet. A δέρας pellis.

DASYMMA, Gr. δάσυμμα, eſt palpebræ internæ inæqualitas ſuperficiaria cum rubore, a δασὺς aſper.

DATVRA, eſt ſolani Indici ſpecies. Deriuatur ab Indica voce *Datiro* & *Tatel* ſeu *Datel*. Vide *Stramonia*.

DAVCVS, duplex eſt, vel Creticus vel vulgaris: Creticus eſt planta, quæ habet caulem ſeſquipedem circiter altum, rotundum, ſtriatum, villoſum: folia inciſa inſtar fœniculi, ſed tenuius, lanuginoſa: flos eſt roſaceus & vmbellatus, plurimis ſcilicet petalis conſtans inæqualibus in orbem poſitis, & calici inſidentibus; is autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum, roſtri auium æmulis, ſtriatis, hinc gibbis, inde vero planis, parum villoſis, albeſcentibus; ſaporis acris aromatici, grati, odoris debilis: radix eſt longa, digiti craſſitie, fibroſa, odorata, ſaporis paſtinacæ; creſcit in inſula Creta ſiue Candia, colitur etiam in hortis. Daucus vulgaris habet ſemina compreſſa, cinerea, dauco Cretico breuiora, latiora, circa marginem vtrinque villis obſita, ſaporis dauco Cretico debilioris, odoris fragrantis; vnde hæc planta a quibusdam nidus auis dicitur, quia vmbella eſt inſtar nidi auis. G. Möhrenkümmel.

DEAL-

DEALBATIO, ſiue LEVCOSIS, pertinet ad artem coſmeticam, qua facies, dentes, cicatrices, vel aliud quid dealbantur. Vtuntur hac voce quoque chymici. G. Weißmachung.

DEARTICVLATIO, ſiue ABARTICVLATIO, idem quod *Diarthroſis.*

DEAVRATIO, dicitur quando pilulæ aut boli auro foliato obducuntur. Item tinctura fucata metallorum, monetarum &c. G. χρύσωσις. G. Vergüldung.

DEBILITAS, eſt quando quis viribus minus pollet, ſeu muſculos corporis ſatis mouere nequit, quod vel ex lipothymia vel ſyncope, vel ex inedia quoque, vel ex morbo, laxitate fibrarum, vel alio quouis modo exoritur. Gr. ἀσθένεια. G. Schwachheit.

DECANTATIO, eſt liquoris limpidi a fœcibus effuſio. G. Abgieſſung.

DECIDENTIA, idem quod *Cataptoſis.* Dicitur quoque neuter ſtatus, qui ex ſtatu optimo & temperato verſus morbum inclinat. Item quando morbus acutus, e. g. pleuritis, in lentum, vt empyema, abit, dicitur *morbus ex decidentia.*

DECLINATIO morbi, eſt quando a ſtatu & vigore recedit, & æger extra diſcrimen ponitur: nemo enim in declinatione, niſi accidentaliter, moritur. Vide *acme. Per declinationem* aliquid effundere, eſt quando vas continens declinatur, ita vt liquor ſenſim effundatur, ne ſedimentum moueatur, & liquorem turbet.

DECOCTIO & DECOCTVM, vide *Apozema,*

DECOMPOSITVM, auget ſignificationem compoſiti, diciturque de illis, vbi iam antea compoſita cum aliis porro componuntur. e. g. nitrum eſt compoſitum ex ſpiritu acido & ſale ſui generis alcalico: ſi ipſi iungas ſaccharum ſaturni & cum eo cryſtallizes, fiet decompoſitum, aut plane ſuperdecompoſitum.

DECORTICATIO, eſt, quando res, vt radices, ſemina, fructus &c. a ſuo cortice liberantur. G. Abſchelung der Rinde.

DECREPITATIO, de ſale communi & ſimilibus muriaticis ſalibus dicitur, quæ cum ad ignem ſine fuſione calcinantur, ſtrepitum ſeu crepitum edunt, donec aquoſam partem amiſerunt. G. Das Krachen.

DECVSSIS, idem quod *Denarius.*

DECVSSIS, antiquis ad X. literæ figuram fiebat, quæ Latinis

tinis decem ſignificat. Hinc *Decuſſari* eſt in ſpeciem literæ X. diduci. Gr. χιασμὸς.

DECVSSORIVM, eſt inſtrumentum chirurgicum, quo dura mater leuiter preſſa, accurate cranio adiungitur, vt pus intra cranium & meningen craſſam collectum euacuetur, per foramen trepano factum. G. Niederdrucker.

DEFATIGATIO, denotat incommodum leue, quod ab exercitio, vel labore vehementiore, aut protractiore accedit, vnde quietis appetentes minus alacres euadunt. Hæc imbecillibus, valetudinariis, ægris & reconualeſcentibus facile ſuperuenit, item iis, qui non aſſueuerunt laboribus & exercitiis, aut qui noctu vigilarunt, aut qui ieiunium, alui fluxum, vel alia paſſi ſunt. G. Müdigkeit.

DEFECTIO ANIMI, vide *lipothimia*.

DEFENSIVVM, a defendere, eſt medicamentum chirurgicum vulgare, quo imminentia ſymptomata a parte affecta præcauentur. G. Ein Dämpf- und Beſchirmmittel.

DEFLAGRATIO, eſt operatio chymica, qua medicamenta deflagrantur, hoc eſt, per ignem ſubito purgantur, vt eſt nitri cum ſulphure, antimonii cum nitro, vnde ſubito flamma exoritur. G. Abbrennung.

DEFLVVIVM CAPILLORVM, vide *Alopecia*.

DEFLVXVS, idem quod *Catarrhus*.

DEFRVTVM, eſt muſtum ad dimidias coctum, vt *Sapa* ad tertias partes. G. Eingekochter Moſt.

DEGLVTITIO, eſt actio animalis, qua alimentum in ore maſticatum, aut aliud liquidius abſorptum, in ventriculum per œſophagum, protruditur ex ore & faucibus: Quæ actio cum explicatione longiore egeat, ex phyſiologis petenda. G. Die Verſchlingung, Verſchluckung.

DEIECTIO, ſeu EGESTIO, & EIECTIO, eſt excrementorum alui per anum depoſitio. G. Stuhlgang.

DEIECTORIA, vide *cathartica*.

DELAPSIO, eſt quædam decidentia, vt delapſio vteri, ani, inteſtini &c. G. Außfall.

DELETERIVM, eſt quodvis venenoſum, a δέλεαρ eſca, qua animalibus exitus paratur, vel a δηλέω noceo, decipio, deludo.

DELIGATIO, eſt pars *chirurgiæ*, quæ vulnera, vlcera, oſſa fracta &c. deligat. Eſtque vel ſimplex vel compoſita. Simplex eſt æqualis vel inæqualis. Æqualis eſt tantum rotunda, quæ membrum affectum circumquaque, ſine vlla in partem alterutram declinatione, complectitur. Inæqualis

qualis in aſciam & ſimam diuiditur: aſcia parum a rotunda declinat, ſima vero multum. Variæ faſciationis ſunt differentiæ, ſumptæ a partium, quæ vinciuntur, vel quorundam animalium, vel aliarum rerum ſimilitudine. Gr. ἐπίδεσις. G. Verbindung.

DELIQVIVM ANIMI, ſiue SVBITVS ANIMI CASVS, ſuis non caret gradibus; dicitur enim *eclyſis*, *lipothymia*, *lipopſychia*, *apopſychia*, *ſyncope*, *aſphyxia* &c. quæ ſunt totidem gradus. Obſeruandum igitur primo, quod *animi deliquium* hæc ſæpe antecedunt; cardialgia ſc. anxietas ex improuiſo, cordis quaſi compreſſio, oſcitatio, ventris murmur, grauitas vel dolor capitis, vertigo, tinnitus aurium, caligines, varii colores oculo obuerſantes, pandiculationes, horrores, frigus extremorum, pallor & pulſus mutatio. Secundo, his apparentibus & ingraueſcentibus, inſequuntur lapſus ſi ſteterint vel ſederint; maior pallor & frigus intenſum, pulſus rarus, paruus, tardus, debilis, vnguium liuor, reſpiratio minuta, denique motus vbique & ſenſus intercepti. At in *Syncope* pulſus plane ceſſat, vt & reſpiratio & motus omnis, ſudor frigidus & viſcidus exprimitur, vrina, ſæpe alui fæces aut ſemen, effluunt. Tertio quod ſoluto paroxyſmo, qui breuior eſſe vel longior ſolet, ſuſpiria fiunt, languor adeſt, imbecillitas, laſſitudo, pigritia. Sed vti *animi deliquium* gradum ſternit ad *ſyncopen*, ita *ſyncope*, prima mortis linea eſt. Quarto, hoc malum multis aliis morbis accidere ſolet, cum nempe vires proſternuntur, ideo reperitur in febribus, in aſthmate, hydrope, doloribus &c. Aliquando ab hereditate eſt, atque valetudinarii, cachectici, hypochondriaci, reconualeſcentes, pueri, ſenes, macilenti, obeſi facile in id incidunt. Verum alii id patiuntur ab odoribus, a conſpectu rerum, quæ offendunt, ab eſu etiam inſcio rerum, quarum faſtidio laborant, ab exercitiis vehementioribus, a nimio & repentino gaudio, a purgatione, venæ ſectione, ſudore, æſtu, ſimultanea puris effuſione, a graui dolore, a venenis, aut ab ictibus vel morſibus animalium venenatorum. Dicitur & *defectio*. *Defectio virium*, *languor virium*, *imbecillitas*, *debilitas*, Gr. ἀτονία, ἀσθένεια, ἔκλυσις, ἀῤῥωστία τῆς δυνάμεως. G. Ohnmacht.

DELIQVIVM CHYMICVM, eſt deſtillatio per inferiora mediante igne: vel calcis ſaliumue in cellis humidis deliquatio & in humorem lixiuioſum reſolutio. G. Niederwerts diſtiliren.

DELI-

DELIRIVM, eſt idearum ortus non reſpondens externis cauſis, ſed internæ cerebri diſpoſitioni, vna cum iudicio ex his ſequente, & animi affectu, motuque corporis inde ſequente: atque his quidem per gradus auctis, ſolitariis, vel combinatis, varia deliriorum genera fiunt. Ponit ſemper cerebri medulloſi affectionem morboſam a quacunque cauſa ortam. Gr. παραφροσύνη. *Hippocrates & Galenus* variis vocabulis vtuntur. *Hippocrates* quidem ad leuem deſipientiam ſignificandam fere vocabulo παραφρονῆσαι & ληρῆσαι ſiue παραληρῆσαι; *Galenus* vocabulo παραπαῖσαι, παρακρȣ̃σαι, ſicut ad grauem ſignificandam ἐκςῆναι, μανῆναι & ἐκμανῆναι, vtitur, παρακόψαι vero de vtraque vſurpant. Species variæ ſunt, vnde σιωπηροὶ qui pauca loquuntur: alii & ſermone delirant, & ridicula, aliena, magnifica vel maledica non ſaltem cogitant, ſed & proloquuntur: alii denique opere & factis cogitata exequuntur & hæc omnia præſtant vel μετὰ γέλωτος, vel μετὰ σπȣδῆς, ſed hi omnes delirantium ordines ad certas differentias redacti ſunt. Sub delirio in genere dicto comprehenduntur παραφροσύνη, φρενίτης, μελαγχολία, μανία, & alii, qui huc referuntur, affectus. Delirium iterum eſt cum vel ſine febre: cum febre φρενῖτις vocatur, & quod ſimplex appellatur delirium, Gr. λῆρος vel παραφορὰ, vel παράληρος ſymptomata nimirum febrium ardentium. G. Hauptkranckheit, Aberwitz, Wahnwitz.

DELPHINIVM, eſt flos regius, planta procera, ramoſa quæ habet folia in longas partes diuiſa, & fere inſtar fœniculi inciſa: flos eſt polypetalus, anomalus, ex pluribus nempe petalis diſſimilibus conſtans, quorum ſuperius in caudam attenuatur, excipitque aliud petalum bifidum & & pariter caudatum: horum autem meditullium occupat piſtillum, quod deinde abit in fructum, in quo, velut in capitulum, colliguntur vaginæ, ſecundum longitudinem dehiſcentes, ſeminibusque fœtæ vt plurimum angulatis, nigris, ſaporis amari & ingrati: colitur hæc planta in hortis, propter pulchritudinem floris: ſic dicitur, quod eius flores nondum expliciti ſimilitudinem cum piſce delphino habent: vocatur etiam *conſolida regalis*, a virtute conſolidante & floris pulchritudine: dicitur etiam equeſtre calcar, equitis calcar, calcatrippa. G. Ritterſporen.

DELTOIDES, eſt muſculus inſtar Δ Græcum, triangularis; oritur a clauicula, humero ſiue acromio, & ſcapulæ proceſſu ſpiniformi, articulum humeri ſuo ventre tegit, inſeritur parti anteriori & magis ſuperiori quam mediæ oſſis humeri; in

varios

varios muſculos diſpeſcitur. Humerum attollit, a figura Δ & εἶδος forma. G. Der dreyhauptige Muſcul.

DEMENTIA, inter ſpecies delirii refertur. Idem quod *Anœa.*

DEMERSIO ſiue IMMERSIO, eſt, quando a chymicis metallum aliquod liquori ſoluenti ſubmergitur. G. Eintauchung, Verſenckung.

DEMVLCENTIA medicamenta ſunt, quæ poſſunt figuras medicamentorum, vel humorum noſtrorum morboſorum, vel venenorum acrium ita immutare, vt ex figura acri, tranſeant in obtuſam & inertem: duplicia ſunt, vel generalia, quæ omnia acrium genera, qualiscunque ſint naturæ, indiſcriminatim & ex æquo inuoluunt, non figuras eorum mutando, ſed tantummodo quaſi in vaginula includendo: vel ſpecifica, quæ certam ſolummodo acrium ſpeciem obtundunt.

DENARIVS, eſt vnciæ pars ſeptima. Vide *Aureus.*

DENDROIDES, eſt planta arbori ſimilis, ex δένδρον arbor, & εἶδος forma.

DENDROLIBANVS, eſt roſmarinus.

DENDROMALACHE, eſt malua arboreſcens; ex δένδρον arbor, & μαλάχη malua.

DENS CANINVS, ſiue ſatyrion erythronium: eſt planta, quæ habet folia bina, aliquando terna, repentia, cyclamini ſimilia; flos liliaceus, ex ſex petalis compoſitus, pendulis & repandis, quorum meditullium occupat piſtillum, quod deinde abit in fructum ſubrotundum, in tria loculamenta diuiſum, ſeminibusque fœtum oblongis, flaueſcentibus: radix oblonga, carnoſa, alba, dentis canini forma.

DENS LEONIS, eſt *taraxacum*, cichorei ſylueſtris ſpecies: ſic dicitur quod folium ſinuatim per lacinias denticulatum ſit.

DENTARIA, ſiue coralloides; eſt planta quæ habet folia quinquefolii, ſeptem in vno latere diſpoſita, oblonga, acuta, dentata, viridia, aſpera: flores ſunt albi, purpuraſcentes, cruciformes, quadrifidi. Ex calice ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu ſiliquam, ſepto intermedio, cui valuæ vtrinque adhæreſcunt, in duo loculamenta diuiſam, ſeminibusque fœtam plerumque ſubrotundis; valuæ per maturitatem in helicis formam conuoluuntur, magnoque cum impetu ſemina eiiciunt: radix carnoſa, ſquammoſa, ac veluti dentibus inciſa: hæc planta creſcit in montibus: ſic dicitur, quod eius

radix dentiformis, & in corallii modum nodoſa ſit. G. Weiſſer Sanickel.

DENTAGRA, vide *forfex*.

DENTALIVM, eſt conchula parua, tubuloſa, alba, glabra, dentatam rimam habens, ingreditur vnguentum citrinum.

DENTES, Gr. ὀδόντες, ſunt oſſicula vtriusque maxillæ per gomphoſin infixa; adultis plerumque triginta & duo; vel viginti octo tribuuntur; quantum extra gingiuas eminent ſine perioſteo conſpiciuntur, ſed in maxillæ cauernis membranam a gingiuis vaſculoſam, firma illa reddentem, accipiunt. Continuo creſcunt, ſecus ex frequenti detritione comminuerentur, non tantum arteriis & venis, ſed & neruis gaudent, a gingiuis oriundis, ipſisque immiſſis, quod dolor vehemens aliquando arguit. Quatuor anteriores *primores*, *inciſores*, *tomici*. Gr. Τομεῖς, διχαστῆρες, κτένες, Τομῆται γελασινοὶ. G. Die förderſte breite Zähne, die Beiſſer. Qui a lateribus inſequuntur acuti magis ſunt, vocanturque *canini*, *oculares & columellares*. Gr. κυνοδόντες, μύλοι & γόμφιοι. G. Die Augenzähne, Spitzzähne. Poſteriores, qui tunc ſequuntur, *molares* appellantur, & habent maiores ſuperficies, & duas, tres vel quatuor radices, cum priores vnicam tantum acceperint. Hiſce cibi duriuſculi, a prioribus inciſi, mola quaſi in pulmentum conteruntur. G. Die Stockzähne, die Backenzähne. Qui poſt annum trigeſimum & quadrageſimum interdum erumpunt, *ſapientiæ dentes* ſunt, item *genuini, intimi*. Gr. κραντῆρης, ὀψίγονοι, σωφρονιστῆρες. appellantur. Dentalis vertebræ ſecundæ prominentia, dentis quoque nomine venit.

DENTIDVCVM, vide in *forfex*.

DENTIFRICIVM, eſt medicamentum ad dealbandos, extergendos & ſtabiliendos dentes, gingiuasque roborandas paratum. Gr. ὀδοντότριμμα, σμῆγμα ὀδόντων. G. Zahnpulver.

DENTIVM DOLOR, idem quod *Odontalgia*.

DENTITIO, eſt tempus illud, quo infantium dentes erumpere incipiunt, quod fit menſe ſeptimo vel ſerius; & citius *ſuperiores*, nonnullis citius *inferiores*, & in his anteriores prius: tempore dentitionis ſæpe febres, conuulſiones, alui profluuia, &c. exoriuntur. Gr. ὀδοντοφυία AEGIN. ὀδοντίασις, a qua differt ὀδαξισμὸς GALENO, ſiue οὔλων ὀδαξισμὸς, vt ab HIPPOCR. vocatur, pruritus ille gingiuarum, quem dentientes pueri ſentiunt. G. Zahnen, Zähne gewinnen.

DEOBSTRVENTIA ſiue DEOPPILANTIA, ſunt medicamenta, quæ obſtructiones aperiunt.

DEPHLEGMATIO, eſt operatio, qua reiterata deſtillatione aqua ſuperflua a ſpiritibus, vel puriori parte ſeparatur. G. Abziehen.

DEPILATORIVM, idem quod *pſilothron.*

DEPLVMATIO, idem eſt quod *ptiloſis*, vbi palpebræ tumore calloſo obſidentur, pili quoque earundem decidunt; eſtque compoſita affectio ex *madaroſi* & *ſclerophthalmia.* Verum ſemper coniunctum non habet pilorum defluuium.

DEPVRATIO, eſt rei alicuius puræ ab impuro ſeparatio, vt eſt deſpumatio, clarificatio. G. Säuberung.

DERIVATIO, eſt actio, qua humor, pus, vrina, ſanguis &c. qui in partem influxit, & nondum impactus eſt, artis ope per locum vicinum educitur, vel ex loco vno in alium allicitur, cuius reſiſtentia aliquomodo tollitur; vti fit per V.S. cucurbitulas, epiſpaſtica, frictiones &c. G. Ableitung.

DERMA, Gr. δέρμα, idem quod *Cutis.*

DESCENSORIVM, eſt fornax chymicis familiaris, deſtillationibus per deſcenſum inſeruiens. G. Ein Ofen, darin man unter ſich treibt.

DESCENSVS, ſeu per deſcenſum deſtillare, vide *Deliquium.*

DESICCATIO, eſt ſuperflui humoris, vel humiditatis per calorem euaporatio. G. Austrucknung.

DESICCATIVVM, eſt unguentum vel emplaſtrum, humores tenues vlceri inſtillantes exſiccans, a deſiccare. G. Treugende, abtrockende Mittel.

DESIPIENTIA, eſt delirii ſpecies. Vide *paraphroſyne.*

DESPVMATIO, eſt alicuius rei, vt ſyrupi, mellis &c. inter coquendum, ſpumæ detractio. G. Abſchaumung.

DESQVAMATIO, Gr. ἐκλέπισις, eſt, quando in carie oſſis vel alias, ab oſſe ſquamæ quædam abſcedunt. G. Ausnehmung der Beine.

DESTILLATIO, idem quod *catarrhus*, vide ſuo loco.

DESTILLATIO, eſt partium ſpirituoſarum, humidarum vel oleoſarum, in halitus fumosue vi ignis extenuatarum, atque eleuatarum extractio. Deſtillatio fit per veſicam, cucurbitam, retortam, deliquium, filtrum, deſcenſum, &c. eaque in balneo mariæ, arena, vaporibus, fimo, ſole, reverberio, &c. peragitur. G. Diſtillirung.

DETERGENTIA, vide *abſtergentia.*

DETONATIO, eſt deflagrationis modus cum ſonitu, ex gr. cum ſulphurea quædam, cum nitro permixta, ignique admota, pulueris pyrii inſtar, cum ſtrepitu & fulgore deflagrant: vt in præparatione antimonii diaphoretici, & in accenſione auri tonantis. Vide *deflagratio.* G. Verpuffung.

DEVNX, ſunt vnciæ vndecim: libra medica ſiue Romana, continet vncias duodecim, ideoque *deunx* eſt quaſi deeſſet vncia.

DEVTEROPATHIA, eſt morbus ab alio morbo originem ducens, ex gr. ſi caput ex alterius partis vitio laborat, communicata ad id materia morbifica, relicto priore foco, ex δεύτερος ſecundus, & πάσχω patior.

DEXTANS, eſt nomen ponderis pendens *uncias decem.*

DIA, *per*, *ex*, eſt præpoſitio, quæ ſæpe additur præparationibus medicamentoſis, vt *Diaprunum*, hoc eſt compoſitio ex prunis, ſic dicitur diaſennæ, diaireos, diaphœnicum &c.

DIABETES, Gr. ὁ διαβήτης ſic GALENO dicitur, *Dipſacus Aeginetæ*, ab immenſa ſiti quam inuehit, vel, vt alii, a ſerpentis quodam genere, quod dipſacus appellatur & in *Lybia* præſertim reperitur, quod morſu ſuo venenum quoddam in homines inſinuet, a quo ſitis inextinguiblis inducitur, διάῤῥοια εἰς ξηρον, ὕδερος εἰς ἀμίδα, quaſi *Hydrops ad matulam.* Rariſſimus eſt affectus, quem GAL. ſe bis tantum vidiſſe refert 6. *de Loc. aff. Cap.* 3. eſt vrinæ fluxus valde copioſus cum ſiti intolerabili, & ſummo virium prolapſu, imo vrina non tantum, ſed potus, & is parum vel nihil immutatus egeritur, ſub forma chyli vel lactis. Quos affligit, emaciantur, debilitantur, & præ ſiti, ardoreque viſcerum vix ſe continent, & vrinam cohibentes mox ſentiunt lumbos, coxas & teſtes, cum ardore & grauitate, intumeſcere, oritur autem a laxitate fibrarum in fiſtulis vrinoſis, & aquoſa indole liquidorum corporis, a διαβαίνω peruado. G. Harnfluß.

DIABROSIS, Gr. διάβρωσις, eſt ſolutio continui per exeſionem, a διαβιβρώσκω peredo. G. Durchfreſſung, Zernagung.

DIACARTHAMVM, penult. corr. Vide *Carthamum.* Sunt qui exiſtiment compoſitiones pharmaceuticas a Dia incipientes Arabibus deberi, ſed falluntur; *Galenus* enim *de compoſit. Medic. ſecund. gen.* freqventer ita loqvitur: ἡ διὰ δικτάμνου; ἡ διὰ δυοῖν ἀριστολοχιοῖν; ἡ δι᾽ ἀσφάλτου; τροχίσκοι διὰ τῶν ἀλικακάβων; ὁ διὰ τῶν χυλῶν; *idem de compoſ. medic. ſecund. loca*, ſæpe ingeminat, διὰ ῥόδων ὡραῖον, διάῤῥοδον τὸ μέγα, &c.

DIACARYON, penult. corr, a καρύα, nuce.

Plau-

Plaudentique habiles caryæ reſonare Dianæ: Stat. 4. Thebaid.
Hoc linitur ſputo jani caryota Calendis. Mart. l. 8. ep. 33.

DIACATHOLICON Electuarium, penult. corr. καθολικὸς enim ſeſe habet, ut φυσικὸς, κριτικὸς, φθυσικὸς. Format autem diacatholicon genitivum diacatholici, non diacatholiconis, vt perperam *Officinæ.*

DIACHORESIS & DIACHOREMA, eſt excretio quorumuis excrementorum, ab διαχωρέω ſecedo G. Unflat Abgang.

DIACHYLON emplaſtrum, penult. prod. qvia a χυλὸς ſuccus ſcilicet emplaſtrum eſt ex ſuccis quibusdam compoſitum, vt & de gummis. G. Saſtpflaſter.

- - - - - - - ἀμελγόμενος δ' ἀπὸ χυλὸν
Τύμμασιν ἠμίβροτ' ἐμβάλλοις ἀπολύματα δαιτός. id eſt,
- - - - - - - *appreſſo cum ſuccum mulſeris ore*
Retrimenta adhibe plagæ ſemeſa recenti. Nicand. Ther.
Αἶψα δ' ἐφ' ἀναλέοισι χέας ἀπαρινέα χυλὸν. *Nicand Theriac.*
Μέμφετο δ' ἐ ψυχρὲ χυλὸν ὑοσκυάμε. Pentam. *Androm.* apud *Galenum libr. de Theriac. ad Piſonem.*
Præterea chylum ſtomacho deſiccat iniquum. Seren. tit. ſubit. dol. ubi tamen qvidam legunt chymum, ſed perperam, qvia chylus in ſtomacho, chymus in vaſis aliis.

DIACLYSMA, eſt oris collutio, ad fœtorem abigendum vel dentes, aut gingiuas ſordidas vel ægras confirmandas. Vocantur collutiones oris; parantur ex adſtringentibus variis, vt *biſtorta, tormentilla, fl. balauſtiorum, cort. granatorum, gallis, alumine, vng. Ægyptiaco, &c.* ſub eo quoque comprehenditur *gargariſma* & *apophlegmatiſmus*, a διακλύζω colluo. G. Ausſpülung. Vide *Collutio.*

DIACODION, eſt medicamentum ex papaueris capitibus, ſiliquis dulc. rad. glycyrrh. alth. & ſaccharo paratum, habetque ſyrupi conſiſtentiam. Ex διὰ ex & κωδία paueris caput. G. Bruſtſyrup. Diacodium penult. corr. *Dioſcoridi l. 4. c. 64. 65.* & *Theophraſto l. 4. c. 10.* κωδία, ας, ἡ deſignat caput papaueris. Corripit autem penult. ut ἱστορία, καρδία, ἁγία, ψάλτρια, σωτηρία. Quod ſi deſinentia in ία quandoque producantur *Homero*, & aliis, putandum id fieri, iam ex neceſſitate metri, ut in ἀτιμία, προθυμία, &c. eoqve in illis tacite concipiendam diphthongum, qvod *Euſtathius* monuit; iam in ſoluta oratione vel expreſſe adfuiſſe, vel clare intelligi diphthongum, vt in Thalia, θαλεία in Dius, Dia, δεῖος, δεία &c. Poeticum ergo eſto illud.
- - - - ὁ δὲ φῆ κώδειαν ἀναχὼν. *Homer. Il. ξ.* id eſt, *hoc dixit*

R 3 *caput,*

caput attollens; caput ſcilicet Ilionei a ceruice avulſum papaveris capiti æquiparat, qvod Turqvinio Romano etiam olim placuit.

DIACOPE, præciſionem, vel diſciſſionem in aliqua parte ſignificat, ſiue ſtudio, ſiue caſu, a διακόπτω præſcindo. *Hippocrati* vulnus eſt omne, quod alte deſcendit impactumque eſt. *Galeno* eſt ſoluta in oſſe capitis continuitas ab aliquo acuto occurſante, atque abſcindente, vocaturque quoque ἐκκοπή & ἕδρα.

DIACORVM, penult. corr. vide *acorus.* Item

Andrachnenque, acorumque, opopanaca, pompholygemque.
Vindician.

Sed *pa* in *opopanaca* improvide produxit.

DIACRISIS, eſt diſtinctio & diiudicatio morborum & ſymptomatum, a διακρίνω diſtinguo, diiudico.

DIACRITICA, idem quod *Diacriſis.*

DIACYDONITES, penult. prod. vide *abrotonites ſeqv.*

DIADOCHE, eſt ſucceſſio per criſin, a διαδέχομαι ſuſcipio, ſuccedo.

DIADOSIS, eſt alimenti diſtributio, ſiue per omnes partes peruaſio, ex διὰ per & δίδωμι do.

DIÆRESIS, eſt ſolutio continui, quæ fit cum a cauſis variis via aliqua, quæ adeſſe non debebat, aperitur. Poteſt διαίρεσις fieri ab humoribus acribus, qui erodendo vnitatem ſoluunt, & viam patefaciunt; quod etiam medicamenta acria præſtare poſſunt. Deinde humores craſſi & acidi διαιρέσεως cauſa eſſe poſſunt, qui partem diſtendendo rumpunt. Tertio cauſæ plurimæ euidentes διαίρεσιν faciunt, omnes ſcilicet, quæ contundendo, & diſtendendo vnitatem vaſorum ſoluunt; qualia ſunt motus vehemens, clamor, pondus graue, vulnerantia, contundentia, caſus, ſaltus & ſimilia, inter quæ & flatus referri poſſunt, qui retenti tanta vi interdum corporis partes diſtendunt, vt non ſolum corporis cauitates dilatent, ſed rumpendo etiam nouas faciant, & ipſi quoque vnitatem ſoluant. Item operatio chirurgica, quæ continua ſeparat, & fit inciſione, vſtione, terebratione, raſione, limatione, ſerratione, exeſione, a διαιρέω, diuido. Vide *Diabroſis.*

DIÆTA, eſt methodus ſanis moderate viuendi: at *diæta ægrorum* eſt remedium, in recto rerum vitæ neceſſariarum vſu conſiſtens: eaque ratione quantitatis & qualitatis differt. *Craſſa* inſtituitur alimentis copioſis, firmis & ſolidis, multumque nutrire aptis, hæc *ſimpliciter plena* eſt, quæ fiebat olim per ptiſanam hordeaceam integram. Vel eſt *plenior & craſſior*; quæ fit per carnes pullſorum & oua ſorbilia. Vel eſt *pleniſſima*, quæ

quæ etiam carnes caſtratorum concedit. *Mediocris* eſt, quæ ex mediocris ſubſtantiæ & quantitatis alimentis conſtat. Hæc olim per panem iure tinctum, vel etiam per carnes pullorum fiebat. *Tenuis* eſt, quæ & alimentis paucis, tenuibus & infirmis perficitur, quæ vt plurimum acutis morbis conuenit: eaque triplex eſt, *tenuis ſimpliciter*, quæ olim per ptiſanæ ſuccum fiebat. Vel *tenuior*, in qua melicratum propinabatur, vel *tenuiſſima*, in qua nihil cibi æger ſumebat. Verum nunc temporis diætæ non ita ſtricte obſeruantur quam olim, præſertim in hiſce regionibus: a διαιτάω nutrio. G. Ein gewiſſe Ordnung mit Eſſen und Trincken.

DIÆRETICA, ſunt medicamenta corrodentia & exedentia, a διαιρέω, diuido.

DIÆTETICA, eſt pars medicinæ præſcribens cognitionem & vſum rerum ſex, quibus ſanitas, & vita noſtra eiuſque reginem maxime conſtat, vt imminentes morbi præcaueantur, & præſentes profligentur. Hæ ſæpe dicuntur *res non naturales* a ſcholis: vt ſunt aer, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & vigilia, animi pathemata, excreta & retenta: quæ ſi modum excedant, morbos pariunt; ex διαιτάω alo, nutrio. G. Manier und Ordnung zu leben.

DIAGNOSIS, eſt ſignorum præſentium cognitio, ſiue cognitio qua præſentem morbi conditionem dignoſcimus. Eſtque triplex, partis *affectæ*, ipſius *morbi*, eiusque *cauſæ* recta inueſtigatio, ex διὰ per, & γινώσκω cognoſco. G. Kenzeichen.

DIAGRYDIVM, vide *Scammonium*, & *Diacrydium*.

DIALEMMA, Gr. διαλείμμα, idem quod *apyrexia*, ex διὰ inter, & λείπω relinquo.

DIALEPSIS, Gr. διάλειψις eſt quædam interceptio: item intermiſſio quædam in fractura cum vulnere vel vlcere, vbi intermedium ſpatium relinquitur, pro vlceris aut vulneris curatione, itaque eſt intermiſſio deligationis, a διαλείπω *inter relinquo*.

DIALITHONTRIBON, penult. prod. qvia a τρίβω deſcendit:

Μηκέτ᾽ ἐρείδεσθον, μηδὲ τρίβεσθε κακοῖσι. id eſt, *ne amplius incumbite, neque conterimini malis. Homer. Il.* ψ.

Τριβέμεναι κρῖ λευκὸν ἐϋτροχάλῳ ἐν ἀλωῇ. id eſt, *adterendum hordeum album in rotunda area. Hom. Il. v.*

At τρίβος ſemita, exercitium, aliter ſe habet:

Tis τρίϐ@, ἀτρεκέως γὰρ ἅμα τρία πάντα πάρεστιν. id eſt, *quod exercitium, vere enim ſimul tria adſunt.* *Hom. hymn. in Mercur.* *Lithontribon* ergo penult. prod. qvia eſt præſentis temporis; ſed *pædotriba*, *diatriba*, qvia ſunt ab aoriſto ſecundo, quemadmodum & τρίϐ@, penult. corripiunt; id qvod & *Labbeus in Analect. Proſod.* & *Theſaur. Proſ.* erudite iam ante oſtendit.

DIAMARGARITON frigidum, penult. prod.

Inter candida margarita qværo. Phal. *Mæcen. de mort. Horat.*

Eodem modo *Petronius Arbiter*, & *Prudentius*, & *Arator* penult. produxere.

Καὶ μαργαρίτας λευκοδέρμους προσφέρει *Piſidas de van. vit.*

DIAMORON, penult. prod.

Cornaque & in duris hærentia mora rubetis. *Ovid. Met. 1.*

Sangvineis frontem moris, & tempora pingit. *Virg. Ecl. 6.*

DIANOEA, eſt mens præmeditata, a διονοέω præmeditor.

DIAOLIBANVM, penult. corr. vide *olibanum.*

DIAPASMA, Plinio medicamentum aridum ex ſiccis pulueribus conflatum, inſperſile, quod aut veſtibus ad gratiam odoris, aut vlceri, vulnerique varia ratione, aut potui etiam ad luxum inſpergitur, Gr. διάπασμα, κατάπασμα, καταπαστὸν φάρμακον *Oribaſius* non male diſcrimen inter has voces ex *Antyllo* ponere mihi videtur, vt ἐμπάσματα ſint, quæ ſudoribus cohibendis, & commouendo prurituі adhibentur, quæ *ſympaſmata & aſpergines Aurelianus* nominat: καταπάσματα ſunt, quæ vlceribus ſuperponuntur, ξήρια etiam dicta: διαπάσματα vero conciliandæ fragrantiæ ergo inuenta.

DIAPEDESIS, eſt ea conditio vaſorum, qua membranacea latera ita diuelluntur a cauſa intus extendente, vt inter fibras naſcantur interſtitia hiantia, quæ emittunt in cauitate contentum ex διὰ per, & πηδάω ſalio, ſalto. G. Ausbrechung, Durchſickerung.

DIAPEGMA, eſt inſtrumentum chirurgicum, dictum & *intercolumne*, ſiue pars transuerſaria, ad crurum laterumque compaginem firmandam, a πηγνύω compingo.

DIAPHANVM, eſt omne quod pellucidum eſt, vt humores oculares, tunica cornea, ſeptum lucidum &c. a διαφαίνω pelluceo.

DIAPHOENICON, eſt compoſitio ex dactylis. Ex διὰ & φοῖνιξ dactylus.

DIAPHOENICON ELECTVARIVM, genit. diaphœnici, non diaphœniconis (φοινικών, ῶνος, palmetum eſt) penult. prod.

a φοί-

a φοῖνιξ, φοίνικος, ὁ, palma, arbor, & fructus; dicitur quaſi φόνιξ a ſanguineo qvarundam palmarum colore, ut ex *Phavorino* conſtat. Qvin & φοῖνιξ *Heſychio* colorem fructus palmarum denotat. Cæterum φοῖνιξ penult. genitivi producit, vt conſtat non tantum ex phœnice ave, qvam ex huius palmæ argumento nomen traxiſſe ſcribit *Plin. l. 13. c. 4.* ſed præcipue ex ave phœnicoptero, cui nomen a φοινίκων πτερῶν, id eſt, ab alis rubentibus phœnici arbori, eiusve fructui colore ſimilibus, unde de phœnicoptero *Martialis l. 13. epigr. 71.*

Dat mihi penna rubens nomen ---- ---

De utroqve ita Poetæ.

Corpore de patrio parvum phœnica renaſci. Ovid. Met. 15.
Et Scythicæ volucres, & phœnicopterus ingens. Juvenal. Sat. 11.

De Phœnicibus populis hic nihil, qvanqvam & illis *ni* producatur, ut ex *Lucano*, & *Virgilio* palam eſt.

Sed cur *Ovidius* ter *ni* corripuit?

Phœniceas veſtes, eluſaque vulnera ſentit. Ovid. Met. 12.
Phœniceam fulvo chlamydem contractus ab auro. Ovid. Metam. 14.
Sagave Phœnicea defixit nomina cera. Ovid. Amor. l. 3. el. 7.

Legendum omnibus his locis *pœniceas*, unde poſt puniceus, ſicut erudite oſtendit *Nic. Heinſius in Ouid. Metamorph.* Nimirum pœniceus, ſeu puniceus color initio a Pœnis populis inventus eſt, ut *Varroni* credimus, & ab iis haud dubie ad Tyrios translatus, qvos Pœnorum ſatores fuiſſe ex *Curtio* admonemur.

DIAPHORESIS ſiue TRANSPIRATIO & SVDATIO, eſt decedentia omnis generis effluuiorum per inuiſibiles corporis poros, ex διὰ per, & φέρω fero. G. Ausdunſtung.

DIAPHORETICA, medicamenta ſunt, quæ inuiſibilem perſpirationem ex vaſis cutaneis minimis augent, ſanguinem paululum magis agitando quam naturaliter ſolet.

DIAPHRAGMA, φρένες, ſeu *ſeptum transuerſum*, ὑπόζωμα *Ariſt.* eſt ſepimentum muſculoſum thoracem ab abdomine diſtinguens, in medio tendinoſum, exterius in ambitu muſculoſum eſt; œſophagus, arteria magna, vena caua &c. per illud tranſeunt: oritur inferiori parte dextra a tribus primis lumborum vertebris, ſiniſtra ab vltima & penultima thoracis, tendineo, ac mox carneo principio, fibris directis adſcendit, tendineſcitque; parte ſuperiori, principio membrenaceo tenui,

ſtatim carnoſo, ex toto margine cartilaginoſorum apicum coſtarum inferiorum, & infima parte ſterni ortum, fibris centrum petentibus decurrit, tendineſcit, prioribus confunditur, vnde agens ex conuexo planum fit. Hinc abdomen & contenta arctat & premit; reſpirationi vna cum cæteris muſculis inſeruit, & motu ſuo excrementa aluina foras conuehit. Tribuitur non tantum huic parti illud nomen, ſed & mediaſtino, ſepto in naribus, ſepto cerebrum in duo hemiſphæria ſecanti, auris tympani membranæ, aliisque, a διαφράσσω, ſepio; munio. G. Das Zwerchfell, Bruſtfell.

DIAPHRATTONTES, G. διαφράττοντες ὑμένες, ſunt membranæ, pleura dictæ, quæ thoracem intus ſuccingunt, & in medio ſeptum, vulgo *Mediaſtinum*, relinquunt, a διαφράσσω ſepio. Vide *Diaphragma*.

DIAPHTHORA, eſt corruptio alicuius partis in corpore, a διαφθείρω, corrumpo. G. Verderbung.

DIAPLASIS, eſt membri luxati vel fracti reſtitutio, a διαπλάσσω conformo.

DIAPLASMA, eſt vnctio ſiue fomentum a διαπλάσσω illino.

DIAPNOE, idem quod *Diaphoreſis*; a διαπνέω perſpiro. G. Die Ausdämpffung, Ausdunſtung.

DIAPRVNVM, penult. prod.

Pruna peregrinæ carie rugoſa ſenectæ. Mart. l. 13. ep. 29.

DIAPYETICA, ſunt medicamenta pus maturantia, a διαπυέω ſuppuro.

DIARIA FEBRIS, idem quod *Ephemera*.

DIARRHODON ABBATIS, penult. corr. quia eſt a ῥόδον roſa ſic & *cynorrhodon*:

Οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται, οὐδ᾽ ὑάκινθος. Theogn.

Diarrhodon Genitivum non format in onis, ut perperam Officinæ, ſed in i, diarrhodi, διάῤῥοδα κολλύρια *Galeno*, & cynorrhodon, i, *Plinio*; cæterum *oxyrrhodinum Galeno* adiectiuum eſt, penult. corr. ut ex *adiect.* inanim. in INVS *perſpicuum*.

DIARRHOEA, Gr. διάῤῥοια, eſt copioſus alui fluxus, in quo liquida egeruntur absque dolore, ſanguine, pure. Diarrhœa in multis morbis euenit, præſertim in quibusdam febribus & habet ſuas ſpecies. I. *Grauis* eſt, vbi paucis interuallis, interdum ferme citra remiſſionem, copioſe, per repetitos fluxus, nunc maiores, excretis primo fœcibus, humores expelluntur viſcidi, aquei, biliosi, flaui aut aliter conſtituti, vna cum muco quodam fundum matulæ occupante: adſunt febris, anxietas, virium

virium lapſus, neque dolor vrget, ſed murmur auditur ſubinde, cum deiectio fit, podex tamen nonnihil dolet, nauſea vel vomitus ſæpe incidunt, & potus vel cibus ingeſtus vna tranſit. II. *Seroſa*; vbi tantum aquea & fluida prodeunt, cum murmure, teneſmo & aliquo dolore: hæc phthiſi, hydropi, ſcorbuto &c. familiaris eſt, ac ſubinde in iis, qui ſunt frigori ſuſtinendo minus validi, vel quoque a pedibus refrigeratis accidit. III. *Maligna*, quæ eſt in peſte, febribus malignis, variolis, morbillis cum recedere putantur ad interiora, contingit, in hac vires ſubito deiiciuntur, & anxietates non leues oriuntur. Humores ſunt omnis generis, ſæpe fœtentes, atque ſi a variolis, etiam cruſtæ & pelliculæ in excretis, quaſi hac via exirent variolæ, ipſæ apparent. IV. *Critica* dicta, quæ cum leuamine euenit in morbis, vel etiam in ſanis, quos niſi ſubinde diarrhæa iuuerit, male habent. V. *Hypercartharſis*, ſiue *ſuperpurgatio*, id eſt diarrhœa valida a medicamento purgante, aut emetico excitata, a διαῤῥέω perfluo. G. Bauchfluß, Durchlauf, die Ruhr.

DIARTHROSIS, ſiue ABARTICVLATIO, & COARTICVLATIO, ſeu DEARTICVLATIO, eſt compoſitio oſſium ab inuicem ſeparatorum ad euidentem, validum, facilemque motum comparata: qualis eſt in brachio, manibus, femore, pede &c. Vide *Articulatio*. Ex διὰ per, ex, ἄρθρον membrum, articulus. G. Gliederung.

DIASATYRION, i, vide *ſatyrion.*

DIASCORDIVM, penult. producit. Eſt medicamentum aliquod compoſitum, electuarii conſiſtentia, vſitatiſſimum, a Fracaſtorio autore inuentum, Antidoton famoſum.

DIASENA NICOLAI, penult. producit; ſena planta antiquis Græcis, Latinisque incognita, *Serapioni*, *Actuario*, & *Meſuæ* laudata; quam quia *Meſues* ſennam appellat, de quantitate eius nos non permittit dubitare.

DIASEREOS SYRVPVS, penult. corr. quia *Galeno l. 8. de ſimpl. med. fac.* σέρις, σέρεως.

DIASTOLE, eſt arteriarum, auricularum & ventriculorum cordis per impreſſum ſanguinem dilatatio, quæ actio eſt oppoſita ſiſtolæ, qua ſanguis per diaſtolen acceptus comprimitur, & expellitur; ex διὰ per & στέλλω mitto. G. Oefnung des Hertzens.

DIA-

DIATERETICA, eſt pars hygieines, qua ſanitas firma conſeruatur, quæ pro ætate & conſtitutione hominis varia eſt, ex διατηρέω ſeruo. Vide *diæta*.

DIATESSARON penult. corr.

Non mea magnanimo depugnat teſſera talo. Martial. l. 13 epigr. 1.

Τέσσαρα φωκάων ἐκ πόντȣ δέρματ' ἔνεικε. *Homer. Odyſſ. δ. v. 436.*

Diateſſaron, eſt medicamentum ex quatuor ingredientibus compoſitum. Sic appellatur theriaca diateſſaron, ex ariſtolochia nempe, gentiana, baccis lauri & myrrha, quæ melle excipiuntur, ex διὰ, ex & τεσσάρων, quatuor. G. Viehteriack. Sed nomen nimis vile, pro tam egregio medicamento.

DIATHESIS, eſt diſpoſitio corporis ſani vel morboſi, qua ad actiones peragendas bene vel male ſumus diſpoſiti, a διατίθημι diſpono.

DIAZOMA, idem quod *diaphragma* ſeu *ſeptum tranſuerſum*, ex διὰ & ζῶμα cingulum.

DICHALCVM, eſt pondus duorum æreolorum, continens tertiam oboli partem. Obolus enim habet æreola ſex.

DICHOPHYIA, eſt capillorum vitium, quando extrema eorum bifariam plerumque in partes finduntur, ex δίχα dupliciter, & φύω creſco. G. Spaltung der Haare.

DICROTVS, eſt pulſus bis feriens, ex δὶς bis, & κρόω pulſo.

DICTAMNVM, DICTAMNVS, duplex hodie in officinis datur, alter Germaniæ incola, de quo vide *Fraxinella*; alter Creticus, qui origani ſpecies eſt; folia habet obrotunda, & parum acuta, lanuginoſa, odorata, ſaporis acris. Flores cum verticillis in longas & laxas ſpicas congeruntur, coloris purpurei, in ſingulis floribus galea eſt erecta, bifida, ſubrotunda, barba tripartita: ſemina quatuor ſubrotunda, in capſula, quæ flori tanquam calix inſeruiuit, incluſa; radix parua, numeroſa: creſcit hæc planta in inſula Creta, quæ hodie vocatur Candia, vnde ad nos ſicca defertur; nomen accepit a Dicta, monte illius inſulæ: ſed alii deducunt ἀπὸ τȣ̃ τίκτειν a pariendo, quod parientibus opituletur. G. Cretiſcher Diptam.

DIDYMI, ſunt gemelli, vnico partu editi. Item teſticuli, a δύω duo.

DIES CRITICI, vide *Critici dies*.

DIGASTRICVS, eſt muſculus biuenter, qui a proceſſu mammiformi ortum adipiſcitur, deſcendens tendinem facit, quo per

per muſculum ſtylohyoideum, & ligamentum annulare oſſis hyoidis tranſit, inde rurſus carnoſus fit, & in parte menti interiori mediaque interius deſinit; & maxillam inferiorem deorſum trahit, ex *δὶς* bis & *γαςὴρ* venter. G. Der zweybauchige muſcul.

DIGERENTIA, vocantur medicamenta, quæ vulneri, aut vlceri applicata, illa in hanc conditionem diſponunt, vt bonum in iis naſcatur pus, quod fit liquida allata conſeruando ab acredine, & vaſcula excreſcentia ita moderando, vt nec luxurient, nec exedantur nimis, vel arida fiant. *Digeſtiua* quoque vocantur. G. Eyter machende Mittel.

DIGESTIO, in phyſiologia dicitur illa ciborum in ore comminutorum, ſaliuaque permixtorum vlterior in ventriculo elaboratio, qua illorum priſtina ſtructura diſſoluitur, vnde maſſa mollis euadit & idonea, quæ inteſtina tenuia ſubeat, atque acceptis ibi nouis ſuccis ſubacta chylo conſtituendo aptam ſe præbeat. Apud chymicos digeſtio eſt, cum tincturæ, infuſiones, &c. blando ignis calore fouentur, vt res crudæ in iis latitantes diſſoluantur, craſſæ incidantur, viresque affuſo liquido communicent, invtiles vero in fundo deſidant; atque hæc peragitur arena calefacta, fimo equino, athanore &c. G. Digerirung.

DIGESTIVA, vide *Digerentia*.

DIGITALIS, eſt planta quæ habet caulem duos vel tres pedes altum, craſſum inſtar pollicis, anguloſum, villoſum, rubicundum, excauatum: folia fere verbaſco ſimilia, oblonga, acuta, in margine inciſa, villoſa, ſuperne atro-virentia, inferne incana: flores monopotali tam ſingularis ſtructuræ, vt perfecte referant digitabula, parte anteriori in bina labia ſunt diſciſſi, coloris purpurei, iuxta caulium longitudinem plerumque naſcentes, pedunculis breuibus villoſis caulibus adhærentes; his floribus delapſis ſequitur fructus oblongus, villoſus in duas cauernulas diuiſus, ſemina exigua continens. Radix eſt fibroſa, amara G. Fingerhut, Fingerkraut.

DIGITVS, ſiue *δάκτυλος*. Singulis manibus, ſingulisque pedibus tribuuntur quinque. In manu habemus *pollicem*, *indicem*, *medium*, *annularem*, & *auricularem*. In pedibus propriis nominibus non gaudent. Eſt idem quædam menſuræ ſpecies, quibus rerum interualla metimur. G. Finger.

DIGLOSSON, ſeu HYPOGLOTTON, vocatur etiam *laurus Alexandrina*, Latinis *bislingua*, quod ſupra folium, aliud

aliud foliolum linguæ ſimile gerat, ex δὶς duplex, & γλῶσσα lingua. G. Zungenblat.

DILATATIO, eſt, cum meatus vel receptacula plus debito diſtenduntur, vt in varice, aneuryſmate &c. Gr. ἐυρυσμὸς, ab ἐυρύνω dilato, amplio. Item, ſignificat diaſtolen cordis. Erweiterung Ausſtreckung.

DILATATORIVM, eſt inſtrumentum chirurgicum quo vterus, vel os eius dilatatur & aperitur; vocatur etiam *ſpeculum* & *dioptra*, quia per id in os vel vterum introſpicimus. G. Ein erweiterndes Inſtrument.

DILVENTIA, ſunt quæ permiſta alicui fluido, eius partes magis fluidas, vel partes antea non fluidas, iam fluidas reddunt, ea lege ne immutent partes ipſas. G. Verdünnende Mittel.

DILVTVM, dicitur quod eſt aqua mixtum; vnde vinum aqua mixtum dicitur *Dilutum*. *Dilutum* vero ſubſtantiuum factum, eſt id liquidum, in quo aliquid certo tempore maceratum & infuſum fuit: vt ſi in vas vini appoſitum abſinthium fuerit, deinde poſt interiectum tempus abſtractum, id vinum abſinthii *dilutum* vocatur, idem quod *infuſio*.

DINICA, ſunt medicamenta contra vertiginem, a δίνη vertigo.

DIOBOLON, ſiue GRAMMA, eſt obulorum duorum pondus, ſiue ſcrupuli vnius, ex δὶς & ὄβολος.

DIOPTRA, ſpeculum matricis, ſiue dilatatorium, quo vterus, in fœtus mortui extractione, eiusque vlcerationum inſpectione, dilatando ampliatur, a διόπτομαι perſpicio. G. Ein Mutterſpiegel.

DIORTHOSIS, eſt operatio chirurgica, qua membra aut corpora curua in debitum ſtatum reſtituuntur, a διορθόω, corrigo, emendo.

DIOTA, eſt vas circulatorium a duabus auribus vtrumque brachium lateribus applicatum amplexantibus dictum. Huius inferior pars eſt in modum cucurbitæ, cui impoſitus eſt alembicus, in ſummo canalem, qui liquori infundendo inſeruit, habens, in loco autem conueniente duobus roſtris incuruatis & in cucurbitam a capitello humorem condenſatum deuehentibus præditum, ex δὶς duo & ὦς auris. G. Ein zweyhencklicht Faß, das zwey Oehr hat.

DIPHRYGES, eſt genus recrementi metallici, quod ſubſidet, dum æs in fornace fuſum aqua frigida perfunditur.

DIPLASIASMVS, eſt morborum reduplicatio: item duo muſculi brachii circumductioni inſeruientes, a διπλάσι☉ duplo maior.

DIPLOE, eſt vas duplex, quod chymicis vſu venit, vti quando vas continens alio vaſi arena, cineribus aut aqua repleto imponitur. G. Ein zweyfach Faß. a διπλόω duplico. In anatome autem eſt cranii duplex tabulatum, paries, ſquama, ſeu lamina: ſiue potius eſt ſubſtantia celluloſa, inter vtraſque lamellas, quibus conſtat cranium, interiecta, in qua continetur ſubſtantia medulloſa cranii.

DIPLOMA, idem quod *diploe.* Sumitur aliquando pro linteo complicato, *πτύγμα Æginetæ, πτύγμα ῥάκυ δίπλωμα Heſychio*, Plagella, *Aurel.* G. Eine Compreſſe, item ein Diſtilier-zeug.

DIPSACVS, eſt planta, quæ habet caulem quatuor vel quinque pedes altum, ramoſum, ſtriatum, ſpinis quibusdam paruis cictum: folia ſunt longa, lata, bina oppoſita, iuxta longitudinem caulis & ramorum in dorſo & latere hirſuta. Flos eſt floſculoſus, floſculis ſcilicet in capitulum quoddam collectis fauis æmulum; capitulum autem componitur ex plurimis foliis imbricatis ſquammarum inſtar poſitis, & axi medio affixis, e quorum alis ſurgunt floſculi multifidi, embryonis parti ſupremæ inſidentes, & abeuntes deinde in ſemen plerumque ſtriatum, quadrangulare, oblongum: radix læuis, candida, impenſe amara eſt. Eſt carduus fullonum. Eius folia ita conſtituta ſunt, vt circa truncum alterum excipiat alterum, ita vt catini inſtar aquam ſemper ſeruent, ac ſi truncus ſitiret, ideoque rorem vel imbrem reciperet, quo velut ad abigendas ſitis iniurias abutatur, hinc a διψάω ſitio. Latinis *Labrum Veneris*, nempe a foliorum habitu, quæ intra ſe humorem nunquam non retinent. *Carduus* vero *fullonis* cœpit appellari, quod ea rudes pannos velut echino quodam, expoliunt, detractisque floccis concinnant. G. Cartendiſtel, Weberkarten. Vide *diabetes.*

DISCRIMEN, faſciarum ſpecies eſt, quæ in frontis & temporum phlebotomia adhibetur.

DISCVTIENTIA, ſunt medicamenta, quæ liquidum in vaſis, vel extra ea; ſiue ſtagnans, ſiue coagulatum ſubtilitate ſua diſſoluunt, diſſipantque ſine ſolutione ſenſibili continui in externis. G. Zertheilende Mittel.

DISLOCATIO, idem quod *Luxatio.*

DISPEN-

DISPENSATIO, pharmacopoeis dicitur, quando ſimplicia alicuius compoſitionis ordine diſponuntur, ne quid ingredientium omitti poſſit.

DISPENSATORIVM, dicitur *liber pharmaceuticus*, continens omnia medicamenta, tam ſimplicia quam compoſita, ſecundum mentem doctorum, qui in hac vel illa prouincia aut vrbe praxin exercent, vti eſt Amſtelodamenſe, Londinenſe, Brandenburgicum, &c. Dicitur quoque *Pharmacopœa.* Ex hiſce medicamentis ſecundum normam, & doſin officina pharmaceutica inſtruitur. G. Apoteckerbuch, Apoteckertaxe.

DISPOSITIO, eſt habitus, quo ad actiones peragendas, bene vel male ſumus diſpoſiti. Vide *Diatheſis.*

DISSEPTVM, idem quod *Diaphragma.*

DISSIMILARES, partes ſunt, quæ in varias partes ſibi diſſimiles diuidi poſſunt; vt manus, vena, muſculus, quibus opponuntur ſimilares. G. Ungleiche Theilung.

DISSOLVENTIA, idem quod *Diſcutientia.*

DISSOLVTIO, eſt, quando metalla, lapides, ſalia, reſinæ, aut aliud quid in ſpiritu vini alioue liquore diſſoluuntur. Vel quando corpora arte chymica, in ſua elementa rediguntur. G. Auflöſung.

DISTENSIO, eſt, quando partes ab alio inflantur, dilatantur, & relaxantur, vt ex efferueſcentiis vel contractionibus, in inteſtinis concitatis, oriuntur flatus & non raro preſſiones doloreſque. G. Außſtreckung, Ausdehnung.

DISTICHIA, & DISTICHIASIS, eſt duplex pilorum in palpebris ordo: quando ſcilicet ſub ordine naturali pilorum alius ordo ſubereſcit, qui protinus intus ad oculum tendit, vnde continuus lachrymarum defluxus. Gr. διςιχίασις, ex δὶς bis, & ςίχος, ordo. Alias vocatur διςριχίασις, ex δὶς & θρὶξ pilus.

DISTICHVM, vocatur hordeum minus ſeu æſtiuum: ſic dictum quod ſpica tantum duos granorum ordines habeat.

DISTORSIO, eſt, cum partes ſitu aut figura peccant. G. Verdrehung.

DISTRIBVTIO, intelligi poteſt de quocunque humore ſingulari per corpus diſtributo; vt cum chylus ex ventriculo & inteſtinis papillas inteſtinales (a WILLISIO *tunica glanduloſa* dicta eſt) ſubit, & per venas lacteas, ductumque chyliferum, in venam ſubclauiam exantlatur, vt vna cum ſanguine circuletur & purpureo colore induatur. Vel quando ſanguis ex corde, & ſuccus cerebralis ex neruis per totum corpus diſtribuitur, &

talis diſtributio vocatur ἀνάδοσις. Verum de excrementis, dicitur διαχώρησις. G. Austheilung.

DIVRESIS, Gr. διούρησις, eſt vrinæ per renes ſecretio, quæ hoc modo peragitur: adiacent arteriis renalibus exiguæ glandulæ, vel laterales arteriolæ cincinnatæ, quibus ſerum a ſanguine ſecernitur, & per canaliculos exiguos, (ex quibus renum ſubſtantia maxima ex parte conſtat) ad carunculas papillares, & deinde ad peluim, vreteres, veſicamque foras deducitur, ex διὰ per & οὖρον, vrina. G. Abſonderung des Urins.

DIVRETICA, ſeu VRETICA, vrinalia medicamenta, quæ ſanguinem incidendo & diſſoluendo, ſerum per renes, ad veſicam copioſius determinant, ex διὰ per, οὖρον vrina. G. Harn oder waſſertreibende Mittel.

DODECADACTYLVM, ſiue DVODENVM, ἔκφυσις δωδεκαδάκτυλος, i. e. proceſſus duodecim latorum digitorum longitudinem habens, ab Herophilo primum denominatus eſt, qui & flexuram inſtar C notauit: eſt inteſtinorum tenuium primum, a ventriculi pyloro incipiens, & primo fere perpendiculariter, deinde horizontaliter, a dextra abdominis parte verſus renem ſiniſtrum, excurrit: recipit, ad trium vel quatuor digitorum diſtantiam a pyloro, oſcula ductus cholidochi & pancreatici, pro bilis & ſucci pancreatici ſuſceptione. Tunicarum eius craſſities maior, quam reliquorum tenuium; ſed cauitas vere minor, glandulas BRVNNERI copioſiſſimas habet: terminatur vbi ieiunum incipit, ex δώδεκα duodecim, & δάκτυλος digitus. G. Der zwölf Finger Darm.

DODECAPHARMACVM, eſt compoſitio conſtans ex duodecim ſimplicibus, vt vnguentum Apoſtolorum. Ex δώδεκα duodecim, & φάρμακον medicamentum.

DODRANS, eſt pondus unicarum nouem. Item menſura nouem digitorum, alias palmus maior Latinis, & Gr. σπιθαμὴ dicitur. Dodrantalis itaque cauliculus vocatur, qui longitudine nouenos æquat digitos.

DOGMATICA MEDICINA, ſeu RATIONALIS, quæ ex obſeruatis & analogia ratiocinatur: huius author fuit *Hippocrates*, & poſt eum *Galenus*, qui experientiæ rationem addidere, ita a δοκέω cenſeo. G. Eine regelmäßige und verſtändige Artzney.

DOGMATICI, ſunt, qui experientiæ rationes inquiſiuerunt.

DOLICHOS, eſt ſmilax hortenſis ſeu phaſeolus, eſt inter leguminum ſpecies: nomen accepit a longitudine ſiliquarum aut fructuum, δόλιχος enim eſt longus.

DOLOR, Gr. ἄλγημα. ὀδύνη, πόνος, eſt ingrata perceptio in mente orta, quod neruus, ex cerebro originem habens, tam valide per cauſas diſtendatur, vt periculum ruptionis incurrat. Si autem rumpitur, non amplius ille dolet, ſed rami neruoſi laterales, iam magis quam ante diſtracti, eum ſenſum excitant. Pro varietate etiam variant nomina, vt *algens*, ſi frigus adſit: *grauatiuus*, ſi caput vel alia pars grauatur: *pungens*, quando gladii inſtar pungit: *oſteocopus*, quando dolor circa oſſa eſt: *ſtupidus*, ſi vix ſentiatur, aut ſaltem ferri poſſit: *tenſiuus*, quando tenſio adeſt. Sic à parte affecta, etiam varia ſortitur nomina. In capite *cephalalgia*, *cephalæa*, *hemicrania*, *crapula*, &c. circa articulos, *arthritis* dicitur. In renibus *nephritis*, in aluo *colicus* &c. G. Der Schmertz.

DORIA HERBA, eſt ſpecies ſolidaginis Saracenicæ. Nomen accepit ab *Andrea Doria*, Genuenſi duce, qui eam ex Africa attulit.

DORONICVM, vox ab Arabibus petita, quibus *doronigi* vel *dorunigi* appellatur. Nos penult. corripiemus, vt ſantonicum, lingonicum, betonica. Doronicum eſt planta hodie officinalis, ſed veteribus omnibus incognita. Arabes fere principalibus confectionibus ſuis indiderunt. Sed an nos illud, quod ipſi adhibuerunt, habeamus, iuſtiſſime dubitatur. Illud, quod ſic vocant hodie herbarii, habet folia ampla, ſubrotunda, viridia, lanuginoſa, cucumeris ſatis ſimilia, ſed magis exigua, & molliora: caulis pedem circiter altus eſt, parum lanuginoſus, rotundus, ſtriatus, in ſummitate in plures ramuſculos diuiſus, floriferos: flos eſt radiatus aſtere maior, flauus: huiusque diſcus ex floſculis, corona ex ſemifloſculis componitur, ſemen eſt papposum, minimum, nigricans, calidum eſt, ac ſudoriferum inſigne. Radix compoſita eſt ex radiculis oblongis, rotundis, tuberoſis, nodoſis, digiti minoris craſſitie, ex viridi palleſcentibus, plures ex vno capite tenuibus quaſi filis dependent, ſaporis ſubacris, ſubdulcis, ad glycyrrhizam accedentis, odoris nullius, ſaporis minus aromatici, quam glycyrrhiza. Hæc quibusdam ſuſpecta eſt & venenata habetur, quia quibusdam animalibus exitioſa deprehenſa fuit, vnde non doronicum, ſed dæmoniacum appellat Marantha, & forte quia guſtata in faucibus relinquit aliquam acrimoniam, & infeſta

dul-

dulcedine os replet; qui venenatam dixerunt, crediderunt eſſe aconitum Theophraſti. G. Gemſen Wurtzel.

DORSVM, ſeu tergum, pars thoracis poſterior dicitur G. νῶτον. *Dorſum manus* vel *pedis*, eſt exterior eorum facies. Ita gibba naſi, ſcapulæ & ilii oſſis pars etiam dorſum appellatur. G. Der Rucken.

DOSIS, eſt medicamenti determinata portio, ſiue quantum vnica vice exhibetur vel propinatur, a δίδωμι do. G. Gewiſſe Maß einer Artzney.

DOTHIEN, Gr. δοθιὴν, idem quod *Furunculus*.

DRABA, vide *Arabis*.

DRACHMA, eſt & pondus & menſura. *Ægyptiaca* fuit olim & *Attica*. Illa pendebat obolum, hæc vero ſcrupulos tres, vel obolos ſex; vt & hodie in officinis. Octo hodie conſtituunt vnicam: olim ὁλκὴ dicta fuit, & ſignabatur cum A quod ab inferiore parte o habebat, quandoque manipulum ſignificat, a δράττομαι prehendo, manu corripio. G. Eine Drachme, der vierte Theil eines Loths, ein Quintlein.

DRACO HERBA, eſt planta, quæ habet caules plures, tres pedes altos, tenues, duros, parum anguloſos, folia plurima gerentes longa & anguſta inſtar lini, odorata, coloris viridis, obſcuri, ſplendentia, ſaporis acris, aromatici, cum dulcedine quadam grata aniſum referente. Flores in ſummitate caulis creſcunt inſtar abrotani, ſed minimi, his ſuccedunt fructus parui, rotundi, & ſquammoſi, qui ſinguli continent ſemen: radix longa, ramoſa: eſt herba non inſuauis odoris ac ſaporis: eius nomen videtur fuiſſe *taracon*, *tarchon*, *tragum*, *tragium &c.* hinc mutato T in D, oritur *draco*. Vocatur etiam *dracunculus eſculentus*. G. Dragon.

DRACO ARBOR, eſt arbor exotica, cuius lachrymæ rubicundum & ſanguineum fundunt ſuccum reſinoſum, vnde ei nomen impoſitum *ſanguis draconis*: additur *draconis*, quoniam profluit ex arbore *dracone* dicta, ex cuius cortice vel inciſo, vel ſponte deſtillat. G. Drachenblut.

DRACONIS ſanguis etiam vocatur *lapathum rubrum*, cuius folia coſtas habent obſcure rubicundas, ſeu ſanguineas.

DRACONTIA, eſt planta, quæ habet vnicum caulem tres pedes circiter altum, pollicis craſſitie, erectum, cortice tectum cutim ſerpentis referente: folia profunde inciſa in magnas, varias, & profundas lacinias, anguſta, polita, carnoſa, ſplendentia, caulibus longis & fungoſis adhærentia; cætera vt

in aro: radix eſt craſſa, fere rotunda, carnoſa, externe coloris flaueſcentis, interne albeſcentis, ſaporis dulcis: creſcit hæc planta in locis umbroſis, præſertim in regionibus calidis. *Dracontium*, *Dracunculus*, *Serpentaria*. Nomen a figura ſumpſit; caulis enim glaber purpureisque reſperſus lituris, verſicolori facie, corpus anguinum repræſentat, & æquat longitudine. Vertex quoque ſinuoſo oris hiatu, linguam exerens cruentam, caput exprimit. Atque hinc eſt quod veteribus etiam Romanis *colubrina* ac ſerpentaria nuncupata ſit: vel ſic dicta, quod e terra ad primas ſerpentium vernationes exeat, rurſusque cum iisdem ſe in terram recondat. G. Schlangenkraut, Drachenwurtz.

DRACVNCVLVS, idem quod *Dracontia*. Item lumbricus longus, planus, non admodum latus, albus, qui cruribus Indorum frequenter innaſcitur, *vena medinenſis* ab auctoribus Arabicis vocatur. Morbus eſt Europæ incognitus, ſed Indis admodum familiaris.

DRAGMA, idem quod *Manipulus*.

DRAGMIS, idem quod *Pugillus*.

DRASTICA, ſunt medicamenta præſentiſſima & multarum virium; in ſpecie ſic vocantur purgantia fortiora, a δράω facio. G. ſtarcke Artzney.

DROPACISMVS, eſt medicamentum externum, partibus rubefaciendis, adeoque motum in iis excitando, dicatum, quo membra externa omnia extenuata, reſoluta, frigida & humida, oblini ſolent. Eſtque vel ſimplex vel compoſitus. *Simplex* ex pice modica oleo liquata, conſtat. *Compoſitus* præter picem oleo liquatam, recipit etiam piper, pyrethrum, bitumen, ſemen roriſmarini: & ſi opus ſic ſiccare, *ſulphur viuum*, *ſalem*, *cinerem ſarmentorum*; ſin vellicare, *euphorbium*. Forma varia eſt; quidam enim emplaſtri referunt, alii cataplaſmatis formam. Lat. *Picatio*, Gr. δρῶπαξ. G. Ein Pechpflaſter, Pechhaube. Vocatur etiam *Dropaciſmus*.

DROSOMELI, vide *manna*.

DRYS, Gr. δρῦς, quercus, veteres omne genus arboris δρυὸς appellatione intellexerunt: poſterioribus δρῦς omnem arborem glandiferam tantum ſignificat, & præſertim *Quercum*.

DRYPETES, Gr. δρυπετὴς, ſic vocatur oliua aut quilibet alius fructus præ maturitate plena ſponte deciduus, ex δρῦς arbor, vt apud veteres, & πίπτω cado, antiquo more πέτω. Latine *drupa*.

DRYO-

DRYOPTERIS, eſt filicis ſpecies, & proprie polypodium quercinum, ex δρῦς quercus, & πτέρις ala, quod folia alarum in modum ſe expandant.

DVCTVS CHYLIFERVS, eſt canalis, qui a ſuperiori receptaculi parte oritur, ſiue eſt tantummodo receptaculum in arctiorem canalem protractum, ſimili, tenui, membranoſa, ſatis tamen firma, tunica formatum, valuulis inſtructum, idcirco vbi chylo repletus, candidus apparet, vbi vero inanis collabitur, ægre, nec niſi ab exercitato reperitur, ab hac origine (ſæpe duplici, mox coeunte) flexuoſo quodammodo mox recto itinere adſcendit, in media corporum vertebrarum thoracis ſede, medio inter venam ſine pari a dextris & aortam deſcendentem a ſiniſtris loco; ita tamen vt aorta ipſi maximam partem incumbat: & hic eſt locus ille, vbi certiſſime in quocunque cadauere reperiri poteſt ille ductus; nam licet inanis & collapſus ſit omnino, leui ibidem loci, inter azygam & aortam vulnuſculo pleuræ inflicto, atque illa paululum diſtracta, certo reperitur: pergit dein a deſcripto loco, ſemper incumbens vertebris, ſub oeſophago, ſubter arcum venæ azygæ; (quæ arcum venoſum in dextro latere, vti arterioſum aorta in ſiniſtro format;) inde ſupra corpora vertebrarum ſiniſtrorſum inclinat, pergit ſubter ſoporalem arteriam ſiniſtram, vſque ad medium vltimæ ceruicis vertebræ, toto hoc decurſu, ſæpe inſulas maiores, minores, vario loco efformans; decurrit in celluloſa quadam ſubſtantia, ſæpe vt alibi in corpore, pinguedine infarcta, ſub pleura membrana, adeoque extra thoracis cauum, æque ac vaſa ſpermatica, vreteres &c. hac ratione extra cauitatem abdominis, ſub peritonæo decurrere dicuntur: poſtquam ad mediam vltimæ ceruicis vertebræ ſedem ſiniſtrorſum inclinando adſcendit, ibi arcus forma incuruatus, ſiniſtrorſum deorſum tendit, pone venam iugularem internam ſiniſtram, & terminatur vt plurimum in venam ſubclauiam ſiniſtram, a parte poſtica, ſub valuulis venæ iugularis internæ: præter valuulas ſemi vtriculares, & geminatas, quæ in toto hoc ductu reperiuntur, quæque parte ſua conuexa receptaculum chyli, parte concaua venam ſubclauiam reſpiciunt, datur & altera ſemilunaris, aperturæ ductus thoracici in venam ſubclauiam appoſita, ita vt cornua eius venam ſubclauiam reſpiciant, admittens liquidum ex ductu in venam ſubclauiam, ſed regreſſum ipſi negans. Vſus eſt chylum & lympham verſus cor, ex inteſtinis, & partibus inferioribus vehere & adducere: hinc non

incongrue dici poteſt, vena caua chyli & lymphæ. vid. *ſacculus chyliferus.* G. Der Milchcanal.

DVCTVS COMMVNIS. vid. *Veſica fellis.*

DVCTVS HYGROBLEPHARI, ſunt quidam ductus, qui intra palpebras ſuccum exonerant lymphaticum, quo oculi continuo, ne areſcant, irrigantur, ex ὑγρὸν, humidum & βλέφαρον, palpebra. Der Augenlieder Waſſerröhre.

DVCTVS HYGROPHTHALMICI, idem ac *ductus Hygroblephari*, ex ὑγρὸν humidum & ὀφθαλμὸς oculus.

DVCTVS LACHRYMALES, ſunt, qui omnem lympham, qua oculi irrigantur ſuſcipiunt, & per narium oſſa incedentes in nares ſeſe exonerant. G. Der Trähnenkanal.

DVCTVS PANCREATICVS, eſt canaliculus, ex pancreate ortum ducens, qui iuxta, vel non procul a ductu biliario inteſtino inſeritur; ſuccum vehit lymphaticum, quem in inteſtinum duodenum mittit, ad cibum (a fermento acido ventriculi & bilis admixtione) volatiliſandum & fermentandum. Inuentus fuit *1641.* a MAVRITIO HOFFMANNO in gallo Indico. Mox O. GEORG. VIRSVNGVS in homine a ſe viſum & inuentum tabulæ æneæ inciſum Patauii *1642.* publicauit, vnde ipſi nomen eſt *ductus Virſungiani.* Deinde a *Fr. de le Boe Syluio* & *Regnero de Graaf*, pluribusque aliis circa illum illuſtrandum laboratum fuit. Vide *Callicreas* G. Der Pancreatiſche Kanal.

DVCTVS RORIFERVS, ſic a *Ludou. Bilſio* dictus, idem eſt quod *ductus chyliferus.*

DVCTVS SALIVARES, ſiue ſaliuarii, ſunt meatus qui a glandulis maxillaribus, parotidibus, ſublingualibus, & glandulis paruis, per totam membranam oris, præcipue per labra, palatum, buccas ad linguam diſperſis producti, ſuccum ſaliualem effundunt in os ad cibi ſolidioris dilutionem, miſtionem, ſolutionem, maſticationem, deglutitionem, & nonnullam fermentationem promouendam. G. Speichelröhre.

DVCTVS THORACICVS, idem quod *Ductus chyliferus.*

DVCTVS VMBILICALIS, vide *Funiculus umbilicalis.*

DVCTVS VRINARIVS, idem quod *Vreter* & *Vrethra.*

DVCTVS VIRSVNGIANVS, idem quod *Ductus Pancreaticus.*

DVLCAMARA; ſeu GLYCYPICRIS, eſt ſolani ſpecies, ſic dicta quod ſaporem inter dulcem & amarum habeat;

beat; flore & fructu quidem refert ſolanum, verum ad diſtinctionem aliorum ſolanorum, dicitur ſolanum ſcandens, & non habet vires narcoticas ſolanorum; ſi pars recenter aulla manducetur per totum os amaritiem diffundit, & paulo poſt dulcedinem mellitam. G. Je långer, ie lieber, Bitterſüß.

DVLCEDO AMORIS, vide *Clitoris*.

DVLCORATIO, idem quod *Edulcoratio*.

DVELLA, eſt tertia vnciæ pars, octonis ſcrupulis terminata.

DVODENVM INTESTINVM, vide *Dodecadactylum*.

DVPONDIVM, pendet drachmas quatuor, ſeu ſemiunciam. G. Ein Loth.

DVRA MATER, vide *Mater dura*.

DYSÆSTHESIA, eſt difficultas ſeu vitium ſenſuum, ex δὺς difficile, & αἰσθάνομαι ſentio.

DYSCINESIA, eſt mouendi impotentia, ſiue ſit imminuta, ſiue abolita. G. Da man ſich nicht bewegen kan.

DYSCRASIA, eſt inæqualis particularum in ſanguine, vel ſucco neruoſo mixtura, a δὺς difficile, & κεράννυμι miſceo, tempero.

DYSECOIA, Gr. δυσηκοΐα eſt audiendi difficultas, ex δὺς difficile & ἀκόω audio. G. Harthörung, Taubheit.

DYSELCES, (cui opponitur *Euelces*, vide ſuo loco) eſt is, qui vlceribus curatu difficillimis laborat, ex δὺς difficile, & ἕλκος vlcus. G. Der böſe Geſchwer hat.

DYSENTERIA, Lat. *Tormina*, eſt diarrhœa cum teneſmo leuiore vel grauiore, totiusque ventris torminibus, ac ſanguinis, etiam puris excretione; hiſce accedunt anxietates magnæ, deiectiones frequentes, quæ ſæpe habent breuia interualla, deinde mucus & pelliculæ prodeunt, quando dyſenteria alba dici ſolet; ſiti adhuc, febri, inquietudine, viriumque imbecillitate laborant. Sed dyſenteriæ aliquando epidemicæ ſunt, aut cum peſte, & in vrbibus vel caſtris multos vno tempore affligunt. Nonnunquam excreta halitum exſpirant, quo adſtantes inficiunt, a δὺς difficile, ἔντερον inteſtinum. G. Die Rothe Ruhr, der Blutgang.

DYSEPVLOTICA, ſunt vlcera maligna, curationem reſpuentia, ex δὺς difficulter, & ἐπουλόω, cicatricem induco.

DYSODES, δύσοσμος vel δύσοδμος. Eſt omne illud quod male olet, vt excrementa. Ei opponitur *Euodes*, ex δὺς difficile, & ὄζω oleo. G. Stinckende Sachen.

DYSOREXIA, eſt appetitus diminutus, ex mala ſuccorum in ventriculo diſpoſitione, ex δὺς difficile, & ὀρέγω cupio. G. Wenn man keine Luſt zu eſſen hat.

DYSPATHIA, eſt patiendi difficultas, cui opponitur *Eupathia*, ex δὺς difficile, & πάσχω patior. G. Ungeduldig.

DYSPEPSIA, eſt difficultas cibos concoquendi, ſeu attenuandi, & ſubigendi per liquida affuſa in ventriculo & inteſtinis, vnde non raro hi ſequentes ſuam naturam, quam extra corpus animale induiſſent in ſimili calido humidoque loco, in nidorem, vel aciditatem conuertuntur: ei oppoſitum eſt *Eupepſia*, ex δὺς & πέπτω coquo. G. Undaulichkeit des Magens.

DYSPHONIA, eſt loquendi difficultas, ex mala organorum diſpoſitione, ex δὺς difficile, & φωνέω voco. G. Schwere zu ſprechen.

DYSPHORIA, eſt tolerandi vel patiendi difficultas, ex δὺς ægre, & φορέω patior, tolero.

DYSPNOEA, eſt reſpirandi difficultas, cum dolore & fatigatione ab organis reſpirationis vitiatis, obſeſſis, aut irritatis orta. Habetque duos gradus, nempe aſthma & orthopnœam, de quibus ſuo loco; ex δὺς difficile & πνέω ſpiro. G. Schwer Athem, Engbrüſtigkeit, Keichen.

DYSTHERAPEVTA, ſunt morbi curatu difficiles, ex δὺς peruicaciter, & θεραπεύω curo. G. Kranckheiten, die nicht leichtlich weggehen.

DYSTHYMIA, eſt animi ægritudo, ex δὺς ægre, & θυμὸς animus. G. Schwermüthig.

DYSTOCIA, eſt partus diffici lilis, ſiue præter ordinarium curſum fœtus in lucem editio. Hoc fit quando nempe oblique, tranſuerſim vel pedibus primo egreditur, vel cum viæ ex inflammatione, vel alias anguſtæ ſint, vel cum fœtus magnus, debilis, obeſus, vel mortuus ſit, ex δὺς difficile, & τίκτω pario. Schwere Arbeit in der Geburt.

DYSVRIA, eſt mingendi difficultas, ab organis male diſpoſitis, a calculo, arenis vel viſcidis humoribus obſtructis, plerumque cum ardore vrinæ, ex δὺς male, & οὖρον vrina, G. Harnſtrenge, Harnwinde.

E.

EBENIVS, oleum Paracelſo laudatum, penult. corr.
Fert ebenum, ſolis eſt thurea virga Sabæis. Virg. Georg.1.

EBENVM, EBENVS, vel HEBENVS, eſt arbor duriſſimi, grauiſſimi & nigerrrimi ligni. G. Ebenholtzbaum.

EBISCVS, idem quod *Hibiſcus*, vide *Althæa.*

EBVLLITIO, ab ebullire, eſt liquorum, mediante igne rarefactio. Vel quando alcalia & acida mutuo commiſcentur, vt in efferueſcentiis. G. Das Sieden, Auffkochen.

EBVLVS, EBVLVM, penult. corr.

Sengvineis ebuli baccis, minioquo rubentem. Virg. Ecl. 10.
Hic ebulum ſtridet, peregrinaque galbana ſudant. Lucanus l 9.

Ebulus, ſeu ſambucus humilis, a quo vix differt, niſi quod ſit multo humilior. Gr. χαμαιάκτη. G. Attig, Niederholder.

ECBOLICA, ſunt medicamenta, quæ fœtum in partu difficili expellunt. Item medicamenta quæ abortum concitant, ab ἐκβάλλω deiicio.

ECCATHARTICA, vide *catharticum*, ab ἐκκαθαίρω expurgo.

ECCHYLOMA, idem quod *extractum.*

ECCHYMOMA, ECCHYMOSIS, eſt cutis ſugillatio, a ſanguinis extrauaſatione ex vaſculis minimis cutaneis, caua quædam formantis; ab ἐκ ex, & χυμὸς ſuccus. G. Blaue unterlauffene Flecken.

ECCOPE, idem quod *extirpatio*, ab ἐκκόπτω exſcindo. *Eccope*, eſt quoque oſſis inciſio perpendicularis absque continui diſſolutione, remanente tantum ſigno. Hippocrates nominat *hedram*, Latini *veſtigium* vel *ſedem.*

ECCOPROTICA, idem quod *cathartica*, ſed leniora, ab ἐκκοπρόω aluum deiicio.

ECCRIMOCRITICA, ſunt iudicia de excretis particularibus, ab ἐκκρίνω ſecerno & κρίνω iudico.

ECCRISIS, eſt excrementorum ſecretio, ab ἐκκρίνω ſecerno.

ECHIDNIVM, eſt diminutiuum ab *echium*, vide ſuo loco.

ECHINOMELOCACTOS, eſt melocarduus, planta indica, ex ἐχῖνος echinus, qui echini animalis in modum ſpinis vndique eſt obductus, ex μῆλον melo, pomum, & κάκτος carduus.

ECHINOPODA, quidam geniſtam eſſe putant, ex ἐχῖνος echinus, ob ſpinas quas habet, & πȣ̃ς pes.

ECHINVS, eſt quicquid numeroſa congerie aculeorum ſtipatur, ſiue tegmen, ſiue caput, ſiue cacumen fuerit,

ſic dictus quod globoſo ſpinarum agmine maris herinaceum mentiatur. Sic vocari poſſunt caſtaneæ, capita carduorum &c.

ECHIVM, VIPERINA, ſeu Ἀλκιβιάδιον, eſt herba, quæ habet caules lanuginoſos, virides, & punctis nigris inſtructos: Folia oblonga, anguſta, lanuginoſa, aſpera, ſaporis inſulſi: flos monopetalus, infundibuliformis, ex anguſto in latum inſtar cornu venatoris expanſus, ſuperior pars ſupra reliquas eminet, formatque quaſi galeam: ex calice autem ad baſin vsque vt plurimum ſecto ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar claui infixum, & quatuor veluti ſtipatum embryonibus, qui deinde abeunt in totidem ſemina viperini capitis æmula, quæ in calice ipſo longe ampliato matureſcunt; vnde herba viperina dicitur: vel quod contra ferarum ictus ſint vtilia ſemina: vel quod floreſcit planta capitulis viperæ ſimilibus, ἔχις enim & ἔχιδνα vipera eſt. G. Wild Ochſenzung.

ECLEGMA, ſiue LINCTVS, quem *Arabes loch & lohoch* appellant, ἐκλεικτόν, eſt medicamentum internum, quod conſiſtentia inter ſyrupum & opiatum medium eſt, ex variis, aduerſus thoracis, aſperæ arteriæ & pulmonum affectus, vt lingatur, concinnatus, ab ἐκλείχω lingo, lambo. G. Latwerge, Leckſaft.

ECLIPSIS, eſt animi defectus: idem quod *eclyſis*, ab ἐκλείπω deficio.

ECLYSIS, *animi defectus*, ab ἐκλύω delinquo. Vide *deliquium animi*.

ECPHRACTICVM, eſt medicamentum incidens & deobſtruens. Vide *attenuantia*, ab ἐκφράσσω deobſtruo.

ECPHRAXIS, eſt alicuius partis, per medicamenta incidentia deobſtructio, ab ἐκφράσσω deobſtruo.

ECPHYSESIS, eſt efflatio vel exſpiratio confertim facta, ab ἐκφυσάω efflo. Vid. Efflatus.

ECPHYSIS, vide *apophyſis*. Item *duodenum* ſignificat. Vide *dodecadactylum*, ἐκφύω excreſco.

ECPIESMA, eſt ſuccus expreſſus. Item fœces quæ ab expreſſo remanent. Item caluariæ fractura, in qua partes cranii fractæ, meninges premunt, ab ἐκπιέζω exprimo.

ECPIESMVS, eſt quædam expreſſio, ſed maxime oculorum protuberantia, ab ἐκπιέζω exprimo.

ECPTOSIS, idem quod *excidentia* & *luxatio*, ab ἐκπίπτω excido.

ECPYCTICA, ſunt medicamenta condenſantia, idem quod *Incraſſantia*, ab ἐκπυκάζω condenſo.

ECRHYTHMVS, eſt pulſus, qui nullius ætatis rhythmum ſeu modulum obſeruat, ab ἐκ ex, & ῥύθμος modulus. G. Ein unordentlicher Puls.

ECSARCOMA, idem quod *hyperſarcoſis*, ab ἐκ, ex, & σάρξ caro.

ECSTASIS, eſt delirium ſiue mentis commotio, ſiue fuerit cum ſilentio, ſiue cum furore, interdum vigiliæ adſunt, interdum coma, ab ἐξίστημι, grauiter deliro. Dicitur etiam is, qui ita vni rei meditandæ intentus eſt, quaſi in cælum eſſet ſublatus. G. Entzückung, Erſtarrung.

ECTASIS, cutis eſt quædam in longitudinem & latitudinem extenſio, ab ἐκτείνω extendo. G. Ausſpannung der Haut.

ECTHLIMMA, eſt vlceratio, a violenta compreſſione, in cutis ſuperficie oborta, ab ἐκθλίβω exprimo.

ECHYMATA, ſunt puſtulæ, ſine cutis quædam efflore-ſcentiæ, vt in variolis, &c. ab ἐκθυμιάω exhalo, euaporo. G. Eine Blatter.

ECTOME, idem quod *exſtirpatio*, ab ἐκτέμνω exſcindo.

ECTROPIVM, eſt vitium palpebrarum, quando inferior palpebra breuior eſt ſuperiore, vt oculum claudere non poſſit, item genæ &c. aut eius inuerſio, ab ἐκτρέπω euerto.

ECTROTICA; ſunt medicamenta quæ abortum inferunt, ab ἐκτιτρώσκω abortio. G. Unzeitige Geburt verurſachende Mittel.

ECTYLOTICA, ſunt medicamenta callum conſumentia, ab ἐκ ex, & τυλὸς callus.

ECZEMATA, ſunt puſtulæ rubicundæ feruidæ, & flammeæ; quidam hydroa pro eczemate, ſed male, ſumunt, ab ἐκζέω efferueſco. G. Feuerblätterlein.

EDVLCORATIO, & DVLCORATIO, dicitur, quando calcinata ſale grauida, aqua (vt plurimum calida) abluuntur, qua ablutione ſal inibi contentum aquæ immiſcetur. Vel dulcorare etiam dicitur, quando potiones, addito ſaccharo aut ſyrupis conuenientibus, gratiores redduntur. G. Süſsmachen.

EFFERVESCENTIA, ab EFFERVERE, eſt ſubitus & inteſtinus inter ſales oppoſitos, vt alcali & acidum, interueniente aqua, cum tendentia ad mutuam deſtructionem, motus, quem nonnunquam calor aut flamma ſubſequitur, vt in calce viua, fœno madide repoſito, & miſcelis chymicis. G. Das Aufſieden, Aufkochen, Erhitzen.

EFFLATVS, eſt valida aeris ex ore coarctato expreſſio, quod

quod ſit per muſculos abdominales, viſcera ibi contenta ſurſum, adeoque diaphragma in thoracem prementes, & ſic aerem in pulmonibus contentum expellentes, clauſo interim foramine narium per velum pendulum palatinum. Gr. ἐκφύσησις. G. Das Blaſen.

EFFLORESCENTIA, idem quod *exanthema.*

EFFLVVIVM, idem quod *aporrhœa.*

EGESTIO, idem quod *deiectio.*

EIACVLATORIA, EIACVLANTIA VASA, vide *vaſa deferentia.*

EIECTIO, idem quod *deiectio.*

EISPNOE, idem quod *inſpiratio.*

ELÆA, olea. G. ἐλαία. Oelbaum.

ELÆAGNVS, eius nomen diuerſis imponitur arbuſculis, ex ἐλαία olea & ἀγνὸς, vitex.

ELÆOSACCHARVM, oleum eſt ſtillatitium cum ſaccharo mixtum, inter terendum pauxillum vitelli oui recentiſſimi, puriſſimi, intermiſceri poteſt tam ſaccharo quam oleo, vt reductio olei in aptiorem miſcendo formam facilius abeat; ſed tum miſtum non poteſt tamdiu ſeruari ſine rancedine. ex ἔλαιον, oleum, & ſaccharum. G. Zucker mit Oele.

ELÆOSELINVM, vide ELEOSELINVM.

ELAPHOBOSCVM, eſt paſtinaca, a ἔλαφος ceruus & βόσκω paſco, quaſi cerui pabulum: quod cerui eam plantam primum demonſtrarint: hoc enim pabulo ceruos ſerpentibus reſiſtere, fama eſt.

ELAPHOSCORODON, eſt ceruinum allium, ex ἔλαφος ceruus, & σκόροδον allium.

ELASTICA VIS, eſt fibrarum ſolidarum corporis animalis virtus quædam, qua diſtractæ per cauſam cedunt, renituntur, nec ſoluuntur, & cauſa ceſſante, ſponte ſe in priſtinum ſtatum reſtituunt. G. Elaſticität.

ELATE, eſt abies

ELATERIVM, penult. corr. qvia *Hippocrati*, *Dioſcoridi*, *Galeno*, *Polluci*, ἐλατήριον ſcribitur ſine diphthongo. Elaterium, ſtricte eſt fæcula ſucci illius viridis, luridi, & viſcoſi, ex fructibus maturis cucumerum ſylueſtrium leni compreſſione emiſſi, inque eo ſubſidens: atque hæc veterum eſt elaterium: ſed noſtro tempore plerumque iſte ſuccus, quem veteres abiiciebant, exhalando ad extracti conſiſtentiam inſpiſſatur, & pro elaterio venditur. Imo latiſſima acceptione denotat omne medicamentum forte, quo aluus purgando ſubducitur,

citur, ab ἐλαύνω agito, expello. G. Ein ſtarck purgirend Mittel von wilden Cucumern.

ELATINE, quibusdam veronicæ, quibusdam helxines ſpecies.

ELECTRVM, vide *Succinum.*

ELECTVARIVM, vox *Officinarum*, & *Meſvæ*; *Nic. Myrepſo* λακτκάριον, *Papiæ* a lacte dicitur; *Weckero* ab electione, qvod ex electis aromatis conſtet. Commodius ab ἐκλεικτὸν, vel ἐκλεικτὸν, id eſt, pharmacum qvod lingendo abſumitur, ab ἐκλείχειν vel ἐκλείχειν, unde ecligma Authoribus freqvens. Penult. corr. ob vocalem ante vocalem ſine ſuſpicione diphthongi. Electuarium, eſt confectio ex ſpeciebus, pulpis, gummis, ſyrupo vel melle excepta, conſiſtentia conſeruæ inſtar craſſa. Eſtque *ſimplex* vel *compoſitum*. *Simplex* tantum ex pulpa caſſiæ, tamarindorum, vel prunorum conſtat: *compoſitum* vero vt plurimum ex ſpeciebus, pulpis, ſuccis condenſatis, gummis, &c. quæ melle vel ſyrupo excipiuntur. Electuaria ſunt digerentia, laxantia, purgantia, confortantia, alexipharmaca &c. G. Ein ausgepreſter Saft, Latwerge.

ELEMENTA, ſeu PRINCIPIA, ſunt corpora ſimpliciſſima, quæ nec ex ſe inuicem ſunt, neque ex aliis, ſed ex quibus ſunt omnia, & in quæ reſoluuntur. Elementa quibusdam chemicis dicuntur quinque, *ſpiritus*, *ſal*, *ſulphur*, *aqua* & *terra*, quorum poſtrema duo paſſiua, cætera actiua dicuntur. *Alii* enumerant tria, *ſalem* nempe, *ſulphur* & *mercurium*, minus tamen recte. *Peripateticorum* ſchola quatuor exiſtere docet, *ignem* ſc. *aerem*, *aquam* & *terram*. Verum iſthæc elementa omnia ſunt ex aliis compoſita, propterea ex eorum elemento quidpiam conſtare, idem eſt quaſi diceres, arborem ex radice, trunco, ramis, foliis, floribus &c. eſſe compoſitam. Omnium ſimplicius incedit *Carteſius*, qui materiam conſtituit *primam*, *ſecundam* & *tertiam*, hoc eſt lumen emittens, idem transmittens, & idem reflectens. Gr. Στοιχεῖον G. Ein Element.

ELEMI, gummi ſiue reſina, aut lachryma pellucida, albicans, cum flauis particulis mixta, in maſſam redacta, ſuauem accenſa halans ſuffitu odorem, venit ex Æthiopia, vbi ex arbore manat, quam oleam nonnulli volunt, alii cedrum, alii aliam arborem. Dicitur & *Elemni*.

ELEOCHRYSON, & HELEOCRHYSON, recentioribus Botanicis ἑλίχρυσον vocatur; forte ἡλειόχρυσον Plinii. Planta eſt, quæ habet caulem in multos ramos diuiſum, ligno-

lignoſum, lanuginoſum, album, pedem vel ſeſquipedem altum, habentem parua folia villoſa, albeſcentia: gymnomonoſperma eſt flore floſculoſo aureo & calyce aureo: dicitur hinc coma aurea, & ſtœchas citrina.

ELEOSELINVM, male *Elæoſelinum*, eſt apium paluſtre, ex ἕλος, palus & σέλινον, apium. Hinc etiam vocatur hydroſelinum, apium aquaticum.

ELEPHANTIASIS ARABVM, de quo morbo, ne verbum quidem fecerunt Græci; Arabes eius mentionem paſſim faciunt, quæ varicibus cognata eſt, atque ex iſtis ortum habet, & tantum pedum tumor eſt. Agit de hoc *Auicenna* vbi de varicibus tractat. Rhaſes diſſentit tamen ab his, & Græcos ſequitur *Haly Abbas*, qui Elephantem dicit eſſe morbum omnia corporis membra corrumpentem, & quaſi cancrum vniuerſalem. Verum nec ipſe ſibi conſtat, cum ſcribit: vlcera, quæ in pedibus & cruribus fiunt, elephas vocantur, & elephanticus morbus apoſtema eſt melancholicum, quod in cruribus & pedibus apparet, & eius ſignum eſt, quod pedis figuræ ſimilis fit. Reliqui omnes ſeorſim de lepra & elephantia agunt, & elephantiam pedum tumorem eſſe dicunt a ſanguine melancholico & pituitoſo & varicibus ortum, ob quem pedes ægri pedibus elephantis figura & craſſitie ſimiles fiunt. Atque tumoris hoc genus in mendicantibus ſæpe conſpicitur, qui in viis publicis ſtipem petendo victum quærunt. G. Eine Krankheit wie der Auſſatz, oder Maltzey, ſchuppichte Haut.

ELEPHANTIASIS GRÆCORVM, quam *Arabes* lepram vocant. Appellatur autem *elephas* & *elephantiaſis* & *elephantia* ab elephante, ob ſimilitudinem quam hic morbus habet cum elephante: nimirum, ut nonnulli putant, quod eo morbo laborantes magni ut elephantes, fiant; quæ inepta eſt notatio, cum elephantiaci non maiores fiant, niſi quis non magnitudinem corporis elephantiaſi laborantium, ſed morbi magnitudinem reſpiciat, vel quod malum in cruribus ſerpens, efficiat ea elephantis ritu fere rigida & æqualia: vel quod inter alios morbos vehemens, ac validus ſit veluti elephas, vel quod membra & cutis tumida, ſcabra, rugoſa tuberoſa, & inæqualis, vt elephantum, reddatur. *Galenus* de tumoribus cap. 14. malum hoc cum incipit, etiam σατυριασμὸν nominari ſcribit, eo quod facies ſimilis ſatyrorum faciei reddatur. Nam labia fiunt craſſa, naſuſque tumet atque ideo depreſſus apparet, aures tabeſcunt, maxillæ rubore perfunduntur, in fronte hinc inde tumores quaſi quædam cornua apparent; quanquam alii etiam

etiam de cauſa Σατυριασμὸν hoc malum nominari cenſeant: quoniam videlicet malæ faciei iisdem cum rubore attolluntur, & muſculis maxilaribus veluti conuulſionem patientibus, mentum ipſum dilatatur, quemadmodum etiam ridentibus euenire ſolet, ſimilitudine quadam ad picturas ſatyrorum, quos ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι *Cal. Rhodiginus* ita nominatos putat, quod ore hiante labiiſque diductis inſtar ridentium cantent & ludant, vel vt nonnulli, quod Satyris in venerem propenſione & libidine ſimiles ſint. *Celſus* ita deſcribit, totum, *inquit*, corpus afficitur, ita vt oſſa quoque vitiari dicantur: ſummæ partes corporis, crebras maculas, crebroſque tumores habent. Rubor horum paulatim in atrum colorem conuertitur: ſumma cutis inæqualiter craſſa, tenuis, dura, molliſque quaſi ſquamis quibusdam aſperatur, corpus emarceſcit, os, ſuræ, & pedes intumeſcunt. Vbi vetus eſt morbus, digiti in manibus pedibuſque ſub tumore conduntur, febricula oritur, quæ facile tot malis obrutum hominem conſumit. Plura vide apud *Aretæum diuturn. lib. II. cap. 13.* & obſeruationum auctores.

ELEVATORIVM, ab eleuando dictum, eſt inſtrumentum chirurgicum, quo crania depreſſa eleuantur. G. Ein Auſheber.

ELICHRYSON, idem quod *Eleochryſon.*

ELIXATIO, eſt, quando res coquendo emolliuntur. G. Außſiedung.

ELIXIR, *Arabibus* Elechſchir, & Elikſchir, id eſt, pura ſine fæcibus maſſa, ſiue eſſentia; a radice kaſchara, ſi *Langio* credimus, id eſt, contudit, pellem detraxit, deſqvamauit. Sed nos de genitiui pronunciatione ſolliciti notamus ex *Lexic. Arab. Golii*, Arabibus hodie Elixir appellari Alichſiiro, accentu penultimæ impreſſo, (a radice *caſara*, confregit) ideoqve deficientibus, Latii legibus, cum Arabibus *Elixiris*, penult. longa dicemus. Elixir, eſt tinctura ſeu eſſentia alicuius rei, per ſpiritum vini aut aliud ſimile menſtruum, extracta; adeoque idem eſt, quod *tinctura.* G. Qvinteſſentz, Elixir.

ELLEBORVS penult. corripit, qvia *Dioſcoridi*, & *Galeno* ἐλλέβορος. Præterea:

Expulit elleboro morbum, bilemque meraco. Hor. l. 2. ep. 2.
Scillamque, elleborosque graves, nigrumque bitumen. Virgil. 3. Georg.

Elleborus, HELLEBORVM, melampodium ſeu VERATRVM, dantur duæ ſpecies, album & nigrum. Helleborus niger, eſt planta, quæ habet caules ex radice erumpentes, longos,

longos, rotundos, ſucco plenos, punctis purpureis inſtar ſerpentariæ notatos, horum ſinguli habent nouem folia, vt plurimum digitata, ſatis firma & craſſa, viridiſſima, polita, in margine inciſa; flores inſtar roſæ expanſi ſunt, ex horum meditullio ſurgit piſtillum plurimis corniculis inter ſtamina & petala iacentibus cinctum circa baſim, quod abit in fructum, in quo velut in capitulum colliguntur vaginæ membranaceæ, in cornu plerumque deſinentes, ſecundum longitudinem dehiſcentes, ſeminibus fœtæ plerumque ſubrotundis vel ouatis: radix tenuis, fibroſa, nigricans, ex vno capite prodiens, ſaporis acris pungitiui, amari, nauſeoſi. Eſt illud famoſum purgans Hippocratis. Nomen accepit ἀπὸ τȣ͂ ἑλεῖν τῇ βορᾷ, quod eſu perimat, cibumque corporis eripiat: ἑλεῖν enim eſt *capere*, & βορὰ pabulum, eſca. Hinc quoque *elleboraſtrum*, & *elleborine* deriuantur. Elleborus albus differt a nigro, quod corniculis careat, & ſemen habeat marginatum, & radicem albam: *elleborine* cognominatur a foliorum cum ellebori albi potius ſimilitudine quam ab effectu. G. Nieſwurtz.

ELMINTHES, vide HELMINTHES.

ELODES & HELODES, febris continuo affligens cum maximo ſudore, ita vt ægri ob humiditatem in paludibus degere videatur, & exinde pene exſoluantur. Forte erit ſpecies *ſudoris anglici*, ab ἕλ⊗ palus & εἶδ⊗ forma. G. Das Schwitzfieber.

ELONGATIO, Gr. παράρθρωμα, eſt luxationis imperfectæ ſpecies, quando lagamentum alicuius articuli tantum elongatur, ita vt os ex iunctura non prorſus exeat. G. Verlängung.

ELYMOS, eſt panicum, forte ab ἐλύω inuoluo, quod eius ſemina inuolucris inuoluantur.

ELYTROIDES, vaginalis dicta, eſt tunica propriarum prima, darto nexa, virilemque teſtem vaginæ in modum includens, a peritonæo producta, ſiue capſula, qua includuntur vaſa ſpermatica; ſingulo teſticulo priuatam vaginam concedit ab ἔλυτρον, vagina, inuolucrum, & εἶδ⊗ forma. G. Eine Haut bedeckende die Hodlein.

EMBAPHIVM, ſiue acetabulum, aut vaſculum, quo medicamenta aut alimenta induntur, vel menſurantur. Item vas in quod intingitur, ab ἐν, in, & βάπτω immergo, intingo.

EMBASIS, eſt balnei ſpecies, in quo quis aqua calida lauatur: ab ἐμβαίνω ingredior. G. Ein Bad.

EM-

EMBLICÆ, (ſiue ἐμπελιτικαὶ) myrobalani, penult. corr. vt cætera in icus, aromaticus, emphaticus, phlegmaticus, pragmaticus, criticus, &c.

EMBROCATIO, EMBROCHE, ſeu irrigatio, inſtillatio, ſtillicidium, fomentationis genus eſt, quando humor ex alto, pluuiæ inſtar, in partem aliquam deſtillatur, quæ fit vel prolutione ex vaſculo proboſcide inclinata, vel deſtillatione, vel ex gutturnio. Abhibetur *primo* ſuper ſuturam coronalem, in cerebri intemperiebus, ſiniturque humor per ſagittalem ſuturam decurrere: *ſecundo* ad principium ſpinalis medullæ in neruorum morbis, ſiniturque humor per totam ſpinam defluere: *tertio* ad calefaciendum vel exſiccandum ventriculum, ſiniturque materia per totum abdomen excurrere, ſi inteſtina quoque imbecillia ſint, hepati ceratum ſantalinum applicatur, quum eius incenſio metuatur. Embrocharum materia eſt aqua communis thermarum, decoctum ex herbis, lac, oleum, prout partis affectus & neceſſitas requirit. Aliis eſt fomentationis ſpecies, quæ fit, quando calida manus parti affectæ imponitur; vel quando ſpongia, ſtupa conuenienti liquore repleta, adhibetur, ab ἐμβρέχω intingo.

EMBRYON, eſt rudimentum fœtus in vtero materno ab ἐμβρύω pullulo. G. Unzeitige Frucht, das Kind in Mutterleibe.

EMBRYOTHLASTES, chirurgis inſtrumentum eſt vſuale, ad contundenda oſſa in extrahendo fœtu accommodatum, ab ἔμβρυον fœtus imperfectus & θλάω contundo. G. Ein Hacken.

EMBRYVLCVS, vncus ferreus, fœtui extrahendo deſtinatus, ab ἔμβρυον fœtus imperfectus, & ἕλκω traho. Idem quod *Embryothlaſtes.*

EMBRYOTOMIA, eſt fœtus diſſectio anatomica, ex ἔμβρυον fœtus, rudimentum, & τέμνω ſeco.

EMETICVM ſiue VOMITORIVM, eſt medicamentum, quod particulis ſuis irritatiuis ventriculo contentum moleſtum, per os expellit. Conficitur ex decoctis, tincturis, infuſionibus, &c. ideoque vt plurimum in liquida forma propinatur, licet in pilulis, pulueribus &c. etiam ægris porrigatur, ab ἐμέω vomo. G. Speytranck, Brechmittel.

EMETOLOGIA, eſt deſcriptio de vomitoriis, ab ἐμέω vomo, & λόγος ſermo.

EMETOS, vide *Vomitus*, ab ἐμέω, vomo.

EMMENAGOGA, ſunt medicamenta menſes mulierum ſubſiſtentes, vel non ſatis fluentes, cientia, ex ἐν in, μὴν menſis, & ἄγω duco.

EMMENIA, idem quod *cantamenia & menſes*, ex ἐν in, & μὴν menſis.

EMMOTON, eſt medicamentum liquidum, quod penicillis vulnerariis vel linteo concerpto exceptum, puſtulis aut vlcerum ſinibus iniicitur, ab ἐν in, & μοτὸς linteum quod vulneribus inditur.

EMOLLIENTIA, ab *Emollire*, ſeu μαλακτικὰ, ſunt, quæ calefaciendo, diſſoluendo, diſſipando & penetrando, partes ſolidas molles reddunt, a μαλάσσω emollio. G. Erweichende Mittel.

EMPASMA, eſt puluis aſtringens, halitum ex ore fœtidum corrigens, vel qui nimium ſudoris effluxum cohibet, idem quod *Catapaſma*.

EMPEIRIA, ſeu EMPIRIA, eſt experientia in arte medica obſeruationibus absque ratione innixa, ex ἐν in, & πεῖρα experientia. G. Erſahrung.

EMPETRVM, eſt frutex, qui habet caules ramoſos, flexiles, lignoſos, repentes, valde extenſos, cortice fuſco rubicundo inſtructus: folia ſunt parua, oblouga, habitus ericæ: flos mas, apetalus, ſtaminibus conſtans: fructus alio loco plantæ natus baccæ ſimilis eſt, fœtus ſeminibus oſſeis & cartilagineis: radix lignoſa, dura: Hæc planta creſcit in montibus & locis ſaxoſis, ab ἐν & πέτρος ſaxum.

EMPHRAXIS, eſt obſtructio in quacunque parte facta, ab ἐμφράσσω obſtruo. G. Verſtopſung.

EMPHRACTICA, ſunt, quæ poros obſtruunt, ab ἐμφράττω obſtruo. Idem quod *Emplattomena*.

EMPHYSEMA, eſt inflatio, ab aëre hoſpitante in aliqua cauitate, vt in tympanitide; vel in cellulis panniculi adipoſi vbicunque loci, vocatur etiam Gr. Ἐμπνευμάτωσις ab ἐμφυσάω inflo. G. Das Aufblaſen, Schwellen.

EMPHYTON THERMON, Gr. ἔμφυτον θερμὸν eſt calidum innatum, ſeu calor ex parentum ſemine primo in *fœtu ſeminatus*, qui poſtea, inchoata reſpiratione & fœtu per ſe ſubſiſtente, ſenſim perit. Calidum hoc, cum philoſopi tum medici *ſpiritum inſitum & natiuum* nominant, & ex tribus conſtare partibus aſſerunt, videlicet ex *humido primigenio*, *inſito ſpiritu*, *& calore*. Vnde *Fernelius* definit *calidum innatum*, quod ſit *humidum primigenium*, *inſito ſpiritu*, *& calore vndique perfuſum*. Ve-

Verum iſthæc veterum nugamenta nihil ad nos pertinent: calidum enim illud, locum duntaxat habet in recens natis, atque inſpirando & alimenta ſumendo perennatur. G. Angebohrne, eingepflantzte Wärme.

EMPIRICA MEDICINA, vide *empeiria.* Secta olim fuit in medicina, cuius author fuit *Acron Agrigentinus*, iuxta alios *Serapion*; qui neglectis rationibus, poſthabitaque rerum inueſtigatione & anatome, ſolis experimentis nitebantur, & in incognitis morbis ad ſimilis affectus & ſimilia remedia confugiebant. Floruit hæc ſecta potiſſimum apud *Ægyptios*, apud quos, teſte *Herodoto*, ſinguli morbi ſingulos fere medicos habebant. Progreſſu autem temporis homines experientiæ rationem addere ſtudebant, & ita paulatim ante *Hippocratem* apud *Cnidios*, *Rhodios*, & *Coos* noua ſecta empiricis contraria, ſubnaſci cœpit, quæ dicta fuit *dogmatica* ſeu *rationalis*. Ab ἐμπειράω, tento.

EMPIRICI, ſunt medici, qui in curandis morbis experimentis ſolummodo continenti ſunt, neglecta ratione. Vide *empirica medicina.* G. Ein Landfahrer, Qvackſalber.

EMPLASTICA, idem quod *Emplattomena.*

EMPLASTRVM, eſt medicamentum topicum, quod linteo vel pelli tenui inductum, cuti applicatur, eique tenacius adhæret. Componitur vulgo ex oleis, aut iis, quæ olei conſiſtentiam fere habent, qualia ſunt axungiæ, medullæ, butyrum, mucilagines; item ex pulueribus, & cera, aut iis, quæ ad ceræ conſiſtentiam accedunt, vt reſina, pix, gummi &c. cuius maſſa adhuc calida in teretes & longas figura ſiue magdaleones cylindraceas formatur, ab ἐμπλάσσω fingo, formo, illino. G. Pflaſter.

EMPLATTOMENA, ſeu EMPLASTICA, & Ἐμφρακτικὰ, ſunt medicamenta, quæ applicata corpori humano, illi ſua tenacitate adhærent, meatusque externos ingrediendo conſtipant ſimul, id eſt, perſpirationem iſtius partis vna impediunt, ab ἐμπλάσσω illino.

EMPNEVMATOSIS, ſiue INSPIRATIO, eſt adductio aëris per os, nares, glottidem, tracheam, in pulmones, qua pulmonales veſicæ expanduntur, & ab inuicem recedunt; cauſam habens thoracis dilatationem, per muſculos ſubclauios, intercoſtales, & depreſſionem diaphragmatis deorſum in abdomen: per inſpirationem conciliatur vaſis pulmonalibus libertas aperturæ pro ſanguine a corde dextroappulſo, ab ἐμπνέω inſpiro. G. Das Athemholen.

EMPROSTHOTONOS, eſt conuulſio ceruicis & reliqui corporis verſus anteriora, ita vt mentum pectori applicetur & femora ventri, cum rigore, qui aliquandiu hanc inſolitam figuram retinent, ab ἔμπροσθεν anterius, & τείνω tendo. G. Das Spannen des Fordertheils am Halß.

EMPYEMA, proprie dicitur puris in thoracis cauitate collectio, ſed ſi latius ſumatur; etiam pro pure in abdomine, aut alibi collecto accipi poteſt, dicitur & *Ecpyema*, & *Ecpyeſis*, ab ἐν intus, & πύον pus. G. Eyterbruſt, eytrige Materie in der Bruſt.

EMPYREVMA, aduſtum quid ſignificat, quando aquæ recens deſtillatæ ingratum odorem & ſaporem habent: vel eſt craſſamentum illud viſcidum, quod in aquis deſtillatis ad fundum ſubſidet. Item olea aduſta, *empyreuma olere dicimus.* G. Das Anbrennen.

EMVLGENTIA VASA, (ſed melius *renalia,*) dicuntur venæ & arteriæ, quæ renes ſubeunt. G. Nierengefäſſe.

EMVLSIO, eſt medicamentum potulentum, lactis colorem æmulans; ex ſeminum quorundam & aliorum expreſſo oleo cum affuſo commodo liquore valida agitando educto, compoſitum, cuius colaturæ ſyrupi, laudanum, &c. adiiciuntur. G. Eine Emulſion, ein Tranck wie Milch.

EMVNCTORIA, ſunt cauitates, in quibus aliquid excernitur, vt nares pituitam recipiunt: aures humorem flauum craſſiuſculum: aluus excrementa aluina: veſica vrinam, &c. G. Höhlen darinnen ſich die Feuchtigkeit ſammlet.

EMVNDANS, medicamentum eſt, quod externe applicatum, detergit & abluit ſimul per vehiculum aquoſum, quod externe vlceribus vel vulneribus adhæret. G. Reinigend Mittel.

ENÆMON, proprie, ſanguine præditum, cruentum. Dioſcoride præeunte ſic quoque denominatum eſt medicamentum ſanguinem ſiſtens, vel quod adſtringendo, refrigerando & exſiccando meatus vaſorum apertorum claudit, ſanguinis fluiditatem, motumque vehementiorem imminuit, vel ſiſtit, ex in, ἐν & αἷμα ſanguis. G. Blut ſtillende Mittel.

ENÆOREMA, ſiue NVBECVLA, aut NVBES, eſt craſſamentum illud, quod vrinæ innatat, vel in vrinæ medio ſuſpenſum continetur, ab ἐναιωροῦμαι in ſublimi verſor. G. Das mitten in dem Waſſer ſchwebende Wölcklein.

ENARTHROSIS, eſt articulatio, cum cauitas excipiens profunda admodum, & caput quod in eam inſeritur, oblon-

gum

gum eſt. Atque hæc conſpicitur in femore & acetabulo, quod iſchio vulgo tribuitur, ab ἐν in, & ἄρθρον artus. G. Gliederung.

ENCANTHIS, eſt caruncula lachrymalis, ſiue excreſcentia ſpongioſa, glanduloſa angulorum oculi internorum, ex ἐν in, & κανθὸς hirquus.

ENCATHISMA, idem quod *Inſeſſus*, ab ἐν in, & καθίζομαι ſedeo.

ENCAVMA, ſeu INVSTIO, non tantum maculam alicui parti inuſtam ſignificat, ſed etiam oculi vlcus, cum cruſta fœda in nigro profundius quam in albo, vnde & humores ſenſim emanant, & viſus extinguitur, ab ἐγκαίω inuro. G. Einbrennung.

ENCEPHALOS, eſt, quodcunque cranii mœniis concluditur; vt cerebrum, cerebellum, medulla oblongata, corpus calloſum, corpus ſtriatum &c. ab ἐν in, & κεφαλὴ caput. G. Das Hirn.

ENCHARAXIS, *ſcarificatio*, a χαράσσω ſcarifico.

ENCHEIRESIS ANATOMICA, eſt prompta & expedita, circa res ſecandas, actio, qua *anatomicus* ſumma agilitate cadauera incidendo eorum partes demonſtrat, ab ἐγχειρέω manum admoueo. G. Anatomiſcher Handgriff.

ENCHRISTVM, eſt vnguentum aut linimentum, quo pars affecta illinitur, ab ἐγχρίω inungo.

ENCHYMOMA, eſt ſanguinis effuſio, qua partes externæ liuidæ & nigræ conſpiciuntur, vt in ſcorbuto, & ſugillationibus oculorum, aliarumque partium Dicitur etiam *Vibex*. G. Blaue Striemen. Item ſanguinis diffuſio, quando nimirum eius motus citatior & color inde notabilior fit, vt in ira, & gaudio effuſo, ab ἐν, in & χυμὸς humor.

ENCHYTA, ſeu INFVNDIBVLVM, eſt inſtrumentum, quo liquida in oculos, nares vel aures inſtillantur, ab ἐγχέω infundo. G. Ein Trichter.

ENCLYSMA, idem quod *Clyſter*, ab ἐν intus, & κλύω abluo.

ENCOPE, eſt partis alicuius inciſio, vt in gangræna, &c. ab ἐγκόπτω incido. G. Einſchneidung.

ENCRANIVM, *cerebellum* ab ἐν in, & κρανίον caluaria.

ENDEIXIS, eſt morborum indicatio, qua demonſtratur quid ſit faciendum: ex. gr. vulnus indicat deligationem. Alui obſtructio indicat purgationem ſiue ἄνω vel κάτω. Suntque

Conſeruatoriæ vel *Curatoriæ*, ab ἐνδάκνυμι demonſtro. G. Anzeigung.

ENDEMIVS, ſiue MORBVS VERNACVLVS, & COMMVNIS, eſt, qui omni tempore plurimos in vna regione inuadit, a cauſa, loco vel regioni propria, & inquilina proueniens. Vt ſcorbutus Hollandis, ab ἐν in, & δῆμος populus. G. Landkranckheit.

ENDIVIA, penult. corripit, ob vocalem ante vocalem. Endiuia, ſeu INTVBVM. Hæc corrupta ab intubo voce, in Hetruria paſſim *Endiuia* appellatur. Dicitur etiam *Seris*, *Seriola*, & *Scariola*. G. Endivien.

ENEMA, idem quod *Clyſter*. Ibidis Ægyptiæ inuentum, ab ἐνίημι immitto.

ENERGIA, eſt agitatio vel operatio ſpirituum animalium, vel ſanguinis, ab ἐνεργέω, operor. G. Wirckung, Kraft.

ENERVATIO, eſt debilitas circa tendines & neruos. G. Kraftloß, Schwachheit.

ENGIZOMA, eſt caluæ ictus, in quo offenſum os, ad interiorem cerebri membranam deſcendit, eamque premit. Ab ἐγγίζω appropinquo.

ENGONIOS, eſt brachii, vel cruris flexura, ab ἐν in, & γωνία angulus.

ENIXVM SAL, per illud intelligunt ſal quoddam, ex acido & alcali participans: dicitur quoque ſal *neutrum*, quia nec alcali fere eſt, nec acidum; & huiusmodi ſunt ſal commune, foſſile, nitrum, alumen, vitriolum &c. G. Ein Mittelſaltz.

ENSIFORMIS CARTILAGO, Gr. ξιφοειδὴς, eſt infima oſſis ſterni pars, enſis inſtar mucronata. G. Das Hertzblat, der Schwerd gleiche Knorpel.

ENTALIVM, teſtaceum quoddam marinum eſt, fiſtulæ modo longum & concauum, album, foris ſtriatum, intus læue, raro longitudinem digiti ſuperans, ingreditur vng. citrinum.

ENTERON, eſt fiſtula longa, membranacea, meſenterio, ne confundantur inteſtina, annexa, flexuris variis dotata: ſuntque numero ſex, duodenum, ieiunum, ileum, cæcum, colon, & rectum; ſuperiora tria *tenuia*, inferiora *craſſa*: vel potius *anguſta* & *lata* appellantur. Tunicas habent quatuor; externa *membranoſa* eſt, a peritonæo orta; ſecunda *fibroſa* ſeu carnoſa, cuius fibræ exteriores *longæ*, interiores vero *rotundæ* ſunt, ſibi inuicem ad angulos rectos ſuperiacentes; tertia *neruoſa* eſt, & oſcula vaſorum tum lacteorum, tum ſanguiferorum

rum in ſe continet, cui intus & quarta papilloſa ſeu villoſa adhæret, qua mediante chylus abſorbetur veniſque lacteis communicatur. Inteſtinorum *magnitudo* ſeu *longitudo* vt plurimum ſexies plus minus ſuperat longitudinem hominis cuius ſunt. G. Das Gedärm, das Eingeweid. Rectum inteſtinum. G. Der Affter oder Maſtdarm.

ENTERENCHYTA, eſt inſtrumentum, quo clyſteres immittuntur: vocatur & *ſiphon*, & *ſyringa*. G. Eine Röhre, Sprütze, Klyſtierröhre.

ENTEROCELE, ſiue hernia inteſtinalis, eſt inteſtinorum, præſertim ilei, per proceſſus peritonæi dilatatos, ad inguina vel ſcrotum prolapſus, ab ἔντερον inteſtinum: & κήλη tumor. G. Ein Darmbruch.

ENTEROEPIPLOCELE, eſt ſpecies herniæ, quando omentum & inteſtina ſimul in ſcrotum per dilatatum peritonæum, eiusque proceſſum deuoluuntur & prolabuntur, ex ἔντερον inteſtinum, ἐπίπλοον omentum & κήλη tumor. G. Netz und Darmbruch.

ENTEROMPHALOS, eſt *hernia umbilicalis*, cum inteſtina ob peritonæum hic facile dilatandum, in umbilico protuberant, quod mulierculis grauidis non raro remanet, ex ἔντερον inteſtinum, & ὄμφαλος vmbilicus. Idem quod *Exomphaphalos*. G. Nabelbruch.

ENTRICHOMATA, dicuntur tarſi, ſiue extremi palpebrarum ambitus, vnde excreſcunt cilia.

ENVLA, ſeu INVLA CAMPANA, penult. corr.

Capparis, & triſtes inulæ, ferulæque minaces. Colum. lib. 10.

Erucas virides, inulas ego primus amaras. Horat. lib. 2. Sat. 8.

Vide *Helenium*.

ENYPNION, eſt inſomnium, ab ἐν, in, & ὕπνος ſomnus. G. Ein Traum.

EPACME, idem quod *anabaſis*, ab ἐπακμάζω increſco.

EPACMASTICA, eſt febris continuo inualeſcens, ab ἐπακμάζω inualeſco.

EPAGOGIVM, eſt membri genitalis præputium, & vt *Gorræo* placet, male affectum, quod nec reduci facile poteſt, ab ἐπάγω adduco. G. Die Vorhaut.

EPANADIPLOSIS, ſeu REDVPLICATIO, vide *Anadiploſis*.

EPAPHÆRESIS, eſt phlebotomia iterata, ab ἐπαφαιρέω demo.

EPAR, vide *Hepar*.

EPARMATA, ſunt tumores glandularum parotidum pone aures, ab ἐπαιρέω attollo, eo quod aures, hoc vitio, eriguntur.

EPHEBÆVM, eſt locus ab hypograſtrio ad pudendum vſque. Dicitur *ſumen*, *pecten*, *pubes*, *aqualiculus* &c. ex ἐπὶ ſupra, & ἥβη pubes.

EPHELCIS, eſt cruſta vlceribus ſuperinducta, ex ἐπὶ ſupra, & ἕλκος vlcus.

EPHELIS ſiue LENTIGO, eſt macula raſcida, ab inſolatione vt plurimum excitata, vere & æſtate maxime increbeſcit, idque potiſſimum in iis, qui cutim rariſſimam habent, verum circa hyemem rurſus euaneſcit; figura eſt magnitudine morſus pulicaris; maculæ hæ non raro totam faciem defædant, ex ἐπὶ ſupra, & ἥλιος ſol. G. Sommerflecken, Sommerſproſſen.

EPHEMERA ſiue DIARIA, eſt febris continua, omnium leuiſſima inter continuas, quæ vltra diem non extenditur. Si diem excedat, *ſynochus* ſimplex appellatur, ex ἐπὶ, ad, per, & ἡμέρα dies. G. Das eintägige Fieber.

EPHEMERVM, eſt planta, quæ ſic appellatur, quod eodem, quo aſſumpta eſt, die interimat, ex ἐπὶ ad, per, & ἡμέρα dies. Sed eſt & alterum *ephemerum* non *lethale*, ſic dictum, quod flos illius confeſtim marceſcat, nec longius vno alteroue die commoretur, vulgo *lilium conuallium*, quod in opacis locis naſcatur. Ephemerum venenoſum vocatur etiam Colchicum.

EPHIALTES, idem quod *Incubus*.

EPHIDROSIS, eſt ſudoris prouentus, ab ἐπὶ ſupra, & ἱδρὼς ſudor.

EPHIPPIVM, ſiue SELLA EQVINA ſeu TVRCICA, eſt pars oſſis ſphenoidis, in cranio intus conſpicua, excauata cum quatuor eminentiis ſellæ in modum, cui glandula pituitaria inſidet, ex ἐπὶ ſupra, & ἵππος equus. G. Das Sattelbein.

EPIALA ſiue QVERQVERA, eſt febris continua, in qua calor & frigus ſimul percipiuntur eodem tempore, nam plurimæ febres incipiunt cum frigore, quod in calorem terminatur, ſed hæc febris id ſpeciale habet, quod ſimul & calor & fri-

frigus adſint, & cum inuicem pugnare videantur: ab ἤπιον mite, & ἀλεάζω caleo.

EPICARPIVM, eſt medicamentum externum, emplaſtri vel cataplaſmatis inſtar, quod pulſibus ſeu carpis manuum, febribus intermittentibus depellendis, vel in conuulſionibus applicatur, ex ἐπὶ ſuper, & καρπὸς carpus. G. Pulßpflaſter.

EPICAVMA, eſt vlceratio, cruſtoſa oculorum nigredini obtigens, ex ἐπὶ ſupra, & καίω vro. Idem quod *Encauma*.

EPICERASTICA, ſunt medicamenta, quæ humores acres obtundunt & temperant, ex ἐπὶ ſupra, & κεράννυμι tempero.

EPICOLICÆ REGIONES, ſiue LATERALES, *Laurentius* lumbares, & *Bartholinus*, ex *Ariſtotele*, Λαγῶνες nominat, quaſi diceres *libidinis partes*: ſed a *Gliſſonio epicolica* dicitur ea pars, quæ coli inteſtini partibus incumbit: Vnde denominationem accepit.

EPICOPHOSIS, idem quod *Cophoſis*.

EPICRASIS, euacuatio quædam eſt per vices inſtituta, aut potius alterantium & euacuantium prudens coniunctio, aut ſubordinatio, ab ἐπικεράννυμι attempero.

EPICYEMA, eſt ſuperfœtatio, ſiue ſuper impprægnatio, cum mulier iam imprægnata, alio poſt tempus imprægnatur fœtu; vnde differt a gemellis, quod hi contemporanei ſint, illi vero obſeruati ſunt aliquot menſium differentiam habuiſſe, nec quoque eodem tempore vterque ex vtero prodit, ſed diſtantia menſium aliquot interdum intercedit, hoc tamen rariſſime contingit, ab ἐπὶ ſuper, & κύω grauida ſum.

EPIDEMIVS, eſt morbus communis, a cauſa communi inuectus, & vario tempore nunc in vna, nunc in pluribus regionibus multos ſimul inuadens: vt peſtes, febres malignæ &c. Cauſa videtur hærere in aëre, victu, & diſpoſitione corporis, quibus in certum ſtatum redactis ſemina morbi adoleſcere poſſe videntur, & vim exercere in corpus animalis ita diſpoſiti; dum vero cauſa tam communis eſt, ſeminium primum in aëre generatum & allatum fuiſſe veroſimile eſt, ex ἐπὶ ſupra, & δῆμος populus. G. Eine durchgängige Seuche.

EPIDERMIS, eſt membrana tenuis, totam cutim, cuius quaſi pars eſt, arcte ambiens, reliquis corporis integumentis ſuperincumbens. Videatur *Cuticula*, ex ἐπὶ ſupra, & δέρμα cutis.

EPIDESIS, ſeu DELIGATIO, eſt ligamenti iniectio, ad cruoris fluxum ſiſtendum, ex ἐπὶ ſuper, & δέω vincio. Dicitur etiam epideſmus.

EPIDIDYMIS, ſiue PARASTATA, Latine *ſupergeminalis*, eſt vas tortuoſum & variis flexibus velut varicoſum corpus, quod teſtium dorſo affixum eſt, idemque conſtituens. Maiori ſuo globo teſti annectitur, conſtat ex vno vaſe ſeu ductu ex teſte continuato, longitudinem quinque vlnarum facile excedenti, minori capite ſeu globo vaſi deferenti coniungitur, ex ἐπὶ ſupra, & δίδυμος teſticulus. G. Die oberſte Hödlein.

EPIGASTRIVM, eſt anterior pars infimi ventris, cuius pars ſuperior *hypochondrium*; media *regio vmbilicalis*; inferior vero *hypogaſtrium* vocatur ex ἐπὶ ſuper & γαστὴρ venter. G. Der Mittelbauch.

EPIGENNEMA, eſt id quod morbis, velut ſymptoma ſuperuenit. Idem ordo partium in generatione, qui per ſucceſſum fit, a γίνομαι fio naſcor.

EPIGLOSSVM, eſt laurus Alexandrina, ſic dicitur quod ſupra eius folium, aliud foliolum inſtar linguæ habeat, ex ἐπὶ ſupra, & γλῶσσα lingua.

EPIGLOTTIS, eſt quinta laryngis cartilago, lingulæ forma, valde mobilis, glottidis ſiue rimulæ operimentum cum cibi & potus deglutiuntur, ne quid incidat in eam: vocatur item ſublinguium. Græce χόνδρος *Poll.* ex ἐπὶ ſupra, γλῶσσα lingua. G. Das Athem Zünglein.

EPIGONATIS, eſt mola ſeu patella genu, ex ἐπὶ ſupra, γόνυ genu.

EPILEPSIA, ſiue MORBVS CADVCVS, & caſu. Quia ægri derepente in terram poſternuntur: vel *herculeus*, quia difficulter curationem admittit. Item *lunaticus ſiue* σεληνιακὸς, quod ad lunæ curſum paroxyſmus eueniat. Etiam *morbus ſacer*, comitialis &c. appellatur. Eſtque interpolata totius corporis conuulſio, omnes actiones totius corporis lædens. Adſunt ſubitus prolapſus, ſi æger ſteterit, motus conuulſiui totius fere corporis, oculi circumuoluuntur, abolitio ſenſus & memoriæ, ſpuma circa os, effluxus ſeminis, ſtercoris, vrinæ, reſpiratio frequens & inæqualis, ſonitus incongruus: atque hæc phænomena nonnihil variant, iuxta gradus. In vniuerſali omnia hæc fere ſunt, non item in mitiori, vel in epilepſia puerorum, quæ in dentitione, febri &c. euenit. Eſt porro vaga, vel certis temporibus rediens, hæreditaria, vel contingens, recens, vel inueterata &c. ab ἐπιλαμβάνω inuado, prehendo. G. Die

Die ſchwere Noth, fallende oder böſe Kranckheit, fallende Sucht.

EPILEPSIA INTESTINALIS, nihil aliud eſt, quam conuulſio, quæ a rebus inteſtina irritantibus oritur, quod infantibus ſæpe euenit.

EPILEPTICA, ſunt medicamenta aduerſus epilepſiam.

EPILOGISMVS, eſt medicorum ſuffragium, ab ἐπιλογίζω poſt deliberationem concludo.

EPIMEDIVM, vindicta Romanis. Eſt planta, quæ habet folia hederacea, ampla, acuta, lata, viridia, ſatis dura, in margine dentata, terna iuncta pediculis tenuibus, & rotundis. Intra hæc aſſurgit caulis pedem circiter altus, qui habet flores paruos, pulchros, coloris variegati, ſunt cruciformes, quatuor ſcilicet petalis tubulatis conſtantes; ex quorum calice ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum, ſeu ſiliquam vnicapſularem, biualuem & ſeminibus fœtam fere rotundis: radix in multos ramos diuiſa, in inferiori parte fibroſa: creſcit in locis humidis, vt in pratis.

EPIMELIS, dicitur meſpilus; ſic dicitur, quod iuxta malos naſcatur, ex ἐπὶ ad, iuxta, & μῆλον malus.

EPINYCTIDES, ſunt puſtulæ humorem emittentes, noctu præſertim ſæuientes & crucientes, ſubliuido colore vel ſubnigro vel albo, ſi aperiantur ſanies effluit, cum inflammatione, ab ἐπὶ ſupra, νὺξ nox. G. Nachtgeſchwulſt, die Nachtblattern.

EPIPAROXYSMVS, eſt, quando ægri plures febrium exacerbationes, quam ſolent, patiuntur, quod in febribus inordinatis contingit, ab ἐπιπαροξύνω iterum exacerbo.

EPIPHÆNOMENA, ſunt ſigna quæ morbis poſtea ſuperueniunt, ab ἐπιφαίνομαι inſuper appareo.

EPIPHORA, eſt impetus quidam, vt dicitur humorum, ſiue ſanguinis, ſiue alterius humoris inflammatorius, in totum corpus vel in aliquam partem. Per impetum, intelligenda potius eſt humorum quædam ſubſiſtentia, in qua alii humores, ab arteriis affluentes, moranteſque, incaleſcunt & phlogoſin conſtituunt. Eſt & inflammatio proprie oculorum & late dicitur de totius corporis inflammatione, ἐπιφέρω infero. G. Entzündung der Augen.

EPIPHYSIS ſeu APPENDIX, ADNASCENTIA, ADDITAMENTVM, eſt os oſſi adnatum, per contiguitatem ſimplicem & immediatam, quamuis non adeo plana ſuperficie, ſed nonnihil mutuo capitum ſinuumque ingreſſu

greſſu inſtar ginglymi, licet abſque motu, ergo potius dicenda eſt illa articulatio epiphyſeos cum oſſe, indentatio; epiphyſes accreſcunt duobus diuerſis locis, vel oſſium extremitatibus, vel ipſorum lateribus, vt in femore: vbi duæ epiphyſes ſunt trochanteres dictæ, non tantum iunguntur cum aliis oſſibus per indentationem, ſed etiam ope cartilaginis, quæ ſenſim indureſcit, & in adultis nimia compreſſione oſſeſcit ita, vt tota iunctura diſpareat in his, & tunc epiphyſes degenerant in apophyſes; ab ἐπιφύω accreſco. G. Anwachſung.

EPIPLASMA, in genere idem quod *cataplaſma*. Sed in ſpecie dicitur de farina triticea in hydrelæo cocta & vulneribus impoſita.

EPIPLOCELE, eſt *omenti ramex* ſiue *hernia*, in qua omentum in ſcrotum, per proceſſum peritonæi dilatatum, prolabitur, ex ἐπίπλοον omentum, & κήλη tumor. G. Netzbruch.

EPIPLOCOMISTÆ, ſunt homines obeſi & ventre tumidi, quibus eſt pingue, & magnæ molis omentum, idque in fœminis *conceptioni* impedimentum quandoque fuiſſe, ſcriptorum monumenta teſtantur: idcirco & omenti geſtatores appellantur, ἐπίπλοον omentum, & κομίζω gero, fero. G. Ein Dickbauch.

EPIPLOMPHALVM, eſt hernia vmbilicalis, quando ab omento tumido dilatatum peritonæum ex abdomine in vmbilico nimis protuberat, ab ἐπίπλοον omentum, & ὀμφαλὸς vmbilicus. G. Nabelbruch.

EPIPLOON, OMENTVM, ſeu RETICVLVM, eſt operimentum membranaceum inteſtinis ſuperſtratum, eorumque conuolutionibus aliquo modo inſinuatum, originem a ventriculi fundo, & inteſtini coli dorſo ducit, quibus adhæret, nempe a peritonæi duplicatura; inferne eſt liberum; eſt autem membrana duplicata vbique, interne vacua, hinc figura eſt inſtar retis ſeu aucupis marſupii; plurimis vaſis ſanguineis, ductibus, & folliculis adipoſis abundat; vſus eſt inteſtina & ventriculum, pinguedine ſua inſtar puluinaris fouere, & pinguedinem recipere, quæ calore, motu, attritu, perpetuo in loculis hiſce oleoſis mirifice attenuatur, acrior, volatilior, bili ſimilis redditur, ita vt tandem ex ſacculis his adunatis, inque ductus quosdam patentibus, collecta hæc materies oleoſa mutataque ita expellatur ex omento, & per binas venas epiploicam dextram & ſiniſtram deferatur ad hepar, vnde materiem bili in hepate ſuppeditat. ab ἐπιπλέω ſupernauigo. G. Das Netz, Darmnetzlein.

EPI-

EPIPOROMA, callus dicitur vel thophus in articulis enatus, & induratus, ab ἐπιπωρόω induro.

EPISARCIDIVM, vel HYPOSARCIDIVM, idem quod *anaſarca*, ex ἐπὶ in, ſuper, ὑπὸ ſub & σάρξ caro.

EPISCHION, eſt os pubis, ſeu pecten. Os tranſuerſum & latum in imo ventre, quod pubi ſubiacet, & inteſtina munit, ex ἐπὶ ſuper & ἰσχίον os coxæ. G. Das Schambein.

EPISEMASIA, eſt ipſa morborum inuaſio, ſiue illud tempus, quo morbus primo notatur, & proprie *ſignificatio* dicitur, ab ἐπισημαίνω, ſignifico.

EPISION, eſt pubis regio ſiue *aqualiculus*.

EPISPHÆRIA, ſunt gyri & anfractus exteriori ſubſtantiæ cerebri inſigniti, vti vaſa ſanguifera, per cerebri ſubſtantiam diſtributa, ex ἐπὶ ſupra, & σφαῖρα globus.

EPISPASTICA, ſunt quæ deriuant liquidum in partem, cui applicantur, tanta vi vt vaſa tenerrima, lymphatica, & ſudori & materiæ perſpirabili dicata, rumpant, liquor autem effuſus ab epidermide illæſa, in veſiculas eleuata, retinetur; hinc illa medicamenta, quæ id præſtant, conſtare debent ex partibus tam acribus & tenuibus, vt per epidermidem illæſam tranſeuntes ſeſe lateribus dictorum vaſculorum infigant, atque aperiant; epidermedem vero intactam relinquunt, quia vaſa, ſi adſunt, exiguo adſunt numero, & vis vitæ ibi valde debilis, idem quod *attrahentia*, ab ἐπισπάω attraho.

EPISTOMIA, ſunt extrema vaſorum oſcula, ex ἐπὶ ad, & στόμα os. Chemicis ſic dicuntur ſpiracula in furnis, quæ *ventilia* & *regiſtra* quoque vocantur.

EPISTROPHÆVS. Sic male vocatur vertebra colli ſecunda. Græcum eſt ἐπιστροφεύς. Ergo ſcribendum epiſtropheus & penultima corripienda eſt. Epiſtropheus eſt colli vertebra ſecunda, ſic dicitur a vertendo: nam ex medio eius corpore aſſurgit appendix inſtar dentis canini, circa quam caput cum prima vertebra vertitur. Olim prima eodem nomine veniebat, ab ἐπιστρέφω, circumuerto. G. Das andere Gelencke des Halſes.

EPITHEMA, penult. qvidem communiter corripit, qvia *Dioſcoridi*, *Galeno*, & aliis ἐπίθεμα; Poetæ tamen qvidam permiſere ſibi ἐπίθημα, ut

Ἦ, καὶ φωριαμῶν ἐπιθήματα κάλ' ἀνέῳγεν. *Homer. Il.* ω.

id eſt,

Dixit & ſcriniorum opercula pulchra aperuit.

Epi-

Epithema, eſt medicamentum externum liquidum, quod partibus corporis nobilioribus, præſertim cordi & hepati, linteo ſtupaue exceptum admouetur, ab ἐπιτίθημι impono. G. Ein Umſchlag.

EPITHYMBRVM, EPITHYMBRA, eſt muſci ſpecies thymbræ adnaſcens, ex ἐπὶ ad, & θύμβρα thymbra.

EPITHYMVM, *Plinio* qvoqve laudatum, *l. 26. c. 8.* penult. corr.

Ipſe thymum, pinosque ferens de montibus altis. Virgil. 4. Georg.

Paſcua, per flores, & thyma ſumma volant. Ovid. 1. Art.

Epithymum, eſt muſci ſpecies, thymo adnaſcens, ex ἐπὶ ad, & θύμος thymus

EPOMIS, eſt ſuperior humeri pars, quæ & *Acromiuum* nominatur, ex ἐπὶ ſupra, & ὦμος humerus.

EPOMPHALVM, eſt emplaſtrum vel aliud quid, quod extuberantiis vmbilici applicatur, ex ἐπὶ ſupra, & ὀμφαλός vmbilicus. G. Nabelpflaſter.

EPSEMA, eſt decoctio muſti in defrutum, ab ἕψω coquo: melius ſcribitur *hepſema.*

EPVLIS, eſt in gingiuis excreſcentia, ad intimos molares contingens, ita vt oris apertio impediatur, ex ἐπὶ ſupra, & οὖλον gingiua. G. Auswachs des Zahnfleiſches.

EPVLOTICA, idem quo *Cicatrizantia*, ab ἐπουλόω cicatricem infero.

EQVISETVM, penult. producit, ſic dictum *Plinio*, quod pilos habeat eqvinæ ſetæ ſimiles.

Cinyphii tondent hirci, ſetasque comantes. Virg. Georg. 3.

Equiſetum, eſt planta duplex, maius aquaticum, & equiſetum minus terreſtre vel aruenſe longioribus ſetis. Prius habet caules ſeſqui pedem vel duos pedes altos, rotundos, aſperos, excauatos, plurimis tubis in ſe inuicem inarticulatis inſtructos, quæ articulatio nodos format per interualla: folia teretia, pyxidatim articulata, caua: flores ſunt apetali, ſtaminei, apice fungiformi donati, ſpicati, fructus in equiſeti ſpeciebus, quæ floribus carent, ſunt grana nigra aſpera & fracta: radix eſt repentiſſima, nigricans. Hæc planta creſcit in pratis & circa flumia. Altera equiſeti ſpecies ab hac tantum differt in eo, quod folia & aſparagi ſunt longiores, tenuiores, molliores: Gr. Ἵππουρις, eſt planta caudæ equinæ æmula. G. Roßſchwantz, Pferdſchwantz, Schaffthev.

ERAN-

ERANTHEMVM, ſeu delphinium, camomilla, ſic dicitur quod vere floreat, ἦρ enim eſt ver, & ἄνθος flos.

EREBINTHVS, eſt cicer: Vide quoque vocem *Orobus.*

ERGASTERIVM, furni pars.

ERICA, eſt frutex, qui habet caules vel virgulta numeroſa, dura, lignoſa, ramoſa, pedem vnum vel ſeſquipedem alta, coloris rubicundi fuſci, aut obſcuri; folia exigua aliquantulum dura & aſpera, ſemper virentia, tamariſcum referentia: flos monopetalus, campaniformis, nudus ſæpe vrceolum referens: ouarium in fundo fit fructus ſubrotundus, quadrifariam hians, quadrilocularis, fœtus ſeminibus exiguis, imo flore, vt calice, tectus: radix lignoſa eſt, ſe in terra extendens: hæc arbuſcula creſcit in ſyluis, & ſterili ſqualido, paluſtri, & ſpongioſo ſolo viget. G. Heide.

ERICERVM, Gr. Ἐρίκηρον collyrii ſpecies eſt, cuius aliquot differentias *Aetius* enumerat.

ERIGERON, vide *Senecio.*

ERINACEVS uſtus, penult. corr. ob vocalem ante vocalem,

ERINVS, eſt nomen variis plantis impoſitum; latinis *caprificum* ſonat, ſic vocantur quædam campanulæ, baſilici, & eſulæ ſpecies.

ERIOPHORVS, BVLBVS, quaſi diceres bulbus laniferus, idque propter lanuginem, quæ inter radicum laminas eſt, ex ἔριον lana, & φέρω fero.

ERODENTIA, ſunt medicamenta, quæ peregrinum tenax adhærens in vlceribus, & ipſa vaſorum ramenta tenuiſſima ſemicorrupta reſoluunt, & conſumunt. G. Etzende Mittel.

EROSIO, idem quod *Corroſio.*

ERPES, vide *Herpes.*

ERRHINVM, penult. produc. quia a ῥὶν ῥινὸς, ἡ naſus.

Ἀμβροσίην ὑπὸ ῥῖνα ἑκάστῳ θῆκε φέρουσα. Hom Odyſſ. δ. id eſt, *Ambroſiam afferens unicuique ad nares poſuit.*

Hinc & illud *Martialis l. 1. ep. 4.*

Et pueri naſum rhinocerotis habent.

Errhinum, Barbaris *naſale & caputpurgium*, eſt medicamentum, quod metæ forma naribus inditum, ſine ſternutatione, humores & præſertim viſcidos euacuat. Eſtque liquidum, molle vel ſolidum, *liquidum* fit vel ex ſuccis herbarum errhinarum, & cephalicarum, ope vini, aut alterius liquoris, extractis, quibus aliquando ſpiritus vini admiſcetur, vel ex decocto ſimplicium idoneorum, additis nonnunquam ſuccis, melle, oleo, vel ſuccis excepto, & ad vnguenti formam decocto. *Silidum,*

vel

vel forma pulueris datur, & hoc in ſternutatoriis maxime locum habet, *vel* forma turundæ & dicitur *naſale*, paraturque ex pulueribus idoneis, mucilagine, cera, vel terebinthina exceptis, ab ἐν, in & ῥίν naſus. G. Eine Artzney die Nieſen macht.

ERVCA, penult. producit:

Nec minus erucas aptum eſt vitare ſalaces. Ovid. 2. Rem.
Spes ſupereſt, tu tantum erucis imprime dentem. Juvenal. Sat. 9.

Eruca, planta officinalis antiſcorbutica eſt, cuius variæ dantur ſpecies, tum ſatiuæ, tum ſylueſtres: ſatiua habet caules parum lanuginoſos, duos circiter pedes altos: folia ſinapi albi minora, tenera, glabra, ſine lanugine: flos cruciformis, quadrifidus, coloris ſubcærulei albi, punctis nigris notatus; flori ſuccedit ſiliqua longa, diuiſa in duos loculos, continentes ſemina ſubrotunda, flaua: radix alba, tenuis, lignoſa. Hæc planta creſcit in pratis, ſapor eius ſingularis: ſylueſtris parum a præcedenti differt. Græcis εὔζωμον, quoniam iura commendat, habetque in eiſdem peculiarem gratiam, εὖ bene, & ζωμὸς ius eſculentum. Raucken, ſchwartzer Senf.

ERVCTATIO, vide *Ructatio*.

ERVILIA, & ERVVM, eſt leguminis minoris ſpecies, dicitur ab *Eruendo*, capitur enim & manu vellitur. Hinc forte noſtris. G. Erbſen.

ERYNGION, penult. corr.

Aſphodelus, ſmilax, eryngion, enneaphyllon. Homer. l. 4.

Eryngium, & ERINGIVM, eſt cardui ſpecies: habet caulem ſeſquipedem vel duos pedes altum, rotundum, ſtriatum, medulla alba repletum, in ſummitate in multos ramos diuiſum: folia ſunt ampla, profunde inciſa, dura, ſpinoſa, alternatim in caule diſpoſita: in ſummitate caulis ſunt capitula ſquammoſa aculeata, vnita foliis quam plurimis repentibus, oblongis, latis, villoſis: flores ad vmbelliferos referuntur: forma capitulorum cum dipſaco conuenit: radix eſt longa, digiti craſſitie, & interdum pollicis, foris nigricans, intus alba, ſaporis ſubdulcis & grati; diſciſſa & preſſa ſucccum dat croceum: hæc planta creſcit in locis arenoſis, in campis, maris littoribus. G. Mannstreu, Rodendiſtel, Brackendiſtel.

ERYSIMVM, eſt planta, quæ habet caulem duos circiter pedes altum, rubicundum, villoſum, ramos quoſdam flexiles dimittentem: folia bina, ſibi inuicem oppoſita, ſinapi referentia, profunde inciſa, flores ſunt exigui, quadrifidi, flaui, cruciformes; flori ſuccedit ſiliqua tenuis, rotunda, ſepto medio diuiſa

diuiſa in duo loculamenta, ſeminibusque fœta, vt plurimum exiguis & rotundis, ſaporis acris & feruidi: radix alba, lignoſa, acris digiti minimi craſſitie: hæc planta creſcit in locis deſertis & inter olera recenſetur. Dictum videtur ἀπὸ τοῦ ἐρύειν, quod ob ſuam caliditatem maxima trahendi vi præditum ſit. Vocatur etiam *Irion* & *Rapiſtrum*. G. Wegſenft, Hederich.

ERYSIPELAS, Ignis ſancti Antonii, ignis ſacer *Columell.* πῦρ ἄγριον *Hippocrati.* Eſt tumor præter ſanitatem in cute, aut quacunque parte carnea, vel membranoſa excitatus, rubicundus, flaueſcens, latus, non alte aſcendens, nec pulſans, ſed cum dolore punctorio, a ſanguine in vaſis lymphaticis impreſſo & hærente productus. Aliquando eleuatur in bullas, ac ſi cantharidum emplaſtris eſſent excitatæ: ex ἐρυθρὸν rubrum πέλας prope, varias habet differentias, prout altius aſſurgit, vel depreſſus eſt, aut maiori aut minori cum calore, vt tumor *eryſipelatodes*, *phlegmonodes*, *œdematodes*, *ſcirrhodes &c.* G. Die Roſe, das heilige Feuer, das Rothlauf.

ERYSIPELATODES, eſt tumor eryſipelati ſimilis, ſiue eryſipelas ſpurium, ex ἐρυσίπελας inflammatio, & εἶδος forma.

ERYTHREMATA, ſunt rubores pulicares, in febribus peſtilentialibus, ab ἐρυθριάω rubeſco. G. Kleine Flecken.

ERYTHROIDES MEMBRANA, eſt poſt *elythroidem* ſecunda, *rubea* dicta, teſtem inuoluens, externe adhæret vaginali tunicæ, interne vero albugineæ. *Rubea* dicitur a colore, nam ἐρυθρὸν eſt rubrum, & εἶδος forma.

ESCHARA, *Gr.* ἐσχάρα, eſt cruſta vlceribus ſuperinducta vel cauterio aut ruptorio excitata. G. Grind, Ruſe, Schorf.

ESCHAROTICA, idem quod *cauſtica*, ab ἐσχαρόω cruſtam induco.

ESCVLVS, eſt arbor glandifera, forte ſic dicta, quod eius glandes comedantur. Scribunt aliqui *Æſculus*.

ESSENTIA, eſſentiæ vocabulum ſignificat accurate loquendo balſamicam rei partem (ſeu in qua vires potiſſimum reſident) a craſſiori ſeparatam, quare cum exactiſſima rei ſeparatio beneficio extractionis peragatur, fit vt pars illa balſamica, a craſſiore corpore extracta, eſſentia κατ' ἐξοχὴν dicatur, alias a modo fiendi extractum: nonnunquam attribuitur eſſentiæ vocabulum ſuccis expreſſis ac ſpiſſatis. Verum præſtaret hoc proprio ſuo nomine, quo minus confuſio oriatur, nominare. Sunt & qui elæoſacchara eſſentias vocant, ſed abuſiue. G. Das Weſen.

ESSENTIA QVINTA, ſiue CLYSSVS, eſt medicamentum, ex integris conſtituentium particulis energeticis ſiue actiuis conſtans, ſeparatis ab inertibus. G. Die Qvinteſſenz.

ESSERE, SORA & SARE, etiam nominant: ſunt tubercula parua, ad rubrum vergentia, duriuſcula, cum inſigni pruritu ſubito vniuerſum corpus occupantia, non ſecus ac ſi ab apibus, vel veſpis vel culicibus, homo demorſus, aut vrticis percuſſus eſſet. Non ita tamen poſt longum tempus euaneſcunt, nulloque ichore vel alia humiditate effluente, cutis priſtinam læuitatem & colorem recuperat. Differt ab *epinyctide*, quod in hoc affectu ichor manat, in eſſere non item. G. Neſſelſucht.

ESTIOMENOS, eſt herpes exedens, cauſa eſt, quod papulæ cutis humorem quendam acrem in ſe contineant, qui ob perſpirationem inhibitam corrumpitur, & acrimonia ſua non tantum cutim, ſed etiam ſubiectas partes corrodit, ab ἐσθίω comedo, ἕρπω repo. G. Ein Haarwurm, Hauptgrind.

ESVLA, vel EZVLA, penult. producit, qvia non tantum in Lexico veteri legitur: Ἔζουλα τὸ ὀξύπορον, id eſt; *tithymali ſpecies*; ſed *Myrepſ. Antidot. 30. & 180.* Ἔζουλα ἢ χαμαίπιτυς. *Bodæus a Stapel in Theophraſt.* ita: *Eſulæ nom a πιτυούσης luxatum videtur, duabus enim ſyllabis ſublatis, remanet οὖσα, cuius diminutivum uſula, & vocali prima mutata eſula.* Idem creditum *Caſparo Bauhino* in *Pinace*. Nec alia viſus exiſtimaſſe *Honterus*, cum *l. 9.* ſcriberet.

Eſula cum betis, ſolanum, ſtrychnus, oryza.

At vero huic opinioni & ζ præſens repugnat, & qvantitas τοῦ ου in uſula, qvæ brevis futura eſſet, ſi fuiſſet diminutiuum, ut videmus in puſtula, puſula, item in uſtulo ab uro, ſic in regula, bucula, ſportula, albula, &c. cum hic in *Lexico veteri*, & *Myrepſo* evidenter producatur. Eſula, vt iam dictum, eſt tithymali ſpecies, quæ diſtinguitur in maiorem & minorem: hæc plures habet caules pedem altos, ramoſos, folia gerentes anguſta inſtar pini, lacte turgentia: flos vt in tithymalo maiori, de quo ſub titulo tithymali: radix oblonga, eſula maiori tenuior, foris fuſca, intus ex flauo albeſcens, lacte acri turgida: dicitur & pityuſa. G. Wolfsmilch.

ETHMOIDES, penultima producta. Sic vocatur os cranii, quod nos hodie octauum numeramus, ſitum eſt ad partem inferiorem oſſis frontis immediate ſupra naſum internum, ſex apophyſibus donatum, & plurimis foraminibus peruium, pro neruorum olfactoriorum tranſitu, ab ἠθμὸς cribrum,

brum, εἶδος forma. G. Das ſiebgleiche Bein. Veteres os cribriforme pro parte vel narium vel ſphenoidis habeant. Hoc os, vt modo dictum, multas habet cauernulas aut ſinulos; an tales licebit vocare, vt vulgo fit, ethmoideas, aut ethmoides? Priori modo eſſet quaſi adiectiuum poſſeſſionem denotans, factum ab ἠθμοειδής huius forte forma ἠθμοειδεῖος. Mihi exempla probatorum deſunt: quæ dum quæro, malo rem circumſcribere, quam rotundo ore ineptire. Dico igitur cauernulæ, cauitates, ſinus oſſis ethmoidis. Idem eſto iudicium de *ſphenoideus*, & ſimilibus: vt muſculus *maſtoideus*. Poſteriori modo efferentes & ſcribentes contra vim vocis agunt: nam ethmoides ſignificat aliquid, quod eſt cribro vel colo ſimile; ſed cauitas ipſa nihil habet de hæc ſimilitudine.

EVACVATIO, eſt quæcunque depletio contentorum ex quolibet cauo corporis, Gr. κένωσις, eſt vel arte vel per ſe. *Arte* ſi ſanguis euacuetur, aut purgando, vomendo &c. vitioſi humores ex ventriculo & inteſtinis euacuatione, mictione, fæcum aluinarum euacuatione &c. G. Ausführung, das Entledigen.

EVAPORATIO, idem quod *diaphoreſis*. Item fit, quando ſucci, lixiuia, aliaque leni igne euaporando in ſpiſſiorem conſiſtentiam rediguntur. G. Ausdämpfen.

EVCHROA, eſt color & nitor bonus, ab εὖ bene, & χρόα color.

EVCHYLOS, eſt qui ſuccis bonis abundat. Ita alimenta, quæ bonum ſuccum præbent, dicuntur, eſſe boni ſucci, ex εὖ bene, & χυλὸς ſuccus. G. Voll von gutem Safft.

EVCHYMIA, eſt optima ſuccorum temperies & conſtitutio, ab εὖ bene, & χυμὸς ſuccus. G. guter Safft.

EVCRASIA, eſt *temperamentum bonum*, ſiue illa corporis conditio, qua tum ſolida, tum fluida, pro ætate & ſexu, optime ſunt diſpoſita, & in ſe inuicem agunt, ita vt ſanitas in cunctis obtineat: Ἔυκρατος bene temperatus, ab εὖ bene & κεράννυμι miſceo. G. Gut Temperament, Geſundheit.

EVDIAPNEVSTOS, qui bene perſpirat & optimam habet *diaphoreſin*, ex εὖ bene, διὰ per, & πνέω ſpiro. Illi ſemper ſani ſunt.

EVECTICA, idem quod gymnaſtica, ſiue medicinæ pars, qua aptis exercitiis bonus habitus acquiritur, ab εὖ bene ἕξις habitus.

EVELCES, laborans vlceribus, curatu facillimis, ab εὖ bene, & ἕλκος vlcus. Cuius oppoſitum eſt *dyſelces*. Vide ſuo loco.

EVEXIA, eſt optima, & ſana habitudo, ab εὖ bene & ἕξις habitus. Cui opponitur *cachexia*, malus habitus.

EVODES, eſt odor excrementorum ſuauis, ab εὖ bene, & ὄζω olfacio. Cui opponitur *dyſodes*, male olens.

EVONYMOS, eſt arbuſcula, cuius lignum eſt durum, coloris flaui, albeſcentis; habetque folia oblonga, acuta, dentata, mollia; calicem monophyllum, quinquifidum, aut quadrifidum; florem roſaceum, tetrapetalum vel pentapetalum, ſtaminibus quatuor vel quinque fœtum. Ouarium in fundo calicis inſtructum tuba bifida, vnde fit fructus membranaceus, angulatus, in loculamenta quatuor diuiſus, quorum quoduis continet ſemen longum, ſolidum, crocei coloris externe, continens medullam albam, ſaporis amari & ingrati. Hæc arbuſcula habet odorem penetrantem, & creſcit in locis incultis. Ex εὖ bene, & ὄνομα nomen; vocatur etiam fuſanus. G. Spindelbaum.

EVOSMA, idem quod *Euodes*.

EVPATORIVM, *Dioſcoridi, l. 4. c. 41.* εὐπατώριον. *Galeno l. 6. ſimpl.* εὐπατόριον, penult. corr, qvia vocalis eſt ante vocalem ſine ulla diphthongi ſuſpicione. Eupatorium, eſt planta ramoſa, cuius caulis quatuor vel quinque pedes eſt altus, rectus, rotundus, lanuginoſus, viridis purpureus, medulla alba repletus, & ubi diſſecatur, odoris eſt aromatici & grati: folia ſunt hinc inde per interualla poſita, oblonga, plurima, ſimul iuncta, acuta, in margine dentata, villoſa, ſaporis amari: flos in vmbellam congeſtus plurimis floſculis (ex quibus longa capillamenta plerumque ſurgunt) conſtat multifidis, embryoni inſidentibus, & calice longo, tereti, ac ſquammoſo comprehenſis. Embryo autem abit in ſemen pappis inſtructum: radix eſt fibroſa, alba, amara, creſcit in locis humidis aquoſis. Nomen volunt accepiſſe à rege Eupatore, qui illam herbam primus inuenit. G. Waſſerdoſt, Kuni- und Kraut.

EVPATHIA, ſeu EVPHORIA, eſt affectio, quæ facile fertur, ex εὖ bene, & πάθος affectus, cui opponitur *diſpathia*, vide ſuo loco.

EVPEPSIA, cui opponitur *dyſpepſia*. Eſt coctio ventriculi facilis, vnde alimenta dicuntur *eupepta*, quæ facile in ventriculo diſſoluuntur, ex εὖ bene, & πέπτω coquo. G. Gute Verdauung.

EVPHORBIVM, *Dioſcoridi, l. 3. c. 46.* εὐφόρβιον, penult. corripit, quia vocalis adeſt ante vocalem, ſine ulla diphthongi ſuſpicione: hinc:

Conueniunt acidis euphorbia miſta fluentis. *Seren. tit. lethavg. expell.*

Euphorbium, eſt gummi concretum acerrimum, ex ſauciata herba eiusdem nominis extractum; quæ eſt frutex hominis longitudinem ſuperans, cuius cortex eſt durus, & ſpinoſus: folia digitum longa, craſſa, figura quadrangulari, in ſingulis angulis multas exiguas ſpinas habentia: flores pentapetali, coloris viridis ſubflaueſcentis, ſuccedit fructus piſi magnitudine triangularis, in tria loculamenta diuiſus, vnico fœta ſemine oblongo. Naſcitur in modum ac ſi ſingula folia repræſentarent aculeatos cucumeres; totum enim folium ſpinis albis obſitum eſt, ita vt manibus præhendi abſque læſione non poſſit. Gummi igitur ex inciſis foliis emanans ſole induratur, illud debet eſſe purum, aliquando & ſpinas aliaſque feſtucas admixtas habet, flaueſcit aliquomodo, aliquando albeſcit. Admodum & naribus & linguæ acre eſt, & vehementer aluum ducit. Venit ex Lybia, Mauritania, Peru &c. Adinuenit primum Iuba, Lybiæ rex, in monte Atlante vltra Herculis columnas, appellauitque *Euphorbium* medici ſui nomine, & fratris Muſæ, a quo diuus Auguſtus fuit conſeruatus.

EVPHORIA, idem quod *eupathia*, a εὐφορέω facile tolero. G. ein erträglicher Zuſtand.

EVPHRAGIA, EVPHRASIA, vel EVFRASIA, recentiorum vox, crediturqve antiquorum fuiſſe euphroſyne; penult. corripit, ex regula Gramm. generali, ut colocaſia, athanaſia, armoracia, acacia, &c. Euphraſia, eſt parua planta, quæ plures habet caules tenues, villoſos, nigricantes: folia parua, oblonga, venoſa, minutim inciſa: flos monopetalus, anomalus, perſonatus, in duo labia diſtinctus, quorum ſuperius ſurrectum, & multifariam ſectum; inferius vero in tres partes diuiditur, quæ ſingulæ quoque bifidæ ſunt, coloris albi, multis punctis purpureis & flauis notatus: ex calice ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar claui infixum, quod abit in fructum ſeu teſtam exiguam, oblongam, in duo loculamenta diuiſam, ſeminibuſque fœtam exiguis & albis: radix exigua, lignoſa: creſcit hæc planta in locis incultis circa vias. *Ophthalmica* quoque vocatur. G. Augentroſt.

EVPNOEA, eſt reſpiratio probe conſtituta, ſiue reſpirandi facilitas, ab εὖ bene & πνέω ſpiro. G. Leichter Athem.

EVPORISTON. Gr. ἐυπόριστον. Eſt medicina facile parabilis & obuia. G. ein Hausmittel.

EVRHYTMVS, eſt pulſus in homine ſano, rhythmum ſeu ordinem bene ſeruans, ex εὖ bene & ῥύτμος modulus. G. ordentlicher Pulsſchlag.

EVSARCOS, Gr. εὔσαρκος, bene carnoſus, ſeu toroſus, ſiue quadratus, ab εὖ bene, & σάρξ caro. G. Fleiſchig.

EVSEMIA, eſt bonorum ſignorum præſentia, ab εὖ bene & σῆμα ſignum. G. ein gut Zeichen.

EVSITIA, eſt bonus appetitus, ab εὖ bene, & σιτέω alo, nutrio, paſco, ſagino. G. Gut Appetit.

EVSPLANCHNOS, eſt is, qui optima & robuſta habet viſcera, ab εὖ bene, & σπλάγχνον viſcus.

EVSTOMACHVS, eſt bene conſtitutus ſtomachus: item cibus ſtomacho conueniens, ab εὖ bene, & στόμαχος ſiniſtrum ventriculi orificum, quod pro toto ventriculo ſæpe ſumitur. G. ein guter Magen, was den Magen dienlich iſt. Ipſi opponitur κακοστόμαχος.

EVTHANASIA, eſt facilis & leuis ſine conuulſionibus delorificis mors, ex εὖ bene, & θανάτος mors. G. ein leichter Todt.

EVTHYPOROS, eſt rectus inceſſus, ab εὐθὺς rectus, & πορέω incedo.

EVTOCOS, ſeu FOECVNDA, quæ bene gerit, & facile parturit, ab εὖ bene, & τόκος fœtus, a τίκτω pario.

EVTONOS, qui firmus eſt, & debitum membrorum tenorem habet, ab εὖ bene, & τόνος tenſio, a τείνω tendo.

EVTROPHIA, eſt optima nutritio, ab εὖ bene, τρέφω nutrio. G. Das Gedeyen, Zunehmen.

EXACERBATIO, idem quod *paroxyſmus*.

EXÆRESIS, ſic vocatur chirurgiæ pars, quæ extrahit peregrina e corpore noſtro, quæ ei nocebant, ab ἐξ ex & αἱρέω, traho, demo. G. Auszichung.

EXAGIVM, eſt veterum pondus, ſcrupulos quatuor pendens.

EXALTATIO, eſt operatio, qua res affectionibus mutata, ad altiorem ſubſtantiæ & virtutis dignitatem perducitur; vel eſt ſubtiliſatio, res ſenſim diſſoluendo, in puriorem & maiorem virtutis ſuæ gradum tranſponens, & fit circulatione, ablutione, vel fermentatione. G. Erhöhung, Verbeſſerung.

EXAM-

EXAMBLOSIS, idem quod *Abortus.* Gr. ἐξάμϐλωσις & ἐξάμβλωμα, ab ἐξ ex & ἄμϐλωσις abortus.

EXANASTOMOSIS, eſt oſculorum, ſiue extremitatum vaſorum apertio, ab ἐξ ex, ἀναςομάω aperio, relaxo.

EXANTHEMA, eſt EFFLORESCENTIA quædam ſuper cutem apparens, inſtar earum macularum, quæ etiam in totius corporis cute apparent, a *Sennerto* dupliciter deſcribitur; vnum eſt quod colorem cutis ſaltem mutat, vt fit in febribus petechialibus, morbillis, maculis ſcorbuticis, hepaticis, lentigine &c. alterum, in quo tubercula quædam in cute erumpunt, quæ papillarum nomine venire ſolent, vt variolæ, papulæ, puſtulæ &c. ab ἐξανθέω effloreſco. G. Blattern, Bocken.

EXARTHREMA, idem quod *luxatio*, & quidem totalis, quando totus articulus ex ſede ſua naturali excidit: ab ἐξαρθρέω, ex articulatione dimoueo. G. Verrenckung. dicitur etiam *exarticulatio*, *excidentia*, ſiue *ecptoſis*.

EXCEPTIO, eſt incorporatio aut permixtio puluerum ſiccorum cum humiditate quapiam: hoc pacto *electuaria* conficiuntur, cum melle aut ſyrupo pulueres & pulpæ excipiuntur: & pulueres pilularum cum ſyrupo, melle, vino, aut ſucco.

EXCISIO, vide ECCOPE.

EXCORTICATIO, eſt corticis exterioris denudatio, quod pharmacopœis vſitatum eſt circa radices, fructus, ſemina &c. G. Abſchelung der Rinde.

EXCREMENTVM, Gr. διαχώρημα, περίττωμα, notat omne quicquid ab alimentis poſt coctionem ſeparatum, craſſius, indiſſolutumque exiſtens e corpore eſt ſecernendum, vel quicquid cum ſanguine circumiuit, & ſubtilius atque acrius eſt, quam vt corpus amplius nutriat, illiue inſeruiat, per excretoria corporis eliminatur, vt ſudor, aurium ſordes, alui & veſicæ excrementa &c. G. Unflath, Koth.

EXCRETIO, Gr. διαφόρησις, eſt actio excernendi.

EXELCISMVS, eſt oſſium, a ſuperfice in profunditatem deductio, ab ἐξέλκω extraho. G. Einfallen der Beine.

EXERCITATIO, eſt motus corporis humani vehemens & voluntarius, ſanitatis tuendæ, vel habitus boni comparandi gratia factus. G. ἄσκησις, ἄσκημα, γυμνάσιον. G. Uebung. Dicitur quoque Exercitium, eſtque *triplex.* 1. quod tantum ab aliis fit, vt in equitatione, nauigatione, & curru. 2. partim ab aliis & ſemetipſis, vt in gladiatoribus & luctatoribus. 3. A ſemetipſis tantum, vt in ambulatione & pila, omnium optime quod fit pila parua, vulgo Volanten. Finis illius iterum

triplex eſt; vel ad calorem, vel ad ſudorem, vel anhelitum, & hoc ſufficit. G. Eine Uebung, Bewegung.

EXHALATIO, Gr. Ἀναθυμίασις. Idem quod *euaporatio*.

EXINANITIO. Gr. κένωσις. Idem quod *euacuatio*.

EXISCHOS, eſt, quando os femoris luxatum eſt. Vnde & illi, quibus nates rotundæ exſtant & coxa eminet, dicuntur Ἐξίσχιοι, ab ἐξ ex, & ἰσχίον coxa. G. Verrenckung der Hůffte.

EXOMPHALOS, eſt vmbilici protuberantia, infantibus frequens, ab ἐξ ex, & ὀμφαλὸς vmbilicus. G. Das Herauswachſen des Nabels.

EXOPHTHALMIA, eſt oculi extra ordinarium ſitum protuberantia, ab ἐκ ex, & ὀφθαλμὸς oculus. G. Das Herausfallen der Augen.

EXOSTOSIS, eſt oſſium extuberantia & excreſcentia, ſeu oſſium tubera, & eminentiæ inordinatæ a lue venerea aut alias, ab ἐξ ex, & ὀστέον os. G. Ueberbein, auswachſen der Beine.

EXPECTORANTIA, medicamenta ſunt, quæ valent morboſam materiam, intra pulmonum bronchia contentam, per laryngem expellere. G. Ablőſende Mittel.

EXPLORATORIVM, idem quod *ſpecillum*.

EXPLOSIO, dicitur iuxta quorundam medicorum hypotheſin actio ſpirituum, qua nerui ſubito contrahuntur. Cauſa dicebatur, quando ſpiritibus animalibus particulæ hæterogeneæ accreſcunt, vel in confuſionem aguntur. Eſt quoque operatio quædam chymica, qua res accenſæ ſubito inflammantur, vt fit, ſi cum nitro accendatur antimonii puluis. G. Das Verpuffen.

EXPRESSIO, eſt, quando amygdalæ, aliaue ſemina pinguia poſt debitam contuſionem, aut decocta, aut herbæ tuſæ ob olea aut ſuccum prælo exprimuntur.

EXPVLTRIX VIS, ſiue facultas. Antiquis dicebatur illa actio ſeu facultas, qua excrementa excernuntur: ſed non neceſſe eſt ad cæcas vires confugere, cum ſciamus ea omnia fieri a motu periſtaltico.

EXSOLVTIO, idem quod *Eclyſis*.

EXSPIRATIO, ſeu ECPNEVMATOSIS, eſt aeris in pulmone contenti per aſperam arteriam, os & nares expulſio; cuius cauſa conſiſtit in thoracis dilatati collapſu, adeoque compreſſione pulmonis; tum compreſſu muſculorum abdomi-

dominalium in viſcera, proin in diaphragma; & denique in vi propria contractili fibrarum muſculoſarum pulmonem conſtituentium. G. Die Ausblaſung.

EXSTASIS, eſt iudicii & imaginationis deprauatio, maniacis & melancholicis familiaris, qua diu cogitando circa vnum obiectum, mens quaſi fixa ſtat abſque iudicio ab ἐξ ex, & ἵστημι ſtatuo. G. Entzückung.

EXTA, Gr. Σπλάγχνα, idem quod *viſcera*.

EXTENSIO, idem quod *anataſis*.

EXTENVATIO, eſt totius corporis macritudo. Gr. Λεπτυσμὸς, & Λέπτυνσις. G. Magerheit, oder mager werden.

EXTERGENTIA, idem quod *abſtergentia*.

EXTINCTIO, dicitur de lapidibus, v. g. cryſtallis, ſilicibus &c. toties candefactis, totieſque aqua extinctis: vſque dum euaſerint friabiles: ac interdum metalla ignita liquore aliquo extinguuntur, vt hic de eorum viribus participet, vt ferrum aqua, aurumue vino extinctum, cuiusmodi extinctiones crebro in vſum medicum adhibentur. *Extinguere* etiam eſt, quando argentum viuum terebinthina, alioue liquido ita innoluitur, vt nec micula eius amplius conſpici poſſit. G. Auslöſchung.

EXTIRPATIO, eſt partis ſolidæ propter ſphacelum, cancrum &c. abſciſſio. Præſtat, duorum, trium, pluriumue digitorum ſpatio ab articulo, exciſionem fieri, niſi mortificatio ſe extenderit ad brachiii aut femoris ſuperiora, hic enim articulum ipſum eligere cogimur. Certior eſt ablatio in parte ſana, maiori licet cum dolore. Gr. ἀποκοπὴ & ἐκτομή. G. Abſchneidung.

EXTRACTIO, ab EXTRAHERE, eſt reſolutio, qua corporis mixti partes ſubtiliores a craſſioribus, ope menſtrui ſoluentis, ſegregantur: ex. gr. quando mediante ſpiritu vini vires ex quocunque medicamento extrahuntur, tunc illud quod poſt menſtrui euaporationem relinquitur, vocatur *extractum*. G. Ausziehung. Gr. ἐκχύλωσις ἐκχύλωμα. Chirurgice quoque ſumitur pro extractione rei e corpore humano, e. g. dentis, calculi, polypi, globuli plumbei &c.

EXTRACTVM, Gr. Ὀπὸς, vnde *Opium* & Ἐκχύλωμα, eſt purum, ſincerum & efficax illud, quod a partibus minus efficacibus, mediante liquore, ſegregatum & ad iuſtam conſiſtentiam inſpiſſatum eſt. G. Das ausgezogen iſt, Extract.

EXTRAVASATVM, dicitur de humore vel ſanguine, qui e vaſis effluxit, ſiue adhuc hæreat intra partes corporis molliores, ſiue penitus ex corpore effluxerit.

EXTVBERATIO, idem quod *apophyſis*.

EXVLCERATIO, Gr. ἕλκωμα, ἕλκωσις, eſt ſolutio continui, a materia erodente originem trahens, in mollibus corporis partibus, cum imminuta magnitudine. Differt ab abſceſſu, quod abſceſſus producitur per ſe, prægreſſa tantum inflammatione. Exulceratio item eſt magna, parua, lata, breuis, anguſta, recta, tranſuerſa, ſinuoſa, æqualis, inæqualis, &c. G. Verwundung, Verſehrung der Haut.

EXVMBILCATIO, eſt *hernia vmbilicalis*, ſeu vmbilici procidentia. Idem quod *exomphalos*.

EXVSTIO, eſt, quando quis ab igne læſus fuerit. Eſtque triplex, *prima* lædit cuticulam, & cum veſiculis aquoſis eleuatur; *ſecunda* ipſam quoque cutim; *tertia* partes etiam cuti ſubiectas. Gr. ἔγκαυσις. Illa *exuſtio* ſæpe ſtudio & arte chirurgica fit, ope cauteriorum candentium. G. Brand, verbrennen.

EZVLA, vide *Eſula*.

F.

F. Significat in fine formularum *Fiat*.

F. L. A. eſt, fiat lege artis.

F. S. A. eſt, fiat ſecundum artem.

FABA, habet caules tres pedes circiter altos, quadratos, excauatos: folia ſunt oblonga, obrotunda, craſſa, pinnata, bina velut coniugata ad coſtam, quæ in mucronem abit: flores ſunt leguminoſi, oblongi, coloris aliquando albi, ſtriis nigris inſtructi, aliquando purpurei, nigricantes: flori ſuccedit ſiliqua longa, craſſa, carnoſa, vnicapſularis, fœta ſeminibus reniformibus oblongis, elatis vel oualibus, coloris varii, plerumque albi: radix longa, partim recta, & partim repens, fibroſa. Gr. κύαμος. G. Bohnen.

FABA SANCTI IGNATII, ſunt fructus nucis vomicæ legitimæ, Serapionis Camelli, habentes carnem amaram, flauam, auellanæ nucis magnitudine, variæ tamen formæ: ſunt hi nodoſi, duriſſimi, corneæ ſubſtantiæ, coloris inter album & glaucum medii: Ex India orientali affertur, eſtque celebre antifebrile in tertiana.

FABA-

FABARIA, ſic appellatur telephii quædam ſpecies, idque a foliorum figura & craſſitie a faba. Vide *telephium*.

FACIES, VVLTVS, Gr. πρόσωπον. Anterior capitis pars non capillata, continens oculos, naſum, os, labia, mentum, genas, frontem &c. G. Das Angeſicht, Antlitz.

FACIES HIPOCRATICA, dicitur, quando nares acutæ ſunt, oculi concaui, tempora collapſa, auriculæ frigidæ & contractæ, auriumque lobi inuerſi, quin cutis, circa frontem dura, tum circumtenta & arida, color totius faciei pallidus, liuidus, plumbeus aut niger. G. Farbe der Sterbenden, Todtenfarbe.

FACVLTAS, ſiue δύναμις, aut *vis*, eſt actio quæ ab homine, vel ſolo corpore, vel corpore & mente, peragitur. Vid. Actio. G. Macht, Vermögen.

FÆCVLA, vide *fecula*.

FAEX, vel FÆCES, ſunt reliquiæ, quæ poſt fermentationem deponuntur. Subſidentia item eſt liquorum, ſpiſſitudinem habentium, ex tenuioribus ſe ſeparantium, ex quorum ſpecie habentur fæculæ. G. Truſen, Heſen. Excrementa.

FAGOPYRVM, FEGOPYRVM, eſt frumenti ſpecies, ſiue planta, duos pedes vel duos cum dimidio, alta, quæ habet caulem rotundum, mollem, excauatum, rubicundum: folia in initio obrotunda, poſtea anguloſa, hederam referentia, ſed minora: flos eſt apetalus, paruus, albus, in ſpicis vel racemis aut muſcariis habet octo ſtamina e calice quinquepartito ſurgentia: ouarium in calicis fundo innaſcitur, in placenta eleganter globulis in orbem poſitis ornata, eſt triquetrum, tres emittens tubas, fit ſemen triquetrum, nigricans, farinoſum, intus album: radix fibroſa annua: colitur in agris, & nullum ſolum, quantumuis aridum, & macrum reſpuit, ſic dicta a ſeminis figura, quod faginam glandem, figura triquetra, & colore ſordido, quodammodo refert, licet quantitate multo minus. Eſt a Græco Φηγὸς, Dorice Φαγὸς, vnde Latinum fagus, & Gr. πυρὸς triticum, frumentum, compoſita: aliquibus dicitur *Fagotriticum*. G. Buchweitzen, Heydekorn.

FAGVS, eſt arbor glandifera, magna, craſſa, ramoſa; cuius cortex mediocriter craſſus, politus, coloris griſei cinerei: lignum eſt durum, album: folia populi ſunt minora, nigra, tenuia, mollia: flos mas, amentaceus, glomeratus, conſtans ſtaminibus plurimis e calice campaniformi ſurgentibus: fructus in eadem arbore, a floribus ſeparati naſcuntur, calloſi,

acu-

acuminati, quadrifido apice dehiſcentes, fœti binis ſeminibus trigonis, duris, politis, rubicundis, interne habentibus medullam albam, edulem, ſaporis dulcis cum aliqua adſtrictione: hæc arbor creſcit in pratis, & locis montanis, & magnam vmbram facit. G. Φηγὸς ita dicta ἀπὸ τῦ φάγειν, a comedendo, quod ante inuentas fruges (vt fabulantur Poëtæ) homines eius arboris glandibus ſolebant victitare. G. Buchbaum, Buche.

FALX, eſt duræ meningis duplicatio, ſinum *Falciformem* dictum continens, figura falcem referens, inferius ſinui tertio annexam, hinc autem anteriora verſus progreſſa, criſtæ galli implantatur; huius autem membranæ expanſione, ſub ſuturæ coronalis curſu poſita, cerebrum in dextrum & ſiniſtrum hemiſphærium diuiditur. G. Eine Sichel.

FAMES, dicitur *ordinaria* ſiue *ſana*, quæ eſt alimentorum appetitus, quo animal a vellicatione nerui paris vagi, & intercoſtalis in ventriculo, ab humoris per arterias cœliacas, vel tunicam glanduloſam huc delati, vel ſaliuæ continuo deglutitæ acrimonia, tum attritu mutuo laterum ventriculi ad inuicem, excitatum, cibum ſibi, vt eius remedium, appetit: vel eſt præter ordinem vel præter ſanitatem, quæ eſt deprauata, vt *pica*, *malacia*, *canina*, *bouina*, *abolita &c.* Gr. λιμὸς, πεῖνη. G. Hunger.

FAMES CANINA, vide *cynodes orexis.*

FARCIMINALIS TVNICA, idem quod *allantoides.*

FARCTVRA, vel FARTVRA, dicitur quando animalia exenterata, aut fructus excauati medicamentoſis rebus, ſuas vires communicantibus, a pharmacopœis replentur.

FARFARA, eſt tuſſilago ſeu vngula caballina, dicta Gr. βήχιον, quod tuſſi confert. Farfara appellatur, quod eius folia populi albæ, ſeu farfari foliis ſimilia ſint: hinc etiam *populago* vocatur. Vide *Tuſſilago.*

FARINA, eſt plantarum puluis molendo contritus, vti farina lini, althææ, iridis, orobi, hordei &c. qui vſum in medicina habet. Gr. ἄλφιτον, ἄλευρον. G. Mehl.

FASCIA, *faſcicula*, ἀνάδεσμος, ἐπίδεσμος, σπεῖρος, ὀθόνιον, τελαμὼν σινδονίτης, eſt vinculum longum, & mediocriter latum, ad vſus chirurgicos idoneum. Faſciæ ſunt glomeratæ, longæ & æqualiter latæ, in orbem conuolutæ: aliæ ſciſſæ, quæ vno quidem conſtant linteo, ſed eo vel extremis, vel mediis partibus ſciſſo: aliæ aſſutæ, quæ ex faſciis & habenis in varia capita deſinentibus, conſtant. Longitudine etiam differunt, quod

quod aliæ ſint longiores, aliæ breuiores; ita & de latitudine ſe res habet. G. Eine Binde, Windel.

FASCIA LATA & FASCIALIS MVSCVLVS vide *membranoſus muſculus.*

FASCIA LATA, eſt lumbricus inteſtinalis latus, vlnarum multarum longitudine: teres & albicans. G. Ein Bindelwurm.

FASCIATIO, eſt quædam faſciarum, circa membrum curandum, circumductio & conuolutio. G. Das Wickeln, Winden.

FASCICVLVS, vide *manipulus.*

FASELVS, vide *phaſeolus.*

FASTIDIVM CIBI, idem quod *anorexia.*

FAVCES & FRVMEN, idem quod *pharynx*, quod vide. G. Die Kehle, Speißröhre.

FAVVS, vide in Achor, Gr. Κηρίον.

FEBRIFVGVM, Gr. ἀντιπυρετικὸν, remedium aduerſus febris inſultus. G. Artzney gegen das Fieber.

FEBRIS, Gr. πυρετὸς, eſt ſanguinis velocitas aucta; adeoque motus cordis & arteriarum frequentior, ita vt inde functiones lædantur: his enim notis ſolis, nempe pulſo frequentiori, cognoſcitur febris; verum multa plerumque comitantur ſymptomata, in variis febribus varia, vti ſunt horripilatio, frigus, vomitus, tremor, calor, ſudor &c. quæ in eadem febre vario tempore quoque variant. Variæ licet dentur febrium ſpecies, vt diaria, intermittentes quotidianæ, tertianæ, quartanæ, & eiusdem ſortis remittentes, erraticæ, continuæ, ſymptomaticæ, &c. Vnica tamen eſt febris, cuius ſpecies gradibus, vt magis & minus, ab inuicem tantum differunt, quatenus in velociori pulſu earum natura ponitur. G. Das Kalte, das Fieber. Febrem erraticam vocant G. Unbeſtändige Fieber. Febris quotidiana G. Das tägliche Fieber. Tertiana Febris G. Dreytägige Fieber. Febris Quartana G. Viertägige Fieber Ephemera. G. Das tägliche Fieber.

FEBRIS VNGARICA THERIODES, ſeu LVES PANNONIÆ vulgo *Cerebri vermis.* Iſte morbus a *Schenkio* deſcriptus, erat morbus caſtrenſis, circa tertiam vel quartam a meridie horam inuadebat, eiusque ἐπισημασία cum leui rigore, qui frigus potius vel ſuperficiarium horrorem, quam rigorem præ ſe ferret, obſeruabatur. Poſt horulæ dodrantem æſtus illum excepit, qui noctes & dies ſequentes aſſidue excruciatos detinuit. Conquerebantur de capitis dolore, imo & moleſtia

erat

erat circa enſiformem cartilaginem & durities, & ſi ſummis digitis illum locum attigiſſes, præ dolore eiulabant. Ab initio ſitis adeo intenſa, vt vel vrnis non eſſet extinguibilis. Poſtridie vel ad ſummum tertio die deliria ingruebant, ita tamen, vt inter delirandum, dum ſibimet non conſtabant, ſermones incompoſitos quisque de ſua arte, quæſtu, aut genere vitæ plerumque haberet. Exacerbationes circa veſperam: per noctem recrudeſcebat morbus; lingua torrida, labia fiſſa, quibusdam ſputum ſanguinis. Nonnulli diarrhœa laborabant, alii ſanguinem coagulatum, alii loturæ carnis inſtar deiiciebant; quidam colici erant, vel lateralis dolor eos vexabat. Plurimis ſurditates oboriebantur, parotides frequentes. Erant qui paralyſin paſſi, tuberculum, ſed peſſimum, in pedis dorſo accipiebant, adeo vt non nullis crure tenus pedes ſint amputati. Vini potatores interiere. Papulæ ſiue puncturæ pulicum morſulis ſimiles omnibus equidem fuerunt, latiores aliis, minores aliis, vniuerſum corpus quibusdam, maiore tamen ex parte regionem thoracis & dorſum circa ſpinalem medullam occupantes, quamuis frequentes iuxta ſcapulas & in brachiis apparent, coloris ſaturi plerumque, niſi in morituris quibusdam in liuidum & atrum tendebant. G. Ungerſche Kranckheit.

FECVLA & FÆCVLA, Gr. τρὺξ, fæcis ſpecies eſt: fecula dicuntur eſſe pulueres in certis vegetabilium expreſſionibus ſubſidentes, vt fecula bryoniæ, ari &c. Species eſt amyli.

FEGOPYRVM, idem quod *Fagopyrum*.

FEL, idem quod *Bilis*.

FEMVR, FEMEN, Gr. μηρὸς, eſt ſuperior pars pedis a natibus vsque ad genu, vnico oſſe, ſed maximo conſtat & longiſſimo totius corporis, cuius pars antica & externa magis gibba, interna & poſtica magis ſima. *Femen* volunt Grammatici interiorem, carnoſioremque pulpam eſſe; *Femur* vero anteriorem & aduerſo homini propiorem. G. Der Senckel, das dicke Bein.

FENESTRA, Gr. θυρὶς, in concha auris duo habentur foramina, ſtatim poſt tympanum occurrentia, vnum dicitur *ouale*, alterum vero *rotundum*. G. Ein Fenſter.

FERMENTATIO, definitur, quod ſit inteſtinus motus vegetabilibus corporibus inductus, eadem ita mutans, vt deſtillationi ſubiecta primo prodant ſpiritum inflammabilem, tenuem, volatilem, acrem, aquæ miſcibilem: vel prodant liquorem minus volatilem, acrem, non inflammabilem, acidum, aquæ pariter miſcibilem, acetum dictum: ea fit vel *per ſe*, quæ

quæ ſua ſponte concitatur, vt in actionibus ſpotaneis; vel *arte*, quando rebus fermentandis aliquid additur, vt in pane, aliisque videre eſt. *Fermentatio* non fit tam ſubito vti efferueſcentiæ, ſed lente, quia acidum & alcali ab aliis oleoſis particulis detinetur, ideoque lente peragitur. G. Das Säuern, Brauſen, Vergähren.

FERRVM, eſt metallum, omnium minime ductile, igne non fixum, nam fumat, ſcintillas quaſi a combuſtili materie ſpargit, pondere aſſidue minuitur; diu ante fluxionem ignitum, ſonorum, coloris candidi, ſpecificæ grauitatis ad aquam, vt 7852. ad 1000. Soluitur facillime ab omni ſale, rubeſcens cum iisdem, ſales ſoluentes facillime perdit, in ſcorias conſumitur ferruginoſas, facillime deſtruitur inter omnia metalla, magnetem trahit. G. Eiſen.

FERRVM EQVINVM, eſt planta parua, quæ habet plures caules exiguos anguloſos, tenues repentes: folia ſecuridacæ, ſed minora, pinnatim digeſta, & per extremam oram lateſcentia, leuiterque in circuli formam fiſſa: flores ſunt leguminoſi, flaui, ex cuius calice ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam compreſſam, articulis diſtinctam lunatis, ferrum equinum perforatum referentibus, in qualibet quaſi articuli parte hærent ſemina eiusdem formæ; radix lignoſa exigua, alba, fibris circumcincta: hæc planta creſcit in regionibus calidis, præſertim in locis deſertis: eſt leguminis minoris ſpecies ſic dicta, quod eius ſemen ſoleam equi ferream referat.

FERVLA, eſt planta cuius caulis ſeptem vel octo pedes altus, craſſus, fungoſus, medulla repletus, in ſummitate ramoſus, circa autumnum durus & lignoſus euadit: folia fœniculi, ſed latiora, viridia: flos eſt roſaceus, vmbellatus, plurimis ſcilicet petalis conſtans in orbem poſitis & calici inſidentibus. Is autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum peramplis, ouatis, planis & tenuibus, inuolucrum ſæpe deponentibus: Planta eſt ex qua *ſagapenum* colligitur. Sed ferulæ ad artem quoque chirurgicam pertinent, ſuntque aſſulæ leues, quæ ad locorum ingenium materiam nactæ fuerunt diuerſam, ex arborum nimirum corticibus, vel cortice herbæ ferulæ, vnde nomen acceperunt, conficiuntur, item ex ligno abietino, capſulis, papyro conglutinata vel corio, quæ oſſibus ſolutis & luxatis, poſtquam reſtituta fuerunt, adaptari ſolent. Gr. νάρθηξ. G. Die Beinſchienen.

FERVLAGO, idem quod *Ferula*.

FESTVCA, Gr. Αἰγίλωψ, vid. *ægilops*.

FIBRÆ, id eſt filamenta ſiue villi in vegetabilibus. 1. Sunt veluti ſtamina rebus nonnullis intertexta, v. gr. arboribus, foliis &c. 2. Sunt capillamenta, extrinſecus adnaſcentia, ex. gr. radicibus &c. hinc fibroſa vocatur radix, quæ in minimas fibrillas ſeu filamenta diuiſa, hæc maxime vulgaris & ſimpliciſſima, vndique ſeſe explicat, & nutrimentum haurit, quamquam pori ob fibrarum tenuitatem ſenſus noſtros hactenus fugiunt. G. Härlein, Zäſerlein.

FIBRÆ, dicuntur in corpore animali partes ſolidæ, tenuiſſime, oblongæ, non cauæ, ſimpliciſſimæ, ex particulis elementaribus fluidorum per vaſa circulantium ſibi mutuo vi vitali appoſitis compoſitæ; ex quarum applicatu ad inuicem, vel intertextu miro inter ſe, fiunt membranæ tenuiſſimæ, ſolidæ, ſimpliciſſimæ, quæ conuolutæ formant vas minimum ſimpliciſſimum cauum, dicuntur a ſitu rectæ, vel obliquæ, vel circulares. Gr. Ἶν. G. Zäſerlein.

FIBRILLÆ, idem quod *Fibræ*.

FIBVLA, Gr. ἀγκτὴρ. Fit fibularum apud antiquos mentio.] Si enim in carne, vt *Celſus* ſcribit, vulnus eſt, hiatque, in neque vnum facile oræ attrahuntur, ſutura quidem aliena eſt, imponendæ vero fibulæ ſunt, ἀγκτῆρας Græci nominant, quæ oras paulum tantum contrahant, quo minus lata poſtea cicatrix fiat. Et cum notiſſimus fuerit modus vniendi vulneris oras per fibulas, factum, vt fibularum nec materia nec forma ſatis ab antiquis deſcripta ſit. Quibusdam *Acia*, vocatur; qui plura deſiderat, adeat *J. Rhodium*, de Acia diſſertantem. G. Eine Spange, Hafft, Häfftlein.

FIBVLA, ſiue os tibiæ minus *Sura*, περόνη, a ſimilitudine ferramentorum, quibus trabes in ædificiis combinantur; etiam *Hippocrati* aliquoties brachii radius. Eſt os poſterius inter femur & tarſum, tibia tenuius, eique extrinſecus attenſum, vt radius cubito. Parte ſuperiore caput rotundum genu non attingit, ſed infra ſubſiſtit. At parte inferiore, infra tibiam pergit, ideoque æque longum os eſt atque tibia: in medio ab inuicem dehiſcunt tibia & fibula, ob muſculos pedis ibi locatos, quo interuallo ligamentum tenue & latum, ſecundum longitudinem hæc oſſa iungit. Committitur etiam tibiæ ligagamento communi ſuperius & inferius. Inferius caput in acutum tendens, appendicem habet, quæ craſſeſcens, gignit proceſſum dictum *malleolum externum*, protuberantem illum locum externum, excarnem ad pedem, interno humiliorem. G. Wadebein.

FICVS,

FICVS, eſt arbor mediocris altitudinis; cuius caulis non rectus: cortex eſt politus, licet aliquantulum aſper, coloris cinerei: lignum fungoſum, intus medulloſum, album: folia ſunt magna, ampla, craſſa, quinquefida, vitis ſimilia ſed maiora: floſculi hermaphroditi, monopetali; longi, tubulorum forma, oriuntur cum ouariis, quæ ſunt capſulæ teſtaceæ natæ in vtriculis pulpoſis, poſitis intra tracheas: fructus pyriformis, figuræ rotundæ ac depreſſæ; coloris ex flauo fuſci: intus copioſiſſimis granulis per pulpam infarctus, ſaporis dulcis, odoris debilis, non ingrati, fructus non maturus dicitur groſſulus, vbi craſſior, ſed nondum tamen muturus, dicitur groſſus ſeu groſſa, & ficus demum, vbi maturuit; ſiccatus, carica ſeu ficus paſſa: Gr. Σῦκον. Fructus eſt ſatis notus; verum a ſimilitudine dicuntur quoque excreſcentiæ circa anum aliasque partes, ſimilitudinem ficuum habentes. Si thymi multum excreſcant, ficus ſeu ſycoſes appellantur. Nominantur & *mariſcæ*, *ſycoſis* & *ſycoma*. G. Feigen, Wartzen.

FIGENTIA, ſunt, quæ volatilia domant, & acida concentrant. Vide *Fixatio*.

FILAGO, eſt planta mollis lanuginoſa, habens folia parua, oblonga, incana, mollia: flores ſunt floſculoſi, plurimis ſcilicet floſculis conſtantes, ſtellæ adinſtar diuiſis, embryoni inſidentibus; & calice ſquammoſo, hæmiſphærico, non lucido neque inſigni quodam colore prædito; embryo autem deinde abit in ſemen pappis inſtructum. Eſt gnaphalii ſpecies, ſic dicta forte, quod eius folia filis lanuginoſis ſint obducta. G. Ruhrkraut.

FILICIS RADIX, penult. corripit:

Et filicem curvis inviſam paſcit aratris. *Virg.* 2. *Georg.*

FILICVLA, eſt trichomanes, vel adiantum; huius plantæ variæ ſunt ſpecies, dim. a *filix*. Vide quoque *polypodium*.

FILIPENDVLA, penult. corr. quia a filis radicum pendulis ei nomen.

Laſſaret viduas pendula tela manus. *Ouid. ep.* 1. *Heroid.*

Filipendula, folia habet pimpinellæ ſaxifragæ, ſed anguſtiora, profundius inciſa, plura ad vnam coſtam quaſi per paria coniugata, coloris viridis, obſcuri, ſplendentis: ex his aſſurgunt plures caules pedem circiter alti, duri, ſtriati, rotundi, rubicundi, verſus ſuperiora in alas diuiſi, in ſummitate habentes flores roſaceos, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtantes, ex quorum calice monophyllo, & multicuſpide

ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum fere globoſum, cuius ſemina in capitulum dolii æmulum colliguntur: radices glanduloſæ, oliuares aut longiores, minusque ventricoſæ, aſphodeli more, foris ex rubro nigricantes, intus albentes, acrimoniam quandam cum adſtrictione, dulcedine, & leui amaritudine ſapientes; dicitur a numeroſis & rotundis in radice glandibus, quæ velut ex filo quodam pendere videntur. Gr. *Oenanthe.* G. Rother Steinbrech, wilde Garbe.

FILIVS ANTE PATREM, dicitur de ſpecie quadam Lyſimachii, cuius vaginulæ ſeminales ante flores conſpiciuntur, item de colchico, croco, pulſatilla, tuſſilagine, cæterisque plantis, quarum flores ante folia prodeunt.

FILIX, eſt planta, cuius variæ ſunt ſpecies, imprimis mas & fæmina. Mas habet folia, ex radice erumpentia, magna, ampla, aſpera; dura, friabilia, viridia, odoris fortis, & grati, longa, in alas extenſa, habentia multa alia foliola, vel in margine inciſa; nullos habent flores apparentes, ſed in dorſo habent puluiſculum fuſcum, & rubicundum, qui puluiſculus ſunt ſemina plantæ iuxta ſententiam Cæſalpini, qui obſeruauit, quod vbi eius folia in terram fuerunt delapſa, poſtea ſimilis planta creuerit: verum Tournefortius de vtriusque filicis ſemine carioſe annotauit; ſcilicet quod filicis maris vulgaris fructus foliis innaſcuntur bino plerumque ordine, pinnulis affixi claui ope, altera parte retuſi; detracta vel corrugata membrana quadam conuexa, quæ ferri equini formam habet, ſeſe obiicit oculis numeroſa congeries veſicularum ferme ouatarum, annulo elaſtica vi donato munitarum, cuius contractione rumpuntur illæ, ſeminaque fundunt minutiſſima. Filicis fæminæ vero & aliarum ſpecierum fructus ſeu veſiculæ ouatæ occurrunt in ſinubus quibusdam, namque autumo pinnularum margo plerumque producitur, incuruatur & complicatur: radix filicis maris eſt carnoſa, craſſa, fibroſa & nigra. Hæc planta nullum caulem habet: creſcit vbique in ſyluis, & neglectis incultisque locis. Gr. *πτερίς*, ala. G. Fahrenkraut.

FILTRATIO, chymica vox eſt, ſpecies dicitur *deſtillationis per deſcenſum*, quia guttæ cadendo decidunt. Modus quo filtratio fit, eſt triplex. *Primus* eſt per pannum expanſum, vt fit in ſyrupis clarificandis. *Alter* per *manicam Hippocratis*, hoc eſt per ſaccum, ſuperius latum, ſed in coni punctum inferius terminans, pro vinis aromaticis colandis, vt in feſtis nuptialibus, & variis medicationibus pro delicatulis vſu venit. *Tertius*, & Chymicis magis familiaris, eſt colatio per char-

chartam emporeticam, hoc eſt; ſi papyrus fuerit quadratæ figuræ, duplicatur, & illa duplicatura reduplicatur, ad angulos rectos, hoc eſt tota papyrus ſiue charta quadruplicatur, poſt hæc iterum explicatur, inſtar cuculli monachorum vel infundibuli & imponitur infundibulo, ſeu tritorio, deinde liquor clarificandus infunditur, & clarus guttatim decidit, relictis in filtro fæcibus. G. Filtrirung.

FILTRVM, eſt pannus laneus, vel charta bibula, per quam liquores percolantur ad clarificandum, vt fit per *manicam Hippocratis*. G. Ein Filtz.

FIMBRIÆ, ſunt veſtium extremitates, a quibus, & fimbriata folia dicuntur, quæ in ambitu in quasdam fimbrias exeunt. Sunt & pendulæ extremitates tubarum vteri.

FISSVRA, Gr. Ῥαγή, eſt oſſis quædam ſolutio continui, præſertim ſecundum longitudinem; quamuis & mollibus partibus quoque attribuitur, vt in fiſſuris labiorum, digitorum manuum &c. G. Ein Spalt.

FISTACIVM, idem quod *Piſtacium*.

FISTVLA, Gr. Σύριγξ, ſumitur pro canna oblonga & cauata, ideoque haberi poteſt pro ſiphunculo, quo liquor aliquis inteſtinis, auri, vtero, vulneri &c. immittitur. Sic *vrethra*, fiſtula vrinaria eſt. *Trachea*, fiſtula reſpiratoria. Item ſinus eſt anguſtus & longus, ſeu vlcus ſinuoſum, anguſtum, calloſum & curatu difficillimum, quod plerumque ex abſceſſu ortum habet. Fiſtulæ a ſinuoſo vlcere, in eo differunt, quod fiſtulæ calloſæ & duræ ſint, non item vlcus. Aliquando *fiſtula* pro *fontanella* ſumitur, de qua ſuo loco. G. Fiſteln, Röhrwunden, Röhr- oder Hohlgeſchwäre.

FISTVLA LACHRYMALIS, eſt morbus, cuius vitio lympha lacrymoſa non per carunculam in naſum determinatur, ſed per palpebras in genas cadit, qui fieri poteſt ex variis cauſis; inprimis vero ex vitio palpebrarum, carunculæ lachrymalis, punctorum lachrymalium, vel ſacci lachrymalis, quæ partes varie affici poſſunt. G. Fiſtel der Augenwinckel, Augenfiſtel.

FISTVLA PVLMONIS, idem quod *Aſpera Arteria*.

FISTVLA SACRA, eſt ſpinæ pars forata, quam Gr. ἱερὰν σύριγγα vocant.

FISTVLA VRINARIA, idem quod *vrethra*.

FISTVLARIA, eſt criſtæ galli ſpecies, ſic dicta, quia eius caules caui ſunt, & ſucceſſu temporis in fiſtulas ſeu cala-

mos mutantur. Vide *Pedicularis.* Gr. Ἀλεκτωρόλοφος. G. Rödel, Laußkraut.

FIXA, ſunt, quæ magna ignis tortura non exaltantur, vel eleuantur, vt *ſalia fixa.*

FIXATIO, eſt materiæ fugacis quædam, ne avolet, retinentia. Gr. Πῆξις, & Πήγνωσις. G. Figierung.

FLAGELLÆ, dicuntur cymæ arborum & ipſarum ſummæ partes, quæ ad cuiuscunque venti flatum mouentur: vnde etiam nomen traxerunt ab eo quod flatibus petantur. *Flagella* etiam ſunt vitium rami oblongiores & productiores.

FLAMMVLA VITALIS, fictitium quid eſt; putauerunt quidam cordi ineſſe flammam quandam, ſed illud eſt falſum, quum nec in hominibus, nec in brutis viuis vnquam videas vel minimam ſcintillæ flammam, Gr. Βιολύχνιον dicitur, ac ſi eſſet vitæ lampas. Sed ſi bene velimus philoſophari, in eo vita conſiſtit, vt circulatio ſanguinis celerrime circumuehatur.

FLAMMVLA, eſt clematis ſpecies, dicta ob flammeum & igneum ſaporem, & vim erodendi cutim. Item *Ranunculus* eſt. Vide *Batrachium.*

FLATVS, ſunt exploſiones materiæ aereæ agitatæ calore, vel fermentatione aut efferueſcentia aſſumtorum, quæ dum ex vna parte ventriculi aut inteſtinorum in aliam propellitur, excitat *bombus* & *borborygmos.* G. Wind im Leibe, Blähungen.

FLORES CHYMICI, ſubtiliores corporis partes ſunt per ſublimationem a partibus craſſioribus ſub forma ſicca ſeparatæ. G. Blumen.

FLOS FEBRVARII, eſt *leucoion album*, ſiue hexaphyllon album bulboſum. Sic vocatur, quod Februarii menſe, & die diuo Valentino ſacro, vbi cœlum clementius fuerit, apparet. In Aprili, vbi appropinquare cœperit Maius, euaneſcit.

FLVOR ALBVS, ſiue FLVOR VTERINVS, eſt præternaturalis humoris pituitoſi & albi, vel varii coloris & odoris, per muliebria excretio, orta a nimia vaſorum vterinorum laxitate & debilitate, nubiles, maritatas, vetulas, ſteriles, grauidas, vario tempore inuadens. Gr. ῥοῦς γυναικεῖος. G. Weiſſe Fluß.

FLVXIO, idem quod *catarrhus.*

FLVXVS ALVINVS, idem quod *diarrhœa.*

FLVXVS CHYLOSVS, idem quod *cœliaca paſſio.*

FLVXVS HEPATICVS, eſt dyſenteriæ ſpecies, cum excreta ſunt inſtar loturæ carnium, copioſus plerumque eſt

&

& nocturnus, ſed absque dolore, valde tamen vires demoliens, ſæpe poſt dyſenteriam contingit. Sic vocatur quia interdum ſanguis coagulatus, ſplendens & niger, ac ſi eſſent hepatis fruſta, adeſt. G. Leberflieſſung.

FOCILE MAIVS, eſt vlna cubiti; vel tibia pedis. *Focile minus*, eſt cubiti radius, vel pedis fibula.

FOCVS, Gr. Ἑστία dicitur eſſe locus in meſenterio, vnde & febrium originem olim deducebant. G. Eine Feuerſtett, der Heerd.

FODINA, eſt *fouea* ſeu *cuniculus*, vnde mineræ educuntur. Item minor labyrinthus in aurium oſſe.

FOENICVLVM, penult. corripit:

Aut tu fœniculum, nitrumque, & ſulphura viua. Seren. tit. porr. depell.

Nec non fœniculo calidum annectatur acetum. Seren. tit. ict. ſcorp.

Fœniculum, eſt planta officinalis, quæ habet caulem quinque vel ſex pedes altum, rectum, cannulatum, coloris viridis fuſci, medulla fungoſa repletum, ramoſum: odoris grati; folia in lacinias capillaceas diuiſa, coloris viridis obſcuri, odoris grati, ſaporis dulcis aromatici: flos eſt roſaceus, vmbellatus, pluri-mis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtans, & calici inſidentibus, qui abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum oblongis, craſſiuſculis, hinc gibbis & ſtriatis, inde vero planis: datur & altera ſpecies, quæ eſt fœniculum dulce maiore & albo ſemine; radix oblonga, recta, digitum craſſa, pallida, ſaporis ſubdulcis, & aromatici: Gr. Μάραθρον. G. Fenchel.

FOENVM, eſt gramen arefactum. Gr. χόρτος. G. Heu.

FOENVM GRÆCVM, eſt trifolii & leguminis minoris ſpecies, habet caulem vnicum, dimidium pedem altum, tenuem, excauatum, in ramos diuiſum: folia terna in vno pedunculo inſtar trifolii gerentem, parua aliquando oblonga, interdum magis ampla quam longa, aut ſemirotunda, dentata: flores ex foliorum alis erumpunt, leguminoſi, exigui, albi: flori ſuccedit ſiliqua plana, longa, acuta, corniformis, fœta plerumque ſeminibus rhomboidiformibus, ab angulo vno ad alterum linea caua notatis, flauis, ſaporis muc lagnioſi, odoris, & ſaporis ingrati: radix ſimplex, lignoſa. Vnde ita appelletur inuenire nequeo: forte quod in Græcia inter fœnum plurimum reperiatur. Gr. τῆλις, κεραῖτις, αἰγόκερως, βέκερως: atque ſic dicitur a cornuum figura ſiliquarum, vocatur *ægoceros* a caprini cornu ſimilitudine, quemadmodum a bubuli *buceros*. Non-

nullis *Siliqua*; aliis *Silicia*; quibuſdam *Silicula* appellatur. G. Bockshorn.

FOETOR ORIS, eſt putredo circa dentes & gingiuas: aliquando oritur ex pulmonibus & ſanguine phthiſico, vel ſcorbutico, aliquando ex ſtomacho. Fœtor vero in genere oritur ab humoribus ſtagnantibus, effuſis, corruptis, vel venenatis; vt & ab omni cauſa, quæ ſales & olea nimium attenuat, & volatilia reddit, vt eſt inedia, calor, motus nimius, acrimonia nimia aſſumti. G. Stinckender Athem.

FOETVS, Gr. Κύημα, eſt conceptus, quando fœmina concepit, ab initio dicitur *Embryon*, poſtea cum formam adeptus fuerit, proprie fœtus dici poteſt. G. Die Frucht.

FOLIACEVM ORNAMENTVM, eſt fimbria in extremitate tubæ Fallopianæ, qua ouum ex ouario muliebri, quaſi tot digitis excipitur, & per tubam in vterum defertur. G. Blatzierd.

FOLIVM INDICVM, idem quod *malabatrum.*

FOLLICVLVS, eſt theca rei cuiuslibet tenuis, quæ granum vel ſemen continet inuolutum, ſic membranoſa cutis, *acini folliculus* dicitur.

FOLLICVLVS FELLIS, eſt veſicula, quæ hepatis concauo annectitur, in qua bilis colligitur, quæ ſuo tempore per ductum choledochum, in inteſtinum duodenum exantlatur. Gr. Κύστις χοληδόχος. vid. *Veſica fellis.* G. Die Gallblaſe.

FOMENTVM, Fomentatio, Fotus, eſt medicamenti externi genus, quod corpori admotum ipſum fouet & calefacit. Gr. θέρμασμα, eſtque duplex, & aridum & humidum, illud πυρία, πυρίασις & πυρίαμα: hoc καταάντλημα & κατάντλησις dicitur, quod effuſo humore adhibetur. Eſtque vapor, liquor aut decoctum variis partibus, beneficio lintei, filtri, ſpongiæ, vel veſicæ, fouendi cauſa applicandum. G. Erwårmung, ein warmes Tuch, damit man dem Leibe Wårme zufügt.

FONTANELLA, ſeu FONTICVLVS, dicitur in fœtubus & recens natis, intra frontis os & duo ſincipitis, apertura quadrangularis. G. Das Blåtlein. Item vlcuſculum arte chirurgica, in ſanis corporis partibus excitatum, vt per id humores ſuperflui & corrupti euacuentur, morbi curentur, vel etiam anticipentur. Fontanellæ excitantur cauterio actuali vel potentiali, lanceola & forcipe: in fonticulis excitandis notandum eſt, ſemper locum inter duos muſculos eligendum eſſe. G. Fontanelle.

FON-

FONTALIS, idem quod *potamogeton*.

FONTICVLI, idem quod *Fontauellæ*.

FORAMEN OVALE, dicitur apertura magna, media inter cordis fœtus ſinum venoſum dextrum ſiniſtrumque, quorum paries intergerinus hoc foramine perforatus eſt: quo fit, vt ſanguis ex ſinu & aure dextra exire hoc foramine poſſit in ſinum ſiniſtrum, eique additam auriculam: e ſiniſtro autem ſinu aureque in dextrum ſinum & aurem facile penetrare nequit, impediente membrana quadam valuulæ officium præbente. Membrana hæc ex maiore parte ambitus foraminis e parte ſinus ſiniſtri orta, totique prætenta foramini in duo quaſi cornua abit, quæ vltra anteriorem foraminis partem procurrunt aliquantum ſimiliter a parte ſinus ſiniſtri, euaneſcuntque in eandem partem parietis intergerini ſinuum. Itaque tali hoc foramen obductum eſt membrana, vt per ſe nunquam valde pateat; ſi vero ſanguis ſinus ſiniſtri vrgeat parietem intergerinum ſinuum, vrgeat etiam membranam, explicet, tendat, obtendatque foramini exquite vt nihil elabi poſſit; ſi contra vrgeat ſanguis ſinus dextri, pellat membranam aliquantum in ſinum ſiniſtrum, ac ſic viam ſibi obliquam aperiat inter cornua eius anterioremque foraminis partem, totum enim foramen aperiri nequit, quoniam e maxima parte ambitus eius valuula naſcitur. Valuula tenuis eſt, vt explicari facile poſſet, repellique a ſanguine ſinus dextri: denſa ſimul eſt, & quaſi tendinea, vt ſat haberet roboris. Foramen ouale etiam dicitur, quod & *feneſtra oualis* vocatur, apertura a figura oualis dicta, in parte poſteriori & ſuperna conchæ internæ e regione membranæ tympani poſita, habens ſitum ſtapedi parallelum, & configurationem ipſius baſi reſpondentem. Foramen illud ſtapes replet ſua baſi, & membranulæ tenuiſſimæ tenerrimæ illud occludenti accreſcit, ſeruata interim mobilitate requiſita.

FORAMEN ROTVNDVM, quod & *feneſtra rotunda* dicitur, eſt altera apertura, quæ in tympani ſupernis partibus reperitur: ſcilicet in tympani cauitatis parte poſteriori, e regione tympani membranæ ſita, paulo inferior quam feneſtra oualis, verſusque occiput, priori minor & decliuior, figuram incertam, nunc oualem, nunc circularem habens, rotunda tamen vulgo dicta, ſic ſita in foco quaſi elliptici huius ſpatii centro membranæ tympani oppoſito, patet in ſcalam inferiorem cochleæ, clauditur membranula tenui, pellucida, tenera, tenſa, elaſtica, tremula, infixa ſtriæ excauatæ in medio meatu. Amplius de his conſulendi ſunt anatomici.

FORCEPS, eſt inſtrumentum, quo partes demortuæ & corruptæ, item res quæ corpori ineſſe non debent, apprehenduntur, abſcinduntur, vel euelluntur. Forcipes ſunt, figura varia, vt longæ, curuæ, dentatæ, roſtratæ, ſemilunares, ſpeculum oris, matricis &c. quæ pro diuerſa figura diuerſum vſum obtinent. G. Eine Zange.

FORCEPS DECEPTORIA, eſt inſtrumentum inciſorium, cuius acuta pars dum latet, ægroti, qui inciſionem non admittunt Chirurgica manu decipiuntur. G. Ein verborgenes Meſſer.

FORFEX, eſt inſtrumentum euellendis dentibus aptum, vocatur item *odontagra*, ſiue *dentagra*. Ὀδοντάγωγὸν *dentiducum*, *dentarpaga* Varroni. G. Eine Zahnbrecherzange, Pelican. Item eſt bifidum ſecans chalybeum inſtrumentum. G. Eine Schere.

FORMICA, non tantum inſectum eſt, quod Germani vocant Ameiſe, ſed & verrucæ ſpecies, Gr. μυρμηκία id eſt *verruca formicaria*, tumens & calloſa, colore nigricans, baſi lata & cute ſeſſili, dolores adferens, morſiunculis formicæ ſimillimos, vnde & ei nomen. *Wierus* teſtatur eſſe morbum ab Hiſpanis nobis communicatum, venenatum, malignum ac contumacem ſerpiginem; ſumit initium a verendis, progrediturque ab iis per vniuerſum corpus cum doloribus & intolerabili pruritu. G. Das Zittermahl, Flechten.

FORMICANS PVLSVS, eſt pulſus inæqualis, motui formicarum ſimilis, vel potius vermiculans imminutus adeoque minorem vim cordis, & quantitatem ſanguinis indicat. G. Ein ſchwacher Puls.

FORMICATIO, vide in *Formica*.

FORMIX, barbare pro formica. Chirurgis etiam quibusdam adhibetur pro deſignandis vlceribus, quæ alias vocantur *eſthiomenos herpes*, vel *noli me tangere* aut *lupus*.

FORMVLA, Gr. Γραμματεῖον, eſt præſcriptum, quod a medicis præſcribitur, quædam paranda medicamenta indicans pharmacopœis in ægrorum emolumentum. Vulgo *Receptum*. G. Ein Recept.

FORNAX, Gr. κάμινος, dicitur & *furnus*. Vide *furnus*.

FORNIX, genitiui penult. corripit. Fornix, eſt ſubſtantia cerebri calloſa, nomen ſortita, quod vt ædificia teſtudines, ita & ſinus ventriculorum, ac molem deorſum inclinantis cerebri ſuſtinere videtur. Subnixa eſt cruribus tribus, quorum duo poſterius, verſus cerebri baſin deorſum porriguntur, & ſpinalis

nalis medullæ radicem, iuxta altera complexa, ſingulari ſubiecta prominentia, recuruoque velut vallo ſinum inferiorem ventriculorum anteriorum vtrinque deſignant. Gr. καμάριον ψαλιδοειδὲς *Galeno* G. Ein Gewölb.

FOSSA MAGNA, eſt pudendi muliebris interior cauitas, ſiue *rima magna*, quæ & ob figuram *nauicularis* dici poteſt.

FOTVS, idem quod *fomentum*.

FOVEA, idem quod *foſſa magna*.

FOVEA CORDIS, idem quod *anticardium*.

FRACTVRA OSSIS, eſt continui in duris corporis partibus ſolutio, quæ ab externo, & duro inſtrumento, vi partem fragente efficitur, cuius differentiæ a forma, parte, & accidenbus deſumuntur. Gr. κλάσις, κλάσμα, κάταγμα. G. Ein Beinbruch.

FRÆNVLVM, eſt ligamentum membranaceum ſub linguæ anteriori parte: hoc in recens natis quandoque totam linguam inferius occupat, eamque minus mobilem pro peragendis ſuis officiis reddit, vnde diuelli chirurgi ſcalpello ſolet. G. Der Zungriem.

FRÆNVLVM, ſeu FRÆNVM PENIS, eſt membrana, qua præputium glandi alligatur. Gr. κυνοδέσμον. Alii *canem* vocant. G. Der Riem.

FRAGARIA, penult. corripit, ob vocalem ante vocalem in Latinis vocibus. Fragaria, eſt planta, quæ habet radices fibroſas, oblongas, coloris fuſci aut nigricantis, repentes, ex quibus emergunt flagella per terram repentia, vnde nouæ radices & plantæ naſcuntur, & caules tenues, longi, villoſi, habentes folia terna ad centrum coniuncta, rugoſa, neruoſa, ſummo pediculo inſidentia: flores ſunt roſacei plurimis petalis in orbem poſitis conſtantes, ex quorum calice multifido ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum fere globoſum vel ouato acuminatum, cuius placentæ modo carnoſæ, modo ſiccæ adhæreſcant multa ſemina; odoris admodum fragrantis eſt, & ſaporis ſubdulcis, vinoſi. Hæc planta creſcit in primis in montibus, & locis vmbroſis & ſyluis. Gr. Κόραμον. G. Erdbeerkraut.

FRANGVLA, pro alno nigra baccifera, penult. corrip. quia diminutiuum eſt a frango, quippe materies ligni huius facillime frangitur; ſic ſe habet ut cætera diminutiua, ſchedula, aſinula, ſportula, teſſerula, &c. Frangula, eſt arbuſcula, quæ plures habet caules nouem vel decem pedes altos, pollicem craſſos, rectos, in plures ramos diuiſos; eius cortex externe ni-

ger, interne flauus & croceus: lignum album, & fragile, medullam ruffeſcentem continens: folia alni vel ceraſi, ſed rotundiora, & magis nigra: flos eſt roſaceus, plurimis ſcilicet petalis inter diuiſuras calicis monophylli poſitis, conſtans: e calicis autem fundo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu baccam mollem, duobus plerumque ſeminibus fœtum planis & ſubrotundis: ſic appellatur, quod eius ramuli facile frangantur; dicitur etiam arbor fœtida, a fœtido tum colore, tum odore, tum ſapore. G. Faulbam.

FRAXINELLA; eſt planta, quæ habet caules, duos circiter pedes altos, rotundos, villoſos, rubicundos, medulla repletos: folia fraxini ſunt, pinnata, ſed minora: flores polypetali, anomali, horum petala ita diſponuntur, vt flos quaſi bilabiatus appareat, poſt florem appareant plurimæ vaginulæ, elaſticæ, quæ cum impetu eiiciunt ſemina plana, magna, nigra, acuta, & ſplendentia: radix longa, alba, digiti minimi craſſitie, odoris penetrantis, ſaporis amari: hæc planta creſcit in regionibus calidis: fraxinella eſt quaſi diminutiuum a fraxino. Radix in officinis vulgo dictamnus albus vocatur, quia eius odorem, ſaporem, & vires habet; albus autem, quia radices albas habet, ad differentiam cretici. Nihil cum veterum dictamno commune habet. G. Weiſſer Diptam.

FRAXINVS, penult. corripit:

Et coryli fragiles, & fraxinus utilis armis. Ovid. Met. 10.

Fraxinus arbor, eſt magna, craſſa, recta, ramoſa, cortice tecta polito, cinereo, virideſcente. Lignum eſt durum, politum, album: folia ſunt oblonga, bina, pinnatim nata ad communem coſtam, cuius apex deſinit in folium impar, ſaporis parum amari & acris: flos mas, apetalus, cuius ſtamina apice gemino plerumque donantur: ouarium oblongum, ouatum, compreſſum, inſtructum tuba bifida; in fæmina per maturitatem fit fructus planus, membranaceus, linguiformis, fœtus ſemine medulloſo ſimilis figuræ; ſaporis acris & amari: hæc arbor creſcit in locis humidis circa flumina & in ſyluis, an a fragore ſiliquarum, quem, ventis agitatæ edunt? G. Eſchenbaum.

FRICATIO, ſeu FRICTIO, Gr. Τρίψις, & Ἀνάτριψις, *ſicca* eſt vel *humida*. *Sicca* eſt, quando corpus vel membrum ſolis manibus, aut linteis pannisue laneis ſiccis fricatur, quæ chirothecis peragi aliquando ſolebat. *Humida* fiebat vel aqua vel oleo, vel ambobus ſimul admixtis. Varia habentur genera, vt *mollis*, *dura*, *intermedia*, *multa*, *pauca* &c. G. Das Reiben Kratzen.

FRITILLARIA, eſt planta, quæ habet caulem, pedem circiter altum, tenuem, rotundum, interne fungoſum, coloris viridipurpurei vel nigri: folia mediocriter longa, anguſta, excauata: flos eſt liliaceus, campaniformis, hexapetalus, pendulus, nudus, plerumque teſſelatus, ſex ſtaminibus fœtus, ouarium complectens. Ouarium eſt ſtructum tuba bifida, triplici cauitate pergente vsque ad caua ouarii, fit fructus oblongus, ferens ſemina plana, gemina ſerie ordinata: radix duobus tuberibus carnoſis conſtat, ex quorum medio caulis aſſurgit: hæc planta creſcit in pratis, & colitur in hortis: dicitur, quod eius flores maculis pingantur in modum fritilli. Vocatur & *meleagris*. G. Bretſpielblum, Kiewitzeyer.

FRONS, Gr. μέτωπον, eſt ſuperior faciei pars, terminata ſuperciliis, temporibus, & crinibus capitis: quibusdam a ferendo dicitur, quia præ ſe fert animæ ſigna. G. Die Stirn.

FRONS, inter vegetabilia interdum pro ramo ponitur. Proprie tamen dicitur id quod ipſe ramus circumquaque producit, multa interdum folia habens, & nonnihil corticis, ac veluti cauliculi.

FRONTALE, eſt medicamentum externum, quod frequenter, ad capitis dolorem & feruorem, fronti applicatur. Conſtat vt plurimum ex herbis, floribus, ſeminibus, farinis, & aceto roſaceo madefactis. Gr. προμετωπίδιον. G. Stirnumſchlag.

FRVCTVS, ſunt grandiores illi ac ſucculenti plantarum fœtus, & ſeminum receptacula, vt poma, pyra, pruna &c. vel, quod carne & ſemine compactum eſt. Frequenter tamen pro eo, quod inuolucro perinde quaſi carne, & ſemine coactum eſt, accipi ſolet. G. Frucht.

FRVMENTVM, dicitur a fruendo, quod maximo cum fructui eius vſus eſt. Eſtque quod geniculato culmo, & arundinaceis conſtat foliis, ſemenque panificio & pultibus aptum in ſpicis aut iulis producit. G. Korn.

FRVTEX, eſt planta inter herbas & arbores media, perennis, & gemmipara, ad arboris magnitudinem non aſſurgens; ad ligneam tamen indolem proxime accedens, vel quod a radice caudice multiplici, ramoſumque ſeſe attolit, vt rubus. G. eine Staude, Geſträuch.

FVCVS, eſt plantæ genus, quæ creſcit in aquis, primo multos caules tenues, anguſtos & compreſſos germinat, qui ſeſe poſtea extendunt in paruos ramos, habentes folia ampla, oblonga, quercum referentia, ſed minora, ſubſtantia ſua tenaci, mem-

membranoſa, flexili, plerumque polita, aliquantulum lanuginoſa, caulibus ſuis adhærentia: adſunt tubercula vacua, aut bulbulæ aut veſiculæ cum ſeminibus, oblongæ, vel obrotundæ, aliquando maiores, interdum minores: hæc planta eſt plerumque humilis, aliquando tamen ad duorum pedum altitudinem creſcit, recens capta eſt coloris flaui virideſcentis, ſed ſiccata fit coloris nigri; nunquam flores habet; ab illis veſiculis ſupradictis ſupra aquam ſuſtinetur. Gr. φῦκος, an a φύω creſco vt qui dam volunt? Vide *alga*.

FVLIGO, penult. producit:

Semper & aſſidua poſtes fuligine nigri. *Virg. Ecl.* 7.

Fuligo, idem quod *aporrhœa*.

FVLMINATIO, idem quod *detonatio*.

FVMARIA, eſt planta, quæ habet plures caules ad altitudinem pedis vel ſeſquipedis creſcentes, quadratos, excauatos, coloris partim purpurei, partim albeſcentis: folia minutim inciſa, caulibus longis & anguloſis adhærentia, lobata vmbelliferarum inſtar: flores ſunt polypetali, anomali, papilionaceis æmuli, ex duobus tantum petalis conſtantes, quaſi bilabiati, labio ſuperiori in caudam abeunte cum inferiori ad pediculum coniuncto: hæc inter labia velut in palato, cuius os a ligula occupatur, piſtillum poſitum eſt vagina obuolutum, quod deinde abit in fructum membranaceum nunc longiorem, nunc breuiorem, fœtum ſemine paruo, rotundo, ex nigro virideſcente, ſaporis amari & ingrati. Radix mediocriter craſſa, fibroſa, alba. Tota planta habet ſaporem amarum & ingratum, creſcit in pratis. Dicitur etiam fumus terræ. Gr. Καπνὸς & Κάπνιος. G. Taubenkropf, Erdrauch.

FVMIGATIO CHYMICA, eſt corroſio metalli; per fumum vel vaporem. G. Räucherung.

FVMVS TERRÆ, idem quod *fumaria*.

FVNDA GALENI, eſt faſcia, in quatuor partes diuiſa, in affectionibus maxillæ inferioris vtilis, vel alibi fiſſis. G. Eine vierhäuptige Windel.

FVNGVS, eſt plantæ genus nullos flores, folia, nec ſemina apparentia habens, vtriculis & aeris faſciculis pedunculus conſtat, qui pedunculus eſt breuis, craſſus, fungoſus, inſtructus capitulo carnoſo, craſſo, ſpongioſo, obrotundo, aut compreſſo, aut acuto, foliaceo, ſæpe plurimas fiſtulas inferius habet in formam organi pneumatici diſpoſitas. Falſo creduntur nullum habere ſemen, nam inter lamellas habent vteros, qui infinita ſemina continent. Sed variæ ſunt fungi ſpecies; ſub

ſub forma excreſcentiæ arboribus, fruticibusue quibusdam adnaſcuntur, vel immediate e terra prodeunt, ſub varia forma & figura, de quo conſulendi botanici. G. Ein Erdſchwamm.

FVNGVS, eſt caro mollis & ſpongioſa, quæ vulneribus ſuperincreſcit. G. Schwammgewächs.

FVNICVLVS VMBILICALIS, ſiue INTESTINVLVM, LAQVEVS, ſeu ductus vmbilicalis, eſt pars, funiculi modo contorta, oblonga, vaſculoſa, craſſitie pollicis, longitudine quatuor quaſi ſpithamarum, in fœtibus ab vmbilico in placentam vterinam vsque porrecta; continet arterias duas, venam vnam, & vrachum. G. Die Nabelſchnur.

FVRCALE OS, FVRCVLA SVPERIOR, FVRCELLA, dicitur os ſterni ſuperius, alii etiam iugulum vocant; ita etiam clauiculæ os appellatur.

FVRFVRATIO, Gr. πιτυρίασις, Latinis etiam *porrigo*; affectus eſt, cum ſcalpentibus furfuribus ſimilia ex capitis cute decidunt, & quidem plerumque cute ea, quæ ſub capillis eſt, item etiam e barba & ſuperciliis. G. Der Hauptgrind, die Schwinden, Schuppen.

FVRNVS, eſt locus in quo ignis ad materiam chymice tractandam, dextre & conuenienter accommodatur: apertus vel tectus, rotundus, quadratus &c. De furnis conſule authores. G. Ein Ofen, Brennofen.

FVROR, idem quod *Mania*.

FVROR VTERINVS, eſt in fœminis ſalacitas & ſatyriaſis quædam, ſed cum delirio, ita vt non modo venerem & viros appetant, ſed proſtituant ſeſe primum ſermone obſcœno, eoque delectentur, deinde absque pudore denudent, & ſine diſcrimine etiam obuios quosque inuadant, & ſollicitent. Cum primum hic morbus incipit, fœminæ triſtiores ſunt & taciturnæ, oculos iactant laſciuos, rubet, modo pallet facies, præcipue narratione rerum obſcœnarum, rubor elucet cum pulſu & reſpiratione mutatis, adhæc vix pedibus conſiſtunt tripudio deditæ. Inconſtanter plerumque amant hunc vel illum, quo conſpecto, aut de quo cogitantes illico perturbantur. Deinceps rixantur, mœrent, rident, garriunt, cantant, dubia loquuntur, demum delirant, & pudorem decoquunt, ita vt nonnunquam in lecto nudæ decumbant, aut per plateas vagabundæ quærant, quibuſcum ſeſe commiſceant, quos non bene excipere ſolent. *Cauſa* videtur conſiſtere in ſucco ſeminali, qui ad ſummum maturitatis gradum euectus virgines in furorem

agit;

agit; exemplum illud in brutis animalibus quotannis occurrit, vt in felibus, tauris, damis & ceruis. Eſt quidem & alius affectus huic cognatus, quem *vteri* vel *matricis feruorem* antiqui appellarunt, quando nimirum vniuerſa ſubſtantia, & totum eius corpus incaleſcit, cum dolore & lumborum grauitate, horripilatione, faſtidio & vrinæ ac excrementorum alui ſuppreſſione; & fœmina coitum vehementer appetit, ſed ob dolorem venere vti pertimeſcit Gr. Ὑςερομανία. G. Wütende Geilheit.

FVRVNCVLVS, Gr. δοθιὴν, eſt tuberculum acutum oui columbini magnitudine cum inflammatione, & dolore; maximeque vbi iam in pus vergit. Qui ubi apertus eſt, & exiit pus, ſubter apparet pars carnis in pus verſa, corrupta, ſubalbida, ſubrubra, quem ventriculum quidam furunculi nominant. In eo nullum periculum eſt, etiamſi nulla curatio adhibeatur: matureſcit enim per ſe, atque erumpit. Sed dolor efficit, vt potior medicina fiat, quæ maturius liberet. G. Blutgeſchwär.

FVSIO, eſt liquatio cuiuscunque materiæ fuſilis per calorem ignis ſæpe vehementiſſimi, vt fit in liquandis metallis & mineralibus; huic operi non raro follis adhibetur. G. Ein Guß, Schmeltzung.

G.

G. Græcum Γ medicis vncia eſt.

GAGATES, eſt aſphaltum eo vsque vi naturæ perfectum, vt euadat nigrum, durum, terrenum, ſciſſile, politum, graue olens, reſplendens: propter duritiem vocatur *lapis gagates*, vel *thracius Nicandri.*

GALA, idem quod *Lac.*

GALACTOPHORI DVCTVS, proprie ſunt *vaſa lactea*, ſiue quæ chylum verſus cor ex inteſtinis per meſenterium & ductum thoracicum ducunt. Item dicuntur ductus lactiferi, chylum (vt quidam neotericorum finxerunt) ab inteſtinis recta via ad glandulas mammarias ducentes. Rectius tamen hoc officium arteriis imponitur, quod vna cum cruore chylum mammis aduehunt, in quibus lac, ad infantis vſum ſequeſtratur. Sic quoque vocantur tubuli ex glandulis mammariis lac in papillas ducentes, ex γάλα lac, & φέρω porto, duco. G. Milchgefäſſe.

GA-

GALACTOPHORA, medicamenta ſunt, quæ lactis copiam vberrimam faciunt, & ad mammarias glandulas determinant. Gr. γαλακτοποιητικά, a γάλα & ποιέω.

GALANGA, radix eſt aromatica, colore ſaturo, rubra, duplex eſt *maior & minor*, ſed minor maiori melior eſt: nondum authores conueniunt de hac planta; quidam vtramque ſpeciem ad iridum genus referre volunt ob radicis præſertim conuenientiam, alii vero maiorem tantum iridibus accenſendam eſſe cenſent, minorem vero frutici folia myrtum æmulantia gerenti annumerandam, credunt. Maioris radix craſſior; intus alba, ex Iaua & Malabar adducitur: minoris vero tenuior, nodoſa, intus & extra rubeſcens, ſapore acris inſtar piperis, odore ſuauis; hæc vero ex China adfertur & huius maior vſus eſt in medicina. G. Galgant.

GALBANETVM, eſt compoſitio galbanum recipiens.

GALBANVM, *Dioſcoridi*, & *Galeno* χαλβάνη penult. corripit apud *Nicandrum* in theriacis: Item,

Hic iam galbaneos ſuadebo incender odores. *Virg. 4. Georg.*
Hic ebulum ſtridet, peregrinaque galbana ſudant. Lucan. l. 9.

Galbaneti vocem qvidam freqventant, rectius facturi ſi *galbanatum dicerent*:

Jacet occupato galbanatus in lecto. Jamb. Sen. *Martial. l. 3. ep. 82.*

Galbanum, eſt gummi, ſuccus, aut lachryma ferulæ Syriacæ, quam *Metopium* vocant (quo nomine aliis gummi idem venit, intenſe flauum vel albidum, inflammabile; odore graui opopanacem referens, colore tacamachacam. Optimum cenſetur cartilaginoſum (alii granulatum volunt, ſed rariſſime ob mollitiem in granis inuenitur) flauum, ſincerum, pingue, non lignoſum, quod in ſe retineat nonnihil ex ſuis ſeminibus, & ipſis ferulæ ſarmentis, grauis & ingrati odoris, nec nimis humidum, nec nimis aridum, cum accenditur flammam nutriens; ſcribitur & *Chalbanum*.

GALEA, eſt dolor capitis, ſic a loci ſimilitudine dictus, quod totum caput in modum galeæ comprehendat.

GALEA, pertinet quoque ad vaſa chymica, eſt enim vas cui retorta imponitur, ex terra aut alia materia confectum, ne retorta, niſi mediate, ab igne tangatur. G. Ein Helm.

GALEA, etiam dicitur, quando caput fœtus in lucem prodeuntis cum parte membranæ Amnii circumueſtitur. Sed ſi infans ex ſexu fæminino fuerit, *Vitta* dicitur: de quibus obſtetrices plurimas fabulas nugantur.

GALEGA, vox *recentiorum*, incertæ originis; dicta tamen videri poteſt, quaſi γάλα ἥγων, id eſt, lac promovens, atque ita penultimam producet. Galega eſt planta, quæ plures habet caules tres pedes altos, ſtriatos, excauatos, ramoſos: folia pinnata, bina coniugata, affixa coſtæ, in impar folium terminata, ſaporis leguminoſi: flores ſunt in ſpicam congeſti, leguminoſi, coloris albi, aut violacei albeſcentis: flori ſuccedit ſiliqua teres & quaſi cylindracea, fœta ſeminibus oblongis, & veluti reniformibus: radix exigua, alba, perennis. Hæc planta creſcit in locis humidis, circa flumina. Fracaſtorio vocatur herba Gallica; an inde nomen habeat, lectoribus iudicandum relinquo. G. Geißraute.

GALENICA MEDICINA, eſt quæ nititur fundamentis *Galeni*, ideoque *Galenici* ſunt qui artis ſuæ fundamenta è *Galeno*, & philoſophis petita, ratione probata, & experientiæ confirmata amplectuntur, & hoc duplici κριτηρίῳ verum a falſo diſtinguunt. Nituntur præcipue quatuor elementis peripateticis, hinc illorum temperamenta, humores &c. G. Galeniſche Artzeney.

GALIANCONES, ſunt, qui ob capitis humeri in alam prolapſum brachium iuſto breuius & gracilius habent, partes vero circa cubitum tumentiores muſtelæque cubito præditi ſunt, ideoque *muſtelanei* vocantur, a γαλέη muſtela, & ἀγκὼν, cubitus. G. Krummbein, kurtz von Armen.

GALIOPSIS, vel GALEOPSIS, eſt ſpecies vrticæ mortuæ, vel lamii, quæ habet multos caules quadratos; folia eius marrubium referunt; flos eſt pulcher, coloris flaui, & multis punctis coloris crocei notatus: flori ſuccedunt ſemina oblonga, in capſula, quæ flori tanquam calix inſeruiuit, contenta; hæc capſula in quinque partes diuiſa, infundibulum refert. Hæc planta creſcit circa ripas & in montibus, a γαλέας ὄψει, facie & rictu muſtelæ. Huius ſunt variæ ſpecies. G. Todtenesſel, Taubneſſel.

GALLA, eſt tuberculum quoddam rotundum, foliis quercinis accreſcens inſtar ſpurii fructus. Muſcarum quædam ſpecies eſt, quæ oua ſua intra folia recondunt, & vna cum folio creſcunt: ex ouis deinde fiunt vermiculi, qui interiorem folii partem rodunt, & inde naſcitur quaſi folii ſcirrhus, qui intumeſcens *gallam* repræſentat. Si late ſumatur, tubercula quoque denotarent, quæ in foliis ſalicis, cynosbati, hæderæ terreſtris, viticis &c. conſpiciuntur, quæ & eodem modo producuntur, Gr. Κηκὶς, dicta forte a κῆκα id eſt, fuligine, quod gallarum pannis nigro colore tingendis, magnus vſus ſit. G. Gallæpfel.

GALLICVS MORBVS, vide *lues venerea*.

GALLINAGINIS CAPVT, vide *caput Gallinaginis*.

GALLITRICHVM, rectius *callitrichum*, penult. corr. quia a τρὶξ τριχὸς.

Ἔυχετ' ἀπαρχόμενος, κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλων. *Hom. Od.* γ. Inconuenienter *officinæ* gallitrichon appellant, cum nomen inde inueniat, quod κάλλος faciat τριχῶν; quemadmodum nucis juglandis putamen *Dioſcoridi l.* 1. *c.* 141. καλλίτριχόν ἐςιν, id eſt, capillis pulchritudinem, & robur inducit. Accedit quod planta hæc non *Apulejo* tantum, ſed & *Plinio* callitrichon vocetur, *l.* 22. *c.* 21. *quidam*, inquit, *callitrichon vocant, alii polytrichon, utrumque ab effectu, tingit enim capillum &c.* Inconvenientius, cum iubentur *callitrichum* capere *officinæ*, capiunt *horminum*, nam callitrichum ex adianthorum genere eſſe fidem facit *Plinius l.* 22. *c.* 21. Vide *Callitrichum*.

GALLIVM, ſeu GALIVM, eſt molluginis ſpecies, dicitur ἀπὸ γάλα τηγνύειν ἀντὶ πιτύας αὐτὸ, quod coaguli vice lac coagulet ac cogat. G. Waldſtroh, unſer Frauen Bettſtroh.

GALREDA, ſeu GELATINA, ſuccus eſt inſpiſſatus, viſcoſus, lucidus, fitque plerumque ex coctis partibus animalium cartilaginoſis, v. g. ex pedibus vituli. G. Gallerte.

GANGLION, G. ein Uberbein, in pathologia eſt tumor in partibus tendinoſis & neruoſis, a caſu, ictu, vel alias excitatus, renitens, in latera preſſus non diuertitur, nec in orbem circumagitur, oriundus ab extrauaſata lympha ex vaſculis ruptis, intra vaginam tendinis hærente. Vocatur etiam ab anatomicis corpuſculum oblongum, oliuare, durum, capſula veluti tectum, carnei vtcunque coloris, ſubſtantia neruoſa nodi inſtar, multis in locis corporis quibusdam nervis veluti circumnatum, vbi multi neruoſi ſurculi coëunt; formatur ex concurſu duorum vel plurium neruorum cum ſuis membranis.

GANGRÆNA, dicitur & *ignis Perſicus*, eſt alicuius partis cadaueroſa corruptela, cum fœtoris, nigredinis & mortificationis initio coniuncta, inflammationem conſequens. G. Der heiſſe Brand.

GARGAREON, vide *Cion*.

GARGARISMA, eſt medicamentum liquidum, fauces & adiacentes partes, gargarizando, ſine deglutitione colluens. Eſtque *vel* decoctum in quo ſyrupi conuenientes ſoluuntur; *vel* aquæ deſtillatæ quibus ſyrupi admixti, qandoque & ſpiritus minerales adduntur. Dicitur & *Gargariſmus*, *Collutio oris*, διάκλυσμα, a γαργαρίζω, os colluo. G. Gurgelwaſſer.

GARVM, dicitur liquamen ex piſcibus ſale conditis, aut maceratis paratum, ita vocatum a garo piſce.

GARYOPHYLLATA, vide *Caryophyllata*.

GAS, *Helmontii* loquendi terminus eſt, & denotat ſpiritum non-coagulabilem: vel ſpiritus eſt vitæ noſtræ lumen & balſamus præſeruans a corruptione. *Gas pingue ſulphureum*, quod enecat homines præſertim in cryptis ſubterraneis: *gas ſilueſtre*; *gas ventoſum*, quod aër. *Gas ſiccum*, eſt ſublimatum: *gas cereuiſiæ*, eſt exhalans ſpiritus è doliis vel lacubus, quando fermentatur. *Gas ſalium* eſt aqua, item vuæ. Deriuatur forte a Belgico idiomate. G. Geſt, Geeſt.

GASTER, Gr. *γαςὴρ*, *venter*. Interdum totum abdomen denotat; non raro pro ventriculo tantum ſumitur. Nonnunquam etiam pro vtero habetur.

GASTRICVS SVCCVS, eſt pellucidus, tenuis, ſpumoſus, leniter ſalſus ſuccus, qui continuo ex acinis ventriculi glandulosis in eius cauitatem, pro cibo ſoluendo, miſcendo, & diluendo, ſtillat. G. Magenſafft.

GASTROCNEMIVM, eſt ſura, ſiue pars tibiæ poſterior, vnde eius muſculi a tumore ventriculoſo, *gaſtrocnemii* dicti ſunt. Sic tibia dicitur *anticnemium*, a *γαςὴρ* venter, & *κνήμη* tibia. G. Die Waden.

GASTROCNEMII MVSCVLI, ſic vocantur duo, orti a poſteriori condylo externo oſſis femoris, ventrem carnoſum magnum conſtituentes, tendinem confundunt cum aliis, qui Achillis dicitur, & inſeritur calcaneo. G. Die Wadenmuſculn.

GASTROEPIPLOICA, eſt vena & arteria, quæ ad ventriculum & omentum porriguntur, ex *γαςὴρ* venter & *ἐπίπλοον* omentum. G. Die Netz= und Magengefäſſe.

GASTRORRHAPHIA, eſt ſutura in vulneribus abdominis adhibenda; ex *γαςὴρ* venter, & *τέμνω* ſeco.

GELASINI, idem quod *dentes inciſores*.

GELATINA, vox *officinarum*, non item *Latii*; penult. prod. vt medicina, lapicædina, doctrina, fodina, & cætera ſubſtantiva a verbis oriunda.

GEMMÆ, dicuntur lapides pretioſi & haud inepte vocari poſſent lapides pellucidi; harum indoles vitro proxima omni fere dote; ſed illud exſuperant duritie, ſoliditate, ſimplicitate, difficillima fuſilitate ad ignem; videnturque ſale & terra, perfectiſſimis, tenuiſſimis, intime commiſſis, conflari; vt cinis ſalſus igne fuſus vitrum dat. Gemma vero perſpicua, absque admiſtu vllius coloris, quam proxime vitrum imitatur.

GEM-

GEMMÆ SAL, ſalis communis ſpecies eſt, in ſpecie cryſtallorum ſplendens eruitur, vnde gemmeum nuncupatur, dicitur alias *ſal foſſile*. In variis Europæ locis reperitur. G. Steinſaltz.

GEMMA, in vite idem eſt quod *oculus*, quia veluti ocellus quidam conſpicuus, aut gemma quædam excellens conſpici poſſit, cum primum e vite prodit, aut ſarmento. Hæc incunte vere ſeſe oſtendit, & ab ea primum flos, deinde fructus prodit, tam in ipſis vitibus, quam arboribus: ſurculi eſt compendium, in quo futuri ſenii partes latitant, iisdem, quibus rami componuntur, integratur partibus, originem ſuam debet nodo, qui tractu temporis in gemmam tranſit. G. eine Knoſpe.

GEMVRSA, eſt morbi ſpecies inter pedis digitos, quæ ita antiquis dicebatur: videatur Plinius.

GENA, MALA, Gr. μῆλον, παρειά: eſt facici pars a naſo ad aures. Item, mentum & maxilla, quæ ſuperior vel inferior. G. Die Wangen.

GENERATIO, eſt actio corporea, qua vir iunctus mulieri, illi communicat aliquid corporei, ex quo poſtea naſcitur, & prodit corpus humanum. Illud autem quod vir communicat eſt ſemen, quod ſit fœcundum, ſi a fæmina prolifera acceptum, eius ope aptum eſt transire in corpus humanum. Illud igitur ſemen a viro eiectum in vterum mulieris, ingreſſum tubas fallopianas, ouulo ex materno ouario abrupto communicatum, cauſa eſt cur naſcatur poſtea fœtus. G. Erzeugung.

GENICVLI, ſiue GENICVLA, ſunt nodi, qui, in herbis, aut leguminibus, aut etiam ſuffruticibus apparent. Sic geniculatæ radices nominantur, quæ nodis quibusdam interſtinctæ protuberant, rotundæ & leuiter capitulatæ, Gr. γόνυ. G. ein Knötgen, ein Abſatz.

GENIOGLOSSVM, ſiue MESOGLOSSVM, eſt par muſculorum ab interna parte menti carnoſo principio ortum, dilatatum progrediens radici linguæ inſeritur, & linguam verſus anteriora trahit, a γένειον mentum, & γλῶσσα lingua.

GENIOHYOIDES, ſunt muſculi a menti interna & humiliore ſede ſub genioglosſis orti, ad baſin oſſis hyoidis extenſi terminantur: ex γένειον, mentum & Υοειδὴς quod formam habet Græcæ litteræ υ.

GENISTA, eſt frutex, qui creſcit ad altitudinem ſex vel ſeptem pedum, cuius rami iuncum referunt, rotundi virides: folia ſunt oblonga, acuta, alterno, aut verticillato ordine diſpoſita: flores papilionacei, leguminoſi, flaui, viſui grati, ſaporis dulcis:

his ſuccedunt ſiliquæ planæ in duas partes dehiſcentes, fœtæ ſeminibus reniformibus, compreſſis, rubicundis, ſplendentibus, ſaporis ex dulci amaricantis nauſeoſi & ingrati: dum annoſa ſunt farinacei: variæ dantur geniſtæ ſpecies; dicitur etiam ſpartium, Græce σπαρτὸν a σπείρω ſemino, quia ſponte ſeminatur. G. Genſter, Pfriemenkraut.

GENISTELLA, eſt quaſi minor geniſta, ideoque eius diminutiuum.

GENIVM, tamquam ſynonymum vocabuli *mentum* vſurpari video. Hoc ſenſu nemo Latinus vocabulum hoc adhibet: ergo pure Græcum eſt γένειον. Ideoque debet produci penultima. Sed mallem omnino ab hac voce ſic adhibenda abſtinere. Vide Caſtelli Lexicon medicum voce *gena*. Henr. Stephanum in theſaur. Gr. voce γένυς & γένειον.

GENSING, eſt herbæ Sinicæ *Genſing* dictæ radix digitum longa, tenuior minimo digito, forma rapæ ſiccatæ, bifida, in extremitatibus filamentoſa, flaueſcens, ſaporis ſubdulcis ex amaro: eſt pretioſiſſima, & a Sinenſibus pro panacea habetur; vocatur quoque *Niſin*, & *Ninſin*.

GENTIANA, ab inuentore Gentio Illyriorum ſeu Slauoniæ Rege, vt tradit *Dioſcorides l. 3. c. 3.* & *Plin. l. 25. c. 7.* Græcis γεντιανή, penult. prod. vt a Rhenus, Rhenanus, a Roma, Romanus, a Thebis, Thebanus, a primus, primanus, a pagus, paganus &c. Gentiana, eſt planta, quæ habet plures caules rectos, firmos, duos vel tres pedes altos: folia ellebori albi, vel plantaginis, neruoſa, polita, coloris ex viridi palleſcentis, quædam immediate ex radice erumpunt, alia ex nodis caulium, bina coniugata: flos eſt monopetalus, campaniformis, vel patens vel tubulatus, & multifidus; piſtillum fit fructus membranaceus ouato acuminatus, biualuis vnicapſularis, vbi inſunt ſemina marginata & rotunda, coloris rubicundi; radix eſt craſſa, longa, foris fuſca, intus ex flauo rufeſcens, ſaporis intenſe amari, odoris nullius, creſcit hæc planta præſertim in montibus. G. Entzian, Creutzwurtz.

GENTIANELLA, eſt minor quaſi gentiana, ideoque eius diminutiuum.

GENV, eſt articulatio femoris cum oſſe tibiæ & ſuræ, ſuperius tegitur oſſe *patella* vel *mola* aut *rotula* dicto. Gr. Γόνυ. G. Das Knie.

GERANIS, faſciæ genus, quod deſcribit GALENVS *de faſc. c. 86.*

GERANIVM, *Plinio l. 26. c. 11.* geranion, *Dioſcoridi l. 3. c. 13.*

c. 131. γεράνιον, penult. corr. ob vocalem ante vocalem. Γεράνειον autem ὕδνον apud *Athenæum*, & *Euſtathium* perperam legitur, pro κεραύνιον, quod iam ante vidit *Dalechampius*. Geranium eſt planta, quæ habet plures caules pedem vel ſeſquipedem altos, nodoſos, villoſos, rubicundos: folia quædam ex radice erumpunt, alia ex ramorum & caulium nodis; pediculis longis & rubicundis adhærentia, villoſa, diuiſa, vel inſtar matricariæ laciniata, ſaporis adſtringentis: flos roſaceus, purpureus, pentapetalus, horum petala in orbem diſponuntur, ex huius calice villoſo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum roſtratum quinque ſtriis per longitudinem inciſum, quibus totidem adhæreſcunt capſulæ, in longam caudam deſinentes, per maturitatem a baſi ad apicem extrorſum ſe reſoluentes, & ſemine fœtæ vt plurimum oblongo: radix exigua, coloris ſubflaui. Creſcit hæc planta in locis vmbroſis, petroſis, deſertis. Latinis roſtrum gruinum, a ſimilitudine ſeminis roſtriformis. Γέρανος enim grus eſt: in eius quippe vertice faſtigia conſurgunt exſtantia, capitulis gruum cum roſtellis ſimilia, in quibus ſemen concluditur. Dicitur huius plantæ aliqua ſpecies, quæ officinis ſeorſim commendata eſt, Robertiana. G. Storchſchnabel, Ruprechtskraut.

GEROCOMIA, eſt pars Hygieinæ, quæ ſenum viuendi rationem præſcribit, ex γέρων ſenex, & κομέω curam gero.

GERSA, fere idem ac fœcula; denotat alicuius radicis, vt ſerpentariæ, Ari &c. pollinem qui in ſucco expreſſo ſubſedit.

GERSTATIO, dicitur illud tempus, quo fœtus in vtero materno moratur. G. Die Schwangerſchaft.

GIBBVS, eſt is, cui eminet dorſum. G. ein Hocker. Buckel.

GILLA, eſt ſal vitrioli emeticum. Quidam ſumunt pro vitriolo ſponte ſua in liquorem ſoluto, alii pro ſale armoniaco liqnato. Eſt nomen nihili, vt ſunt plura paracelſica.

GINGIVA, Gr. Οὖλον, & Ἔνελον, eſt caro dura variis lamellis ſibi impoſitis conflata, quæ omnes ſunt mera vaſculorum ſanguineorum reticula, quibus nonnullæ glandulæ interiacent. Dentes inſtar valli cingit, iisque plurima vaſa communicat; & in edentulis nonnihil etiam ad ciborum contritionem facit; qua vel exeſa, relaxata vel nimis exſiccata, dentes vacillant vel excidunt. G. Das Zahnfleiſch.

GINGLYMVS, ſeu CARDINIFORMIS, eſt coniunctio oſſium cum motu manifeſto, qua vnius oſſis caput, in

 ſinum

ſinum alterius reconditur, viciſſimque huius caput in illius cavitatem excipitur, a γιγγλυμῶμαι per ginglymum iungo. G. Zuſammenfügung.

GLADIOLVS, eſt planta iridi bulboſæ ſatis ſimilis; habetque folia longa, anguſta, acuta, dura, fortia, ſtriata, gladium figura referentia, caulem vndique ambientia, & quaſi in vagina includentia: caulis duos vel tres pedes altus eſt, rotundus, aliquantulum nodoſus, coloris ad purpureum accedentis; calix bifolius, binis foliolis vaginalibus ouarium & ei impoſitum tubum floris ſuſtinet: flos monopetalus, liliaceus, in exortu infundibuliformis, ſupra vero ampliatus, & in ſex magna ſegmenta fiſſus, quorum tria ſuperiora, maiora, latiora plus erecta, tria inferiora, longiora, anguſtiora, deorſum quaſi pendula, ita vt flos quaſi bilabiatus appareat, habens tria ſtamina enata ex pariete interno tubi floris, & inſidens apici ouarii: ouarium fit fructus oblongus, trilocularis, fœtus ſeminibus rubicundis, ſubrotundis, calyptra inuolutis, habetque tubam ortam ex centro apicis ouarii, & inſtructam tribus cimbis cauis pro apiculis ſuis: radix carnoſa, tuberoſa, gemina, altera alteri incumbens: hæc planta creſcit in pratis. Gr. ξίφιον a ξίφος gladius: eſt planta cuius folia gladium minorem referunt. G. Schwertel.

GLANDVLA, eſt corpuſculum paruum, conſtans duabus membranulis infinitas arterias, venas, neruos, lymphatica habentibus; hæ membranæ formant intus aliquod cauum, in quo terminantur quam plurima vaſcula, & ſuum ſuccum effundunt, miſcent; ex hoc cauo hic ſuccus per lymphatica fertur in alias glandulas, denique ciſternam chyli; vel per emiſſarium in commune cauum deponitur, diuiduntur omnes glandulæ in *conglobatas* & *conglomeratas*, quas vide ſuo loco. Eſt etiam morbi ſpecies, quæ glandula dicitur, vt ſunt ſtrumæ, ſcrophulæ, bronchocele &c. Gr. Ἀδὴν. G. Schlier, Drüſen.

GLANDVLA GVIDONIS, eſt tumor glandi ſimilis, mollis, ſolus, mobilis, ſine radicibus, & a circumiectis partibus, ſeparatus: maxime in emunctoriis & iuncturis prouenieus. *Auicennæ* glandula videtur eſſe *ganglion*.

GLANDVLA PINEALIS, vide *Conarium*.

GLANDVLA PITVITARIA, eſt corpuſculum in ſella equina oſſis ſphenoidis ſitum, reti mirabili inueſtitum; ſuperius infundibulo & forte ex reti mirabili humorem ſeroſum ſuſcipit, quem in venas iugulares, vel vaſa lymphatica amandat. G. Schleimdrüſen.

GLANDVLOSVM CORPVS, idem quod *proſtata*.

GLANS,

GLANS, idem quod *balanus & ſuppoſitorium.*

GLASTEA BILIS, vide *bilis.*

GLASTVM, Gr. Ἰσάτις, eſt nomen incertæ originis, forte a noſtro idiomate *Glas*, vel Anglorum *Glaſſe* denominari videtur. *Glaſtum* in veteri Gallorum lingua olim dicebatur, nunc *Guadum.* Huius maximus prouentus habetur in Vmbria circa Noceram, vbi oppidum eſt Guadum ita appellatum. G. Weydt, Paſtel.

GLAVCEDO, idem quod *glaucoma.*

GLAVCIVM, eſt planta, quæ habet folia ex radice erumpentia longa, ampla, carnoſa, craſſa, villoſa, verbaſci ſimilia, profunde inciſa, dentata; & quaſi criſpata, repentia, hyeme ſemper viridia, viridia, caulibus craſſis adhærentia. Caulis ſecundo tantum anno erumpit fortis, durus, nodoſus, non villoſus, in multos ramos diuiſus, ex nodis ſuis folia minora & minus inciſa, quam inferius, germinans: calix bifolius & caducus: flores roſacei, tetrapetali, coloris lutei; floris piſtillum abit in ſiliquam oblongam, exiguam & aſperam, bicapſularem, quæ habet valuas ſepto medio adhæreſcentes, fœtam ſeminibus vt plurimum ſubrotundis, & nigris; radix longa digitum craſſa, nigricans; tota planta habet ſuccum luteum, odoris ingrati, ſaporis amari: creſcit in locis maritimis: occurrunt & huius ſpecies fructu vnicapſulari quidem ſed quadrifariam dehiſcente: deriuant a γλαυκὸς, cæſius, vel glaucus; illud nomen variis imponitur plantis, an forte quia folia huius plantæ colorem viridem marinum habent? vocatur etiam papauer corniculatum, quia eſt ſpecies papaueris ſiliquas habens inſtar cornu.

GLAVCOMA, eſt oculi vitium, ſiue transmutatio cryſtallini humoris in glaucum; a γλαυκὸς cæſius. G. Meergrüner Stahr.

GLAVCOSIS, idem quod *glaucoma.*

GLAVX, eſt parua planta, quæ habet, caules tenues, humiles, repentes; folia ſunt herniariæ æmula, & oppoſita, minuta, & ſucculenta; flos exiguus, monopetalus, campaniformis, coſta adnaſcens ad formam alæ: huic deinde ſuccedit fructus ſeu capſula membranoſa, vt plurimum globoſa, apice dehiſcens, ac ſeminibus fœta exiguis, rubicundis, placentæ affixis; radix fibroſa: hæc planta creſcit circa loca maritima, eſt herba lactifera.

GLENE, idem quod *pupilla.* Item cauitas oſſis, quæ aliud os in ſinum ſuum recipit.

GLENOIDES, ſunt duæ cauitates, in inferiore parte vertebræ primæ colli, ex γλήνη pupilla, & εἶδος forma.

GLOBVLARIA, eſt planta, quæ habet caulem pedem circiter altum, rotundum, ſtriatum, rubicundum, folia ad bellidis formam ſatis proxime accedunt, ſed ſunt magis dura, neruoſa, ſaporis amari: flores floſculoſi, plurimis ſcilicet floſculis conſtantes vnilabiatis, multiſciſſis, & calice proprio comprehenſis; e quorom fundo ſurgit piſtillum, floſculi parti inferiori ad inſtar claui infixum, quod deinde abit in ſemen, in capſula, quæ floſculi calix fuit, reconditum: capſulæ autem illæ inſident placentæ, quæ meditullium occupat calicis communis: radix eſt lignoſa, dura, foris rubra, intus alba, fibroſa: eſt ſcabioſæ ſpecies floribus cæruleis, ſic vocata a florum glomerulis globisue. G. Kugelkraut.

GLOBVLVS NASI, eſt naſi inferior pars cartilaginea & mobilis. G. Das runde Spitzlein an der Naſe.

GLOBVLVS, ſeu NODVS, etiam ſignificat tumorem rotundum & mobilem, & parum dolentem in labiorum parte glanduloſa.

GLOSSOCOMVM, eſt inſtrumentum chirurgicum fractis membris accommodatum, a figura arculæ mercatorum dictum, quod olim a tergo gerebatur. G. eine Beinlade.

GLOSSOPETRA, eſt lapis vt plurimum triangularis, e baſi craſſiore & ſcabra in conum acutum & planum deſinens, reliquo toto corpore læuis, & quaſi corneus, ſæpe minutis quibusdam dentibus ad latera crenatus, coloris cæſii, albi, lutei, roſei, cærulei, in variis mineris Angliæ, Lunenburgiæ, Melitæ reperiundus, diuerſæ magnitudinis; creditur quod ſit lingua ſerpentum petrefacta; alii tempore diluuii multas animalium partes, ſic & has terra ſubmerſas, tempore petrefactas opinantur. G. Zungenſtein.

GLOTTIS, eſt laryngis rimula, quæ ab epiglottide tegitur, a γλῶσσα lingua.

GLVMA, eſt folliculus grani, quod in ſpica continetur, vel grani theca.

GLVTEN, Gr. Κόλλα, eſt humor *Auicennæ* ſecundarius dictus; & dicitur, cum roridus ille humor partibus vnitur & agglutinatur. Erant quatuor, *humor innominatus*, *ros*, *gluten*, & *cambium*, verum illa nomina nunc temporis euanuerunt. Liquor glutinoſus reperitur inter iuncturas, qui *ſynouia* dicitur. G. Leim.

GLVTÆI, ſunt muſculi ſex, quibus nates mouentur; in vtroque latere tres, locati in cauitate oſſis ilii, concurſu ſuarum fibrarum, quaſi vnum faciunt cum triplici cauda, quæ terminatur in & circa trochanterem maiorem, a γλετὸς nates. G. Die Arsmuſculn.

GLVTIA, ſunt prominentiæ duæ cerebri, nates dictæ, a γλετὸς nates.

GLVTOS, eſt natis, clunis. Item trochanter ſiue rotator oſſis femoris maior, forte quia natium muſculi ei inſeruntur. G. Der Ars.

GLYCYPICRVM, eſt DVLCAMARA, ex γλυκὺ dulce & πικρὸν amarum.

GLYCYRRHIZA, eſt planta, quæ plures caules dimittit tres vel quatuor pedes altos: folia ſunt oblonga, viſcoſa, viridia, ſplendentia, in alias diſpoſita inſtar fraxini, bina coniugata ad coſtam in folium impar deſinentem, ſaporis acerbi, ſubacidi: flores ſunt leguminoſi, purpurei: flori ſuccedit ſiliqua vnicapſularis, breuis, compreſſa, fœta ſeminibus reniformibus: radix oblonga, ſarmentoſa, in multos ramos repentes diuiſa, digiti craſſitie, externe coloris griſei aut rubicundi, interne flaui, ſaporis ſubacris mellei dulciſſimi, tenuis odoris mellei: hæc planta creſcit in regionibus calidis, præſertim in ſiluis, & in locis arenoſis, optima ex inſulis canarienſibus adfertur, quæ pugni craſſitem adæquat, eſt dulcis radix, ex γλυκὺ dulce & ῥίζα radix. Nomen tum apud Græcos, tum etiam Latinos a dulcedine, qua radix eius prædita eſt, inueniſſe notius eſt, quam dici debeat. *Scythica* etiam nominatur *radix*, quod in Scythia circa Mæotim paludem plurimum proueniat. Sunt etiam qui ἄδιψον vocitant, quod ſitim retenta, in ore arceat. Officinis *liquiritia* dicitur. G. Süßholtz.

GNAPHALIVM, eſt planta, quæ habet plures caules ad altitudinem circiter pedis ſatis craſſos, lanugine alba obductos, habentes folia multa, oblonga, verſus extrema obrotunda, diuulſa apparent flocculi lanuginoſi: flores in ſummitate caulium naſcuntur, ſuperius ſtellæ ad inſtar diuiſi, calice ſqammoſo & villoſo comprehenduntur, flori ſuccedunt parui fructus albi, ſemen recuruum continentes, & ſpeciem pilei acuti ſeminis caput obtegentis, habentes: radix lignoſa, oblonga, craſſa, nigra, aliquantulum fibroſa, odoris aromatici, ſtœchadis æmula, & ſaporis ſubſalſi. Dicitur & Κναφάλιον, a κνάπτω carmino. Vocatur etiam *centunculus*, quod centonibus cum tomento maxima ſit cognatio: hinc *centuncularis herba*

ba & *coronaria* a colore & mollitie. G. Ruhrkraut.

GNIDIA GRANA, ſunt thymelææ vel laureolæ baccæ rotundæ, piſi magnitudine, rubræ, ſub tenui pellicula includentes nucleum cannabis ſemini ſimilem, medulla candida plenum, ſaporis acerrimi & vrentiſſimi: eſtque purgans vehementiſſimum.

GOMPHIASIS, vel potius *agomphiaſis*, eſt morbus dentium, præſertim molarium, quando nempe vacillant: gomphoſi enim loculis oſſium vtriusque maxillæ inſeruntur, a γομφόω clauum impingo. G. Das Wackeln der Zähne.

GOMPHOMA, idem quod *Gomphoſis*.

GOMPHOS, eſt, quando oculi pupilla, pelliculas vueæ excedens, clauum refert. Item oſſium coniunctio clauorum inſtar, a γομφόω clauum impingo.

GOMPHOSIS, ſiue conclauatio eſt, quando os oſſi infigitur inſtar claui, vti dentes maxillæ, a γομφόω clauum impingo.

GONAGRA, eſt arthritis genua occupans, ex γόνυ genu & ἄγρα, captura. G. Kniezipperlein.

GONGRONA, Gr. Γογγρώνη, eſt omnis tumor neruoſis partibus aduenniens, cum duritie & rotunditate. Sic & in ſpecie *bronchocele* nominatur.

GONGYLE ſeu STRONGYLE, dicitur rapæ radix, ob formam rotundam. Στρογγύλος enim, ſeu γογγύλος eſt rotundus.

GONORRHOEA, eſt fluor inuoluntarius liquidi purulenti & ſordidi ex membri virilis vrethra, cum dolore & ardore vrinæ, penis tentigine, ortus ab impuro coitu: fluidum quod erat, ſæpe craſſeſcit, flaueſcit, virideſcit, & tum dicitur virulenta gonorrhœa, ex γονὴ genitura, & ῥέω fluo. G. Samenfluß.

GONORRHOEA CHORDATA, eſt, quando vna cum gonorrhœa, vrethra arcus inſtar tenditur, & ad inferiora cum dolore flectitur.

GOSSIPIVM, ſeu GOSSYPIVM, Gr. Ξύλον & Γοσσύπιον. G. Baumwollen, Bomeſin.

GRACILIS MVSCVLVS, ſeu *rectus inferior*, eſt tibiæ muſculus, oritur ex commiſſura oſſis pubis, in tibiam inſeritur, circa epiphyſin ſuperiorem. G. Der dünne Schienbein-Muſcul.

GRADVS, olim dicebatur de calore, frigore, ſiccitate & humiditate medicamentorum; conſtituebant enim quatuor gradus,

gradus, pro numero elementorum peripateticorum; illi gradus adhuc ſua extrema habebant, vt in initio, vel fine tertii aut quarti gradus. Chymici alios conſtituunt gradus, nempe circa calorem & regimen ignis inter deſtillandum, dirigendum &c. Gr. Τάξις. G. ein Grad.

GRAMEN, Gr. πόα & ἄγρωϛις. G. Gras.

GRAMEN CANINVM, pertinet ad plantas flore apetalo, cuius piſtillum abit in ſemen ſubrotundum, vel oblongum parum, admodum farinaceum, calice obuolutum: radix tenuis admodum, longa, geniculata, alba, ſaporis ſubdulcis cum aliquali in receſſu acrimonia, odoris nullius. Caninum vocatur, quod a canibus quæſitum ſedulo, vbi ægrotant, inde vomant & curentur. G. Hundsgras, Quecken.

GRAMMA, idem quod *ſcrupulus*.

GRANA PARADISI, vide *cardamomum*.

GRANATVM, veteribus *malum punicum*, dictum videtur, ex eo, quia plurima intus grana continet. G. Granatapffel.

GRANATVS GEMMA, & GRANATVM MALVM *Officinis*, penult. producit. Et quidem granato malo, vt iam dictum, nomen eſt a granorum rubentium, & ſucculentorum, quæ gremio complectitur, multitudine; granato gemmæ, a colore & magnitudine granis Punici huius mali plerumque ſimillima. Vox *Plinii l. 13. c. 19. Sed circa Carthaginem Punicum malum ſibi vindicat: aliqui granatum appellant. Columell. l. 12. c. 41. Integra*, inquit, *mala dulcia granata, quæ Punica vocantur.* Ut appareat, natales eius non prodiiſſe a Regione Hiſpaniæ Granata, ſed potius Granatam, vel a malis granatis, vel granis tinctorum, copioſe iſtic locorum naſcentibus nomen meruiſſe. Penult. producit, quaſi eſſet a grano, granaui, granatus, vt ab amo, amatus. Hinc de granario, & Granata Hiſpaniæ ita Poëtæ:

Cum tua plus laudes cumeris granaria noſtris. Horat. 1. *Serm. ſat.* 1.

Vellera te cocco diues Granata rubenti. Mant. 3. *Alf.*

Granatus, eſt gemma pellucida, ex flauedine rubens, ignis inſtar, miniique natiui vel factitii colorem fere referens. Sunt diuerſa genera gemmarum quæ colorem ignis æmulantur, adeoque ſub carbunculis (nomine a carbonibus ſumpto) comprehenduntur, vti *granatus, hyacinthus, rubinus* &c. hinc ſunt qui granatum faciunt rubinum obſcuriore colore, expoſitus enim luci aut ſoli, carbonis imaginem oſtendit dilucidius, quam

quam ipſemet rubinus. Sunt granati alii (vel aliæ) orientales, alii occidentales. Orientales, vt meliores ita & pretioſiores, proinde prouinciam officinalem ſolis occidentalibus linquunt. Hi ſunt Hiſpani, Bohemici, Sileſiaci, e quibus Bohemici reliquos antecellunt. G. Granat.

GRANDINOSVM OS, idem quod *cuboides*.

GRANDO, vide *Chalaza*.

GRANVLATIO, eſt metallum ad ignem fuſum, ſeu, liquatum, in frigidam per ſcopas, vel aliud vas perforatum, pedetentim effundere, in qua tunc fit granorum adinſtar, videlicet eum in finem, vt ad ſoluendum ſit aptius; eſtque nihil aliud, quam metalli alicuius fuſi in grana reductio.

GRANVM, Gr. Σιτάριον, minimum pondus eſt quo vtimur. Eius loco ſumuntur aliquando grana piperis albi, viginti ſcrupulum conſtituunt. In natiuis ſemina ſonat minutiora, ſiue rotunda ea ſint, ſiue alius alicuius figuræ, vti hordei, tritici, piperis &c. G. ein Gran.

GRAPHOIDES, eſt proceſſus ſtyliformis, circa cranii baſin ad poſteriora vergens, ex γραφίς ſtylus, & εἶδος forma. *Graphoides* etiam dicitur ille muſculus *digaſtricus* dictus: Vide ſuo loco.

GRATIA DEI, emplaſtri quædam ſpecies eſt, ex cera, reſina, ſeuo, terebinthina, maſtiche, olibano & aliquando ærugine. Sic forte nominatur ob præſtantiſſimas vires. G. Grün Wachs.

GRATIOLA & GRATIA DEI, planta veteribus forſan incognita; *Officinæ* gratiolam vocauere, quaſi *paruam Dei Gratiam*, quod qui eius plantæ ſuccum ſumunt, propter ſingulares virtutes, ἄνω & κάτω purgandi, ſeſe quaſi morti exponunt. Penult. corripit, vt cætera diminutiua, laureola, areola, bracteola. Gratiola autem ſpecies eſt digitalis, vel planta, quæ habet plures caules vnum circiter pedem altos: folia ſunt oblonga, anguſta, inſtar fere hyſſopi, in margine ſtriata, ſibi inuicem oppoſita iuxta caulium longitudinem: flos eſt monopetalus, anomalus, tubulatus, vtrinque patens, & quaſi bilabiatus, ex cuius calice ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti, adinſtar claui infixum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam è rotundo acuminatam, bifariam dehiſcentem, in duo loculamenta diuiſam & ſeminibus fœtam vt plurimum exiguis. G. Wilder Aurin.

GRAVEDO, idem quod *coryza*.

GRILLVS, vide *gilla*.

GROSSI,

GROSSI, appellantur fici, qui non maturuerunt, priuatim tamen in bifera fico eas intelligunt, quæ per meſſes maturantur. Hos groſſulos Græci vocant ὀλύνθυς.

GROSSVLARIA, eſt frutex quinque vel ſex pedes altus, valde ramoſus, vndique ſpinas fortes & acutas habens: cortex eſt purpureus: lignum eſt pallidum: folia parua, obrotunda, aliquantum inciſa, viridia, villoſa, ſaporis acidiuſculi; flores roſacei, pulchri, parui, quinque petalis in orbem poſitis conſtantes, in inciſuris calicis monophylli & peluiformis naſcentibus: huius autem poſterior pars abit deinde in baccam vel fructum rotundum, carnoſum, hirſutum, ſtriatum, ante maturitatem viridem, ſuccum acidum & auſterum continentem, poſt maturitatem ſubflauum, ſaporis dulcis & vinoſi; ſeminibus fœtum exiguis: dicitur & *vua criſpa*, vna ſpina, nomen hoc habet ab intortis & veluti criſpis foliis, & acinis ſiue baccis, quas producit, & videtur diminutiuum a groſſus, ficus immatura, quia inter ſeſe ſimilitudinem quandam habent. G. Kreußbeer, Stachelbeer.

GROSSVS, ficus immatura, Gr. ὄλυνθος, putant deriuari à voce craſſus; mutata enim priori ſyllaba, mutatur in *groſſus*.

GRVMVS, eſt rei liquidæ in vnam maſſam concretæ, & coagulatæ fruſtum; vulgo dicitur de ſanguinis vel lactis concremento: *thrombus* quoque dicitur. Grumoſa dicitur radix, quæ multis conſtat tuberculis vel nodis ſibi inuicem adhæreſcentibus, quæ varias ſortiuntur formas & magnitudines, vt in chelidonio minori, ranunculo hortenſi, aliisque plantis obſeruare eſt.

GRVS, inſtrumentum chirurgicum eſt, ſiue forceps, a figura roſtri gruis ſic dicta. G. ein Kranichsſchnabel.

GRYPHVS, ſpecies eſt forcipis apud chirurgos. G. ein Greiſenſchnabel.

GVAIACVM, *Indis* Guaacan, & Guaiacan, quomodo autem iisdem pronuncietur, non admodum liquet. Quia tamen Latina terminatione donarunt *Officinæ*, Latinorum more, vt alia in acum, & aca deſinentia producemus. Ita ſarracum *Iuuenali* penult. producit. Imitantur pronuntiationem hanc Tornacum, Durlachum, Andernachum, vrbes. Neque aliter exprimitur cloaca *Iuuenali*, lingulaca *Plauto*, paſtinaca *Macro* & *Marcello* portulaca. Guaiacum, ſiue *liguum ſanctum*, arbor exotica, in America creſcens, procera, quæ ex india occidentali ad nos transportatur. Sunt & variæ ſpecies. Lignum

eſt

eſt ponderoſum, ſolidum, reſinoſum, nigricans, variegatum venulis; acris ſaporis: cortex eſt extus cinereus, intus pallidus. Lignum, cortex & reſina in vſu ſunt, præſertim in lue venerea: ſudorem enim prolicit. G. Frantzoſenholtz.

GVLA, idem quod *Pharynx*.

GVMMI GALLICVM, eſt oſſis quædam exeſio ſeu eroſio, in lue venerea aliisque morbis.

GVMMI, liquor eſt concretus, ex arboribus aut herbis deſtillans, in aqua ſolubilis, non inflammabilis; alioquin eſſet *reſina*. G. Gummi.

GVRGVLIO, idem quod *Cion*.

GVSTVS, eſt ſenſus quo ex motu nerui guſtatorii linguæ & palato inſerti, anima ſapores percipit. G. Der Geſchmack.

GVTTA GAMANDRA, idem quod *gutta gamba*, gummi eſt, quod ante annos quinquaginta primum cœpit ex China adferri, ſed etiam ex Siamo venit. Eſt ſuccus concretus ſiue gummi alicuius arboris excelſæ, ſed cuius proprie tamen ſit ignoramus. Purgat ἄνω καὶ κάτω. Græcis & Arabibus incognitum fuit. Color eſt inſtar mali fere aurantii, ex rubro flaueſcens, ſed ſi lingua madida contrectetur, flaueſcit. Sæpe in cannis ad nos vehitur. Sapor fere inſipidus, qui poſtea acrimoniam relinquit. Vocatur & *gutta gamandra*, *Gummi Gotta*, *Gummi Peruuianum* ſiue *de Peru*, *de Iemu*, *de Gamandra*.

GVTTALIS CARTILAGO, idem quod *arytænoides*.

GVTTA ROSACEA, eſt rubedo maculoſa, ſeu potius rubor cum tuberculis, quibus malæ, naſus & facies defædatur, ac ſi guttis roſcis conſperſa eſſet: ſumunt iſta tubercula interdum incrementum, vnde facies inæqualis & horrida euadit, & naſus valde augetur. G. Weinblattern, ein kupferichte Angeſicht.

GVTTA SERENA, idem quod *amauroſis*.

GVTTVR, idem quod *larynx*.

GVTTVRIS OS, idem quod *hyoides os*.

GVTTVRNIFORMIS CARTILAGO, idem quod *arytænoides*.

GYMNASTICA ſeu EVECTICA MEDICINA, eſt pars medicinæ, quæ tractat de conſeruanda ſanitate, ſiue ὑγιεινῆς, vbi agitur de exercitiis medicis, a γυμνάζω exerceo.

GYNÆCIA, Gr. Γυναικεῖα, in genere affectus mulierum denotat, ſed ſtrictius apud Hippocratem ſumitur pro mulierum menſtruis; item pro lochiis habentur puerperii tempore. Dicuntur

cuntur & Ἐμμήνια & καταμήνια, ſiue *menſtrua.* Vide *Menſtrua.*

GYNÆCOMYSTAX, eſt barbula piloſa in ſuperiore pudendi muliebris parte; ex hac quidem de temperamento vteri & teſticulorum iudicium ferunt, ex γυνὴ fœmina, & μύςαξ barba.

GYPSVM, eſt lapis albi coloris, qui tritus, coctusque, cum aqua miſtus ſtatim concreſcit in albam lapideam ſubſtantiam, hinc in hæmorragiis validis eſt ſummi vſus: effoditur in magna copia in Galliis, paratur tamen ex aliis lapidibus, vti ex *Alabaſtro, ſpato, glacie Mariæ &c.* G. Gips.

H.

HABENA, Gr. τελαμὼν, eſt vinculi chirurgici ſpecies, quo vulnerum labia contrahuntur & ſuturæ vices ſuſtinet. G. Zaumbinde.

HABITVS, idem quod *Hexis.*

HÆMALOPS, oculus eſt cruentus, ex caſu, aut alias excitatus, ex αἷμα ſanguis, & ὤψ, oculus. G. ein blutig Aug.

HÆMATITES, eſt lapidis quædam ſpecies obſcure rubeſcens. Fractus, inſtar ligni petrefacti fibras oblongas habet & in modum acuum acutas. Reperitur nonnunquam inter ferri fodinas, rubricamque æmulatur, ex Bohemia adfertur; aliquando ex oſtracite naſcitur, vti prope Hildeſium contingit, ad ferri indolem accedit; durus eſt & æqualis, absque ſordibus, aut venis intermediis, habetque cinnabari ſimilem colorem, ſed ſaturatiorem, ſi optimus fuerit. Loci natalis ratione, Hiſpanicus præſtat. Pro ſanguine ſiſtendo, intus aſſumptus, medicis in vſu eſt. G. Der Blutſtein.

HÆMATODES, eſt geranii ſpecies, cuius radices rubicundi ſunt coloris, ex αἷμα ſanguis & εἶδος forma. G. Blutwurtz.

HÆMATOSIS ſiue SANGVIFICATIO, eſt aſſumtorum maſticatorum, in ventriculo & inteſtinis concoctorum, per lactea, ductum thoracicum vaſis ſanguineis infuſorum in colorem rubrum, ſanguineamque naturam mutatio: quæ fit motu ſanguinis circulantis, & contractione ac compreſſione vaſorum, quæ maxima in corde & pulmone, vnde chyli partes in ſe inuicem compreſſæ, ita vt ſex in vnam abeant, colorem rubrum induunt; ab αἱματόω ſanguifico. G. Das Blutmachen.

HÆMODIA, vulgo dentium dolorificus torpor ſeu ſtupor, ea eſt in dentibus aut potius membranis, dentes inueſtientibus, imo multis modis in cauernulis dentium interius inter ſe implexis, ſeu neruorum per ſubſtantiam dentium diſperſorum ramulis, qui vellicantur, corrugantur & dolore afficiuntur. Stupor iſte ſæpe euenit, poſt acida ingeſta aut vomitu eiecta, ab αἱμωδιάω obſtupeſco, ex αἷμα ſanguis & ὀδὲς dens. Antiqui forte ſanguinem eſſe in cauſa affirmarunt. Quidam per *Hæmodiam* omnem dentium dolorem intelligunt. G. ſtumpſe Zähne.

HÆMOPHOBVS, eſt, qui ſanguinis miſſionem timet, ex αἷμα ſanguis, & φοβέω timeo.

HÆMOPTOICA, ſunt quæ ſanguinis ſpuitioni medentur, ab αἷμα ſanguis, & πτύω ſpuo.

HÆMOPTYSIS, eſt ſanguinis floridi per ſputa e pulmonibus reiectio, fit hæc ruptura vaſorum ſanguineorum pulmonalium, vel bronchialis arteriæ, vel quod glandulæ tracheæ per dilatata emiſſaria loco liquidi tenuioris ſanguinem transmittant, ex αἷμα ſanguis, & πτύω ſpuo. G. Das Blutſpeyen.

HÆMORRHAGIA, in genere ſignificat omnem ſanguinis effluxum, vti ex pudendo muliebri, dentibus, vulneribus, oculis &c. verum in ſpecie de narium ſtillicidio ſanguineo dicitur, ex αἷμα ſanguis, & ῥήγνυμι rumpo. G. Naſenbluten, Blutfluß.

HÆMORRHOIS, dicitur ſanguinis profluuium ex venis, quæ ſunt in ano; ſed non raro denotantur hoc vocabulo *hæmorrhoides cæcæ*, ſiue tumores aut varices in ano absque ſanguinis effluxu; nam ſi effundatur, *hæmorrhoides apertæ* dicuntur. *Internæ*, ſi in ano lateant, appellantur, & *externæ* ſi exterius conſpiciantur: ſæpe non ſanguinem, ſed & pus effundunt, ex αἷμα ſanguis, & ῥέω fluo. G. Feigwartzen. Item *hæmorrhoidis vena*, eſt ramus venæ portæ ad inteſtinum rectum & anum porrectus, vehens ſanguinem in hepatis portam. Ex hoc antiqui putabant fieri hæmorrhoides fluentes, & quia putauere eius apertionem eſſe ſalutarem, & ex liene eiici, vocauerunt. G. die Goldader, Rückader.

HÆMOSTATICVM, eſt illud quod ſanguinem ſiſtit, ex αἷμα ſanguis, & ἵςημι ſiſto. G. Blutſtillende Mittel.

HAGIOSPERMVM, dicitur ſemen ſantonici, idque ob vires eximias. Ex ἅγιον ſanctum & σπέρμα ſemen.

HALICACABVS, vel HALICACABVM; *Auicennæ* Kakengi, *Plinio l. 21. c. 31.* halicacabus; ἁλικάκαβον appellat *Dioſcorides*,

oſcorides, *l.* 4. *c.* 72. ab ἅλς, ἁλὸς, ἁλὶ, & κάκαβος, vel κάκκαβος, quia veſica, qua nucleum amplectitur, ollam aliquatenus repræſentat; penult. corr. vt ſimplex cacabus, *Athenæo* κάκκαβος & κακκάβη.

Alborum calicum, *atque cacaborum.* Phal. *Stat.* 4. *Sylv.* 9. Halicacabum ſunt fructus alkekengi.

HALIMVS, idem quod *Halymus.*

HALO, eſt area rubra vtrique pupillæ in mammis circumfuſa. *Halos* quoque dicitur. Gr. Ἅλων.

HALYMVS, potius ſcribendum, *halimus*, eſt portulaca marina, ſic dicta, quod in æſtuariis iuxta maritima loca creſcat; ideoque etiam ſalſi eſt ſaporis, & nomen ſortitur ab ἅλς ſal. Eſt & alia eiusdem nominis planta ſitim & famen extinguens, & tunc deriuatur ab α priv. & λιμὸς fames, ſcribendumque ſine *h.*

HAMMA, idem quod *Amma.*

HAMVS & HAMVLVS, Gr. ἄγκιστρον, eſt inſtrumentum chirurgicum pro fœtu demortuo aut mola extrahenda accommodatum. Interdum & faſciæ nomen eſt. G. Ein Angel, Haken.

HANDAL, HANDEL, vide *alhandal* & *colocynthis.*

HARMALA, eſt planta, quæ plures habet caules pedem altos, virides, nigricantes, ramoſos arbuſculam referentes: folia alterna oblonga, inciſa, craſſa, carnoſa, viridia, ſaporis viſcoſi & amari: flores in ſummitate ramorum creſcentes, roſacei; poſt florem ſequitur fructus ſubrotundus, tricapſularis, ſemina inæqualia, anguloſa, coloris obſcuri: radix longa, digiti minimi craſſitie, coloris ſubflaui pallidi: tota planta habet odorem penetrantem & ingratum: eſt nomen veniens ab arabica voce *harmel*: ſed vulgo appellatur ruta ſylueſtris. G. Wilde Raute.

HARVNDO, idem quod *arundo.*

HARMONIA, eſt in genere conuenientia ſiue membrorum ſiue qualitatum, ſiue alicuius medicaminis mixturæ; ſed in ſpecie eſt oſſium per ſimplicem lineam coniunctio, vt in oſſibus naſi, & palati conſpici licet, vbi exterius modo linea apparet, quamuis in ipſa coniunctione multæ ſint inæqualitates, ab ἄρω congruo, adapto. G. Zuſammenſtimmung.

HAVSTVS, ſiue POTIO, eſt liquida medicamenti interni forma, in vnicam doſin, ex variis ingredientibus cum idoneo liquore, decoctione, infuſione, aut diſſolutione, ad purgandum, alterandum, vel ſudandum &c. compoſita. G. ein Tranck, Tränckłein.

HEBENVM, idem quod *ebenum.*

HECATONTAPHYLLVM, ſic vocatur roſa foliis pleniſſima, quaſi diceres *centumfolia*; ex ἑκατὸν centum, & φύλλον folium.

HECTICA, eſt febris continua, lenta, vt vix obſeruetur ab ægris, quæque ſingulis diebus exacerbatur; ſed non niſi aliquot a paſtu horis, ex ipſo corporis, vt dicitur, habitu orta, & longo tempore introducta, quæ adeo radices egit, vt vel ægerrime expelli poſſit, cui plerumque adeſt vlcus pulmonum, macies & tuſſis, ab ἕξις habitus, quia in habitu corporis adeo fixa eſt, vt omnes partes tententur & emacientur. G. Auszehrendes Fieber.

HEDERA, penult. corr.

Paſtores hedera creſcentem ornate Poëtam. Virg. Ecl. 7.

Hedera, eſt arbuſcula, quæ habet cirros paraſiticos radicantes in quocunque ſuſtentaculo: cortex eius eſt rugoſus, cinereus; lignum eius durum, album: folia ſunt magna, ampla, anguloſa, rigida, polita, ſemper virentia, ſplendentia ſaporis adſtringentis & acris: flos roſaceus, plerumque hexapetalus; ouarium in fundo floris fit bacca globoſa, fœta ſeminibus ab vna parte gibbis, ab altera planis. G. Κισσός & Ἕλιξ. Vocatur etiam *Dionyſia*, hoc eſt, *Bacchica*, nominata a Baccho, qui primus ex Indis in Græciam hederam aſportauit: vel quod in tutela eius fuerit: nam vt ille iuuenis ſemper, ita hæc viret. G. Epheu.

HEDERA TERRESTRIS, eſt ſpecies calaminthæ, quæ habet caules paruos, ſemipedem circiter altos, humiles, repentes, tenues, quadratos, nodoſos, interdum rubicundos: folia rotunda, dentata in margine, villoſa, parum aſpera, pedunculis longis adhærentia, per interualla ſibi inuicem oppoſita: flores ex foliorum alis naſcuntur, ſuperius labiati, coloris cærulei: flori ſuccedunt quatuor ſemina oblonga ſibi inuicem coniuncta, & in capſula, quæ flori tanquam calyx inſeruiit, incluſa: radix tenuis, alba, tota planta habet odorem ſatis penetrantem, & ſaporem amarum; creſcit in locis vmbroſis. Gr. *Chamæciſſus* & γῆς στέφανος. ſic dicta quod nunquam non repat humi, foliis hederæ ſimilibus. *Corona terræ*, quod ramulos ſuos per terram ſpargens, folioſo veluti ſerto eandem coronare videatur. G. Gundermann, Gundelreben.

HEDRA, vide *eccope.*

HEDYCHROVM, penult. corr. quia *Galeno l. 1. de Antidot.* placet Ἡδύχροα σκευασία.

Μάγμα-

Μάγματος ἡδύχροα τόσσον ἐφελκομένον Pentam. *Andromachus* apud *Galenum de Theriaca ad Piſonem.*

Hedychroum, eſt medicamentum iucundi coloris, ab ἡδὺ iucundum & χρόα color.

HEDYOSMOS, vide *mentha*, ex ἡδὺ ſuaue & ὀδμὴ odor.

HEDYSARVM, eſt planta quæ habet caules tres pedes altos, ſatis craſſos, repentes; folia ſatis referunt glycyrrhizæ ſed breuiora, magis ampla, ſine lanugine, niſi in margine, coniugata, in extremum impar deſinentia, terna vel plura: flores in ſpicam vel capitulum congeſti, ex alis foliorum erumpentes, leguminoſi, coloris rubicundi: flori ſuccedit ſiliqua aſpera, vndulata, compoſita ex multis quaſi ſiliculis ſibi mutuo vt plurimum adnatis, continens ſemina in ſingulis articulis, vt plurimum reniformia: hæc planta creſcit in montibus, habetque odorem ſatis gratum ob ſuaueolentiam ita dicta, odorem enim emittit fœnugræco, lupino ac meliloto non diſſimilem, ex ἡδὺ ſuaue, & ἀρύω haurio: ſed alii ab aron deducunt.

HEDYSMA, eſt illud, quod ſuauem gratumque medicamentis odorem conciliat, ab ἡδὺς ſuauis, iucundus. G. ein lieblicher Geruch.

HEGEMONICÆ, ſunt actiones principales in corpore humano, vt ſunt actiones animales & vitales, ab ἡγεμὼν, dux, princeps.

HELCOMA, idem quod *exulceratio*, dicitur & *helcyſma* & *helcoſis.*

HELCOS, idem quod *vlcus.*

HELCYDRIA, ſunt vlcuſcula quædam parua, denſa & rubra in capitis cute apparentia papillis mamillarum ſimilia, a quibus ichor defluit, ab ἑλκόω vlcero.

HELCYSTER, eſt vncus ferreus, qui inſeruit educendo fœtum mortuum ex vtero.

HELCTICA, ab ἕλκω traho, vide *Attrahentia.*

HELEAGNVS, putatur eſſe myrtus Brabantica, *Gagel* dicta, an ab ἕλος palus, & ἁγνὸς caſtus? naſcitur enim in locis paludoſis. Videtur potius ſcribendum *elæagnus*, ab ἐλαῖα, olea & ἁγνὸς, vitex, quia vtrique plantæ aliquid ſimile habet.

HELENIVM, *Plinio l.* 21. *c.* 10. *e lacrymis Helenæ dicitur natum. Dioſcoridi* Ἑλένιον *l.* 1. *c.* 27. 28. penult. corripit vt *chelidonium, &c.*

Hellenium, lupulus, bugloſſa, filix, adianthum. Honter. l. 4. vbi l duplicauit neceſſitate metri.

Helenium, eſt planta, quæ habet folia, ex radice erumpentia magna,

gna, longiora & ampliora verbaſci repentia, acuta, mollia, ſtriata in margine, ſuperius coloris viridis palleſcentis, inferius albeſcentia, pedunculis breuibus adhærentia: ex his producuntur vnus vel plures caules quatuor vel quinque pedes alti, recti, rubicundi, lanuginoſi, intus caui, ramos quosdam dimittentes folia ſine pedunculis habentes: flores in ſummitate caulium & ramorum naſcuntur, ampli, orbiculares, radiati, flaui, parum odoriferi: embryonibus in ſemina pappoſa abeuntibus & thalamo affixis inſidentes, & calice ſquammoſo comprehenſi: radix oblonga, craſſa, foris fuſca, intus pallida, pinguis, ſaporis aceris amaricantis, odoris fragrantis, hanc patrem ſtomachi vocarunt, quia ſtomachi morbos optime curat in debili ventriculo. Dicitur etiam, *Enula Campana* & *Inula*. Huius plantæ radix in vſu eſt, eſtque celebre ſtomachicum ob blandam amaritiem. G. Alantwurtz.

HELIANTHEMVM, vel HELIANTHOS, eſt planta, quæ habet caules exiguos, tenues, rotundos, villoſos, repentes: folia oblonga, anguſta, pedunculis breuibus adhærentia; iuxta caules ſibi inuicem oppoſita, villoſa, parum latiora hyſſopi, in fine obtuſa, inferius viridia, ſaporis glutinoſi: flos roſaceus, ex cuius calice triphyllo ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſatis magnum, fere rotundum, qui per maturitatem in tres partes dehiſcit, funditque ſemina ſubrotunda, tenuia, capillamentis ſeu placentæ affixis: radix lignoſa alba. Hæc planta creſcit in ſiluis & montibus; vocatur etiam chamæciſtus. Idem nomen imponitur diuerſis floribus ſolis curſum aſpicientibus, ex ἥλιος ſol, & ἄνθος flos.

HELIOCHRYSVM, eſt nomen, quo varii flores lutei vocantur, ex ἥλιος ſol, & χρυσός aurum, quia flores non tantum aurei, ſed & ſplendentes eſſe debent.

HELIOSCOPIOS TITHYMALVS, eſt tithymalus ſolſequius, ſic dictus, quod eius corona ſemper ſolem aſpiciat, ex ἥλιος ſol, & σκέπτομαι aſpicio. G. Wolffsmilch.

HELIOSIS, eſt inſolatio ſiue apricatio, ab ἥλιος ſol.

HELIOTROPIVM, duæ dantur huius plantæ ſpecies; ex quibus officinæ expetunt heliotropium maius flore albo: eſt planta, quæ habet caulem pedem circiter altum, lanuginoſum, albeſcentem, medulloſum, ramoſum: folia ocimi, oblonga, ſubrotunda, neruoſa, albeſcentia, villoſa: flos monopetalus, infundibuliformis, ſtellæ in modum corrugatus, & in decem partes alternatim inæquales ad oram inciſus, ex calice ſurgit piſtillum, infimæ floris parti ad inſtar claui infixum, & quatuor

veluti

veluti ſtipatum embryonibus, qui deinde abeunt in totidem ſemina, hinc angulata, inde gibba, quæ coloris cinericei: radix lignoſa, fibroſa, hoc nomine appellantur omnes plantæ ſeſe ſoli obuertentes, ab ἥλιος ſol, & τρέπω verto. G. Sonnenwende, Krebskraut.

HELIX, eſt hedera vel conuoluulus, ſic dicitur, quia arboribus &c. circumuoluitur, ab ἑλέω circumuoluo.

HELIX, ſeu CAPREOLVS, eſt exterior auris crepido, ſeu eminentiarum extima, quæ limbus eſt ſpiralis, a concha exſurgens, intortus, ſenſim magis complanatus, anguſtatus, minus intortus, auriculæ ambitum, aliquando tantum eius partem, præcipue verſus ſuperiorem ſedem, contorti aggeris in modum circumambiens; ſic ob tortuoſum flexum nuncupata, interior *ſcapha* dicitur Ἕλιξ *Rufo*, Κοχλέα *Poll.* at *Scapha* ſeu Ἀνθέλιξ *Rufo*, Σκάφος *Polluci*; G. Der Ohrrand.

HELLEBORINE, planta eſt, quæ habet vnum vel plures caules ſesquipedem altos, rotundos, ſine ramis, puluiſculum farinaceum habentes: folia veratri albi affinia, ſed minora, ſine caulibus, neruoſa, ſaporis amari; flos eſt polypetalus, anomalus, ſex petalis diſſimilibus conſtans, quorum quinque in orbem poſita ſunt, inferius vero imbricatum: calix autem deinde abit in fructum ſeu vtriculum tribus feneſtris peruium, quibus adhæreſcunt valuæ ſeminibus fœtæ minutiſſimis, ad inſtar ſcobis: radix fibroſa: hæc planta creſcit in montibus. vide elleborne.

HELLEBORVS, vide *Elleborus*.

HELMINTHAGOGA, ſunt medicamenta vermes inteſtinales occidentia & expellentia, ab ἕλμινς vermis, & ἄγω duco. Idem quod *Helminthica*. G. Wurmtödtende Mittel.

HELODES, vide *Elodes*.

HELOS, ſiue CLAVVS, pedis eſt tuberculum rotundum, album, calloſum, clauorum caput referens, & pedis cuti prædiuræ radicibus infixum, ortum ab inæquali cutis preſſione; Gr. Ἧλος, clauus. G. Ein Hüneraugè.

HELOSIS, eſt inuerſio palpebræ reflexa, & in vtroque oculi muſculo conuulſiua, ab ἑλύω voluo, verto. G. Das Umkehren der Augenlieder.

HELXINE, eſt herba ſic dicta, quod prætereuntium veſtes attrahat; ſic dicitur *parietaria*, a ſemine aſpero, ab ἕλκω traho. Vocatur quoque *vrceolus*, & *muralis*, quia muris & parietibus accreſcit. *Perdicium* vero quod ea perdices præcipue veſcantur. Vide *parietaria*.

HELXINE CISSAMPELOS, ſiue CONVOLVVLVS, VOLVBILIS, & VINEALIS, dicitur *Ciſſampelos*, quod in vineis potiſſimum naſcatur & folio hederaceo. *Conuoluulus* vero, quod crebra reuolutione vicinos frutices & herbas implicet, ex κισσὸς hedera, & ἄμπελος vitis minor eſt planta, quæ habet folia multo minora, quam conuoluuli maioris, minus pinnata, magis tamen rugoſa cum floribus ex albo purpuraſcentibus, aut etiam albis, turgentia lacte. G. Schwartzwinde.

HEMERALOPS & HEMERALOPIA, eſt affectus oculorum, vbi æger de die magna luce bene videt, decreſcente lumine vix aliquid, oritur a neruo optico minus ſentiente, vel pupilla nimis arcta: ex ἡμέρα dies, & ὤψ oculus.

HEMEROCALLIS, eſt lilii ſpecies, ſic dicta, quod die ſereno bonum aſpectum præbeat; noctu vero in ſeſe quaſi collabitur contrahiturque, ex ἡμέρα dies, & καλὴ pulchra, vel κάλλος pulchritudo.

HEMICRANIA, eſt capitis dolor alterutram cranii partem obſidens, ex ἡμι ſemis, & κρανίον caluaria. G. Hauptwehe an einer Seiten des Haupts.

HEMIDRACHMON, ſiue SEMIDRACHMA eſt pondus dimidiæ drachmæ. G. Ein halb Quentlein.

HEMIECTON, quaſi ſemiſextam menſuram ſignificat dimidiati ſextarii quatuor chœnices capientem, eſtque pars duodecima medimni Attici. Videtur quoque ſellam ſignificare pro ſuffitu immittendo mulieri. Imo & ollam ſignificare poteſt, quatuor chœnices capientem, cui velut ſellæ inſidere debet mulier ad capiendum ſuffitum diductis cruribus.

HEMINA, Romana vox ex Græco quidem ἥμισυ, quod dimidia ſextarii pars ſit, deriuata, Gr. κοτύλη nominatur: capit vncias decem menſurales.

HEMIOBOLION, eſt duodecima pars drachmæ; drachma enim continet ſex obolos.

HEMIOLIVM, ſeu *ſeſquiuncia*, *Seſcuncia*, drachmarum duodecim pondus eſt.

HEMIONIVM, nomen huic plantæ impoſitum quod ſteriles reddat mulieres, vti ſunt muli, mulæque; vel nomen illud accepit, quod muli hac herba delectentur, ex ἡμὶ ſemis, & ὄνος aſinus.

HEMIONITIS, eſt aſplenii ſpecies, dicta videtur, quod ſterilis inſtar muli ſit, ἡμίονος mulus.

HE-

HEMIPLEGIA, eſt paralyſis vnius lateris infra caput, proueniens ab obſtructione in alterutra medullæ ſpinalis parte, vel a plaga exterius immiſſa; vnde nullus ſpirituum animalium fluxioni aditus pateſcit, ex ἡμὶ ſemis; & πλήσσω percutio. G. Der halbe Schlag auf einer Seiten.

HEMIPLEXIA, idem quod *hemiplegia.*

HEMITRITÆVS, ſiue FEBRIS SEMITERTIANA, eſt febris compoſita ex quotidiana & tertiana, altera intermittente altera continua; ex ἡμὶ ſemis, & τριταῖ@ tertius.

HEMIXESTON, idem quod *Hemina.*

HEPAR, IECVR, Gr. ἧπαρ eſt organum ſiue viſcus in imo ventre, ſub diaphragmatis latere dextro ſitum, eius craſſities & magnitudo in homine inſignis eſt; membrana cingitur tenui, a peritonæo orta; diuiditur in partem ſimam, & concauam, cui veſicula fellis, & ductus hepaticus adhæreſcit. Color eius rubicundus eſt. Hepatis ſubſtantia ex plurimis membranis & acinis ſiue glandulis conſtat. In eo ſanguis ex cunctis viſceribus abdominalibus affertur, qui in ſinu magno Venæ portarum quinqueſariam diuiſo, miſcetur, colligiturque, ex quo per totum hepar translato partes glilioſæ ab acinis glanduloſis ſegregantur, & per ductum hepaticum, & veſiculam felleam ad inteſtinum duodenum amandantur. In homine lobi nulli ſunt; aſt in brutis plures in partes diuiditur, quos lobos, pinnas, iecinoris fibras & ἔριχες vocant. G. Die Leber.

HEPAR VTERINVM, idem quod *placenta vteri.*

HEPATICA; medicamenta ſunt, quæ olim ſpecifice contra hepatis morbos applicantur. Sed quia ſpecifica talia vix dantur, illa vox apud medicos fere euanuit. G. Mittel gegen die Leberſucht.

HEPATICA, eo nomine & inſigniuntur variæ plantæ, quibus medici hepatis malis medentur. G. Leberkraut.

HEPATICA VENA, idem quod *baſilica*

HEPATICVS FLVXVS, male ita nominatus, quia hepar non eſt in cauſa, ſed vaſa ad inteſtina excurrentia, aperta & ſanguinem fundentia. Vide *fluxus hepaticus.* G. Leberfluß.

HEPATITIS, eſt inflammatio in hepate, ſedem ſuam habens vel in finibus venæ portarum, vel arteriæ hepaticæ; orta a quibuscunque cauſis ſanguinem incraſſantibus, & mouentibus, vel vaſa hæc comprimentibus; plerumque icterum ſecum comitem habens, vt & dolorem, & tumorem in hypochondrio dextro cum febre continua &c. G. Entzündung der Leber.

HEPTAPHYLLVM, ſeu ſeptifolium, eſt *tormentilla*, ſicque vocatur, quod fere ſemper ſeptem folia vbique caulem ambiunt, ab ἑπτά ſeptem, & φύλλον folium. G. Birckwurtzel, Tormentille.

HEPTAPLEVRON, eſt plantago maior, ſeptenis coſtis gaudens, ex ἑπτά ſeptem, & πλευρὸν coſta. Vide *Plantago*.

HERACLEA, illud nomen diuerſis inditur herbis; ab Hercule procul dubio accepit, ſed qua de cauſa neſcio.

HERACLEOTICVM, nempe *origanum*, dictum ab Heraclea Ponti.

HERBA, eſt planta frutice minor, cuius caulis ſingulis annis perit, nouo deinde renaſcente, vel a radice foliato, vel nudo, floribus & ſemine donato. In praxi tamen, pro foliis ſolis vt plurimum vſurpatur. Gr. βοτάνη, & Πόα. G. ein Kraut.

HERCVLEVS MORBVS, idem quod *epilepſia*.

HEREDITARII MORBI, dicuntur quos & parentes habuerunt, & cum genitura iam filios inuaſerunt. vt ſunt *podagra, phthiſis, nephritis, &c.* G. Erbkranckheit, angebohrne Gebrechlichkeit.

HERMAPHRODITVS, eſt homo vtriusque ſexus, id eſt, vir & fæmina ſimul. Verum muliebribus inſtrumentis duntaxat vtuntur, rariſſime viri ſunt; conformatio iſtæc & abuſus inde contingit, quod plus iuſto clitoris propendeat, ex Ἑρμῆς *Mercurius &* Ἀφροδίτη *Venus*. G. ein Zwitter.

HERMETICA MEDICINA, qualem iactant a Paracelſo deducti chymici, quam ab *Aegyptiis* & *Mercurio*, deducunt. Hæc morborum cauſas ad ſal, ſulpur & mercurium refert, & generoſiſſima remedia, non modo ex vegetabilibus & animalibus, verum etiam ex mineralibus præparat. G. Hermetiſche Artzney.

HERMETICE SIGILLARE, ſcribitur ſæpe duabus literis H. & S. eſt quando vitra ita ferruminantur, vt nihil poſſit exhalare, & fit ſiue vitri ipſius colliquatione, ſiue alterius indolis luto.

HERMODACTYLVS, penult. corr. vide *Dactylus*. Hermodactylus, ſub hoc nomine in officinis eſt radix bulboſa vel tuberoſa ex appoſitis tuberculis compoſita, eſt rotunda, auellanæ magnitudine, compreſſa, externe coloris rubicundi, interne valde albi, ſubſtantia leuis fungoſa, non fibroſa, valde fragilis, hinc facile in puluerem farinaceum reducitur, dum recens, eſt ſaporis acerrimi, dum annoſa ſubdulcis, farinacei, paululum viſcoſi,

ſcoſi, vel lenti, odoris nullius. Cuius ſit plantæ radix, non conueniunt. Dicunt eſſe colchici ſpeciem, quod vix credibile eſt, cum omnes eiusmodi bulbi ad interius vsque corculum tunicas habeant, quæ in hermodactylis non reperiuntur. Adfertur ad nos ex Syria; ſaporem habet inſipidum, & leniter purgat. G. Hermodattelн.

HERNIA, RAMEX, Gr. κήλη, proprie eſt inteſtinorum, omenti &c. in inguina, & ſcrotum prolapſus, ob peritonæi lamellam interiorem relaxatam, vtpote quæ ad proceſſus vaginalis ortum in abdomine ſimplex, qualis annulum pro vaſorum ſpermaticorum exitu tegit, facilius vi externæ cedit, vnde hanc lamellam inteſtina vi illata impellunt per annulum in tunicam vaginalem, ſicque ea hærent in proprio ſacculo, & tumorem, vbicunque hæſerint, excitant. Item quando vmbilicus protuberat. Improprie dicitur vteri prolapſus; *bronchocele*; varices vaſorum ſpermaticorum, item diſtenſiones a flatibus, humoribus aquoſis, vel tumoribus &c. G. ein Bruch.

HERNIA GVTTVRALIS, idem quod *bronchocele*.

HERNIA SCROTALIS, eſt, quando vsque in ſcrotum inteſtina deciderunt.

HERNIA VENERIS, idem quod *teſticuli venerei*, eſt quando teſtes, inflammatorio tumore ad veſiculas ſeminales orto, admodum dolent, & tument a materia ſeminali intus contenta nec effluere potente.

HERNIA VTERI, raro eſt, & maxima ex parte tunicæ internæ vaginæ relaxatio & prolapſus. Vide in *Procidentia vteri*. G. Mutterbruch.

HERNIARIA, *recentiorum* vox, dicta quod herniis curandis accommodata ſit; pen. corr. ob vocalem ante vocalem. Herniaria, eſt planta exigua, humilis, quæ habet plures caules vel ramos nodoſos, qui repunt & circulariter ſe vbique extendunt per terram, ſibi mutuo adhærentes & intermiſcentes: folia ſunt exigua, ſerpillum referentia, coloris viridis ſubflaueſcentis, ſaporis acris: flos apetalus, quinque ſtaminibus vel pluribus inſtructus, ex calice multifido, quadrifido plerumque vel quinquifido, ſtellatim expanſo, ſurgentibus: fructus in floris fundo ortus fit capſula rotunda membranacea, ſtriata, diuiſa in octo loculamenta, in ſingulis horum ſemen vnum paruum, acuminatum, ouatum; radix fibroſa, parua: hæc planta creſcit in locis arenoſis. Dicitur etiam polygonum minus; herniis eam mederi perhibent. G. Harnkraut, Bruchkraut.

HERPES, ſiue inflammatio ſerpiginoſa, *zona* Scribonio, *Serpens* Lucretio, Ἕρπης Dioſcordi, Ἑρπηδὼν Nicandro, ζωςὴρ Plinio, Ἑρπυστικὸν ἕλκος Polluci: quæ duplex eſt, *miliaris* ſeu *puſtularis*. Gr. Κεγχρίας. Celſo *ignis ſacer*, Auicennæ *formica corroſiua*: quæ cum prurigine, cutim ſolummodo occupat. G. Zittermahl, die böſe ſpitzige Räude, Haarwurm. Altera, *exedens*, ſiue Ἕρπης ἐσθιόμενος, quæ non tantum cutim, ſed & muſculos ſubiectos obſidet. Cauſa eſt, quando glandulæ cutaneæ nimis vbertim particulis ſalſis ſuffunduntur, quæ ab aliis viſcidis continentur, ne effluant, pruritum & vlcuſcula miliaria excitant, quæ aliquando ſi materia peccans abundauerit, cruſtam excitant & ſubiectas partes exedunt, ab ἕρπω ſerpo, quia continuo ſerpit. G. Der freſſende Wurm.

HESPERIS, eſt leucoii ſpecies, quæ habet caules duos circiter pedes altos, rotundos, villoſos, medulla repletos: folia alternatim iuxta caules diſpoſita, erucam referentia, ſed minus inciſa, in margine dentata, acuta, villoſa, coloris viridis nigricantis, ſaporis aliquantulum acris: flores quadrifidi, cruciformes, coloris aliquando albi, aliquando purpurei, vel varii, odoris ſuauis & grati; poſt florem ſequitur ſiliqua oblonga, tenuis cylindrica, anguloſa, teres, biualuis, cui plures inhærent foueolæ, in quibus reconduntur vtrimque ſemina plerumque rotunda, vel cylindrica rubicunda, acria: radix parua, alba, lignoſa: hæc planta creſcit in hortis. Sic dicitur, quod veſpertino tempore & noctu melius oleat quam interdiu, ab ἕσπερος veſper. G. Nachtviole.

HETEROCRANIA, idem quod HEMICRANIA.

HETEROGENEVM, ſeu ANOMOEOMERES, eſt quando improportionatum quid ſanguini & ſpiritibus, vt in febribus, vertigine, motibus conuulſiuis & apoplexia, accreſcit, ex ἕτερον alterum, & γένος ſexus, genus. G. Ungleich.

HETERORRHYTHMVS, eſt ætas alia, quam anni ferunt: ex gr. ſi iuuenis ſenilem, & ſenex iuuenilem ætatem degunt. Illa differentia etiam de pulſibus dicitur, cum in morbis diuerſus modulus pulſandi tenetur, ab ἕτερος alter, & ῥυθμὸς modulus.

HEXAGIVM, pendet quatuor ſcrupulos, Latinis *ſextula* eſt, alii drachmam vnam cum dimidia eſſe dicunt.

HEXIS, eſt habitus ſeu habitudo corporis, ab ἔχω habeo. G. Die Geſtalt und Beſchaffenheit des Leibes.

HIBISCVS, vide *Ibiſcus*.

HIDROA, SVDAMINA, PAPVLÆ SVDORALES, ſunt quædam tubercula lata & humida, pruriginoſa, granis

granis milii ſimilia, interdum ſine pruritu, quæ cutim ἑλκώδως exaſperant: fiunt hæc, quando ſudor ob cutis denſitatem erumpere impeditur, adeo vt materia ibi retenta, & tenuiori parte puris per vaſa lymphatica reuecta vel euaporata, cutis in tumorem eleuetur. Affectus hic familiaris eſt pueris & iuuenibus, præſertim temperamento calidioribus, qui æſtatis tempore nimis mouentur & exercentur, in collo, ſcapulis, pectore, brachiis & femoribus, frequentius tamen circa pudenda & anum accidens. Arab. *Albaſef.* Lat. *Sudamina.* Gr. Ἐκζέματα; ab ἱδρὼς ſudor. G. Schweißblätter, Hitzblätterlein.

HIDROCRITICA, ſunt iudicia, quæ a ſudore deſumuntur, ab ἱδρὼς ſudor, & κρίνω iudico.

HIDRONOSVS, eſt febris, in qua plurimus ſudor prodit; quæ ab *Anglis ſudor Anglicus* nominatur, ex ἱδρὼς ſudor, & νόσος morbus. Idem quod *Hidropyretos.* G. Schweiß-Fieber.

HIDROTICA ſeu SVDORIFERA, ſunt medicamenta, quæ ſanguinem humoresque omnes validius per totum corpus mouent, eos incidunt, & attenuant; ſimulque imminuunt reſiſtentiam in vaſis exhalantibus circa cutim, atque ita ipſa partim in ſudorem erumpunt & partim in halitum conuertunt liquida circulantia, & quæcumque obuia ſunt ſecum deferunt, & in ambitum corporis propellunt, vbi illa in ſenſibilem ſudoris liquorem collecta erumpunt, ab ἱδρὼς ſudor. G. Schweißtreibende Mittel.

HIERABOTANE, vide *periſteren.*

HIERACIVM, eſt planta, quæ habet plures caules ſesquipedem vel duos pedes altos, fortes, anguloſos, coloris viridis fuſci, cauos, in plures ramos diuiſos, & foliolis quibusdam inſtructos: folia inprimis ex radice erumpunt, repentia, longa inſtar taraxaci, in fine obtuſa, inciſa, viridia, ſuperne tenera, villoſa, inferne denſiore lanugine caneſcentia, maculis pulchris interdum notata, ſapore amaro & nitroſo: flores ſunt ſemifloſculoſi, plurimis ſcilicet ſemifloſculis conſtantes embryoni inſidentibus, & calice maiore, ampliore, & ſquammoſiore quam in lactuca comprehenſis, calix per maturitatem non in conum, vt in ſoncho creſcit, ſed explicatur. Embryo autem abit deinde in ſemen teneriuſculum pappis inſtructum, in capitulum collectum: radix longa, craſſa, carnoſa, ſimplex, alba, ſuccum lacteum amarum gerens; nomen accepit ab accipitre. Gr. ἱέραξ, quia creditur illam huius ſucco oculos reſtituere. *Sonchites* etiam appellatur, quod ſoncho non admodum diſſi-

milis ſit, maxime quod ad eius circumferentiam & extremam partem, in qua caules & flores ſunt, attinet. Propter lacteum ſuccum, *lactuca ſyluatica* vocatur, appellatur etiam *Accipitrina*. G. Habichtkraut.

HIERA PICRA, penult. corr. quaſi ἱερὰ σκευασία. *Scribonio Largo c. 23. hiera antidotos, ad ſanandam* ἱερὰν νόσον, ſeu morbum comitialem. Nec obſtat illud:

Quos Iouis eduxit luco ſylueſtris Hiera. Virg. Æneid. 9.

Hiera enim ibi mater Idæa, Ἱήρα eſt. Quid quod aliis eo loco placeat *Hyæna*, pro *Hiera*. Hiera picra eſt electuarium ex aloë, ligno aloës, radicibus ari, ſpica indica, croco, maſtiche & melle paratum, ex ἱερὰ ſancta, propter vires laudabiles & πικρὰ amara: ſubaudiri debet antidotus. G. Heiligbitter.

HIPPOCAMPVS, non tantum piſciculus marinus eſt, ſed & proceſſus ventriculorum cerebri ſuperiorum ſiue anteriorum, ex ἵππος equus, & κάμπτω inflecto, quia illud animalculum inflexum eſt.

HIPPOCRATICA FACIES, vide *facies Hippocratica*.

HIPPOCRATIS MANICA, vide *manica Hippocratis*.

HIPPOLAPATHVM, eſt lapathum magnum, ita ob magnitudinem appellatum videtur, ex ἵππος equus & lapathum. G. Mengelwurtz, vid. Rhabarbarum.

HIPPOPHAES, ſiue rhamnus catharticus oleæ folio; vox ἀπὸ τοῦ ἵππου, quod vis eius purgatrix tam valida ſit, vt ipſis equis aluum ſubducat.

HIPPOSELINVM, *Olus atrum* vocatur: ſic a magnitudine dictum, ab ἵππος equus, & *ſelinum*: ſiquidem Græci magnis & amplis rebus *Hippo* præponere ſolent, adeo vt *Hippoſelinum* Latinis nihil niſi grande apium ſit. *Olus* autem *Atrum* vel pullum a foliis, vel ſeminibus, quæ atro colore nitent, appellatum eſſe videtur. G. Groß Eppſich.

HIPPVRIS, vide *Equiſetum*.

HIPPVS, eſt oculorum affectus in quo oculi tremuli continuo agitantur & ſubinde nictitant, vt in equitatione fit, ab ἵππος equus. G. Bebende Augen.

HIRCI BARBA, Gr. Τραγοπώγων, planta nomen ſibi adſciuit, quod e calicis ſummo, floribus euaneſcentibus, papposa prodeat cæſaries, ſeu comoſa lanugo, cui cum hirci barba nonnulla ſimilitudo. G. Bocksbart.

HIR-

HIRCVLVS, eſt nardi ſpecies, ſicque dicitur, quod hircum redoleat.

HIRCVS, HIRCI vel HIRQVI, oculorum anguli, κανθοὶ, eorum qui ad naſum ſunt, ῥαντῆρες & πηγαὶ dicuntur, quod inde lachrymæ manant: At qui ad tempora, παρωπίαι. Vide *Canthus*. G. Die Augenwinckel. *Alæ* etiam ſub axillis *Hirci* appellantur. G. Das Achſelhaar. Item auris eminentia. Vide *Tragus*.

HIRQVVS, idem quod *Canthus*.

HIRVDO, ſiue SANGVIS VVGA, inſectum eſt paluſtre, apodum, oblongum, quod exugendo ſanguini cæcarum hæmorrhoidum nonnunquam applicatur. Gr. Βδέλλα. G. Ein Blutigel.

HIRVNDINARIA, eſt *Aſclepias* ſeu *Vincetoxicum*, ſic vocant a fructu, ſeu potius a ſiliquis quas producit, quæ dehiſcentes plumoſum oſtendunt ſemen, atque hirundinis figuram referunt. G. Schwalbenwurtzel.

HIRVNDO, piſcem & auem quidem denotat, ſed & apud quoſdam medicos eſt cauum illud in flexura brachii: ſunt & qui volunt pudendum muliebre ita vocari.

HISPANICVM OLVS, eſt ſpinachia, fortaſſe quod ex Hiſpania primum duxerit originem, & deinde ad cæteras tandem nationes translata ſit. G. Spinat.

HISPIDVLA, eſt planta officinalis, piloſellæ ſpecies. G. Katzenfuß.

HOLCE, Gr. ὁλκὴ, idem quod *drachma*.

HOLIPPÆ, ſunt placentulæ ex infuſione medicamenti farinaque triticea, addito inſuper ſaccharo, ſubactæ.

HOLOSTEVM, ſeu HOLOSTIVM, eſt herba ſic per antiphraſin dicta, quaſi minime oſſea, ſed potius tenera & mollis, ac omni prorſus duritie carens, ex ὅλον totum & ὀςέον os.

HOMOEOMERES, vide *ſimilares partes*, ex ὅμοιον ſimile, & μέρος pars.

HOMOGENEÆ PARTICVLÆ, ſunt, quæ puræ, integræ & impermixtæ, ſibique per omnia ſimiles ſunt: ex ὁμοῦ ſimul, & γένος genus. G. Gleiche, gleichförmige Theile.

HOMOPLATA, *Scapula*, *Spatula*, *Scoptula operta*. Celſo. G. Πλάται, Ὠμοπλάται, ſiue os, quod humeri latitudinem conſtituit, triangulare, latum, & tenue, præſertim in medio, ſed in proceſſibus craſſum, vtrimque vnum, incumbens ſuperioribus coſtis parte poſtica inſtar ſcuti, proceſſus ſunt tres Ac-

cro-

cromium, ſiue humeri mucro; *Coracoides*, ſiue *Anchoralis*, & ἀυχὴν ſiue *Ceruix*. Vſus ad coſtarum robur, ad humeri & clauicularum articulationem, & ad muſculorum implantationem, ab ὦμος humerus, & πλατὺς latus. G. Das Schulterblat.

HOMOTONOS, eſt morbus eundem gradum ſeruans, vel eſt febris continua, æquali dramate ſuos actus, ſcenasque peragens, ex ὁμοῦ ſimul, & τείνω tendo.

HOPLOCHRISMA, eſt armorum, vt gladii, cultri, pugionis, &c. deligatio, qua creditur vulnera conſolidari, quod tamen ridiculum, ex ὅπλα arma, & χρίω vngo. G. Waſſenſalbe.

HOPLOMOCHLION, eſt nomen inſtrumenti chirurgici vniuerſalis, toti corpori humano adaptandi & applicandi: ad oſtentationem excogitatum, potiusque pictum quam vſui deſtinatum.

HORA, eſt Hippocrati determinatum anni tempus, quod liquet ex Aph. 1. ſect. 3. αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτουσι νοσήματα, καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν: Id eſt, mutationes temporum pariunt morbos ipſis anni temporibus &c. vnde ὧρος annus, & ὡραῖος tempeſtiuus, certo tempore proueniens & durans. Seorſim tamen denotat optimum cuiusque rei tempus, vt æſtatem, iuuentutem.

HORÆA, & Ὀπώρα, ſunt fructus tempeſtiui, ſeu æſtiui, fugaces, molles, & pulpoſi, vt poma, pyra, pruna &c. ab ὥρα tempus. G. Allerley Obſt.

HORARII FRVCTVS, minus recte pro *horæi*.

HORDEATVM, eſt medicamentum liquidum internum, ex hordeo ad crepaturam cocto & tuſo, liquoribus conuenientibus affuſis & colatis, præparatum, quibus amygdalæ, ſem. papaueris albi, ſem. quatuor. frig. mai. &c. non raro accedunt. G. Gerſtenwaſſer.

HORDEOLVM ſeu CRITHE, vel HORDEVM, eſt tuberculum in ſummo palpebrarum, magnitudine hordei enaſcens, cuius altera ſpecies grando, tuberculum durum, mobile, pellucidum & rotundum, quæ vero tubercula maiora hic eueniunt, ad nodos, meliceride, ſteatomata & cancros referuntur. Omnes id habent, quod pondere ſuo, aliisque modis, motui palpebrarum remoram iniiciunt. Gr. κριθὴ, & ποσθία. G. Gerſtenkorn.

HORDEVM, ſeu ORDEVM, eſt frumenti ſpecies quæ habet caulem ſecali minorem: folia latiora, ſpica craſſior, calix,

lix, glumæ, ariſtæ, flos, vt in tritico & ſecali. Ariſtæ vero aſperæ: ſemen tumidius vtriusque apice acutiore, glumæ tam arcte adhærenti vnitum, vt non niſi triturando ſeparetur. Gr. Κριθή, forte ab antiquo adiectiuo, *hordus*, quod ſignificabat *grauidum*. G. Gerſten.

HORMINVM, *Dioſcoridi l. 3. c. 145.* ὅρμινον; penult. prod. tum quia ita *Nicander* Poeta vetus, tum quia dicitur quaſi ὁρμῆνον; namque δοκεῖ συνεσίαν παρορμᾶν *Dioſcoridi l. 3. c. 145.*

Κάρφεα δ' ὁρμίνοιο, καὶ ἐκ μαράθε βρυόεντ@. *Nic. Theriac.*

Eodem modo in *Alexipharmacis*:

Ἄλλοτε δ' ὁρμίνοιο νέλην χύσιν, ἄλλοτε κόψαις.

Horminum, male Orminum, eſt planta ſaluiam referens: caules pedem circiter alti, rubicundi, quadrati, lanuginoſi, ramoſi: folia ſaluiæ, ſed minus ſicca; nitidiora, valde lanuginoſa, ſibi inuicem oppoſita, non valde odora, ſaporis amari, in ſummitate ramorum ſunt multa folia coniuncta coloris violæ; flos monopetalus labiatus, cuius labium ſuperius paruum & galeatum falcatum eſt, inferius vero in tres partes diuiſum, media cochlearis inſtar excauata. Ex calice ſurgit piſtillum floris parti poſteriori inſtar claui infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui abeunt in totidem ſemina, in capſula, quæ floris calix fuit, recondita: radix fibroſa, lignoſa. Eſt ſclareæ ſpecies, & omnes huius ſpecies horminum vocauerunt, verum quibus galea falcata eſt, hæ ſclareæ dicuntur, horminum vero habet galeam breuiorem, & magis apertam, dicitur ἀπὸ τῶ ὁρμᾶν, quod cieat in venerem. Vide *Sclarea.*

HORRIFICA FEBRIS, vide *phricodes.*

HORROR, Gr. φρίκη & φρίκιον a φρίττω, eſt leuis conuulſionis ſpecies, in exterioribus corporis partibus contingens, minor quam *tremor*, dum quaſi corpus frigore inuadit, & ſubinde tantum obſeruatur, ſed tremor aliquo ſucceſſiuo tempore adeſt: ſymptoma in febrium initio plerumque; item cum aëre frigido afficimur; vel audimus rei horrendæ enarrationem. G. Zittern oder ſchauren.

HVMECTANTIA, ſunt medicamina, quæ particulas ſuas humidas corporis noſtri poris poſſunt inſinuare. Item ſunt omnia fluida. Gr. Ὑγραίνοντα vel Ὑγραντικά. G. Anfeuchtende Mittel

HVMERVS, illa pars corporis eſt, quæ apparet in ea articulatione, qua ſuperior humeri pars, quæ *epomis & ſuperhumerialis* dicitur, ad collum vergit, & a poſteriori parte oſſi ſcapulæ adhæret; ab inferiori autem ei oſſi, quod, dum totum brachium

brachium attollitur, manifeſtum fit & *ala* nuncupatur. Alias *humerus* quoque dicitur de parte prima brachii, quæ vnico oſſe conſtat, quæ aliis *brachium* per excellentiam appellatur, illius os appellatur *os humeri*, *os brachii* & *adiutorium*. Gr. ὦμος. G. Schulter.

HVMIDVM PRIMOGENIVM, eſt liquidum ex quo omnia in generatione fiunt, & recte dicitur ſuccus neruoſus, qui prius ante omnia in generatione conſpicitur. G. Die erſte Feuchtigkeit.

HVMILIS MVSCVLVS, eſt is, qui oculum deprimit, ſic dictus, quia oculum deorſum verſus malas trahit. G. Der niederdruckende Augenmüſcul.

HVMILVS, idem quod *Lupulus*.

HVMORES SANGVINEI, a veteribus in *ſanguine* conſtituuntur quatuor, nempe *bilioſus*, *pituitoſus*, *melancholicus* & *ſanguineus* proprie dictus, idque ſecundum quatuor elementa peripatetica; verum illa opinio, inuenta circulatione ſanguinis, prorſus labefactari cœpit: de quo videndi ſunt recentiores phyſiologi.

HVMORES OCVLARES, ſunt tres. 1. *Aqueus*, qui anterius intra corneam & vueam tunicam continetur. G. Die wäſſerige Feuchtigkeit. 2. *Cryſtallinus*, ſiue *glacialis* humor, is in tunica vuea in medio concluditur & cæteros ſolidiate ſuperat. G. Die cryſtalline Feuchtigkeit. 3. *Vitreus*, reliquis duobus copioſior, poſteriorem oculi cauitatem occupat. G. Die gläſerne Feuchtigkeit. Sed cryſtallinum æque ac vitreum hodierni phyſiologi humorum numero eiiciunt.

HVMOR IN SECVNDINIS, eſt ſuccus nutritius, qui ex vteri vaſculis vndique per chorion & amnion penetrat vsque in cauum amnii, eſtque fœtui alimentum per os degluttiendum. Dicitur etiam *aqua parturitionis*. G. Das Waſſer in der Nachtgeburt.

HYACINTHVS, duplex eſt, orientalis radice bulboſa, & Indicus radice tuberoſa: prior habet caulem ſemipedem circiter altum, rotundum, politum, erectum, nudum in ſpica floriferum caryophylli aromatici figura, folia longa, anguſta, viridia, ſplendentia, porri minora: flos eſt liliaceus monopetalus, nudus, tubulatus, in ſex ſegmenta, extrorſum flexa, diuiſus, caryophylli aromatici figura, arcte complectens ouarium, coloris plerumque cærulei, aliquando albi, aliquando purpurei vel carnoſi, odoris grati: flori ſuccedit fructus ſubrotundus, fere trigonus, diuiſus in tria loculamenta, ſemina ſubrotunda, vel

plana

plana & nigra continentia: radix bulboſa, alba, tota planta habet ſuccum viſcoſum, dicitur Hyacinthus tuberoſus. Illud nomen plurimis inditur floribus. Fabulæ dicunt nomen a puero Hyacintho accepiſſe: alii narrant ex ſanguine Aiacis prouenisse, qui ad Troiam occiſus eſt. G. Hyacinth.

HYACINTHVS, eſt gemma pellucida, ex flauedine rubens, ignisque flammas imitans. Sunt alii (vel aliæ) orientales, alii Europæi. Hi inueniuntur in confinibus Sileſiæ & Bohemiæ, ſuntque orientalibus ignobiliores; quoad colorem, referunt alii colorem minii natiui, alii ſanguinis admodum bilioſi, & hi ſunt præſtantiſſimi: alii rubedine croci admodum flaueſcunt; alii exacte oſtendunt ſuccini colorem, & hi viliores: alii albi, pellucidi, ſuccini colorem referunt, & hi omnium viliſſimi habentur. G. ein Hyacinth.

HYALOIDES, eſt humor oculi vitreus, inter tunicam retinam & cryſtallinum contentus, ex ὕαλος vitrum, & εἶδος forma. G. Die gläſerne Feuchtigkeit.

HYDATIDES, & HYDROÆ, ſiue AQVVLÆ, ſunt veſiculæ aquoſæ in *hepate*, liene, aut quodam alio viſcere, hydropicis familiares. Item circa palpebras pinguedinis incrementum, ab ὕδωρ aqua. G. Waſſerblaſen.

HYDATODES VINVM, eſt vinum aqua dilutum ex ὕδωρ aqua, εἶδος forma.

HYDATOIDES, eſt humor oculi aqueus, qui intra tunicam corneam & vueam comprehenditur, ab ὕδωρ aqua, & εἶδος forma. G. Die wäſſerige Feuchtigkeit.

HYDEROS, HYDERODES AFFECTVS, idem quod *Hydrops*.

HYDRAGOGA, ſunt medicamenta, quæ attenuando fluida, & valide inteſtina atque ventriculum ſtimulando, aquoſos humores expurgant, ex ὕδωρ aqua, & ἄγω duco. G. Waſſertreibende Mittel.

HYDRARGYROS, eſt argentum viuum, ſiue *Mercurius*, ex ὕδωρ aqua & ἄργυρος argentum. G. Queckſilber.

HYDRARGYROSIS, eſt inunctio mercurialis, pro excitanda ſaliuatione in lue venerea aut aliis morbis. Ex ὕδωρ aqua & ἄργυρον argentum.

HYDRELÆVM, eſt mixtura ex aqua & oleo, ex ὕδωρ aqua, & ἔλαιον oleum.

HYDRENTEROCELE, eſt inteſtinorum vna cum aqua in ſcrotum prolapſus, ex ὕδωρ aqua, ἔντερον inteſtinum, & κήλη tumor.

HYDROA, ſunt quædam tubercula lata & humida, pruriginoſa, granis miſii ſimilia, interdum ſine pruritu, quæ cutim exaſperant; fiunt hæc cum aliquando humor acris per ſudorem ex cute expellitur; ſed quia a cutis denſitate impeditur, materia viſcida & acris in ea retinetur, & in tumorem eleuatur. Affectus hic admodum iunioribus atque iuuenibus familiaris eſt, præſertim temperamento calidioribus, æſtatis tempore ſeſe nimium exercentibus, nempe in collo, ſcapulis, pectore, brachiis & femoribus, frequentius tamen circa pudenda & anum. Arab. *Albaſef.* Lat. *Sudamina.* Gr. Ἐκζέματα.

HYDROCARDIA, eſt liquor in pericardio, ex vaſculis lymphaticis perpetuo ſtillans, & continuo abſorptus a vaſculis abſorbentibus, adeo vt cor aquæ innatet, ex ὕδωρ aqua, & καρδία cor. Vide *aqua pericardii.*

HYDROCELE, eſt ſcroti tumor ab humore aquoſo excitatus, in eius membrana celluloſa collecto; vel in tunica teſtium vaginali; vel ſi in aſcitico ſimul fuerit enterocele, in ſacculo peritonæi relaxatio ab aqua ſimul ingreſſa cum inteſtino, fiet hydrocele, ab ὕδωρ aqua, & κήλη tumor. G. Waſſerbruch.

HYDROCEPHALVS, eſt capitis ex humore aquoſo intumeſcentia, in infantibus potiſſimum obſeruabilis, oriunda a colluuie inter integumenta externa hærente; vel inter integumenta & cranium, vel inter cranium & cerebri membranas ipſas, earumque duplicaturas tum in ventriculis cerebri, ſine morte tamen ſubita, ab ὕδωρ aqua, & κεφαλή caput. G. Die Waſſerſucht des Haupts.

HYDROCRITHE, eſt aqua hordei, ex ὕδωρ aqua, & κριθή hordeum. G. Gerſtenwaſſer.

HYDRODES FEBRIS, idem quod *typhodes* vel *elodes.*

HYDROLAPATHVM, idem quod *Hippolapathum.*

HYDROMEL, hydromeli, & penult. & antepenult. corr. vt thalaſſomeli,

Sæpe thalaſſomeli adiecto cumulauimus imbri. Seren. tit. ventr. moll.

Hydromel, & mulſum, ceruiſia, nectar, acetum. Honter. 4.

Hydromel, eſt *mulſum*, ſiue decoctio ex aqua & melle, ab ὕδωρ aqua, & μέλι mel. G. Meth.

HYDROMPHALVM, ſiue HERNIA AQVOSA, eſt protuberantia vmbilici, ex humoribus aquoſis in abdomine con-

contentis, ex ὕδωρ aqua, & ὄμφαλος vmbilicus. G. Wäßriger Nabelbruch.

HYDRONOSOS, idem quod *ſudor Anglicus.*

HYDROPEGE, eſt aqua fontana, ex ὕδωρ aqua,& πηγὴ fons.

HYDROPHOBIA, ſiue AQVÆ METVS, eſt affectus, cum furore, liquidorum & ſplendidorum fuga, aliquando cum delirio, febri, aliisque ſymptomatis, ſummo cum vitæ diſcrimine inuadens, ortus & propagatus ex morſu canis rabidi, eique analogo contagio, ex ὕδωρ aqua, & φοβοῦμαι, timeo. G. Waſſerfurcht.

HYDROPHTHALMIA, eſt, quando oculus in ſtupendam excreſcit molem & magna ex parte extra orbitam prominet, ex ὕδωρ aqua & ὀφθαλμὸς oculus. G. Die Waſſerſucht im Auge.

HYDROPICA, ſunt medicamenta hydropicis humores aquoſos educentia. G. Waſſertreibende Artzeney.

HYDROPIPER, eſt herba aquatica, perſicariæ non abſimilis, ſed linguam, piperis inſtar, vrens, ex ὕδωρ aquá, & piper, quaſi *piper aquatile*; Gr. Ὑδροπέπερι, a loco & ſapore nomen habet. G Waſſerpfeffer.

HYDROPS, eſt aquoſi humoris in panniculo adipoſo, vel membrana celluloſa corporis, vel in quadam cauitate alia, ſtagnatio: eſtque *generalis* vt anaſarca, leucophlegmatia; vel *particularis*, vt hydrocephalos, hydrops pectoris, manus, pedis &c. de quibus ſpecialiter ſuo loco, ex ὕδωρ aqua, & ὄπτομαι video. G. Die Waſſerſucht.

HYDROPS ad MATVLAM, idem quod *diabetes.*

HYDROPYRETOS, idem quod *ſudor Anglicus.*

HYDROSACCHARVM, eſt ſyrupus eſt aqua & ſaccharo coctus, ex ὕδωρ aqua, & σάκχαρ ſaccharum: vel aqua ſaccharata. G. Syrup.

HYDROSELINVM, eſt apium, ſeu ſelinum paluſtre, ex ὕδωρ aqua, & ſelinum. G. Waſſereppich.

HYGIEA, *Sanitas*, eſt diſpoſitio partium humani corporis, actionibus recte perficiendis apta, ſiue eſt ea conditio corporis, qua homo actiones omnes homini proprias exercere valet commode, iucunde, & cum aliqua conſtantia per aliquod tempus, ab ὑγιαίνω bene valeo. G. Die Geſundheit.

HYGIEINE, eſt pars medicinæ, quæ ſanitatem conſeruandi modum per quædam remedia, eorumque vſum, tradit. Eſtque *diateretica* vel *prophylactica*: ab aliquibus in tres partes

 diuiſa

diuiſa fuit in προφυλακτικὴν, morbos futuros & imminentes auertentem: συντηρητικὴν, quæ præſentem ſanitatem tuetur: & ἀναληπτικὴν, a qua valetudinarii reficiuntur. Gr. ὑγιεινὴ (ſubaudi μέθοδος.)

HYGROCIRSOCELE, eſt ramex varicoſus, quem aliæ humiditates comitántur, quando circa venas teſtium oriuntur varices, & ſimul humor copioſus in ſcroto colligitur. Ex ὑγρὸς humidus, κιρσὸς varix & κήλη tumor. G. ein wäſſeriger Aderbruch.

HYGROCOLLYRIVM, eſt medicamentum liquidum, oculis ſanandis deſtinatum, ex ὑγρὸν humidum, & κολλύριον, medicamentum oculare. G. Augenwaſſer.

HYGROPHOBIA, idem quod *Hydrophobia.*

HYMEN, proprie membrana eſt; ſumitur etiam pro membrana virginea, orificio vaginæ circumnata, eiusque orificium pro magna parte occludente. G. Jungfrauſchafft.

HYOIDES, eſt os ad baſin linguæ conſiſtens a figura Υ & εἶδος forma. G. Das Zungbein.

HYOSCYAMVS, pen. corripit.

Gramen hyoſcyami ceræ, ſe voue vetuſto. Seren. tit. pan. dep.
Si quis hyoſcyamum guſtarit lacte capellæ. Seren. tit. vent.

Neque aliter in *Alexiph. Nicander*:

Μὴ μὲν ὑοσκυάμῳ τις ἀϊδρήεντι κορέσκοι. Νηδὺν σ:

Nullus hyoſcyamo male prudens expleat aluum.

Hyoſcyamus eſt planta, quæ plures habet caules ſesquipedem altos, craſſos ramoſos, valde lanuginoſos: folia ſunt magna, ampla, inciſa, mollia, lanuginoſa, albeſcentia, alternatim & ſine ordine caulibus adhærentia: flores monopetali, infundibuliformes, expanſi, & multifidi: vaſculum ſeminale conſtat teſta rotunda, cui natura operculum impoſuit, quod per maturitatem diſſilit, & cum teſta in duas cellulas eſt diuiſa, hæ continent ſemina plurima, parua, rotunda, & nigra: radix eſt aſpera, longa, craſſa, interne coloris albi, externe fuſci. Tota planta habet odorem ingratum, & creſcit iuxta vias & in pratis. Latine ſonat, quaſi *faba ſuilla*, aprinaue, quod, vt, Ælianus tradit, paſtu huius herbæ conuellantur ſues apriue, præſenti mortis periculo, niſi copioſa aqua ſtatim ſe foris & intus proluerint, adeuntque aquas, non vt proluant ſe tantum, verum etiam vt cancros venentur: eos enim nacti protinus ſanitati reſtituuntur, ex ὗς porcus, & κύαμος faba. *Apollinarem* vero Latini, ab Apolline medicinæ inuentore dixerunt. G. Bilſenkraut.

HYO-

HYOTHYROIDES, ſunt muſculi duo laryngis, ab oſſe hyoide in cartilaginem ſcutiformem deducti, rimulæque aſtrictioni deſtinati, ex littera Υ, θυρεὸς ſcutum, & εἶδος forma.

HYPALEIPTRON, eſt inſtrumentum illitorium, ſiue ſpecillum illinitioni inſeruiens, vulgo *ſpatha*, & *ſpecillum*, ab Ὑπαλείφω ſublino.

HYPECOON, Gr. ὑπήκοον, eſt planta, quæ plures habet caules pedem altos, in ſummitate in multos ramos diuiſos: folia tenera fumariæ inſtar diuiſa: flos eſt exiguus, cruciformis, quatuor ſcilicet petalis conſtans, plerumque trifidis, ſubito euaneſcens, coloris lutei, pedunculo adhærens: floris piſtillum abit in longum cornu articulatum, quod conſtat duabus valuulis per maturitatem dehiſcentibus, quæ ſemina fundunt reniformia, & nigricantia; ouarium perfecte refert arietum cornu: radix longa, aliquando ſimplex, aliquando diuiſa, fibroſa, & rubicunda; hæc planta creſcit in regionibus calidis, eſt planta ſiliquoſa. Alii alceam veſicariam vocant, quidam cuminum ſylueſtre corniculatum; nonnulli ſpeciem papaueris corniculati.

HYPERCATHARSIS, eſt *ſuperpurgatio*, ſiue purgatio modum excedens, ὑπὲρ ſupra modum & καθαίρω purgo. G. eine allzuſtarcke Purgation.

HYPERCRISIS, eſt excretio critica dicta, ſupra modum facta, ex ὑπὲρ ſuper, & κρίνω ſecerno.

HYPEREPHIDROSIS, eſt nimia ſudatio, ex ὑπὲρ ſuper, & ἐφιδρόω inſudo.

HYPERICVM, *Dioſcoridi l. 3. c. 171.* ὑπερικὸν; *Nicandro* in *Alexiph.* ὑπέρικος ὁ: penult. prod. ſiue deriuetur ab ὑπερίων, ωνος ὁ: ſol, quæ ſententia eſt *Martinii*:

Diſſipat hunc radiis Hyperione natus, iterque. Ouid. 4. Met. ſiue ab ὑπὲρ & ἵκω venio, quod plantæ huic ſuperueniat aliquid rarum; ſc. pori, & foramina.

Ἔνδεν δὴ νῦν δεῦρο τοδ' ἵκω πήματο πάχων.

id eſt:

Hinc autem huc nunc venio nocumenta paſſus.

Hom. Od. ρ.

ſiue denique ab ἄκω, ſimilis ſum, item cedo, quod folia cedant calori ſolis, vt ſuperioris, & foramina admittant, quo reſpexiſſe videtur *Nicander* cum ὑπέρεικον appellat,

Οὐρείην ὑπέρεικον, ὅθ' ὑσσώπε ὀροδάμνες in *Alexiph.*

Homerus quidem, & diu ante ipſum *Andromachus* π duplicauere, & corripuere penultimam, ſed metri neceſſitati id adſcri-

bendum. Format autem Genitiu. *hyperici*, vt ex *Dioſcor. l.* 3. *c.* 171. & 172. & *Plin l.* 26. *c.* 8. diſcimus, non *hypericonis*, vt perperam *Officinæ*, quibus *oleum hypericonis* frequenter in ore eſt. Hypericum eſt planta, quæ habet caules ſeſquipedem altos, rotundos, firmos, duros, lignoſos, non flexiles, rubicundos, ramoſos: folia ſunt oblonga, neruoſa, centaurium minus referentia, gemina ex gemmulis caulium ſemper naſcentia, obuerſa ſoli innumeris fere poris, acu quaſi traiectis, aciem tum noſtram, tum ſolis radios transmittunt. Dicunt quidam non eſſe peruia illa folia, ſed poros illos microſcopio examinatos eſſe veſiculas lentis forma, pellucidas, & liquore limpido, parum oleoſo plenas, folia ſunt ſaporis inſipidi: flores roſacei, pentapetali, in ſummitate caulium creſcentes, coloris flaui; poſt florem ſequitur capſula, in tres conos aſſurgens, inſtar grani hordei craſſa, oblonga, ſuccum rubicundum continens, in tria loculamenta diuiſa, fœta ſeminibus exiguis, oblongis, ex fuſco nigricantibus, ſaporis ſubamari, & reſinoſi, odoris picei: radix dura, lignoſa, in multos ramos diuiſa, coloris ſubflaui: hæc planta creſcit in ſiluis & locis incultis. Vocatur *perforata*; vide ſuo loco. G. Sanct Johanniskraut.

HYPEROON, ſunt duo foramina, in ſuperiore palati parte, quæ pituitoſos humores a naribus excipiunt, & facta excretione per os reiiciunt.

HYPERSARCOSIS, ſeu ECSARCOMA, eſt excreſcentia carnoſa in quauis corporis parte, ex ὑπὲρ ſuper & σάρξ caro. G. Schwammicht Fleiſch.

HYPNOTICA, ſunt medicamenta quæ ſpiritus figendo, neruos cerebri claudendo & anguſtando, ſoporem inducunt, vel potius, quæ dolorem tollunt, ſomnum conciliando; quomodo id præſtent, nondum liquido patet, ab ὕπνος ſomnus. G. Schlafmittel.

HYPOCATHARSIS, eſt leuis quædam purgatio, cui opponitur *hypercartharſis*. G. eine gelinde Purgation.

HYPOCAVSTVM, antiqua acceptione eſt locus in thermis concameratus & fornicatus, habens præfurnium, quo igne impoſito calor infertur. De quo videndi ſunt auctores, qui de balneis veterum ſcripſerunt. Apud nos transfertur nomen ad conclauia, quæ fornacibus igni alendo aptis calefiunt. G. Stube.

HYPOCHONDRIACA MEDICAMENTA, ſunt, quæ in morbis hypochondriacis vſurpantur.

HYPO-

HYPOCHONDRIACVS AFFECTVS, ſeu AFFECTIO HYPOCHONDRIACA. Vulgo eſt morbus hic in viris, qui in fœminis *hyſterica paſſio* audit. Eſt autem melancholia aliquousque progreſſa, cum viſcerum abdominalium aliquali obſtructione a ſanguine craſſiori, verum qui diuerſis ſimul laborat acrimoniis, vnde dolor, tenſio hypochondriorum, & conuulſiones in variis corporis partibus &c. ex ὑπὸ ſub, & χόνδρος cartilago. G. Milzſucht.

HYPOCHONDRIVM, ſiue SVBCARTILAGINEVM, eſt ſuperior pars abdominis, ſub cartilaginibus thoracis, ex ὑπὸ ſub & χόνδρος cartilago. G. Die Weiche der Seiten.

HYPOCHYMA, & HYPOCHYSIS, idem quod *cataracta*, ab ὑποχέω ſuffundo.

HYPOCISTIS, germen ſeu plantula eſt, e radice ciſti fruticoſi dum floreſcit, ceu viſcum ex quercu proſiliens: dicitur & *Limodorum*, aliis *Robithron*. Ex hac itaque plantula, cum floribus ſucculenta ſit, exprimitur ſuccus, qui in ſole exſiccatus glycyrrhizæ ſucco non abſimilis euadit, ſed ſaporis acidi & auſteri eſt, atque ad nos, ſed raro, aſportatur; ex ὑπὸ ſub, & ciſtus.

HYPOCLEPTICVM VITRVM, eſt infundibulum vitreum turbinata figura, ſeu tritorium, ſeparandis oleis ab aquis deſtinatum, ex ὑπὸ ſub, & κλέπτω furor: nam ope eius aquam ſuffuramur quaſi ab oleo. G. ein Scheidtrichter.

HYPODERIS, & HYPODERMIS, eſt cuticula quæ obtegit clitoridem inſtar præputii.

HYPODESIS, ſiue SVBLIGATIO, eſt faſcia, quæ ante iniectas plagulas applicatur. G. Unterband.

HYPOGASTRIVM, eſt exterior abdominis pars inter hypochondrium & vmbilici regionem, ex ὑπὸ ſub, & γαστὴρ venter. G. Der Unterbauch.

HYPOGLOSSIS, ſiue RANVLA, & BATRACHION, eſt inflammatio vel abſceſſus ſub lingua, ex ὑπὸ ſub, & γλῶσσα lingua. Vid. batrachus.

HYPOGLOSSVM, dicitur laurus Alexandrina ſeu bislingua, ſic dicitur, quod ſub foliolo aliud maius, linguæ figuram exprimens, habeat, ex ὑπὸ ſub, & γλῶσσα lingua. G. Zäpfleinkraut, Zungenblat.

HYPOGLOTTIDES PILVLÆ, ſunt quæ ſub lingua, ad tuſſim demulcendam, collocantur, ex ὑπὸ ſub, & γλῶσσα lingua.

HYPOPEDIVM, idem quod *Supplantale.*

HYPOPHORÆ, ſunt profunda & fiſtuloſa vlcera in vlceribus aut ſinubus dehiſcentia, ab ὑποφέρομαι decido. G. Hohle Geſchwähre, Fiſteln, Röhrwunden.

HYPOPHYSIS, idem quod *Cataracta.*

HYPOPHTHALMIA, eſt dolor oculi ſub tunica cornea, ex ὑπὸ ſub, ὀφθαλμὸς oculus.

HYPOPYON, eſt puris ſub oculi tunica cornea collectio: Ὑπωφθαλμία *Rufo*, ex ὑπὸ ſub, & πύον pus. G. ein Eiter-Auge.

HYPOSARCA, & HYPOSARCIDIVM, idem quod *Anaſarca.*

HYPOSPADIÆ, ſunt, qui iam inde a generatione, vrinæ iter inferius ſub glandis vinculo habent, ab ὑποσπάω ſubtraho.

HYPOSPATHISMVS, eſt inciſio tribus diuiſionibus facta, ſupra frontem ad pericranium vsque, ex ὑπὼ ſub & σπάθη ſpatha. Vtebantur ea in lippitudine. Videatur de ea *Paul. Ægineta* & *M. Aur. Seuerinus.* Abſurda & carnificinæ ſimilis curatio merito hodie exploſa eſt, poſt circulationem cognitam.

HYPOSPHAGMA, eſt ſanguinis ſuffuſio ab ictu in oculum, ex ὑπὸ ſub, & σφάζω ſanguinem effundo. G. ein blau Auge.

HYPOSTASIS VRINÆ, eſt illud craſſum generale contentum, quod in vrina verſus fundum deſcendit, in eaque ſubſidet, ab ὑφίσημι ſubſideo. G. Das ſich am Grunde ſetzet.

HYPOTHENAR, eſt ſpatium a digito, qui dicitur index, vsque ad digitum minimum. Item vnus ex muſculis pollicem adducentibus, ex ὑπὸ ſub & θέναρ vola. G. Der untere Muſcul des Daumens.

HYPOTHESIS, eſt rei ſuppoſitio, ab ὑποτίθημι ſuppono. G. angenommener, vorausgeſetzter Satz.

HYPOZOMA, eſt membrana interſepiens, vt mediaſtinum in thorace, ab ὑποζώννυμι, ſuccingo.

HYPSILOIDES, idem quod *Hyoides.*

HYSSOPVS, um, penult. prod. quia *Dioſcoridi l. 3. c. 30.* ὕσσωπος;

Ἄλλοτε δ' ὑσσωπόσε καὶ ἡ πολύγωνος ὄνειας. *Nicander in Theriacis.*

In vino prius hyſſopum, validam quoque rutam. Seren. tit. ventr. mitig.

Hyſſo-

Hyſſopus, eſt planta, quæ plures habat caules pedem vnum vel ſesquipedem altos, duros, nodoſos, ramoſos, a parte ſuperiore vsque ad inferiorem folia anguſta & oblonga habentes, ſatureiæ parum latiora: flos monopetalus, labiatus, cuius labium ſuperius ſurrectum eſt, ſubrotundum, bifidum; inferius vero in tres partes diuiſum; media cochlearis inſtar excauata, bicuſpide, & quodammodo alata: ex calice ſurgit piſtillum poſticæ floris parti adinſtar claui infixum, ac quatuor veluti ſtipatum embryonibus, qui abeunt in totidem ſemina oblonga in capſula, quæ floris calix fuit, recondita: radix digitum craſſa, dura, lignoſa, tota planta habet odorem penetrantem, gratum, & aromaticum, vti & ſaporem paulo acrem. Videtur deductum nomen a voce Hebraica ezob, quæ ſignificat plantam ſacram, deſtinatam ad repurganda loca ſacra, vt in Pſalmis dicitur, repurga me hyſſopo: ſed quænam planta hyſſopus veterum fuerit, ignoratur; id certum videtur, quod planta valde humilis eſſe debuerit, cum dicitur quod Salomon a cedro ad hyſſopum plantas deſcripſerit. Quidquid ſit; hæc vox iam huic herbæ tribuitur. G. Iſop.

HYSTERA, idem quod *vterus*.

HYSTERALGIA, eſt vteri dolor, ab inflammatione valde aliude exitatus, ab ὑστέρα vterus, & ἀλγέω doleo. G. Mutterpein.

HYSTERICA PASSIO, dicitur & *ſuffocatio hypochondriaca*, *vterina*, *vteri aſcenſus* &c. eſt motus conuulſiuus, in quo reſpiratio valde læſa & imminuta eſt, cum ſenſu ac ſi fauces modo ſtringerentur, vel bolus ab inferioribus in eas inſurgeret, hiſce accedit anxietas, & quaſi animi deliquium, ſæpe cum lapſu corporis in terram absque tamen conuulſiuis motibus artuum, niſi epilepſia quoque adfuerit; iam viri perinde ac fœminæ hoc morbo, ſed hæ frequenter, illi rariſſime laborant: hæ de murmure ventris, de globo aſcendente & in latere ſubſiſtente, aut in fauces euolante conqueruntur. Porro paroxyſmus grauior eſt vel leuior, nonnunquam habet periodos ſuas; cum ſoluitur paroxyſmus; laſſitudo, pallor aut æſtus in facie cum rubore genarum, capitis, artuumque dolor, languor virium, cordis palpitatio, pigritia, ructus, ſuſpiria, anhelatio, ciborum faſtidium, nauſea &c. accidere ſolent. In paroxyſmo ſæpe vociferantur, aut, ranarum inſtar, coaxant, vel rident, vel lachrymantur. Denique paroxyſmum antecedunt oſcitatio, pandiculatio, imbecillitas, triſtitia, terror, ira, amor, odor rerum ſuauium, a quibus momento citius ſæpe excitatur hoc malum,

malum, vti a fœtidis lenitur. Dulcia etiam ore recepta mouent hanc paſſionem, ſed in iis, quæ obnoxiæ ſunt ei. At in paroxyſmo etiam exteriora pallent, & frigent rubentibus genis, ita vt fuerint, quæ per dies aliquot, quaſi mortuæ, non habentes pulſum, non reſpirantes, non loquentes, non ſentientes, iacuerint. Aliæ fuerunt ſepultæ, quas in ſepulchris excitatas tandem in latus, vel aliam partem verſas fuiſſe compertum eſt; verum quæ ſic mortuæ videntur, genas tamen rubentes habere ſolent, ſed, vt diximus, rubor in primis conſpicuus eſt, cum paroxyſmus finiri incipit, & ſuſpiria audiri, quibus plerumque terminatur. Tum vero per aliquot dies ſæpe remanet ſenſus ille conſtrictionis in faucibus, quæ aliquando difficilem deglutitionem vna inducit, quæ autem per interualla, & frequenter laborant, genas tumidas, rubras liuidasque cum varicibus habent. Gr. ὑςερικὴ πνῖξ. Auffſteigen der Mutter, Mutterkranckheit.

HYSTERICA, penult. corr.

Hyſtericam vetulo ſe dixerat eſſe marito. Mart. l. 11. ep. 72.

Hyſterica, ſunt medicamenta, vteri morbis aduerſa, ab ὑςέρα vterus. G. Artzney wider die Mutterkranckheit.

HYSTEROCELE, eſt vteri prolapſus, qui tamen rariſſime fieri ſolet, ex ὑςέρα vterus, & κήλη tumor.

HYSTEROTOMOTOCIA, ſiue SECTIO CÆSAREA, eſt fœtus ex vtero exciſio, quæ hoc modo peragitur; ſub vmbilico, ad latera lineæ albæ, ſectio ſemilunaris inſtituitur, cauitate ſua lineam albam reſpiciens, deinde ſecundum fibrarum ductum, poſt ſectionem extracto fœtu, vteri vulnus a ſe ipſo contrahitur, ita, vt ſanguis vix maiori copia, quam in ordinario partu, effluat, verum ſi mater mortua fuerit, locum tibi aptiſſimum eligito, ab ὑςέρα vterus τέμνω ſeco, & τίκτω pario. G. Kayſerſchnitt, Mutterſchnitt.

HYSTEROTOMIA, eſt ſectio vteri anatomica, ex ὑςέρα vterus, & τέμνω ſeco.

I.

IACEA, eſt planta, quæ habet caulem ſtriatum, fractu difficilem, lanuginoſum: prima, quæ prodeunt, folia ſunt laciniata, præ virore nigricantia, lanugine cana reſperſa, ſed quæ caulibus adhærent, ſunt anguſta, firma, aliquantum dura, ſaporis non omnino ingrati, ſubdulcis cum adſtrictione: flores floſculoſi, plurimis ſcilicet floſculis conſtantes multifidis,

embryo-

embryoni inſidentibus; & calice ſqammoſo non aculeato comprehenſis. Embryo autem abit dein in ſemen fuſcum pappis inſtructum: radix ſatis craſſa, lignoſa, ſaporis adſtringentis & inſipidi: iuxta ſepimenta agrorum, locis herboſis, negligentius cultis, reperitur, eſt nomen diuerſis plantis impoſitum, & incertæ originis.

IACOBÆA, ſeu herba S. Iacobi, eſt planta, quæ habet vnum pluresue caules tres vel quatuor pedes altos, ramoſos, multa folia habentes ſine ordine, vel alternatim diſpoſita, oblonga, profunde inciſa, coloris viridis obſcuri, ſaporis aliquantulum adſtringentis: flos radiatus, cuius diſcus ex plurimis ſcilicet floſculis, corona vero ex ſemifloſculis componitur, embryoni inſidentibus, & calice tubiformi ac multiformi comprehenſis: embryones autem deinde abeunt in ſemina pappis inſtructa, thalamoque inſtructa; radix fibroſa, alba, terræ valde inſixa & adhærens. G. S. Jacobsblum.

IALAPA, (chelapa, celapa, ialapium, gelapum, gelapo, mechoacanna nigra) incertæ pronunciationis eſt, niſi quod tutius videatur penultima producenda, quia mercatores, haud dubie more gentis, vnde ad nos radix deportatur, gialappam duplicato p, exprimere non dubitant. Nam in Latina analogia, hic nihil præſidii, *papa*, ſiue *papas* quidem *Iuuenali* producit penultimam, ſed *eidem* & *Martiali* penult. corripit *alapa*. Ialappa, radix eſt craſſa, oblonga rotunda, reſinoſa, pinguis & carnea, ſapore acuto, incidente, nauſeoſo, odore nullo, ſciſſa in taleolos ad nos ex Indiis occidentalibus adfertur, exterius ſubnigricans, interius ruffeſcens cum circulis, ſi bona ſit, nigris ſeu reſinoſis: radix integra longa eſt, & ab infima parte obtuſa. Planta habet caulem quatuor vel quinque pedes altum: folia hederæ ſatis ſimilia, ſed minus craſſa: flos monopetalus infundibuliformis, plerumque leuiter inciſus, qui gemino calice donatur, altero a quo inuolui, altero vero cui inſidere ſolet, is autem deinde abit in fructum ſubrotundum, ſemine fœtum eiusdem formæ: eſt connoluulus mexicanus; vel mirabilis peruuiana dicitur. Maioribus fuit incognita. Purgans eſt validiſſima.

IANITOR, idem quod *pylorus*.

IAPONICA TERRA, vide *catechu*.

IASMINVS, vox *recentiorum*, ab ἰασμή, id eſt, olei medicati, & odoriferi genere, quod ex floribus albis violarum, & oleo ſeſamino confectum in conuiuiis vſurpabant

Perſæ

Perſæ odoris gratia, vt ex *Dioſcoridis Nothis* diſcimus. Vnde conſequitur, germen, quod iasminum hodie nominatur, oleumque eius odoratum, luculenta ſimilitudine ab ἰασμὴ deductum penult. corripere ſecundum naturam adiectiuorum in inus ab inanimatis deriuatiuorum, de quibus prolixe ſuperius. Neque obſtat μη in Ἰασμὴ; ſimiliter enim *Oenanthinum* oleum penult. corr. licet ab οἰνάνθη deſcendat, & δάφνινον a δάφνη &c. Iasminus, eſt arbuſcula, quæ habet multos ramos valde longos, tenues, nodoſos, debiles, flexiles, virides, valde extenſos, medulla alba fungoſa repletos: folia ſunt oblonga, acuta, bina coſtæ adhærentia in folium impar definenti, vnaquæque coſta vt plurimum ſeptem foliis eſt inſtructa, aliquando quinque, pulchri viridis coloris: flos ex oblongo tubo in quinque lacinias, totidem folia imitantes, eſt expanſus, coloris albi, odoris ſuauis, & valde grati, huic flori ſuccedit plerumque bacca obrotunda, viridis, mollis, ſemina habens obrotunda & compreſſa: radix fibroſa. Gelſeminum Italis, Arab. *Ieſemin, Sambach*, vel *Zambach*. G. Jaſminblumen.

IASPIS, eſt lapis pretioſus, varii coloris, cærulei, viridis, purpurei, cryſtallini, cadmiæ, qui creditur hæmorragias ſiſtere amuleti inſtar appenſus.

IATROCHYMICVS, eſt medicus qui operationibus & medicationibus chymicis operam dat, ex ἰατρὸς, medicus & χυμικὸς chymicus. G. ein Chymiſcher Artzt.

IBERIS, eſt naſturtii ſpecies, ſic vocata quod in Iberia luxurioſe ſuccreſcat. Vocatur etiam καρδαμαντικὴ & ἀγριοκάρδαμον, item *lepidium, naſturtium agreſte*.

IBISCVS, & HIBISCVS, eſt althæa, nomen videtur fictum ex malua & viſcum, quaſi diceres maluæ viſcum, vnde barbaris pharmaçopolis *maluauiſcum*, hinc forte deſcendit *ibiſcus* & *hibiſcus*.

ICHOR, ſæpe ſignificat ſerum ſanguinis, aliquando eſt humor acris oleoſus & aquoſus, ex vlceribus manans. G. Das wäſſerige Geblüt.

ICHOROIDES, eſt humiditas ſaniem referens, ex ἰχὼρ ſanies, & εἶδος forma. G. Waſſerblutig.

ICHTHYOCOLLA, eſt gluten alicuius piſcis, qui dicitur eſſe ſine oſſibus, vocatur *Huſo*, vnde G. Hauſenblaſen. Piſcis magnus eſt, longitudine viginti quatuor pedum, pondere nonnunquam ad libras quadringentas accedens. In Danubium maxime ex Ponto venit. Gluten illud album eſt, ex illius

illius corio, inteſtinis, ventriculo, pinnis, & cauda confectum: hinc G. Fiſchleim.

ICTERICA, ſunt medicamenta aduerſus icterum.

ICTERVS, eſt morbus, in quo cutis in flauedinem mutatur, ab obſtructione ductus choledochi, vel glandularum hepaticarum, iecoris inflammatione, vel adipoſæ, calculoſæue materiæ, huc ex omento motæ, vel in veſicula fellis &c. hærentis, obſtructione, aut ſcirrho, vnde in ſanguine bilis retinetur, ἀπὼ τῆς ἰκτίδ@, id eſt *viuerra*, quæ eſt ex genere muſtelarum, cuius oculi eiusmodi colore tincti cernuntur: ſiue ab ictero aue, eius coloris, quam Latini galbulum vocant, quæ ſi ſpectetur, (inquit *Plinius*, lib. xxx. cap. 11.) ſanari id malum, tradunt, & auem mori. Latinis *regius morbus* nominatur, malim ego ab auro metallorum rege, denominationem ſtatuere, ſicut & *aurigo*, ab auri colore: nominatur & *fellis ſuffuſio*. *Celſo* ita dictus, quod in aulis regum molliter curetur, (vt *Sammonicus* ait) ludis, laſciuiaque, per quæ mens exhilaretur. *Arcuatus* & *arquatus morbus*, e colore arcus cæleſtis æmulo. G. Die Gelbſucht.

ICTERVS ALBVS, idem quod *chloroſis*.

IDIOPATHIA, eſt morbus primarius; qui ab alio morbo non dependet, non originem ducit, ab ἴδι@ proprius, & πάθ@ affectus.

IDIOSYNCRASIA, eſt propria cuiuis corpori temperies, ex ἴδι@ proprius, σὺν cum, κράσις temperamentum. G. inwendige Beſchaffenheit.

IECORARIA VENA, idem quod *baſilica*.

IECVR, idem quod *hepar*.

IECVR VTERINVM, vide *placenta vteri*.

IEIVNVM INTESTINVM, eſt ſecundum inteſtinorum tenuium, ſic appellatur, quia frequenter vacuum eſt; in eo papillæ glanduloſæ chylum abſorbent, venisque lacteis tradunt. Gr. Νῆστις. G. Das leere Gedärm.

IGNIS ACTVALIS, eſt, qui primo contractu adurit, vt ſunt ignis ipſe & cauterea ferrea, ſic *actuali* igne calcinantur animalium partes, vt oſſa, cornua &c. ad albedinem, ſeu ad particularum oleoſarum & ſalinarum exhalationem: quod alias *combuſtio* dicitur, ſicque Saturnus in *minium*, limatura ferri in *crocum adſtringentem*, vt nimirum flamma vndiquaque materiam lambat, calcinatur, quod & *reuerberare* dicitur. G. Brennendes Feuer.

IGNIS

IGNIS CIRCVLATORIVS, eſt tepor, vel talis caloloris gradus, quem digiti facile ferunt.

IGNIS POTENTIALIS, eſt medicamentum, quod, poſtquam aliquamdiu parti ſuperimpoſitum fuerit, vires ſuas exſerit, eundemque effectum ac ignis actualis præſtat: vt ruptorium, cæteraque exedentia. Sic potentiali igne ſoluuntur metalla, lapides &c ope ſpiritus acidi nitri, vitrioli &c.

IGNIS PERSICVS, idem quod *gangræna*, ſumitur etiam pro *carbunculo*, ſeu *anthrace*.

IGNIS REVERBERII, *rotæ*, eſt quando in fornace viua flamma in modum rotæ vas deſtillatorium ambit, eſtque maximus ignis gradus, dum vndique a parietibus fornacis determinantibus reflexus in vas medium agit. G. Reverberirfeuer, ſehr ſtarck Feuer.

IGNIS SACER, idem quod *eryſipelas*: quidam tamen pro *herpete* ſumunt.

IGNIS SILVESTRIS, idem quod *phlyctæna*.

IGNIS SVPPRESSIONIS, eſt, quando retortæ in arena collocatæ infra & ſupra arenam, ignis fortiſſimus adhibetur, vti fit in cinnabari antimonii conficienda.

IGNITIO, eſt calcinatio per ignem facta. G. Kalckbrennung.

ILE, eſt cauitas a thorace ad coxæ oſſa; in animalibus omnibus, homine & oue excepto, inteſtina omnia *ile* appellari annotat *Plinius*, ab εἰλέω circumuolo. G. Der hohle Leib.

ILEX, eſt arbor glandifera, quercui ſatis ſimilis, pomi vel pyri magnitudine, eius cortex eſt fuſcus, lignum eſt durum & compactum; rami lanugine alba repleti: folia ſunt oblonga, in margine inciſa, ſuperius ſemper virentia, inferius albeſcentia & lanuginoſa, ſaporis adſtringentis, flos amentaceus, conſtans multis ſtaminibus ortis ex calice infundibuliformi: fructus quercus. Hæc arbor creſcit in ſiluis, præſertim in regionibus calidis. Gr. πρῖνος, a πρίω vel πρίζω ſerra ſeco. G. Scharlach, Beerbaum, Steineiche.

ILIVM MORBVS, vide *iliaca paſſio*.

ILIA, partes dicuntur laterales inanes & molles ipſius abdominis, inter coſtas breues & pubem: idem quod ile.

ILIACA PASSIO, ſiue *dolor iliacus*; *miſerere mei*, *volvulus*, *tormentum*, & *chordapſus*, eſt dolor in inteſtino ileo cum pertinaci alui ſuppreſſione & horrendo vomitu, quo primum humores, deinde alui fæces fœtentes excernuntur, cum inſigni anxietate, & periculo mortis tanto, vt rariſſime ægri euadant. Solet

let hæc paſſio herniæ non reſtitutæ ſæpe ſuperuenire. G. Darmgicht, Grimmen.

ILIACA VASA, eſt bifurcatio illa truncorum deſcendentium arteriæ magnæ, & venæ cauæ, in abdomine intra peluis regionem. G. Die Blutgefäſſe im Unterbauch.

ILIACVS MVSCVLVS eſt vnus ex iis qui femur flectunt, inſeritur tendine, qui pſoas muſculi tendini connaſcitur, oritur a tota cauitate interna oſſis ilii tenui carnoſoque initio. G. Die Darmbeinsmuſcul.

ILINGVS, vide *ſcotomia*, ab εἰλίσσω circumuoluo.

ILIVM, eſt inteſtinum tertium tenuium: oritur vbi ieiunum deſinit, & finem ad cæcum aſſequitur. Longitudine vnam & viginti palmas æquat, ab εἰλέω circumuoluo. G. Der lange Darm.

ILIVM OS, eſt pars oſſis innominati: ſic dicitur quod inteſtinum ilium continet. Circumferentia eius circularis eſt, pars ſuperior latiſſima, connectitur oſſi ſacro. Superior pars ſpina, interior coſta, & exterior dorſum appellatur. Amplius eſt mulieribus, quam viris. G. Das Darmbein, Hüfftbein.

ILLECEBRA, *ſemperuiuum minus acre*, per antiphraſin ſic videtur appellari quod minime propter acrimoniam illiciat. G. Mauerpfeffer.

IMBECILLITAS, eſt illa conditio corporis humani, qua eius muſculi laxi, ob ſanguinis vel ſpirituum animalium deficientium influxum imminutum in illorum fibras carneas neruoſaſque, oſſa annexa non ſatis pro voluntate animæ mouere poſſunt, vel cito defatigantur; eſt hæc imbecillitas generalis. Verum particularis eſt, quando quæcunque pars ſolida cohærens ex variis particulis ſibi appoſitis compoſita, eas tam parua cohæſione annexas habet, vt minimæ vi ab actionibus in ſanitate agendis requiſitæ vel nimis cedant, vel in vnione diſſoluantur. G. Schwachheit.

IMMERSIO, eſt quando metalla, vel mineralia rei alicui corrodenti immerguntur, vt tandem in calcem redigantur. Item lotionis ſpecies eſt, quando ſimplicia aquæ immerguntur, vt corticem duriorem vel inutilem, aut qualitatem nociuam deponant. Sic calx ceruſſa, tutia, igne candida aquæ iniiciuntur, vt a nimia acrimonia liberentur. Eſtque ſicca vel humida. G. Das Einweichen.

IMMERSVS MVSCVLVS, idem quod *infraſcapularis*.

IMMV-

IMMVTANTIA, medicamenta ſunt, quæ ipſas figuras particularum ſingularum fluidum conſtituentium, vel in fluido natantium, & figuris acutis lædentium, non per appoſitionem, ſed propriæ ſuperficiei immutationem, ita in natura ſua mutare valent, vt inertes vel obtuſiores fiant.

IMPASTATIO, eſt quando materia puluerulenta cum excipiente quodam molli & humido commiſcetur & pinſitur, vt fiat inſtar maſſæ.

IMPATIENS HERBA, NOLI ME TANGERE, ſiue balſamine lutea, ſic appellatur, quod eius ſeminales folliculi non patiantur ſe attingi, quin diſſiliant & ſemina diſpergant. Eadem crepatura obſeruatur circa folliculos balſaminæ fœminæ, & cucumeris aſinini. G. Springkraut.

IMPERATORIA, ſeu OSTRVTIVM, eſt planta, quæ habet folia magna, lobata, impari extremum claudente, dura, rigida, in tres partes diuiſa, dentata, quædam leuiter alia profunde inciſa, ex his naſcuntur caules, duos circiter pedes alti, in alas diuiſi, & in ſummitate gerentes flores quinque folia habentes, & in vmbellas creſcentes. Calix florum abit in duo ſemina plana, fere ouata, leuiter ſtriata & marginata, inuolucra plerumqne deponentia, candida & plana: radix oblonga geniculata, craſſa, extrinſecus fuſca, intus albicans cum folliculis liquore flauo plenis, ſaporis acris, paulo amari, totum os calefacientis; forte ab imperando dicitur, quod cæteris plantis imperat: hinc fortaſſe *magiſtrantia* quoque appellatur. G. Meiſterwurtzel.

IMPERIALIS CORONA, eſt planta bulboſa, cuius flores coronæ in modum caulis ſummum cingunt. G. Kayſerscron.

IMPETIGO CELSI, idem quo *lepra Græcorum*: quatuor ſpecies proponit *Celſus lib. V. cap.* 28. *ſect.* 17.

IMPETIGO *Plinii*, idem quod *Lichen Græcorum*.

IMPRÆGNATIO, eſt ſpecies imbibitionis, quando res aliis rebus implentur; verbi gratia, ſi tartarus viribus emeticis ab antimonio imprægnatur: vel quando ſal alcali ab acido liquore ſaturatur: ſed *imprægnatio* proprie ſumitur, pro conceptu poſt coitum.

INAPPETENTIA, eſt, quando cibus propter fermentum in ventriculo diminutum, vel motum reſpirationis debilem &c. non appetitur. G. Eckel zu eſſen.

INAVRATIO, eſt quando pilulæ auro foliato obducuntur. Cum nempe pilulæ in capſula clauduntur, & vna cum foliis auri circumagitantur. G. Das Vergulden.

INCARNANTIA, & INCARNATIVA, ſunt medicamenta carnem generantia. Idem quod *ſarcotica*.

INCERATIO, eſt miſtio humoris cum re ſicca, per combibitionem lentam ad conſiſtentiam ceræ remollitæ. Gr. ἐγκήρωσις.

INCIDENTIA, idem quod *attenuantia*.

INCINERATIO, eſt ignitio, qua corpora vegetabilium & animalium in cineres, igne violentiore rediguntur, nonnulla etiam in ſole ope vitri vſtorii ad albedinem calcinantur, ſiue incinerantur, vt antimonium, vitriolum, &c. G. Aſchmachung.

INCISIO, fit vario modo, recta, crucialis, triangularis &c. Vide *encope*.

INCISORES DENTES, idem quod *primores dentes*.

INCISORIVM, eſt ſcalpellum chirurgicum, quo aliquid præſcinditur; nempe ſi vulnera ſint dilatanda &c. G. ein Schneidemeſſer.

INCLINATIO, eſt, quando liquor tenuis a craſſa ſubſidentia ſenſim effunditur: vt ſucci per ſubſidentiam clari, aut aqua poſt edulcorationes.

INCORPORATIO, eſt commiſtio, qua ſtatim humida cum ſiccis in vnum corpus & formam maſſæ contemperantur, itaque hic non fit lenta nutritio, ſed tantum humoris ſtatim additur, quantum ad corporis miſti conſiſtentiam requiritur, vt fiat veluti paſta, vnde & *impaſtatio* nominari poteſt, in nonnullis *ſubactio*. Incorporatæ autem res in calore digeſtorio relinquuntur, vt mutua actione, & paſſione craſin communem nanciſcantur. G. Zuſammenbacken, vermiſchen.

INCRASSANTIA, ſiue ECPYCTICA, ſunt medicamenta, quæ craſſis ramoſisque partibus prædita, ſe ſuccis tenuioribus & liquidioribus nectendo, per vaſa corporis fluentibus conſiſtentiam craſſiorem & ſtabiliorem conciliant. G. Dickmachende Mittel.

INCVBVS, INCVBO, & ASTHMA NOCTVRNVM, Gr. ἐφιάλτης ab ἐφιάλλομαι inſilio. Hoc affectu correpti in inſomniis, cum ſupini decumbunt, falſo ſibi imaginantur aliquem ventri aut pectori incumbere, ita vt compreſſi ſpirare, loqui vel clamare ſe non poſſe putent, quod ſi expergiſcan-

giſcantur, anxii ſunt, turbati, facile rubentes & calentes, & palpitationibus obnoxii. Porro in ſuſpiria, in vigilias & miras ſæpe imaginationes de diabolo, de hoſtibus, de ſpiritu ad coitum ſollicitante, & cæteris incidunt: re autem bene perpenſa, apparet hoc malum leue eſſe, & quæ in ſomno contingunt, ſuffocationem hypochondriacam æmulari, dum plerumque a ſpasmo muſculorum abdominalium originem trahit; his enim rigidis reſpiratio non niſi laborioſe & cum ſenſu ponderis incumbentis fieri poteſt, dicitur & *ſuppreſſio nocturna.* G. Der Alp, Mare, das Nachtmännlein.

INCVRVATIO, idem quod *Cyrtoma.*

INCVS, eſt vnum ex oſſiculis in aure interna contentis. Molarem dentem refert & malleum inſtar incudis recipit: diuiditur in tres partes, nempe in corpus, & in duo crura, quæ ab auctoribus etiam vocantur rami, apophyſes, proceſſus: pars anterior & ſuperior corporis lati, craſſi, ſolidi, plani, mobilis committitur parti poſteriori & laterali capituli mallei, binis tuberculis vnoque intermedio cauo præditæ, ſuis duabus cauitatibus cum protuberantia intermedia, articulatione ginglimi, firmata interuentu paruorum accretorum nectentiumque ligamentulorum: corpus hoc fere totum in eodem ſulco, in parte ſuperiori, anteriori, media tympani excauato, vna cum mallei capite collocatur; proceſſuum vnus, ſcilicet breuior, latior, craſſior, ad oſtium ſinus maſtoidei, ibidem in parte ſuperiori tympani ope, ligamenti ſuſpenſorii tenuis & breuis, verſus poſteriora libere ſuſpenditur, & firmatur, ſeruata interim mobilitate, & puncto connexionis pro hypomochlio inſeruiente; alter vero proceſſus longior tenuior ad finem introrſum incuruus, ſic roſtrum quaſi formans, extremum apicem, paulo conuexum habens, parallelo ſed altiori ſitu cum mallei manubrio membranæ tympani applicato perpendiculariter deorſum in tympani cauum deſcendens, ad inferiora excurrit, interim tympani membranam non tangit, ſed ab eadem, notabili intermedio relicto interſtitio, ſatis remotus, parte ſua extrema, conuexa, incuruata, introrſum verſus poſteriora ſpectat, cui denique, docente primo *Fr. de le Boe Siluio*, accreſcit latere ſuo anteriori parumper concauo, oſſiculum orbiculare exiguum admodum, dimidiatum granum milii vix æquans, hinc omnium auditus oſſiculorum minimum, oſſiculi ſtapedis ligamento innexum, hinc minime obſeruabile, a *Fontano* ſquammoſum, a *Lindano* cochleare,

leare, vulgo orbiculare, & quartum oſſiculum *Siluii* appellatum, ab inuentore. G. Das Amboßgleiche Beinlein.

INDEX, *indicator & demonſtratorius digitus.* G. ſæpe dicitur λειχανὸς a lingendo, eſt digitus pollici proximus, ſic dictus, quia hoc digito aliquid demonſtratur, ideoque δακτυκὸς, a δέκνυμι demonſtro, appellatus. Indices dies vocantur, qui criſin futuram denotant & prænuntiant. G. Der Zeiger.

INDICANS, nihil aliud eſt, quam quoddam in corpore ſecundum aut contra ſanitatem obſeruatum & deſignatum, cuius gratia aliquid fieri dicitur, quod ei conferre debeat. G. Anzeigung.

INDICANTES DIES, ſunt, qui criſin certis diebus futuram indicant; qui propterea indicantes & contemplabiles dicuntur, & ſunt cuiusque ſeptenarii medii, vt dies quartus. Sed illa enumeratio apud noſtrates non tanti vſus eſt, dum vel medicamentis morbus a ſuo naturali curſu deflectitur, vel climatum varietas magna eſt ab iis, quæ in Græcia: quare a nonnullis, quamuis temere, iam ex doctrina medica exploſa. G. Tage die was anzeigen.

INDICATIO, Gr. ἔνδειξις, id eſt, quod demonſtrat quid in morbis ſit faciendum: eſtque triplex *præſeruatoria*, quæ ſanitatem a morbis præſeruat; *curatiua*, quæ morbum iam inductum expellit, & *vitalis*, quæ vires & victus rationem reſpicit.

INDICATOR, aſt vnus ex muſculis, digitum indicem extendentibus. Qui ortus a facie exteriori & media radii, implantatur ſecundo articulo digiti.

INDICATVM, eſt illud ipſum iuuans, ſiue id quod indicanti congruit, aut conſequens agendum, ſanitatis reſtaurandæ gratia.

INDIGNATORIVS MVSCVLVS, eſt muſculus oculum abducens, vnus ex quatuor rectis, oculo inſertus ad latus circa paruum angulum. G. Der abführende Augenmuſcul.

INDVRANTIA, vide *ſclerotica.*

INDVSIVM, idem quod *amnios.*

INEDIA, eſt abſtinentia a cibis, vel totalis, vel partialis, ſic vt minus ſolito comedamus. G. Enthaltung von Speiſen.

INFIMVS VENTER, vide *abdomen.*

INFLAMMATIO, vide *phlegmone.*

INFLATIO, eſt partis alicuius, à flatibus diſtenſio. Gr. ἐμφύσημα & ἐμπνευμάτωσις. Gr. Aufblaſung.

INFRASCAPVLARIS MVSCVLVS, ſiue SVBSCAPVLARIS & IMMERSVS dicitur, à ſcapulæ inferiore latere, carnoſus latusque defertur, atque in ligamento tertio humeri finem ſuum aſſequitur, ſed tendine cæteris latiore. G. Der Unterſchulterbeinsmuſcul.

INFRASPINATVS MVSCVLVS, ſiue SVPRASCAPVLARIS SECVNDVS, ſub ſpina ſcapulæ ex tota ſuperficie externa profectus, cum ſupraſcapulari primo carnoſus latoque tendine in humeri ligamentum, quod numero quartum conſtituunt, excurrit. G. Der Uberſchulterbeinsmuſcul.

INFVNDIBVLVM, ſeu ENCHYTA, vulgo *tritorium*, eſt vas tranſmittens in ſummitate latum, quod paulatim in fiſtulam cuſpidatam deſinit: ex metallo fabricatur vel ex vitro. Gr. Χοανή. G. ein Trichter.

INFVNDIBVLVM CEREBRI, πύελος, ληνὸς *Herophilo.* Idem quod *Choana.*

INFVNDIBVLVM RENVM, eſt peluis, qua ex renibus, ad vreteres & veſicam vrina tranſit. G. Nierenbecken.

INFVSIO, eſt extractio virium ex medicamentis, per liquorem conuenientem facta; cum vel abſque igne, quæ, ſi purgans fuerit, vnica vice abſorberi poteſt, cui proprie nomen competit. Sumitur etiam pro cunctis medicamentis, quæ per certum tempus infunduntur, quæque foris applicantur, ἀπόβρεγμα. Dicitur & *maceratio* & *dilutum*. G. Das Einweichen, ein Tranck.

INFVSVM, idem quod *infuſio.*

INGREDIENTIA, dicuntur varia ſimplicia, quæ vnicum compoſitum conſtituunt.

INGVEN, Gr. βουβών, dicitur locus à flexu femoris ad ad pubem. G. Der Schamburg.

INGVINALIS, vide *aſter.*

INIECTIO, in genere notat liquidi medicamenti ope ſiphonis in vulnus, vel vlcus, vel aperturam quamcunque, infuſionem. G. Das Einſpritzen.

INIECTIO INTESTINALIS, idem quod *clyſter.*

INIVM, eſt initium medullæ oblongatæ, quod iuxta aliquos eſt ſenſorium commune, quaſi ſenſationes ſiue ſpecies ab organis externis exceptæ, ibi per neruos deferantur, ab ἶν fibra

fibra, eo quod fibræ neruoſæ ibi loci tanquam in camera, & loco communi terminantur. G. Der Anfang des Marcks im Rückgrad.

INNOMINATA OSSICVLA, vide *cuneiformia.*

INNOMINATA GLANDVLA OCVLI, vide *caruncula oculi.*

INNOMINATA TVNICA OCVLI, eſt tendinum a muſculis, oculos mouentibus, ſubtilis quædam expanſio, ad corneæ membranæ circumferentiam vsque producta, vide *adnata tunica.* G. Das ungenannte Augenhäutlein.

INNOMINATVM OS, aliis *os coxæ*, vel *ilium*, ad latera oſſis ſacri eſt, conſtans ex tribus oſſibus, *ilio*, oſſe *pubis & iſchio*, per cartilagines iunctis: vsque ad ſeptimum ex triplici linea diſtinctum apparent, ſed adultis in vnum os coaleſcunt. G. Das ungenannte Bein.

INNOMINATVS HVMOR, ſiue inſitus, eſt humor ſecundarius a veteribus dictus, ex quo corpus nutriri putabant. Erant enim iſti humores nutritii quatuor; *innominatus*, *ros*, *gluten*, *cambium.*

INOSCVLATIO vide ANASTOMOSIS.

INQVIETVDO, eſt ea conditio corporis humani, qua ſeſe hinc inde mouent ægri de latere in latus, brachia attollentes, pedes & femora ad nates trahentes, modo in ventrem, modo ſupini decumbentes, iam ſedentes in lecto, iam ſurgentes ob teneritudinem, inflammationis initium, dolorem in muſculis lumborum, ceruicis, & artuum orta. Hæc vero inquietudo euenit vel initio febrium, vel etiam toto tempore, quo febris vrget; eſt quoque ordinarium in ea febre ſymptoma, quam malignam ſiue peſtem vocant. Dolores etiam graues ad ſe trahunt inquietudinem; imprimis vero cardialgia, colica & nephritis. Porro cum delirio ſæpe eſt inquietudo, ſed nusquam magis, quam vbi mors in propinquo eſt, atque ægri ſenſim moriuntur, viribus adhuc dum aliquando ſuperſtitibus. Gr. ταραχή. G. Unruhe.

INSANIA ſiue AMENTIA; eſt imaginationis & iudicii deprauatio, ſumitur etiam pro *mania*, vide ſuo loco. Gr. παραφροσύνη. G. Unſinnigkeit, Tollheit, Taubſucht.

INSERTIO, in anatomicis denotat tendinis muſculi loco alicui infixionem, in quo finem habet, aut ductus excretorii in cauum, quo ſe exonerat, implantationem, vt ductus choledochi in duodenum, vreterum in veſicam.

INSESSVS, ſeu ENCATHISMA, eſt balneum ventri, inferioribusque partibus dicatum, cui æger ad vmbilicum vsque inſidet. Habentque tales inſeſſus vſus varios, qui nonnunquam ad dolorem ſedandum, interdum ad emolliendum, vel flatus diſcutiendos, & non raro ad menſes ciendos, parantur. Vide *Balaneum*. G. ein Bad.

INSOLATIO, eſt, quando res fermentandæ aut macerandæ ſolis calori exponuntur; aut ægrotus ſe radiis ſolaribus, ſuper arena poſitus, permittit, quod veteribus familiare fuiſſe legimus.

INSPIRATIO, Gr. εἴσπνοή, & ἐμπνευματώσις, eſt inductio aeris in pulmonem per os, nares, & aſperam, arteriam: quæ fit ob dilationem thoracis per muſculos intercoſtales coſtas ſurſum in medio arcus ſui trahentes, dein per diaphragma in abdomen impulſum, & ex conuexo planius redditum, vnde thorace capaciore facto, aer ſua grauitate ingreſſus pulmonem, illum implet, vndique extendit, veſiculas explicat, ſphæricas reddit, & ſanguinis circulationem per vaſa pulmonalia liberam facit certis temporibus, &c. G. Das Athem ziehen, Athem holen.

INSPISSATIO, eſt, quando liquida materia euaporando in maſſam tractabilem & conſiſtentem redigitur. Gr. πύκνωσις. G. Dickmachen.

INSVCCATIO, eſt quando aloe &c. in ſucco violarum, roſarum inſpiſſatur.

INSVLTVS, eſt primum paroxyſmi tempus, quo morbus in ægrum ſubito quaſi inſilit. G. Der Anfall einer Kranckheit.

INTEGVMENTVM, ab anatomicis vocatur, quodcunque externum alicuius partis operimentum eſt: ſic corporis integumenta vniuerſalia ſunt cuticula, neruorum papilliforme reticulum, cutis, panniculus adipoſus. Particularia ſunt, vti membrana quæuis, quæ muſculum inueſtit &c.

INTELLECTVS, Gr. νοῦς & σύνεσις, eſt ipſa mens humana, vel in illa aliquis habitus, quo omnia obiecta, circa quæ ſe exercet, percipit. G. Der Verſtand.

INTEMPERIES ſeu DYSCRASIA, & ACRASIA, eſt morbus, qui in qualitatum corporis inconuenientia conſiſtit, vel manifeſta eſt vel ſimplex, vel compoſita; ſimplex eſt quando vna qualitas peccat; vt intemperies calida, acida, ſalſa &c. Compoſita eſt, vbi plures qualitates in vitio ſunt: vt intemperies calida & ſalſa, frigida & acida &c. intemperies occulta eſt

quæ

quæ oritur a qualitatibus venenatis, vt ex aere, animalibus venenatis &c. ex aere prouenit, quando fluidum aereum, ab aquis ſtagnantibus putridis, diuturnis ſiccitatibus, terræ motibus &c. contagioſum euadit; vnde febres malignæ, peſtilentiales & peſtes ipſæ naſcuntur.

INTENTIO, idem quod *indicatio.*

INTERCALARES DIES, ſiue intercidentes, & ab aliis prouocatorii dicti, ſunt, in quibus vel ob vehementiam paroxyſmi, vel ob cauſam externam, corpus & ſucci irritantur ad intempeſtiuam expulſionem præſtandam. Tales ſunt dies tertius, quintus, nonus, decimus tertius, decimus nonus.

INTERCOLVMNE, idem quod *diapegma.*

INTERCOSTALES MVSCVLI, in vtroque latere viginti duo ſunt, vndecim externi & totidem interni: Omnes coſtis intertexuntur. Fibras habent obliquas, & inuicem inſtar X ſeſe interſecantes. Externi oriuntur a ſuperiorum coſtarum inferioribus partibus, & oblique verſus poſteriora deſcendentes inſeruntur in inferiorum partes ſuperiores. Interni contra. G. Die Muſculn zwiſchen den Rippen.

INTERCOSTALIS NERVVS, eſt neruus pari vago a medulla ſpinali acceſſorius, qui & in abdomine per omnia viſcera ſpargitur, & cum carotide interna cerebrum ingreditur, coniunctusque cum pari tertio & quinto oculos petit, hinc ipſo in ceruice læſo, viſus animali perit. G. die Nerven zwiſchen den Rippen.

INTERCVRRENS, vocatur febris continuæ quædam ſpecies, quæ certis annis variat, & modo diuerſa eſt a febribus iſto anno graſſantibus, ſiue fuerit mitis vel ſæua, vnde inter iſtius anni ſtationarias modo huc & illuc intercurrit.

INTERCVS, vide *anaſarca.*

INTERFÆMINEVM, idem quod *perinæum.*

INTERMISSIO FEBRIVM, vide *apyrexia.*

INTERMITTENS FEBRIS, dicitur, quando per vnum vel plures dies febris plane intermittit, quæ poſtea redit; eaque tunc eſt *quotidiana, tertiana, quartana,* quibus nonnulli *quintanam* addunt. G. Kalte Fieber.

INTERNODIVM, eſt digitorum oſſium mutua colligatio, articulatio & ordine ſucceſſio. G. Abſatz, Gelencke.

INTEROSSEI MVSCVLI, ſiue ABDVCTORES, ſunt ſex in ſpatiis metacarpi, tres exteriores & tres interiores, qui cum vermicularibus coeuntes, per latera exteriora & interiora digitorum incedunt, tendinesque ſuos ad tria internodia ex-

tendunt, extenſioni aliquantulum inſeruiunt. Externi palmæ incumbunt, interni volæ inter metacarpi oſſa. Ita in pede decem habentur *abductores interoſſei* a pedis oſſibus nati, & ſpacia metacarpi replentes. Externi vel interni ſunt, illi tendine lato ad primum digitorum internodium per latera aſſurgunt; hi ad ſecundum internodium: nonus vero ad pollicis, ad minimi digiti adductionem decimus inſeruit.

INTERPASSATIO, dicitur de ſacculis ſeu fomentis ſiccis, idemque eſt quod *interſuere*, ne materia incluſa conglomeretur, cuius rei gratia quoque Goſſypio pulueres ſuſcipi ſolent. G. Zwiſchennath. Scribunt aliqui *interbaſtatio* & *interbaſtare*. Sunt verba ex barbaro æuo ad nos propagata.

INTERSCAPVLARIA, ſunt cauitates inter ſcapulam & vertebras.

INTERSCAPVLIVM, eſt proceſſus ſcapulæ in gibba eius parte, qui vulgo dicitur ſpina.

INTERTRIGO, vel ATTRITVS, Gr. ἔκτριμμα, eſt partium ano vicinarum ſeu partium inter femora ſitarum, excoriatio, vel pelliculæ abraſio a motu vehementiori, præcipue equitatione orta. Frequenter id euenit infantibus, vt cuticula in coxis a vera cute ſeparetur & quaſi abradatur, atque dolor eo loci excitetur; qui infantes inſomnes atque inquietos reddit. Gr. δάρσις a δέρω excorio. G. Abgeſchabete Haut.

INTESTINA, vide *Enteron*.

INTVBVS & INTVBVM, penult. corripit:

Intuba, iam teneris frondens lactucula fibris. Columell. lib. 10.

Intubus, eſt endiuiuia, Gr. Σέρις. *Intubum* Latini vocarunt a cauo tubæ ſpecie caule, vocatur etiam *ſeris* & *ſeriola*. Vide *endiuia*.

INTVMESCENTIA, idem quod *tumor*.

INVLA CAMPANA, vide *belenium*.

INVERTENTIA, medicamenta ſunt, quæ aciem ſtimuli infringunt, ita vt abeat in aliam naturam, figuramque; ſic acerrimum acidum inuertit acerrimum alcali in naturam mixtam, non acrem.

INVOLVCRVM CORDIS, vide *pericardium*.

IONTHVS, ſiue VARVS, eſt tuberculum paruum, durum, & calloſum, in faciei cute excitatum, ab ὄνθος fimus, quia faciem deturpat & fœdat. Alii ab ἄνθος flos, eo quod circa ætatis vigorem effloreſcit, deducunt. G. Venusblümlein, Finnen.

IOVIS

IOVIS BARBA, ſedum maius appellatur, quod ſcil. nonnullis locis plebis animos iampridem inuaſerit opinio, non ferері fulmine domum, in cuius tegulis vireat: hinc noſtris G. Donnerkraut. Quoniam iupiter rex fulminum eſt. Vide *barba iouis*.

IOVIS FLOS, vocatur crocus, propter ſplendorem, fulgoremque.

IPECACVANHA, eſt radix officinalis longa, tenuis, flexuoſa, nodoſa, multis exiguis porulis aſpera, extus ruffa, intus pallida, ſaporis amari, nauſeoſi; eſt purgans & adſtringens, vel potius emeticum mitiſſimum & tutiſſimum; & in dyſenteria probatum ſpecificum & famoſum, modo debita cum cautela, & prius bene cognita cauſa mali exhibeatur. Ante non multos annos ex Braſilia adferri cœpit.

IRIO ſeu IRION, Gr. ἐρύσιμον, viri docti *trionum* legendum eſſe cenſent. G. Wegſenff, Hederich, wilder Senff.

IRIS, Genitiuum format ἴρεως *Dioſcoridi l. 5. c. 65.* vt vel inde conſtet penult genitiui corripi. Format etiam genitiuum iridos, cuius & penult. corripitur:

Ἐν μὲν ἀριστολόχεια, καὶ ἴριδος, ἐν δέ τε νάρδε. *Nicander in Theriac.*

Iris, duplex eſt, noſtras & illyrica, prior habet folia pedem vnum vel ſesquipedem longa, duos digitos lata, rigida, ſtriata, acuta intra hæc oritur caulis duos circiter pedes altus, rectus, rotundus, puluiſculo farinaceo obductus, in tres vel quatuor ramos diuiſus: flos liliaceus monopetalus, ad exortum veluti infundibuliformis, & in ſex partes ampliatus, quarum tres partes ſurſum, tres vero deorſum inflexis, ita incumbentibus, vt palati cuiusdam ſpeciem præ ſe ferant. Ouarium ex fine pedunculi natum fit fructus oblongus, trigonus, fœtus ſeminibus obrotundis: radix oblonga, craſſa, flexilis, carnoſa, repens, tuberoſa, digitum craſſa, paululum compreſſa, externe coloris griſei, interne albi, ſaporis amaricantis, acris ſubpinguis, odoris fragrantis & violacei: creſcit hæc planta in partis & aruis: iris Florentina parum ab hac differt: habet enim hæc folia anguſtiora & flores albos: ſed viribus valde differt iris noſtras ab illyrica. Planta ab arcus cæleſtis ſimilitudine, quia florum folia incuruantur, nomen ſortitur, quam flores eius repræſentant. In quibusdam codicibus habetur ἱερὶς, & vertitur ideo *conſecratrix*, quod in ſacrificiis, purificationibusque ſuis antiquitas iride ſit vſa. Aliis ἐρανία cæleſtis, quod cæleſtis arcus ſpecie & modo floreat. G. Blaue Lilien, Violwurtzel.

IRIS, in oculo vocatur circulus ille varie coloratus, in me-medio perforatus, qui anterius in oculo, vbi cornea pellucida eſt, conſpicitur. Eſt hæc autem productio piæ matris neruum opticum inuoluentis, quæ expanſa pro capacitate bulbi oculi, anterius vbi cornea pellucida eſt, ab illa introrſum reflectitur, & ob arterias, venas, vaſa lymphatica in cauum corneæ hiantia, tam emittentia quam abſorbentia, infinitosque neruos ſuos, quaſi radiis totidem centrum petit, quæ in lymbum orbicularem muſculoſum pariter deſinunt, quibus vtrisque amplitudo & figura pupillæ definitur, dum ſe contrahunt vel relaxant. G. Das Körnlein um den Augapffel.

ISATIS, eſt planta, quæ habet caules tres pedes altos, minoris digiti craſſitie, rotundos, rigidos, politos, rubicundos, in ſummitate in multos ramos diuiſos, habentes multa folia ſiue ordine diſpoſita, oblonga, lata, ad cynogloſſum accedentia, polita, ſucculentiſſima: flores ſunt exigui, quadrifidi, flaui, in crucem diſpoſiti, peduneulis exiguis adhærentes: poſt florem ſequitur ſiliqua compreſſa, oblonga, linguam exprimens, coloris nigricantis, quæ intus recondit duo ſemina plerumque oblonga: radix longa, alba, lignoſa, in inferiori parte minor, quam in ſuperiori, ſaporis amari & adſtringentis: hæc planta magna cura colitur in regionibus calidis, qua lintea, lana, &c. cæruleo colore inficiuntur, quidam *Glaſtum* olim fuiſſe putant, nunc *Guadum*. G. Weyd.

ISATODES, eſt bilis cœrulea, quæ glaſtum ſiue iſatidem colore refert, ex ἰσάτις glaſtum, & εἶδος forma. G. Blaue Galle.

ISCHÆMA, ſunt medicamenta ſanguinem ſiſtentia, quæ emplaſtica, aſtrictoria, refrigeratoria, vel exſiccatoria ſunt, vel meatus vaſorum apertorum claudunt, vel ſanguinis fluiditatem & motum vehementiorem imminuunt, vel ſiſtunt. Ab ἴσχω ſiſto, & αἷμα ſanguis. G. Blutſtopffende Mitel. Sic quoque dicitur graminis ſpecies, a Thracibus primum inuenta, qua ferunt ſanguinem ſiſti; alii per antiphraſin contrarium ſcribunt, quod eius ſpica naribus indita ſanguinem potius proliciat.

ISCHAS, eſt ficus ſiccatus; dicitur quaſi ἰσχνὰς ab ἰσχνᾶσθαι arefactum, ſiccatum eſſe, ita vocatur etiam *apios*, quod eius radix exſiccatum ficum referat. Vide *apios*.

ISCHIAS, eſt arthritis coxendicis, ſedem ſuam circa articulum oſſis femoris cum coxendice in ligamentoſis partibus habens, ab ἴσχις lumbus, ὀσφὺς *Heſychio*. G. Hüfftwehe.

ISCHI-

ISCHIVM, eſt coxa, ſiue coxendis. Gr. ἰσχίον. G. Das Hüfftbein.

ISCHNOPHONVS, eſt vox gracilis, ex ἰσχνὸς gracilis, & φωνὴ vox. G. Kleine Stimme.

ISCHVRETICA, ſunt medicamenta quæ vrinam ſuppreſſam emingi curant, ab ἰσχουρία, vrinæ retentio. G. Harntreibende Mittel.

ISCHVRIA, eſt duplex *vera* vel *notha*. *Vera* eſt, quando vrina in veſica hærens emingi nequit, quamuis æger perpetuo mingendi deſiderio laborat: hic circa pubem tumor dolorque circumſcriptus oritur, verum cathetere immiſſo prodit vrina. *Notha* eſt, quando vitio renum vel vreterum nulla vrina ad veſicam mittitur, nec dolor, tumor, nec conatus mingendi adeſt, ſed vel vrina non ſecernitur in renibus, vel ſecreta, ob impeditum exitum, readmiſcetur ſanguini. Quod in veſicæ aut renum calculo, in obſtructione arteriarum renalium vel vreterum, vel vrethræ a pituita aut concreto ſanguine, aut hærentibus lapillis, contingit. Etiam in ſudoribus, vomitu, vel alui fluxu copioſis: imo in imbecillitate, paralyſi veſicæ aut penis, delirio, apoplexia, lethargo &c. locum habet, ab ἴσχω cohibeo, & οὖρον vrina. G. Verhaltung des Harns.

ISTHMVS, eſt ea pars, quæ inter os & gulam ſeu guttur in modum iſthmi interiacet. Item, interſepimentum vel diſcrimen narium: interfinium *Iſidoro*. Imbrex narium *Arnobio* ſcite dicitur. Item ἰσθμιον, συλὶς, κίων, διάφραγμα, &c. G. Wand der Naſenlöcher.

ITMOIDEA OSSA, vide *ethmoides*.

ITINERARIVM, eſt inſtrumentum chirurgicum, lithotomis in vſu, quod vrethræ intruſum, crenatum eſt, vt cum certitudine inciſio in eo fiat. Vide *catheter*.

IVA ARTHETICA ſeu MOSCATA, eſt chamæpytis, *aiuga* ſiue *abiga*, Latinis dicitur. Inuenitur & *ibiga* vocari, quod nomen fere ſeruant illyrici, hinc abiectis duabus literis *i* & *g* fit *iba*, vnde *iua* manauit in vulgi nomenclationem. Vide *abiga*.

IVBA, eſt arundinacea coma effuſa, qualis eſt in milio.

IVDAICVM BITVMEN, vide *aſphaltum*.

IVDAICVS LAPIS, oliuæ ſpecie oblonge rotundus, tener, ſtriis ſecundum longitudinem diſcurrentibus & æquidiſtantibus, ac ſi torno factæ eſſent; colore eſt ſubcinereo, duritie ſilici vix cedente, fractus, intus glaber & politus, reperitur in Iudæa, vnde & nomen accepiſſe videtur, imo & ex Si-

leſia huc adfertur. Maiores vocant maſculos, minores vero fœminas. In nephritide ſæpe præſcribitur. G. Judenſtein. Dicitur *Aetio* lapis Syriacus, aliis tecolithos.

IVGALE OS, idem quod *Zygoma*.

IVGLANS, eſt arbor nucifera, ſic appellatur quaſi *Iouis glans*, ob nucis præſtantiam & excellentiam: Gr. *διὸς βάλανος*, *κάρυον βασιλικόν*. Porro regia nux & *Perſica*. G. Welſche Nuß, Wallnuß.

IVGVLARIS VENA, eſt illa quæ iuxta iugulum cranium petit, tam interna, quam externa. G. Die Halsader.

IVGVLVM, idem quod *furcula*.

IVIVBÆ dicuntur *Officinis*, quæ *Actuario ζίζυφα*, *Myrepſo ζίνζιφα*, *Simeoni Zethi ζίτζινφα*. Gallis *ion ioube*, quam nomenclaturam a zizyphis corrupta voce detortam eſſe opinatur in *Etym. Martinius*. Quod ſi a *ion ioube* Gallorum nomen inuenerint *iuiubæ*, vt veroſimile eſt, vndecunque tandem *ion ioube* hauſerint Galli, neceſſe eſt penultimam produci, quod Gallorum *iou* longum v conſtituat. Iuiubæ, eſt prunorum ſpecies, extus rubræ ſunt, dulcem habentes ſaporem; arbor prunum vix ſuperat, folia habet parua, & ſerrata, ex Italia fructus nobis adferuntur, qui in pectoris morbis vſui ſunt. G. Bruſtbeerlein. Dicuntur & *Ziziphæ*.

IVLEBVS, vox *Officinarum* (quibusdam iulapium, & zulapium) penult. producit: deſcendit ab Arabico *ſialaba*, ſi credimus *Sennerto*, quod eſt medicari, ſanare. Cæterum conuenientius deriuabitur ab Arabico *golabon*, quod iulebum, ſeu iulapium hodieque deſignat, vt probe iam ante *Golius in Lexic. Arab.* obſeruauit. *Golabon* autem propter eliph quieſcens, penultimæ moram neceſſario extendit, producitque, Natales ei a voce Perſica *gul*, id eſt, roſa, & *ab*, id eſt: aqua, quod initio iulebi ex ſola roſacea aqua ſaccharo permiſta conficerentur, qualis etiamnum *Iulebus Raſarum Alexandrinus* appellatus. Sequitur hinc, *iuleb* rectius dici quam *iulep*, & *gulab* quam *iuleb*. Iulepus eſt medicamentum liquidum internum, ſapore gratum & perſpicuum, ex liquore idoneo cum ſyrupo vel ſaccharo ex tempore ſine coctione mixtum, in tres quatuorue doſes ad alterandum vel refrigerandum compoſitum. Conſtat communiter ex libra vna & ſemiſſe aquæ hordei, vel eſt aquis deſtillatis, rariſſime vino, ex ſyrupo refrigerante ribeſiorum, berberum, violarum &c. frequenter aliquot guttæ ſpirit. ſulphur. vitrioli, ſalis &c. ad gratum ſaporem admiſcentur. *Arabibus* vox iulebi a ſyrupis non diſtinguitur. G. ein Kühltranck, Julep.

IVLVS, penult. prod. quia *Theophraſto l. 3. c. 7.* ἴουλοι appellantur. Iulus, iuli, ſunt folia primum erumpentia. G. Die erſte anſchieſſende Blätter. Stricte *iulus* tam Gr. quam Lat. eſt quod in corylo compactili callo recamatim cohæret, & veluti prælongus vermis, ſingulari pediculo penſile nititur, & fructum præcedit. G. Die Kätzlein an Haſelſtauden.

IVNCTVRA, idem quod *diarthroſis*.

IVNCVS, eſt planta, quæ creſcit in paludibus, aut iuxta aquas, habetque plures caules vel tubos duos pedes altos, ſatis craſſos, rigidos, acutos, cortice denſo obductos, & medulla ſatis dura & fungoſa plenos: & a radice tunicis folioſis rubris, ad pedis altitudinem inſtructos; flos roſaceus eſt, ex cuius meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu capſulam plerumque trigonam, trifariam dehiſcentem, ſeminibusque fœtam vt plurimum ſubrotundis. Gr. Σχοῖνος, a iungendo quod viminum in modum iungat, vinciatque. G. Bintzen, Binſe.

IVNIPERVS, penult. corripit:

Iuniperi grauis vmbra, nocent & frugibus vmbræ. Virg. Ecl. 10.

Iuniperus, eſt arbuſcula, cuius truncus tenuis & cortice aſpero obductus: lignum eſt compactum, durum, albeſcens & ſubinde rutilans, ſaporis nullius, nec manifeſti odoris, niſi fricetur durius, aut accendatur: valde ramoſa eſt, habetque folia parua, anguſta, acuta, dura, vna parte conuexa, ab altera plana reperiuntur: ſunt ſaporis ſubdulcis, ſubacris adſtringentis, & reſinoſi, odoris fragrantis. Gr. ἀρκευθὶς, & ἄρκευθος, eſt arbor baccas ferens; dici putant, quod iuniores & nouellos fructus pariat; ſola enim fere arborum fœtus in biennium prorogat, qui ne matureſcunt quidem, nouis ſuperuenientibus. G. Krametbaum, Wacholderbaum.

IVNONIS ROSA, eſt lilium: veteres Græcorum poëtæ fingunt e Iunonis lacte reſperſa terra natum lilium. Namque cum Hercules puer, quem ex Alcmene ſuſtulerat Iupiter, Iunonis dormientis vberibus admotus eſſet, & lacte ſe repleſſet, poſt ſuctum illum mamma lacte copioſe profluxit. Quod in cælo a puero vago & incerto ſuctu perfuſum eſt, lacteam effecit viam: quod humi ſparſum eſt, *lilium* lacteo flore nitens creauit; vnde *roſa Iunonis* dictum.

IVPITER, per Iouem chymici ſignificant *ſtannum*, putant quoque ex planeta Ioue influentias fieri in certa ſubluna-

ria

ria corpora; ſed hæc potius mera figmenta quam veriſimilitudines ſunt. G. Zinn.

IVSQVIAMVS, idem quod *hyoſcyamus*.

IVVANS AVXILIVM, ſeu REMEDIVM, idem quod *indicatum*.

IXIA, idem quod *cirſos* & *varix*.

IXIA & IXINE, eſt cardui ſpecies chamæleontis nomine: dicitur quoque quibusdam in locis ἰξὸς, hoc eſt, viſcum, hoc enim ad eius reperitur radices, quo pro maſtiche vtuntur mulieres.

K.

KALI, eſt planta, quæ ad altitudinem trium circiter pedum creſcit, ſi bene colatur, multum ſe extendens, habetque ramos longos, rectos, ſatis craſſos, rubicundos: folia ſunt longa, anguſta, craſſa, carnoſa, acuminata, flos roſaceus polypetalus Tournefortio, aliis apetalus, fructus globoſus, membranaceus, fœtus ſemine vnico in cochleæ formam intorto, in centro calicis: tota planta habet ſaporem ſalis, creſcit in regionibus calidis, præſertim circa mare rubrum, vocatur & *alcali* & interdum *ſalicornia*, ex cuius cineribus ſal elicitur, ex quo vitrum, ſapo, &c. componitur. Kali & alcali nomina ſunt Arabica. G. Glaskraut.

KEIRI vel CHEIRI, eſt vox Mauritana; idem quod *leucoion*.

KERNES, *chermes, coccus infectoria, coccus baphica, granum tinctorum, ſcarlatum.* Fructus eſt famoſiſſimi fruticis, qui inſcribitur ilex, in quo *coccus baphica*, naſcitur in Creta[1], vti & in multis Hiſpaniæ locis, in Narbonenſi etiam Gallia & Prouincia, &c. G. Scharlachbeer, Kermeskörner.

KINA KINÆ, vide *cina cinæ*.

KIRATH, ſeu ſiliqua, eſt pondus veterum, pendens grana quatuor.

L.

LABIA LEPORINA, dicuntur ea, quæ ob vitioſam conformationem ſolutionem continui habent: quandoque ſolum labium ſuperius fiſſum eſt ſub naſo, nonnunquam ipſa oſſa palati ſimul dehiſcunt, quæ nonnullis roſtra leporina ſunt. G. Haſenſcharten.

LABIA PVDENDI MVLIEBRIS, pudendum proprie eſt, inter quæ rima eſt externa conſtituta, extuberantias habet, quæ monticuli veneris dicuntur, pilis decorati. Sunt corpora oblonga, mollia atque ſubſtantiam habentia, qualis nulla eſt in toto corpore, partim ex cute & carne, partim ſpongioſa, cui pinguedo ſubiacet duriuſcula. Interna labiorum commiſſura, in virginibus tenſa eſt, conſtricta ac veluti ligamentoſa, in corruptis laxa, vt & in his quæ pepererunt. G. Die Lippen der weiblichen Schaam.

LABIS, eſt *volſella*, ſiue *forceps*, qua aliquid extrahendi cauſa apprehenditur, Gr. λαβὶς.

LABIVM & LABRVM, eſt illa pars colore ſuo rutilo ob cutis huius teneritudinem conſpicua carnea, quæ os noſtrum vndique ambiens, illud quoque a parte ſuperiore claudit; ſiue oris margo. Sic & *labia* dicuntur, quibus interiora muliebris pudendi clauduntur. Ita & vulnerum extremitates *labia* appellantur. G. Leffzen, Lippen.

LABOR, idem quod exercitium. *Laboratores*, *Chymici* vulgo. Ein Laborant.

LABORATORIVM, eſt ille locus, in quo chymici ſuas operationes peragunt. Sic & omnis officina pharmaceutica, laboratorium eſt.

LABROSVLCIVM, vide *cheilocace*.

LABRVM VENERIS, vide *dipſacus*.

LABRVSCA, eſt bryonia, ſic dicta, quod in agrorum labris, hoc eſt, marginibus & ſepibus naſcatur. Vide *bryonia*.

LABRVM, eſt vas in quo *balneum* inſtituitur. Idem quoque ſignificabat quod *labium*.

LABYRINTHVS, proprie eſt corpus gyris & circumrotationibus inflexum: hinc nomen hoc translatum ad oſſis petroſi partem, quæ ſpectat occiput; eſt hæc enim oſſea fungoſa non tam dura ac os petroſum, ſed quaſi infinitis foraminibus, pertuſa, licet in ſuperiori ſuperficie glabra ſit: in hac hærent tres canales ſemicirculares; magnitudine varii, & mire intorti, & tantummodo quinque orificiis hiantes in cauitate veſtibuli, ſicque verum labyrinthum æmulantes. G. Der Irrgang im Ohr.

LAC, Gr. γάλα, eſt liquor albus ex mammis, vel vberibus emulctus; fit ſequeſtratione chyli a ſanguine arterioſo, per glandulas mamillares. Lactis generatio incipit plerumque poſt fœtus geſtationem vel paulo ante partum, deſinit vero in vetu-

lis,

lis, grauidis & menſtruatis, ipſe quoque chylus, lactis denominationem meretur. Sic & albi ſucci ex taraxaco, papauere, tithymalio, eſula &c. emanantes, lac vocantur. G. Milch.

LAC LVNÆ, eſt ſubſtantia alba, fungoſa, friabilis, leuiſſima, in fornicibus ſpeluncarum aut ſaxorum commiſſuris Heluetiæ & Noruegiæ reperiunda, ſaporis ſubdulcis, leuiter adſtringentis, conuenitque in vſu cum lapidibus cancrorum: vocatur quoque *fungus petræus*, *agaricus mineralis*, *ſtenomarga*, *lapis morochtus*.

LACCA, in Pegu & Siamo vaſta inuenitur arbor, foliis quodammodo pruni in cuius ſurculis & minutioribus ramulis magnæ alatæ & punicei coloris formicæ, in terræ viſceribus aliisque locis enatæ, hanc laccam elaborantes inueniuntur: hæ ſuper flores, frutices arbores ac herbas circumuolitant, ex quibus non ſecus ac apes, laccæ conficiendæ materiam, colligunt, ac in communes operas conferunt. Atque hoc modo ramulis laccæ materia circumuoluitur, vti ad nos deferuntur. Eodem forte modo & in aliis regionibus colligitur, vti in Sumatra inſula, Bengela, Martaba, Malauar &c. Lacca colorem habet rubrum, & diaphanum; fumum igni iniecta gratum emittit: Triplex in officinis proſtat 1. lacca in ramulis. 2. Lacca in granis. 3. Lacca in maſſis, quæ eſt puriſſima ex granulis liquatis confecta. Gr. Κάγκαμον.

LACERTVS, vide *brachium*.

LACHRYMA IOBI, eſt lithoſpermum maius; ſic appellatur, quod eius ſemen lachrymas refert.

LACHRYMALE PVNCTVM, vide *colliciæ*.

LACHRYMÆ, ſunt humiditates, quæ a glandulis oculi ad oculos humectandos, pellucidos tenendos, & ſordes eluendas ſecernuntur, quæ ſi nimiæ fuerint, ita vt a punctis lachrymalibus non recipiantur, extra oculos in genas decidunt, & lachrymarum nomine veniunt. G. Die Zähren, Thränen. Item *lachryma*, eſt quoque humor e vegetabilibus tum ſponte effluens, tum facta inciſione, vti lachryma thuris, opii, ſanguinis draconis, &c.

LACHRYMALIS DVCTVS, vide *ductus*.

LACINIÆ, vegetabilium partes ſunt extremæ particulatim decoris gratia conciſæ, orarumque ſummarum cæſuræ, inde folia membranatim per flexuras digeſta, vel natiuis ſegminibus diſcreta, laciniata vocitantur.

LACONICVM, ſiue CALDARIVM, & ASSA, ſiue BALNEVM AEREVM, cella olim erat ſicca, ad proue-

prouocandum ſudorem potiſſimum inſtituta, & ob id a nonnullis *calida ſudatio*, ſicuti a *Cicerone & Celſo Aſſa* nuncupata fuit, in hac vapor calidus, ſeu calor ſiccus incluſus ſudorem prouocabat. G. Ein trocken Bad.

LACTATIO, eſt lactis pro infantis nutritione ex mammis exſuctio. G. Milchſäugung.

LACTEA FEBRIS, eſt illa, quæ primis puerperii diebus puerperis ſuperuenit, qua ceſſante lac in mammis colligitur. G. Das Milchfieber.

LACTES, quidam pro pancreate, vel meſenterio, alii pro lacteis vaſis ſumunt; pro inteſtinis tamen non inepte ſumeretur. *Plauti* enim verba ſunt

Ita cibi vacuitate venio laxis lactibus.

hoc eſt, laxis & inanibus inteſtinis. *Lactes* etiam ſunt piſcium materia ſeminalis, qua oua fœcundantur. G. Die Milch in den Fiſchen.

LACTVCA, penult. producit:

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat auorum,
Dic mihi, cur noſtras incboat illa dapes? Martialis l. 13. ep. 14.

Lactuca planta culinaris, ſic dicta, quod abundantia lactis exuberet, vel quod lactis copiam mulieribus augeat. G. Lattich, Salat.

LACTVCA SVLVATICA, idem quod *hieracium.*

LACTVCELLA, eſt ſonchus.

LACTVMINA, idem quod *aphthæ*, aut *achores.*

LACVNÆ, ſunt poruli ſiue foueæ, ſeu rugæ in vteri vagina, nullibi maiores quam in inferiore parte meatus vrinarii: ex ductibus illis materia quædam ſeroſo pituitoſa emanat, pro ſemine habita, quæ vaginam lubricat, & in Veneris quidem actu magna copia foras prorumpit. Lactantio *philtrum*, cauum in labro ſuperiore ſub naribus. *Gr.* φίλτρον.

LADANVM, penult. corripit:

Ἄλλο δέ τι κατὰ γαῖαν ἐρεμβῶν λήδανον εὕροις. *Rufus* apud *Galenum. Honterus & Vindicianus* penult. etiam recte corripuere, ſed primam corripuere perperam, quia κίςος λῆδον ei natales largitur, vnde non ſolum λάδανον Græcis dicitur, ſed & λήδανον. Ladanum, ſeu Labdanum eſt liquor pinguis ex ciſti ledi foliis exſudans, qui canicularibus diebus in Cypro, Candia, Lybia, Arabia &c. inſtrumentis quibusdam colligitur, & poſtea ſoli, vt induretur, exponitur. Quod ad nos fertur, durum eſt, friabile,

colore opacum, cinereum aut ſubnigrum, inflammabile, cuius fumus grati eſt odoris, ideoque in ſuffitibus & odoramentis, vſitatiſſimum. *Ladanum*, deriuatur a ladon ſeu ledum, vide *Ledum.*

LÆVIGATIO, eſt exactiſſima trituratio; qua medicamentum aliquod marmore, porphyrite, vel alio lapide polito, affuſo liquore conueniente, vel etiam vino, molari lapide, manu verſatili, tam diu verſatur, vt in pollinis pulueriſque pene impalpabilis formam redigatur, eo modo, quo pictores ſuos colores præparare ſolent. Chymicis dicitur alcohol.

LAGOCHILVS, dicitur is, qui leporina ſeu fiſſa labia habet, ex λαγῶς, lepus, & χεῖλος labium. Vide *labia leporina.*

LAGOPTHALMVS, ſiue OCVLVS LEPORINVS, eſt, cum ſuperior palpebra oculum non plane obtegit, manente nonnihil aperto oculo, cum ſomnum capiunt; eiusque ſunt quatuor caſus, a natiuitate, vel cum a peruerſa conſuetudine retro ſpectandi efficitur: vel cum conuulſione tunica affligitur; vel cum cicatrix dura remanet a vulnere vel vlcere curato, ex λαγὼς lepus, & ὀφθαλμὸς oculus. G. Haſenaugen.

LAGOPVS, eſt trifolii ſpecies, cuius ſummitates pedem leporinum referunt. Ex λαγὼς lepus, & πᾶς pes. G. Haſenklee.

LAMBDOIDES, eſt ſutura cranii poſterior, os occipitis ab oſſibus bregmatis & temporum diuidens, a ſimilitudine Λ dicta. Item os hyoides, ex λάμβδα & εἶδος forma. G. Die dreyeckige Fuge des Hirnſchedels.

LAMINA SPIRALIS, vide *cochlea.*

LAMIVM, eſt vrticæ mortuæ ſpecies, quæ habet plures caules longos, quadratos, excauatos, ramoſos: folia vrticam referunt, ſed minora, breuiora, lanuginoſa, non pungentia, mollia, in margine inciſa, caulibus ſatis longis adhærentia: flores in ſummitate caulium verticillati, parui purpurei, labiati; cuius labium ſuperius cochlearis inſtar eſt excauatum, inferius vero bifidum, cordiforme, deſinuntque ambo in fauces marginatas; ex calice autem tubulato ac quinquepartito ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar claui infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina, in capſula, quæ floris calix fuit recondita, & ſunt ſatis craſſa triangularia, rubicunda, ſplendentia, per maturitatem decidentia: radix eſt tenuis, fibroſa; tota planta habet odo-

odorem fœtidum: A nonnullis galeopſis dicitur, quia eius flos felis vultum refert, dum mordere vult: huius plantæ variæ dantur ſpecies. G. Taube Neſſel.

LAMPSANA, eſt planta, quæ habet caulem tres circiter pedes altum, rotundum ſtriatum, rubicundum, excauatum, ramoſum: folia inferiora magnitudine & figura accedunt ad ſouchum læuem, alternatim diſpoſita, parum mollia, villoſa, ſuperiora ſunt oblonga, anguſta, acuta, ſine caulibus: flos ſemifloſculoſus, plurimis ſcilicet petalis conſtans, embryoni inſidentibus, & calice comprehenſis monophyllo, & multifido, qui deinde abit in capſulam ſtriatam, ſeminibusque fœtam vt plurimum tenuibus & acutis: an ab λαπάζω euacuo, quia hæc planta comeſta aluum laxat? dicitur etiam papillaris herba, quia in fiſſuris mammarum vel papillarum optime conducit.

LANARIA, eſt *ſaponaria* ſeu *ſtruthion*, ſic dicta, quod ad candorem & mollitiem lanarum ea vſa fuerit antiquitas: vide *ſtruthium*.

LANCETTA, eſt cultellus chirurgicus, rectus acuminatus, anceps; in venæ ſectionibus, fiſtulis incidendis, vel ano, pene & vtero clauſo aperiendis, idoneus. G. ein Lancet.

LANVGO, in phytologia, ſunt filamenta tenella, plantarum cuticulæ extimæ inſtar pilorum ſeu lanæ adnaſcentia, vti in verbaſco, gnaphalio &c. G. das wöllichte an Kräutern. Alias eſt barbæ in pubeſcentibus primum rudimentum, lanæ inſtar prorumpens. G. Milchhaare.

LAPATHVM, penult. corripit:

Et lapithi breuis herba, ſed albo non ſine Coo. *Horat.* 2. *Sat.* 4. 29.

Lubrica iam lapathos, iam rhamni ſponte vireſcunt. *Colum. l.* 10.

Lapathum, ſiue Rumex, eius ſunt variæ ſpecies: eſt planta, quæ habet caulem ſtriatum, rubicundum, in ſummitate in multos ramos diuiſum: folia magna, ampla, longa, acuta, mollia, coloris viridis obſcuri, caulibus longis & rubicundis adhærentia: flores iuxta ramos diſpoſiti, multis ſtaminibus conſtantes: finis pedunculi intra calicem dat placentulam, cui innaſcitur ouarium triquetrum tribus tubis, apice eleganter fimbriato, quæ lateraliter eminent extra ſegmenta capſulæ, ſemina triangula, ſplendentia, in capſula membranoſa incluſa: radix magna, externe fuſca, interne flaua, aut crocea, multas fibras habens, ſaporis amari, adſtringentis: deriuatur a λαπάζειν, ab

inaniendo, quod eius decoctum aluum moueat, exinaniatque: dicitur & patientia. G. Mengelwurtz, Grindwurtz.

LAPIDES, in vegetabilibus, cortices duriores nucleum includentes, dicuntur lapides. In animalibus habentur, vti ſunt calculi ex corpore humano, lapis porcinus, bezoar &c. Inter mineralia ſunt lapides pretioſi & minus pretioſi, ita autem vocantur foſſilia dura, non ductilia, ſed fragilia, in igne fixa, neque facile fundenda vllo igne, in aqua haud ſoluenda. Nomen nonnullis quoque imponitur medicamentis, quæ ad duritiem lapideam vel terreſtrem excocta ſunt, vt lapis prunellæ, infernalis &c.

LAPIDILLVM, eſt inſtrumentum chirurgicum, cochlearis forma, in extrahendis viſicæ calculis accommodatum. G. ein Steinlöffel.

LAPPA ſeu BARDANA, eſt planta, quæ creſcit ad altitudinem trium vel quatuor pedum: caules habet rectos, anguloſos, lanuginoſos, rubicundos; folia magna, ampla, in ſuperiore parte ex viridi fuſca, in inferiore albeſcentia, lanuginoſa: conſtat flore floſculoſo; ſemine pappis inſtructo breuibus, calice ſqammoſo hamato, ac veſtibus hærente comprehenſis: ſemina ſunt oblonga, craſſiuſcula, fuſca, ſtriata, ſaporis ſubamari, ſubacris, odoris nullius: radix craſſa, oblonga, intus alba, foris nigricans, ſaporis ſubdulcis, acris & amaricantis, odoris fere nullius. Creſcit hæc planta vbique circa vias, in duas diſtincta ſpecies, maiorem & minorem, quæ tamen inter ſe conueniunt viribus, neque magnitudine adeo differunt. Gr. *ἄρκειον*, *ὠροσώπιον*, & *προσωπίς*. Dicitur & perſonata, quia pueri ex foliis conficiunt id quod vocant laruas. G. Kletten.

LAPPAGO, videtur diminutiuum a lappa, & ſic vocatur *aparine*; nam eius ſemina veſtibus ſimiliter adhærent. Vide *aparine*.

LAQVEVS, eſt vinculum ita nexum, vt attractum vel pondere preſſum, claudatur: vtriusque vſus medicus eſt ad fracta luxataque oſſa extendenda, & repoſita ſuo loco retinenda, tum ad partes conſtringendas & arcte vinciendas: differentiæ laqueorum ſunt variæ, nomina ſortitæ vel ab inuentoribus, vel ab vſu, vel alicuius rei ſimilitudine & figura, vel nectendi modo vel effectu, quæ cum ſine delineatione ſint, vix ex ſola deſcriptione percipientur. G. ein Strick.

LARIX, eſt arbor conifera, ex qua etiam terebinthina exſtillat. Inſtar abietis alta, truncus rectus, cortice denſo, aſpero,

aſpero, fiſſo, fuſco obductus: rami ſunt longi, flexiles, tenues, incuruati: folia pini tenuiora; plura ſimul ex vno communi tuberculo inſtar penicilli nata: flos mas amentaceus, pluribus apiculis conſtans in vno loco a flore remoto, conicus, ſqammoſus, recondens ſub ſuis ſqammis ſemen foliatum: hæc arbor creſcit in regionibus calidis circa montes. Senio iam effætis adnaſcitur agaricum. G. Lerchenbaum.

LARYNGOTOMIA, idem quod *bronchotomia*.

LARYNX, GVTTVR, Gr. λάρυγξ βρόγχος, τραχεῖα ἀρτηρία. *Galeno* tamen λάρυγξ, proprie eſt caput & oſtium aſperæ arteriæ ſiue cartilaginoſæ arteriæ, conſtat ex quinque cartilaginibus. *Primum* par θυρεοειδὲς ſiue ſcutiforme dicitur, protuberantiam illam in collo, vulgo pomum Adami conſtituens: *Secundum* par κρικοειδὲς ſiue annularis, quæ inſtar annulli turcici rotunda eſt: *Tertia* & *quarta* cartilago aliis vnica, ſed ſi membrana exuitur, apparet gemina, dicitur ἀρυταινοειδὴς guttalis & glottis. *Quinta* ἐπιγλωττὶς appellatur, quæ rimam tegit & claudit. Inſeruit voci & reſpirationi. G. Die Gurgel, Kehle.

LASER & LASAR, Gr. σίλφιον, vnde habeat originem me latet: videtur eſſe vox Cyrenaica vnde olim ſolebat aduehi. Dicitur etiam *Laſerpitium*, eius caulis ferulaceus μάσπετον appellatur, folia ſunt apio ſimilia, ampla, magna, dentata: flos roſaceus, vmbellatus, plurimis ſcilicet petalis conſtans cordiformibus, in orbem poſitis, & calici inſidentibus: ſemen vero latum, membranoſum, oblongum, albeſcens, odoris & ſaporis angelicæ: radix longa, craſſa, interne nigricans, odoris ſatis grati: ex cuius caulibus & radice inciſis ὀπὸς, id eſt, ſuccus colligitur: quibusdam caulis σίλφιον, radix μαγύδαρις, & folium μάσπετα, dicuntur: ſuccum *Laſer* vocant: Auicennæ planta Laſerifera *alticht* & *biltit* dicitur; Interpretum aliqui *aſam* reddunt, forte voce ex *Laſer* corrupta. Non immerito dubitatur, an verum hodie Laſerpitium habeamus. Vide *Silphium*.

LASSITVDO, eſt maior defatigatio, & cum dolore aliquo, atque velut tenſione motarum partium, quam non modo ſentiunt, dum ſeſe mouent, ſed etiam quieti ſedentes, decumbentes, habetque rurſus quinque gradus. 1. In tota cute carnibusque ſentiunt ac ſi aciculis pungerentur, maxime ſi moueant ſe, aut laſſa membra contingant: dicitur *laſſitudo vlceroſa*. 2. Cum in membris laſſis præter alia ardorem percipiunt, dicitur *laſſitudo phlegmonodes*, quæ in febribus ipſis citra laborem, aut ſi velis ab inquietudine euenit. Hinc illud *Hippocratis* ſponta-

nea laſſitudo morbum denuntiat, id eſt febrem futuram, quæ iam leuis aliqua inuaſit. 3. Cum in profundo circa articulos, id eſt, in ligamentis & tendinibus, tenſio vrget, appellatur *laſſitudo tenſiua* ſiue *tenodes*. 4. Cum adhuc profundius in ipſis quaſi oſſibus, id eſt, in oſſium & epiphyſium & apophyſium perioſteo, contuſionis ſenſum habent, dicitur *laſſitudo contundens*, ſiue ὀϛεοκόπ☉. 5. Laſſitudo, quæ emaciatis, gracilibus hecticis aut pueris aut ſenibus facilis eſt. Gr. κόπ☉, κάματ☉. G. Müdigkeit.

LATERALIS MORBVS, idem quod *pleuritis*.

LATHYRIS, eſt eſulæ, cataputiæ aut tithymalli ſpecies. G. Springkraut, Springkörner.

LATHYRVS, eſt cicercula, leguminis ſpecies, habet caules flexiles, repentes, in multos ramos diuiſos, compreſſos, coſta elata margine foliato, folia bina tantum coniugata ad neruum in clauiculas abeuntem, oblonga, acuta, anguſta: flores ſunt leguminoſi, albi: ouarium vagina membranacea tectum ſit ſiliqua teres, compreſſa, alba, fœta ſemine modo cylindraceo, modo anguloſo, interne coloris flaui: radix exigua & fibroſa: hæc planta inſeruit ornamentis hortorum. G. Platte Erbſen.

LATISSIMVS DORSI MVSCVLVS, vide *ani ſcalptor*.

LAVAMENTVM, idem quod *fotus*.

LAVATIO, potiſſimum dicitur de reſinoſis, terreis, mineralibus & metallis, cum aqua vel alio liquore, ab immunditie purgatis, poſteaquam demum exſiccatis, vt in aloe lota, lapidibus &c.

LAVDANVM opiatum, penult. producit; nonnulli quidem penult. corripiunt, ad imitationem *ladani*, ſed perperam; quid enim *laudano Paracelſi* commune eſt cum *ladano Dioſcoridis?* etenim *Paracelſus*, primus vocis *laudani* architectus, qui *laudani* ſui meminit *comment. de morb. diſſolut.* & qui *l. 2. de vita long.* atque alibi, *laudanum* ſuum *perlatum* commendat, haud dubie a laudata eius efficacia nomen eidem aſſignauit. Vnde *Schrœderus* in *Pharm. laudanum*, inquit, *quaſi laudatum medicamentum*. Et *Iohnſonus* in *Lexic. Chym.* *Laudanum*, ait, *medicina eſt laudatiſſima, ita a Theophraſto appellata, quod omni laude digniſſima ſit.* In cuius laudibus prolixior eſt *Oporinus*, adeo vt virtutes eius ad mortuos quoque reſuſcitandos porrigi confidenter ſcripſerit. Laudanum dicitur de ſolo medicamento ex opio confecto, idque *laudanum opiatum* vocitant, ob vires nempe quas præſtat laudabiles. Occurrunt variæ apud authores de-

ſcriptiones, dolores intolerabiles pellit, & fluxus quoscunque ſiſtit.

LAVENDVLA, ſeu LAVANDVLA, & PSEVDONARDVS, eſt planta, quæ habet caules duos vel tres pedes altos, duros, lignoſos, quadratos, folia ſunt oblonga, albeſcentia: flores parui, ſummis caulibus & ramis verticillatim innati, in ſpicam oblongam tritici æmulam congeſti, coloris cærulei: ſemina poſt flores parua, oblonga, capſulæ incluſa quæ flori tanquam calix inſeruiit: radix lignoſa: tota planta habet odorem penetrantem, aromaticum, gratum, ſaporem amarum, planta hæc officinalis ſic appellatur, eo quod balneis & hominum lauacris expetatur, elotaque omnia, ſi permiſceatur odoris commendet ſuauitate, ergo a Lauando nomen ſortitur: ſpica quoque dicitur, quia ſola ſpicas gerit inter omnes verticillatas plantas; nardus plurimis etiam vocatur: num ſit nardus veterum, id aliis inquirendum relinquimus. G. Lavendel, Spieke.

LAVER, ſiue SION, ſeu BECABVNGA AQVATICA, nomen haud dubie a lauando contraxit, quod aquis enatum ſemper elui gaudeat. Vide *becabunga*.

LAVREOLA, penult. corr. vt cætera diminutiua in ola, areola, bracteola, &c.

Laureolas dicunt veterum monumenta laborum. Mant. 6. Parth.

Laureolum velox etiam bene Lentulus egit. Iuuen. Sat. 8.

Laureola ſeu DAPHNOIDES, arbuſcula eſt ſemper virens, flore incarnato, cuius baccæ validiſſime purgant, eſt diminutiuum a voce *laurus*: nam a lauri forma & ſpecie, quam in foliis & fructu refert, dicta eſt. G. Zeilant, Kellerhals.

LAVROCERASVS, eſt frutex pulcher & viſui gratus, foliis laurinis, ſed maioribus, magis viridibus, & glabris; caulem habet rectum, ramoſum; eius cortex eſt ex viridi fuſcus; lignum eſt album, calix cauus, infundibuliformis, ora plana, quinquefida: flos roſaceus, pentapetalus, ſtaminibus multis fœcundus: ouarium in fundo calicis, inſtructum tuba longa, fit fructus ceraſo ſimilis, vnde nomen impoſitum; fœtus ille fructus eſt putamine obrotundo, tenui, fragili, continente ſemen oblongum, ſaporis amari. Hæc arbuſcula colitur in hortis. G. Lorbeerkirſchen.

LAVRVS, eſt arbor in regionibus calidis ad ſatis magnam altitudinem creſcens; truncus politus, non nodoſus: lignum poroſum & ſatis debile; rami longi: folia longa, duos vel tres

digitos lata, acuta, dura, ſemper virentia, parum ſucculenta, neruoſa, polita, odoratiſſima, ſaporis acris, amari, & adſtringentis, breuibus caulibus adhærentia: flores ſunt monopetali, peluiformes, multifidi, & plerumque nudi, ſtaminibus quaſi ramoſis & bracteatis conſtantes: ſub cortice exteriori tegumentum corneum ſeu durum habet. Antiquitas in laudis honorem ſolebat ex huius arboris ramis coronas nectere, Gr. Δάφνη. Poetæ fabulantur Daphnen puellam ab Apolline adamatam, cum vim eius effugere non poſſet, Deorum miſeratione in laurum fuiſſe mutatam. G. Lorbeerbaum.

LAVRVS ALEXANDRINA, Gr. δάφνη Ἀλεξάνδρεια, vel ἰδαία, officinis *vuularia*, Theophraſtus appellat ἐπιφυλλόκαρπον, quod fructum ſuper foliis ferat. Vide *hypogloſſum*.

LAXANTIA, ſunt medicamenta, quæ benignis ſtimulis hærentia in ventriculo & inteſtinis, ſoluendo, lubricando, ex aluo euacuant. G. Laxirende Mittel. Hoc autem nomine a nonnullis donantur medicamenta, quæ valent liquiditate ſua intrare vaſa corporis minima, illorum parietes ſua grauitate remouere; infarctumque expellere, apta fluori interponere, ita vt ſolida ante rigefacta, iterum horum ope reddantur apta flexioni, absque ſolutione continui.

LAZVLI LAPIS, eſt lapis intenſe cæruleus, non pellucidus, aureis punctulis, aut venulis exornatus, Armenio durior. Exinde præparatur color *vltramarinus* vulgo dictus. Alius eſt fixus, ex oriente fere allatus, qui colorem in igne non mutat, & alius eſt non fixus, cuius color in igne diſparet, & is in Germaniæ locis reperitur. Scopo purgandi tam ſuperius quam inferius, adhibetur intus. G. Lazurſtein.

LEBES, vide *cacabus*.

LEDVM, eſt ciſti ſpecies, vnde & *Ladanum* prouenit.

LEGVMEN, quid ſit omnibus notum: nominatur *a legendo*, quod manu legatur. Gr. φακή, χέδρωψ, ὄσπριον.

LEMNIA TERRA, eſt terra alba, tenax, ita tamen vt linguæ adhæreat ſine mordacitate, lubrica ob pinguedinem, in inſula Lemno effoſſa; vſus eiusdem ac terræ ſigillatæ, vocaturque *terra ſigillata Turcica*. G. Geſiegelte Erde.

LENIENTIA, idem quod *Laxantia*.

LENON, & LINON, Gr. ληνός, *torcular Herophili*, eſt ille locus in cerebro, vbi ſinus tertius meningis primo, ſecundo & quarto iungitur. G. Die Kelter im Gehirn.

LENS, & LENTICVLA eſt legumen minus. Habetque caules pedem circiter altos, ſatis craſſos, anguloſos, villoſos,

ſos, ramoſos, flexiles, in terram cadentes, niſi ſuſtineantur: folia oblonga, coniugata, vni coſtæ adnata, deſinenti in viticulam: flores ex alis foliorum erumpentes, leguminoſi, albi: flori ſuccedit ſiliqua breuis, parua, compreſſa, fœta ſeminibus orbicu'atis vtrimque conuexis, compreſſis, duris, politis, coloris albi, aut flaueſcentis, rubicundi aut nigricantis: radix exigua, alba, fibroſa: hæc planta creſcit in locis aridis. Gr. φακῆ, & φακὸς, vide *phace*. G. Linſe. Eſt & alia lentis ſpecies, quæ dicitur *aquatica*, foliola ſunt viridia, lentis magnitudinem habentia, & aquis innatantia. G. Meerlinſen.

LENTA FEBRIS, eſt, qua homo lente & emarceſcendo conſumitur, quæque ob paruitatem vix obſeruatur cum adeſt, huic adſunt quoque viſcerum; quorundam obſtructiones. G. ein langſames Fieber.

LENTICVLARE INSTRVMENTVM, pertinet ad operationes chirurgicas, eo oſſa minus glabra poliuntur. G. ein Poliermeſſer.

LENTIGINES, ſiue EPHELIDES, ſunt maculæ lentes colore referentes, quibus, in fœminis præcipue, facies interdum manus, brachia, & thoracis pars ſuperior aeri expoſita, nunc denſius, nunc rarius, quaſi guttatim, conſperſa eſt, ſine dolore & moleſtia, in quibusdam æſtatis ſolum tempore apparentes, hyeme vero euaneſcentes, in quibusdam vero perennantes. Gr. φακὸς. G. Sonnenflecken, Sommerflecken.

LENTISCVS, eſt arbuſcula maſtichen exſudans, valde ramoſa: rami eius ſunt craſſi, flexiles, cortice cinereo obducti: folia myrtum referunt, per paria ad vnam coſtam diſpoſita, non in vnum folium deſinentem, ſemper viridia, tenera, odoris fortis non ingrati, ſaporis adſtringentis, acidiuſculi, flores ex foliorum alis naſcuntur inſtar racemorum diſpoſiti, rubri vel coloris herbacei pallidi, ad purpureum accedentis: fructus ſunt baccæ rotundæ, nigræ, ſaporis acidi, habentes nucleum oblongum nigrum, durum, continentem medullam albam vel viridem. Ex hiſce baccis in Italia oleum conficitur. Creſcit hæc planta præcipue in inſula Chio. A *lenteo* propter eius virgultorum lentitudinem educunt, ſed malunt alii a foliorum pinguedine lentoreque, quem habent, cum manu tractantur. Gr. σχῖνος quaſi σχιςὸς fiſſilis; quod facile & frequenter in dentiſcalpia findatur. G. Maſtixbaum.

LEONTIASIS, idem quod *elephantiaſis*.

LEONTOPETALON, eſt planta, quæ habet folia ampla, fere rotunda, inſtar ſoldanellæ, hæc integra, illa laciniata, venoſa, coloris cæruleſcentis, longis caulibus adhærentia: ex his naſcitur caulis pedem circiter altus, lineis purpureo pallidis notatus, in multos ramos diuiſus, habens folia minora, & minus inciſa quam ſunt inferiora: flores in ſummitate ramorum naſcuntur, foliis oblongis intermiſti, & in ſpicam congeſti, magni inſtar ranunculi, quinque petalis conſtantes, oblongis, flauis, vel rubicundis in ſtellam diſpoſiti; flori ſuccedit capſula, habens in ſe ſemina magna, nigra: radix craſſa, rotunda, inæqualis, gibboſa, externe coloris cinerei, interne viridis ſubflaui, ſaporis amari: hæc planta creſcit in locis calidis, folium leoninum ſonat, ex λέων leo, & πέταλον folium: eius radix ictibus ſerpentum mederi dicitur. G. Löwenblat.

LEONTOPODIVM, ſiue PES LEONIS, eſt gnaphalii ſpecies; ſic dicitur propter villoſam foliorum & florum effigiem crus pedi annexum aliquantum referentem, λέων leo, & πȣ̃ς pes. G. Löwenfuß.

LEPIDIVM, vulgo *piperitis*: eſt planta: quæ plures habet caules duos vel tres pedes altos, rotundos, politos, medulla repletos, ramoſos: folia longa & ampla, inſtar mali citreæ, acuta pinguia, ex viridi in luteum vergentia, in margine inciſa, alternatim diſpoſita; folia partis inferioris caulibus longis adhærent: flores in ſummitate ramorum creſcentes, exigui, albi, quadrifidi, cruciformes: poſt florem ſequitur fructus, vel ſiliqua plana, vtcunque in cuſpidem deſinens, referensque ferrum vel cuſpidem haſtæ militaris & dehiſcens in duo loculamenta ſemina exigua, & oblonga continentia: radix longa, repens alba, digiti craſſitie, ſaporis acris: hæc planta creſcit in vmbra: appellatur, quod λεπίδας, hoc eſt ſqammas & maculas in facie deleat, & repurget, vel ἀπό τȣ̃ λεπίζειν, id eſt, ἐκδέρειν dictum, quod ſuâ acrimonia vrenti vlceret, excoriet, eaque facultate, vel ferro inuſtas fronti ſeruorum notas deleat. Vide *piperitis* G. Pfefferkraut.

LEPIDOIDES, eſt ſutura cranii *mendoſa*, ſiue *ſqammoſa*, a relatione appellata. Vide *mendoſa*, ex λεπὶς ſqamma, a λέπω decortico, & εἶδ☉ forma. G. Schupnath.

LEPORINA LABIA, idem quod *lagochilus*.

LEPORINVS OCVLVS, vide *lagophthalmus*.

LEPRA, eſt ſcabies ſicca, qua cutis in ſquammulas, piſcium inſtar mutatur. Differt a *leuce & alpho*, eo quod lepra

aſpera

aſpera eſt ad contactum & pruritum inducit; quandoquidem cutis ſola affecta eſt, ideoque excoriata cute, ſubiecta caro ſana apparet, a λεπρόω ſcabrum reddo. G. Die Maltzey, Auſſatz.

LEPRA ARABVM, idem quod *elephantiaſis Græcorum.*

LEPRA GRÆCORVM, ſiue IMPETIGO CELSI, Gr. ἀπὸ τῶν λεπίδων ſqammis denominata. Summus quidam *pſoræ* ſeu ſcabiei gradus eſt, mox autem in principio, ne quis authorum lectione turbetur, obſeruandum, nos hic de *Græcorum lepra*, non de *Arabum* loqui. Quem autem Arabes *lepram* nominant, ille *Græcorum* eſt *elephantiaſis*; qui nihil aliud eſt, quam vniuerſalis totius corporis *cancer.* *Lepra* eſt morbus ortum habens ex bile atra per totum corpus ſparſa, vnde intemperies partium, forma & figura, & tandum etiam ipſa continuitas corrumpitur, & eſt cancer communis corpori toti: *Græcorum* vero lepram nominant *Arabes albaram nigram. Albaras nigra*, idem eſt quod impetigo excoriatiua, & eſt ſcabioſitas accedens cuti, aſpera, vehemens, & facit ſqammas piſcium cum pruritu. Maior in *lepra* eſt humorum corruptio & intemperies, quam in *ſcabie*, & in ſcabie ſolum quædam corpora furfuracea decidunt, in *lepra* autem velut ſqammæ piſcium; ita vt a pruritu per ſcabiem ad lepram fiat tranſitus. Nam pruritus eſt leuis quædam cutis aſperitas, in qua, niſi forte violentius ſcalpatur, nihil ex cute decidit: in ſcabie poſtea iam humor euidentior eſt, & ſcalpentibus furfuracea quædam corpuſcula, ſed ſqammoſa, ſeu ſcalpentibus, ſeu non ſcalpentibus, decidunt: etenim in ſcabie materia eſt tenuior, quæ ſummam ſaltem cutim depopulatur: deinde in *lepra* materia craſſior eſt, non ſolum ſummam ſuperficem, ſed etiam profundiora cutis depaſcitur. Græcorum hanc *lepram* procul dubio ſub impetiginis nomine propoſuit *Celſus.* Non vero *lichenem Græcorum*, qui aliis impetigo dicitur, intellexit. G. Der Griechiſche Auſſatz.

LEPTOPITYRON, eſt furfur macer, ex λεπτὸς tenuis, gracilis, macer, & πίτυρον furfur.

LEPTYNTICA, idem quod *attenuantia*, a λεπτύνω attenuo.

LETHARGVS, eſt ſopor in morbis profundior, quam in comate vigili, ſed minor quam in comate ſomnolento & caro: tum quoque delirium & febris adſunt. Tumet facies, reliquum corpus marceſsit, manus tremunt, ſudant, & aliquando

do ſudorem frigidum, obliuione tenentur, vt matulam forte manu tenentes, mox eius obliuiſcantur, vrina turbata eſt, & febris cum lenta, tum acceſſiones imprimis circa veſperam habens, ex λήθη obliuio, & ἀργὸς otioſus. G. Die Schlaffſucht, Schlaffieber.

LEVATOR MVSCVLVS, eſt vnus ex ſcapulæ muſculis, ita per excellentiam nuncupatus, a transuerſo ſecundæ tertiæ & quartæ, nonnunquam quintæ colli vetebræ proceſſu, vario fibroſorum faſciculorum cœtu emergens, circa medium ipſi intricatiſſime connectitur, quæque etiam carnea alterius claſſis fibram neruoſam ſiue tendineam recipit. Validus ex parte carneus, ex parte tendineus, elatiori atque inferiori ſcapulæ angulo infigitur, atque hic ſcapulam eleuat. Dicitur & *patientiæ muſculus*. G. Der aufhebende Muſcul.

LEVCACANTHA, eſt ſpina alba, carlina, chamæleon, &c. ex λευκὴ alba, & ἄκανθα ſpina. G. Weiſſe Wegdiſtel.

LEVCANTHEMVM, habet omnia, quæ in chryſanthemo notata ſunt, niſi quod folia florem coronantia ſunt alba: radix eſt fibroſa, repens, ſaporis acris, quaſi albus flos, ſic chryſanthemum flore albo vocatur: ex λευκὸν album, & ἄνθος flos, cumque flos helenii ſit inſtar, dicitur flos ſolis albus.

LEVCE, ſeu VITILIGO ALBA, eſt mutatio, in qua pili cutis & nonnunquam ſubiectæ carnes in album colorem mutantur; caro puncta non ſentit, nec ſanguinem emittit ſed humorem lacteum. Dicta eſt λευκὴ a populo alba: quoniam, vt in illa arbore, ſunt veluti quædam lanugines, ſic in iſto affectu apparet albedo in ipſa cute: differt ab *alpho* quod *leuce* altius penetret & cutim mutet, ita vt etiam pili immutentur, a λευκὸς albus. Arab. *albaras alba*. G. Weiſſer Auſſatz.

LEVCELECTRVM, eſt ſuccinum album, ex λευκὸν album, & ἤλεκτρον ſuccinum.

LEVCOENVS, eſt vinum album, ex λευκὸν album, & οἶνος vinum.

LEVCOION, eſt planta, quæ habet caulem plus quam duos pedes altum, rotundum, lignoſum, in multos ramos diuiſum, lanugine alba inſtructos, & in arbuſculæ formam diſpoſitos: folia ſunt longa & ampla fere inſtar ſalicis, alba, mollia, lanuginoſa: flores in ſummitate ramorum creſcentes, quadrifidi, oblongi cruciformes, coloris rubicundi aut purpurei, aut violacei, aut albi, odoris ſuauis: flori ſuccedit ſiliqua oblonga, anguſta,

guſta, compreſſa, ſepto medio diſtincta, cui adhæreſcunt ſemina orbiculata, plana, ad margines foliata, coloris rubicundi, ſaporis acris: radix exigua ſed lignoſa & fortis: hæc planta colitur in hortis; variæ huius dantur ſpecies: flore albo, purpureo dilutiore vel ſaturatiore, aut ex ambobus interſperſo, quibus pleniſſimis horti ſuperbiunt. G. Levcoien. Eſt quoque narciſſoleucoium ſiue leucoium bulboſum hexaphyllon, vel leucoium bulboſum triphyllum, quaſi planta ad Leucoium & Narciſſum accedens. G. Schneeglöcklein. Ex λευκὸν album & ἴον viola, proprie vocatur viola alba.

LEVCOLACHANVM, eſt olus album, ſiue valeriana campeſtris, ex λευκὸν album & λάχανον olus.

LEVCOMA, eſt cicatrix vel macula opaca, alba, in cornea oculi tunica, ex incraſſatis vaſis per lamellas huius tunicæ currentibus oriunda, a λευκὸς albus. G. ein Maal, oder weiſſer Fleck am Auge.

LEVCOPHAGVM, fit ex amygdalis in aqua roſarum maceratis, & carne caponis vel perdicis elixa, tuſa & per ſetaceum traiecta: vſus eſt in phthiſi. Ex λευκὸν album, & φάγω edo. G. Weiſſe Hünerbrühe.

LEVCOPHLEGMATIA, eſt anaſarca pituitoſa, ſiue hydrops per totius corporis ambitum, ex λευκὸν album, & φλέγμα pituita. G. Weiſſe Waſſerſucht.

LEVCOPIPER, vide in *piper*.

LEVCORRHOEA, vide *fluor albus*.

LEVISTICVM *recentioribus, Galeno* λιβυςικὸν; *Dioſcoridi l. 3. c. 58.* λιγυςικὸν, liguſticum, quod plurimum in Liguria naſcitur, ad montes & mare Liguſticum, penult. corr.

Nam ſi procubuit, qui ſaxa Liguſtica portat. Iuuen. ſat. 3.

Leuiſticum, eſt planta, quæ habet caulem valde altum, craſſum, ſtriatum, nodoſum, excauatum, ramoſum: folia apii, ſed maiora, & ampliora, coloris ex viridi fuſci, ſplendentis, odoris penetrantis, non ingrati: flos eſt roſaceus, vmbellatus, plurimis ſcilicet petalis conſtans, in orbem poſitis: & calici inſidentibus. Is autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum oblongis, craſſiuſculis, apii ſemine maioribus, hinc gibbis & ſtriatis, inde vero planis, ſaporis acris, aromatici ſubdulcis, odoris fragrantis: radix oblonga, pollicari craſſitie, in fibras craſſiores diuiſa, foris fuſca, intus pallida, ſaporis acris aromatici ſubdulcis, odoris iucundi & fragrantis, non-

nullis

nullis grauis & moleſti: quibusdam *ſmyrnion*, & *liguſticum* vel laſerpitium germanicum. G. Liebſtöckel.

LEXIPYRETON. Vox apud Plinium & alios deinceps poſita, denotat medicinam quæ febres fugat, a λήγω, deſino, πυρετὸς, febris.

LIBANOS & LIBANOTOS, vnde olibanum, ſiue thus: ſic dicitur a monte Syriæ, vbi ex arbore thurifera ſtillat. Vide *thus*.

LIBANOTIS, alii rorem marinum vocant, nonnulli aliam herbam ex ferulaceis vnam: dicitur, quod radix thus ſeu olibanum oleat. Vide *roſmarinum*.

LIBER, eſt vegetabilium pars corticis interior, quæ ligno preſſius adhæret. Iis quibus ſcribimus libris nomen dedit.

LIBRA, apud medicos vncias duodecim pendet, apud mercatores ſexdecim. Sumitur quandoque pro *mina*. G. ein Pfund.

LIBVRNVM, eſt *Viburnum*, ſic forte dictum a Liburniæ regione.

LICHEN, eſt muſci viridis ſpecies: quæ in quercuum truncis creſcit, aliquando in lapidibus muſcoſis, hepaticam fontanam refert, ſed eſt multo maior: folia eius ſunt aſpera, ſicca, dura, coloris cinerei, punctis notata, lanuginoſa in parte inferiori, qua arbori adhæreſcunt, alba, fractu difficilia: ſic appellatur, quod contra lichenes, quo nomine vocantur omnes morbi cutanei, omnibus remediis anteponatur, vel quoniam ſaxa, quibus adhæret, linguæ modo lambat; a λάχω lambo. *Hepaticam* quoque recentiores vocarunt, quod iecinorum fibris ſimilis conſpiciatur. G. Leberkraut, Steinflechten.

LICHEN, Barbaris *Serpigo*: vulgus appellat *volaticam*. *Lichenes* ſunt aſperitates quædam cutis, & veluti tumores cum pruritu multo, ex quibus materia emanat. Græci & Arabes duo fecerunt lichenum genera, alterum benignum & mite: alterum ferum. Fit in toto corpore, ſed præſertim in facie & mento, vt habet *Galenus*, eſt enim lichen, *inquit*, menti iniucundiſſima affectio, quoniam pruriginem multam inducit, facit partium affectarum circumtenſionem: periculoſa eſt non parum, proſerpit per totam faciem, oculosque interdum contingit, & tandem etiam extremam fœditatem parit, *lichen Græcorum* eſt *impetigo Plinii*, ſiue inæqualitas cutis, cum inſigni pruritu & puſtulis ſiccis, ad vicina ſerpens & extendens. G. Flechten, ſchwinden, Zittermaal. *Lichen* etiam callus in equorum pedibus dicitur.

LIEN, idem quod *ſplen.*

LIENTERIA, eſt alui fluxus, ſeu leuitas inteſtinorum, qua alimenta cruda mutata parum, vel ſeparata, vel permiſtis fæcibus excernuntur, ita tamen vt ab his iſta dignoueris. Itaque alimenta non ſubſiſtunt in ventriculo, ſed mox in aluum propelluntur, cum murmure aliquo, diſtenſione, dolore & nauſea. Hic vero fluxus diu perſeuerans, vires admodum frangit. Ex λαῖον læue, ἔντερον inteſtinum. G. Der Bauchfluß.

LIGAMENTVM, Gr. σύνδεσμος, eſt pars ſolida, & admodum fibroſa, ſimili fere cum cartilagine duritie, ex multis membranis ſibi mutuo impoſitis & concretis ortum ducens, magnitudine, numero, ſitu, varia, lata vel rotunda, prout ad cartilaginis aut membranæ conſtitutionem accedit, ſiccior aut humidior, durior aut mollior, minus, magisque lenta & flexilis, colligandis partibus, maxime oſſibus, aut ad faciliorem motum deſtinatur. G. Ein Band, Spannadern, Sehnen.

LIGAMENTVM CILIARE, oritur ex circumferentia vueæ tunicæ, vbi duplicata membrana eius poſterior ſe reflectit ad cryſtallinum, & conſtituit ligamentum illud ſeu *interſtitium ciliare* dictum; quæ ſunt tenuia quædam filamenta muſculoſa ex vuea producta, referentia lineas nigras, palpebrarum pilis ſimiles, & vitreum humorem anterius protuberantem coercent, cryſtallinum connectunt; quamuis autem hæc filamenta radiata & libera videantur, cum atrum ex oculo ablutum ſit; tamen naturaliter adeſt membrana, quæ fibras has radiantes connectit inter ſe inuicem; radii vero hi ex vuea, vti ex circumferentia emiſſi, coeuntes verſus cryſtallinum humorem, centrum quaſi peterent, infinitis gaudent vaſculis tum per propriam ſubſtantiam currentibus, tum in ſpatiis intermediis luxuriantibus, & cum inuicem communicantibus, quæ artificioſa anatomicorum iniectio hoc tempore cum aliis claris inuentis, in oculis balænarum, aliorum animalium, & dein in hominibus detexit: vſum vero habere videntur, dum ſphærice anterius protuberent, & poſtice premantur extrorſum ab humore vitreo, vt dum ſe contrahant muſculorum inſtar & quidem inſtar diaphragmatis, fiant filamenta hæc radiata planiora, adeoque comprimant vitreum verſus poſteriora, ſed ille reſiſtentiam multo maiorem paſſus ob inflexiles fere tunicas oculi ambientes, ſcleroticam & adnatam &c. fertur iterum verſus anteriora in cryſtallinum, vbi minima eſt reſiſtentia, adeoque cryſtallini protuberantiam antrorſum conciliant. G. Der Augen Haarband.

LIGA-

LIGAMENTA VTERI, improprie dicta. Duo dicuntur rotunda ſiue teretria, inſtar lumbricorum. Oriuntur a lateribus fundi vteri & in oſſa pubis deſinunt. Alterum par latum eſt & membranoſum, vocanturque *veſpertilionum alæ.* Hæc habentur ad latera fundi. G. Bänder der Bärmutter.

LIGVLA, quarta pars cyathi dicitur, hoc eſt, ſemiunca, demptis ſc. duobus ſcriptulis. Item *clauicula.*

LIGVSTICVM, vide *leuiſticum.*

LIGVSTRVM, eſt magna arbuſcula, habens multos ramos longos, flexiles, cortice obductos cinereo, lignum eſt durum, & album: folia ex aduerſo per interualla naſcuntur, oblonga, anguſta, ſalicem referentia, ſed breuiora & craſſiora, atro virentia, ſplendentia, ſaporis acris, amaricantis, & parum adſtringentis: flores monopetali, infundibuliformes, tetrapetaloidei, & pentapetaloidei, calici exiguo innitentes: ouarium in imo calicis fit fructus globoſus, mollis, ſucco plenus, ſeminibusque fœtus vt plurimum quaternis, hinc gibbis, inde vero planis. Lignum huius arboris eſt adſtringens, hinc eius decoctum in morbis oris, ſcorbuto, diarrhæa conuenit: folia & flores ſimiliter vſurpantur in affectibus vbi adſtringendum, vt in affectibus quibusdam vuulæ & oris; herniis infantum &c. G. Hartriegel, Reinweiden.

LILIAGO, eſt phalangium, quia floſculos habet lilii in modum; eſt diminutiuum a lilium.

LILIASPHODELVS, eſt hemerocallis; componitur vox ex lilium & aſphodelus, vide ſuo loco.

LILIVM, penult. corr.

Florentes ferulas, & grandia lilia quaſſans. Virg. Ecl. 10.

Lilium, eſt planta, quæ habet caulem duos vel tres pedes altum, rotundum, rectum: folia ſunt longa, ſatis ampla, ſine caule caulibus adhærentia, polita, ſplendentia, tenera, ſuccum viſcoſum habentia: flos veluti campaniformis ex petalis ſex compoſitus, nunc magis nunc minus repandis: piſtillum abit in fructum oblongum, vt plurimum trigonum, in tria loculamenta diuiſum, ſeminibusque fœtum quaſi marginatis, gemina ſerie ſibi incumbentibus: radix bulboſa, carnoſis ſquammis conſtans, extrinſecus in orbem quaſi ſibi inuicem appoſitis, intus alba, extus parum fuſca, ſaporis mucilaginoſi & lenti, odoris nullius: Gr. κρίνον, & λείριον, vnde forte deſcendit lilium. Iridis ſpeciebus nomen illud κρίνον imponitur. Vide *roſa iunonis* G. Lilie, Lilgen.

LILIVM

LILIVM CONVALLIVM, vide *ephemerum*. Eſt planta, quæ habet folia lilii vel plantaginis, oblonga, ſatis ampla, viridia, polita: caulis eſt paruus, ſemipedem circiter altus, tenuis, anguloſus, nudus; finis pedunculi fit flos monopetalus, campaniformis, exiguus, obrotundus, in quinque vel ſex ſegmenta fiſſus, pendulus, ſpicatus albus, odoris grati, ſaporis amari; ex apice pedunculi intra florem ouarium naſcitur, quæ fit bacca mollis, ſubrotunda, rubicunda, continens ſemina denſe congeſta, rotundula, dura, amara; radix longa, parua, repens, alba: hæc planta creſcit in ſyluis & conuallibus; hinc lilium vocatur a ſimilitudine foliorum; & conuallium, quia in vallibus creſcit. G. Meyenblümlein.

LILIVM INTER SPINAS, eſt CAPRIFOLIVM, ſeu MATRISYLVA, ſic dictum, quod inter virgulta ſylueſtria, & ſpinas, odore lilii albi, creſcat. G. Waldwinde, Speckilien, ie länger ie lieber.

LIMATIO, eſt corporum duriorum mediante lima, tornoue, in puluerem groſſium redactio; locum quoque habet circa dentes acutos & oſſa carie vel excreſcentiis infecta. G. Das Feilen, Raſpeln.

LIMODORVM, quaſi famem cauſans, a λιμὸς fames δῶρον donum. Vide *orobanche*.

LIMONIA MALVS, & LIMONIVM, folia, flos, fructus vt citrei, ſed caro tenuor longe quam citrei, ipſe fructus minor; cortex tenuior, pulpa copioſior, ſuccus acidior; eſt citrei coloris fructus. Nomen videtur Indicum, vbi in vtraque India a Luſitanis *Limmes* & *Limmeties*. G. Limonien.

LIMONADA, eſt ſpecies iulepi, in quem limonum ſuccus, cum ſaccharo ingreditur.

LIMONIVM, eſt planta, quæ habet folia lapathi minora, læuiora, politioraque, minus atra, ſed hilari virore tincta, ex radice erumpentia, caules ex his aſſurgunt pedem alti, nudi, tenues, in plures ramos extenſi: flores ſunt vel caryophyllæi, vel monopetali: calix fit vaſculum ſeminale, quod vnicum complectitur ſemen arctiſſime, cum quo cadit: radix craſſa, rubra, ſaporis adſtringentis; in multis capitibus diuiſa: creſcit hæc planta in locis aquoſis & paludibus circa mare: herba limonii adſtringit, dicitur & pyrola, ſeu tintinnabulum, ſed & nonnullis aliis herbis imponitur illud nomen, quod videtur habere a λειμὼν, pratum.

LINAMENTVM, idem quod *motos*.

LINARIA, (ὄσυρις veterum exiſtimatur) *recentiorum* vox, a foliorum figura lini foliis ſimili, penult. corr. ob vocalem ante vocalem. Linaria, eſt herba quæ, vt diximus, linum repræſentat, habet plures caules ſesquipedem circiter altos, rotundos, tenues, quibus innaſcuntur plurima folia oblonga, anguſta, nullo ordine poſita, ſaporis amaricantis: flos eſt monopetalus, anomalus, perſonatus, & quidem ita vt poſteriori parte longam gerat caudam, anteriori vero bilabiatus, & ſuperior pars bifida, inferior trifida: calix flori ambiguo ſitu affigitur, quinquefidus: piſtillum floris abit in vaſculum rotundum acuminatum, quod per maturitatem in duas cauitates dehiſcit, in quibus ſemina ſunt compreſſa, nigricantia, & rotunda: radix longa, repens, lignoſa. Linaria a lino, quia eius folia linum referunt; quæ & thithymallum cypariſſiam adeo mentiuntur, vt niſi lac deeſſet, difficile foret diſtinguere, antequam floreat planta. G. Leinkraut, Harnkraut.

LINCTVS, idem quod *eclegma*.

LINEA ALBA, eſt tendinum quatuor muſculorum abdominis concurſus, exceptis rectorum tendinibus. Nam tendines obliquorum vniuntur, & ita coeunt ab vtraque parte, vt quaſi tunicam abdomini obductam forment, ac ſi vnicus eſſet tendo. Alba eſt & carnis expers, procedens a mucronata cartilagine ad os pubis, eſtque infra vmbilicum anguſtior, quam ſupra. G. Die weiſſe Linie.

LINGVA, eſt membrum in ore contentum, notæ figuræ & magnitudinis. In ſuperiori regione, copioſiſſima quædam corpora, ab extrema linguæ ſuperficie foras erumpunt, & modice incuruata verſus poſteriorem linguæ partem inclinationem habent, ita vt æmulentur pectinem carminatorium: hæc corpora in parte inferiori concauitatem quandam exhibent; componuntur ex denſa & tenaci materia, fibroſa, quæ quaſi virgularum aggeries videtur: circa linguæ latera gracileſcunt, vt fere obliterentur & in baſi eorum loco quædam corpora collocantur, quæ conum, mox obtuſiorem papillam æmulantur. Singula expoſita cornua exteriori linguæ membrana inueſtiuntur; quæ totam inueſtiens linguam, conſpicua foramina, ſingulis exaratis cornibus reſpondentia, habet; inter quæ innumeri & exigui meatus ad extimam linguæ ſuperficiem hiant. Deinde in conſpectum ſeſe offert neruoſum & papillare corpus ſubflauum, quod membranæ inſtar excurrit, papillas etiam nerueas inſignes miro ordine diſpoſitas promit. Succedunt alterius ordinis papillæ copioſiores enarratis, quot enim cornua

exte-

exterius linguam tegunt, tot etiam huius generis nerueæ papillæ intus reperiuntur; hæ exortæ a communi papillari corpore, in mediocrem altitudinem eleuantur, & ab extremo capite nerueas propagines vlterius emittunt: circa hæc conſpiciuntur innumeræ papillæ idem exordium ſortitæ, & ad eandem altitudinem eleuatæ, graciliores tamen, quæ coni figuram referentes, proprios ſinus, in iam exarata mucoſa ſubſtantia excitatos, ſubintrantes, tandem deſinunt verſus extimam membranam. Porro linguæ ſubſtantia muſculoſa eſt. Centrum autem linguæ ex multiplici fibrarum genere conſtat, longis, transuerſis & obliquis, quæ inuicem intextæ colliguntur, ita vt fiat veluti tegmen. Muſculis peculiaribus mouetur, quorum paria ſunt *ſtyloglosſum*, *baſioglosſum*, *genioglosſum*, *ceratoglosſum* & *myloglosſum*. Gr. γλῶσσα & γλῶττα. G. Die Zunge.

LINGVA CANIS, vel CANINA, vide *cynoglosſa*.

LINIMENTVM, a LINIRE, eſt medicamentum externum, conſiſtentia inter oleum & vnguentum media. G. Beſchmiernng, Beſtreichung.

LINVM, eſt planta, quæ habet caulem duos circiter pedes altum, exiguum, rotundum excauatum, in ſummitate ramoſum: folia ſunt oblonga, anguſta, fere alterna, acuta: calix oblongus & tubiformis: flos caryophyllæus, cæruleus: flori ſuccedit fructus piſi magnitudine, ſubrotundus, & acuminatus, continens in multis capſulis membranaceis multa ſemina oblonga, rotunda, compreſſa, in vna parte magis acuta, lubrica, in medio tumida, medullam oleoſam & mucilaginoſam habentia, ex fuſco cærulea: radix exigua. Gr. λῖνον. G. Flachskraut, Flachslein.

LIPODERMVS, eſt vitium cuticulæ, glandem colis inueſtientis, adeo vt non poſſit retrahi. Item præputii abſentia, ex λείπω deficio, & δέρμα cutis.

LIPOPSYCHIA, eſt lene animi deliquium, ſiue virium proſtratio, ex λείπω deficio, & ψυχὴ anima. G. Ohnmacht.

LIPOTHYMIA, *defectus*, *defectio*, *deliquium animi*, Gr. λειποθυμία, λειποψυχία, eſt magna virium omnium proſtratio, ex ſufficientis copiæ ſpirituum & caloris in cor aliasque partes impulſorum defectu. Hæc ſi magna fuerit, *ſyncope* vocatur. Vide *deliquium animi*. Ex λείπω deficio, & θυμὸς animus. G. Ohnmacht.

LIPITVDO, eſt ophthalmiæ ſpecies, ſeu aſperitas quædam

dam intra oculos, ac ſi arena eſſet inſperſa. G. Das Augentrieffen, Augenfluß.

LIPYRIA, eſt febris continua, in qua ſimul externa frigent & interna vruntur: ſæpe contingit in inflammationibus ventriculi, hepatis, lienis, aliorumque viſcerum, ex λείπομαι deficio, & πῦρ ignis.

LIQVATIO, idem quod *liquefactio.*

LIQVEFACTIO, eſt, quando oleoſa, reſinoſa, vt pinguedines, cera, reſina &c. ſuper ignem lente & integre ſoluuntur, dicitur quoque de ſalibus, quæ, vt liquefiant, cellis committuntur.

LIQVIDAMBRA, ſiue LIQVIDA AMBRA, ob odoris ſuauitatem ſic dicta. Reſina eſt oleaginoſa ſuauiſſimi ac gratiſſimi odoris, effluens ex arbore quadam procera ac venuſta, foliis hederæ, *ocucol* dicta. Eſtque partim ſiccior, quod ſedimentum forte eſt, quæ ſeorſim conſeruatur; partim tenuior ſicciori ſupernatans. Alia quoque exprimitur, ſed vilioris conditionis eſt: naſcitur iſta arbor in Hiſpania noua.

LIQVIRITIA, corrupte ſic dicitur Glycyrrhiza.

LIQVOR, quamuis de quolibet humore dici poſſit, in ſpecie tamen denotat per deliquium paratum, quem oleum alias, nonnunquam balſamum dicere ſolent. Sæpe & pro deſtillato liquore haberi poteſt.

LIQVOR AMNII, eſt qui in amnio continetur, ibi perpetuo renouatur, nonnihil mucoſus, ſeu oleoſus, ſero lactis haud abſimilis, ad ignem tamen concreſcens, vt albumen oui, colliquamentum Haruæo dictum, cui fœtus quaſi innatat, ipſi recens nato adhæret toto corpore, atque ab obſtetrice aqua tepida, pauco vino, ſimilibusue abſtergitur. Cæterum ab vrinoſo liquore, copia, ſapore, odore bene diſtinguendus, nec cum eo confundendus eſt, ille enim excrementitius eſt, hunc vero fœtui nutritium eſſe, veriſimiliter coniicitur: 1. quia tale liquidum in ore, œſophago, ventriculo fœtus reperitur, quale eſt in amnio, 2. quia illud liquidum copioſum in initio, paulatim minuitur, nec alia ratione conſumi videtur, quam a fœtu.

LIRION, vide *lilium.*

LITHANTHRAX, ſiue carbo foſſilis, & bitumen pingue, glebis petroſis, aut & forte metallorum ſcoriis miſtum, durum, aſſulatum, lamellatum, nigrum, ſciſſile, inflammabile. G. Steinkohlen.

LI-

LITHARGYRIVM, officinis ſpumoſum excrementum eſt, e purificatione argenti, quæ per plumbum fit, reſiduum. Duo eius genera communiter ſtatuuntur, videlicet *argenteum*, quod coloris minus ſaturi, & *aureum*, quod ſaturioris coloris, magis ad rubedinem vergentis, exiſtit. Verum tamen non niſi coctione differunt, *aureumque* magis coctum eſt, quam *argenteum*. Sed proprie nihil aliud eſt quam plumbum. G. Glette.

LITHIASIS, eſt calculi in renibus, veſica, aliisque in partibus generatio, a λιθιάω calculos patior, calculis laboro. G. Der Stein.

LITHOIDES, eſt os petroſum, ſic ob duritiem lapideam appellatum, ex λίθος lapis, & εἶδος forma. G. Das Steinbein.

LITHONTRIPTICA, ſunt medicamenta ſaxifraga, ſiue quæ calculum veſicæ vrinariæ, vel renum frangunt, conterunt, & ex corpore expellunt, ex λίθος lapis, & τρίβω commi-nuo. G. Steinbrechende Mittel.

LITHOSPERMVM, eſt planta, quæ habet plures caules duos pedes altos, quosdam rectos, alios incuruos villoſos, tenues, rotundos, duros, aſperos, in ramos diuiſos: folia vel alternatim diſpoſita, vel ſibi inuicem oppoſita, longa, anguſta, acuta, ſine caule adhærentia, villoſa, ſaporis herbacei: flos monopetalus, infundibuliformis: ex cuius calice quinquefido, ad baſin vsque ſecto, ſurgit piſtillum, quod abit in quatuor ſemina, dura, polita, alba, ſplendentia oualia: radix lignoſa, fibroſa, digiti craſſitie: creſcit hæc planta in locis incultis: a λίθος lapis & σπέρμα ſemen, & dicitur conducere in calculo renum: ſemina adeo bene margaritas referunt, vt, qui has vendunt, illa intermiſceant margaritis occidentalibus, & ſic eas diuendant pro puris margaritis occidentalibus, ſed fraus facile detegitur ex macula fulua his ſeminibus inhærente: ſic vocatur ob ſeminis duritiem: Latinis *milium ſolis*, quod ſemen eius candore ſolis & lucis ſplendore fulgeat. G. Perlhirſe, Steinſaamen.

LITHOTOMIA, eſt chirurgica calculorum e veſica ſectio; quæ non vno modo peragitur. Fit enim vel *apparatu maiori*, vel *apparatu minori*, qui hodie potiſſimum excultus eſt, vel denique *apparatu alto*, quando inciſio fit in pube & fundus veſicæ pro extrahendo calculo aperitur. Videndi ſunt de his auctores, quos inter maxime perſpicuus eſt *le Dran*, in libro *la parallele des tailles*. G. Das Steinſchneiden.

LITHOTOMVS, eſt chirurgus ſecandi calculi peritus, ex λίθος lapis, & τέμνω ſeco. G. ein Steinſchneider. Apud antiquos erat alia notio eius nominis. Significabat enim virum, qui calculos in veſica maiores, quo facilius extrahi poſſent, findere & diuidere callebat. Vide *Corn. Celſum libr. VII. cap.* 26.

LITVS, idem quo *linimentum.*

LIVIDVS MVSCVLVS, vna cum aliis muſculis femur mouens, dicitur & *pectinæus*, qui ab oſſis pubis ſuperiore ad commiſſuram parte, oblique decurrens, vsque in femoris exporrigitur latus externum. G. Der bleyfarbige Muſcul.

LIXIVIVM, eſt ſal aqua ſolutum: præparatur vulgo ex cineribus, ex quibus mediante aqua ſal, quod continent, elixiniatur. G. Lauge.

LIXIVIVM SAL, eſt alcali fixum, quod mediante aqua ex cineribus, ſolutum, exſiccatum, ſummas ignis torturas patitur, vt ſal tartari, abſinthii, &c. G. Laugenſaltz.

LOBVLI ADIPOSI, vide *ſacculi adipoſi.*

LOBVLI PVLMONVM, ſunt fiſtulæ pulmonalis extremitates, quæ in lobulos vniformes deſinunt, conſtantque iterum ex plurimis veſiculis & omnis generis vaſis.

LOBVS AVRIS, eſt appendicula quædam mollis, flexilis, blanda tactu, auriculæ appenſa, nullo vnquam foraminulo naturaliter pertuſa, ſed a fæminis artificialiter perforatur, pro ornamentorum commiſſione, poſita eſt directe infra antitragum, vnde fæminarum ornamenta ellobia dicta. G. Das äuſſerſte am Ohr, Ohrläpplein.

LOBVS HEPATIS, aut PVLMONIS, ſunt eorum viſcerum magnæ diuiſiones, & diſtinctiones.

LOCALIA MEDICAMENTA, ſunt quæ externe applicantur, vt emplaſtra, linimenta, vnguenta &c. Gr. τοπικά. G. Aeuſſerliche Mittel.

LOCH, & LOHOCH, idem quod *eclegma.*

LOCH SANVM & EXPERTVM, eſt eclegmatis ſpecies, quæ in morbis pectoralibus vtilis cenſebatur, & experta. Nomen ipſi eſt, quod Meſue illud caput, quo hoc eclegma deſcribit, incipit his verbis: *ſanum & expertum.* Solebant enim veteres, vt ICti hodieque faciunt, initia capitum vel legum adducere.

LOCHIA, ſunt puerperarum expurgamenta, poſt fœtus & ſecundinarum excluſionem, prodeuntia, a λέχομαι cubo; vnde λέχος lectus, & λεχωίδες ὧραι tempora partus. G. Der Blutfluß, Blutreinigung.

LOCI

LOCI MVLIEBRES, idem quod *vterus.*

LOCVLAMENTA, ſunt in plantis ſeminum inuolucra; quæ veluti paruæ capſulæ ea occludunt.

LOCVSTÆ, THECÆ, idem ac oculi aut gemmæ, vti in auena & graminum quibusdam ſpeciebus, in quibus ſemen includitur. Sed & inſecta quædam denotat.

LOIMOGRAPHIA, eſt deſcriptio morborum contagioſorum. Ex λοιμὸς venenum peſtiferum, & γράφω ſcribo.

LOIMOS, eſt venenum peſtilentiale, quod oritur ex aere particulis heterogeneis exhalationum noſtro corpori non ferendarum inquinato & aculeato, qui, inſpirando ſanguinem & ſpiritus animales &c. inficit, & corrumpit, & mouendo reliqua tenerrima ſolida deſtruit. Gr. λοιμὸς. G. Die Peſt.

LOMENTVM, fabarum farina eſt.

LONCHITIS, eſt plantæ genus foliis filicis foliorum æmulis, a quibus tamen differt pinnulis ad exortum auritis: nullos habet flores: folia ad dorſum ſunt inſtructa ſeminibus rubicundis, tam paruis, vt ſine microſcopio diſtingui non poſſint: in montibus altis, aſperisque occurrit: dictam volunt ab haſtæ, ſeu lanceæ forma, λόγχη enim eſt lancea ſeu haſta.

LONGANON, vide *rectum inteſtinum.*

LONGISSIMVS DORSI MVSCVLVS, producitur a margine oſſis ſacri, atque a lumborum vertebris oriundus fibrarum faſciculis coagmentatus, cum ſerrato poſtico inferiore aſcendit, quem circa dorſi vertebram infimam deſerens, ſingulis lumborum ac dorſi transuerſis proceſſibus alligatus, primam thoracis petit vertebram; thoracem, lumbos eorumque vertebras extendit. G. Der lange Rückenmuſcul.

LORDOSIS, eſt ſpinæ dorſi in anteriora curuatio, a λορδόω in anteriora curuo. Latini vocant *repandum*, *recuruationem.* G. Krummhälſicht, vorgebogen.

LORICATIO, eſt actio chemica, quando retorta igni nudo exponenda luto, argilla, aut alia materia, vt a nimia ignis tortura defendatur, obducitur. G. Das Beſchlagen der Retorten.

LORIPES, eſt qui alterum vel ambos pedes habet contortos & incuruatos, dicitur quoque *varus.* G. Krumfuß, Krumbein.

LOTIO, eſt quodammodo balneum particulare, quo caput, axillæ, manus, pedes & genitalia abluuntur, idque decoctis medicamentoſis. Lauantur etiam nonnulla medicamenta, idque propter eorum ſalſedinem & acrimoniam, vt in calce, tutia, a-

liisque lapidibus contingit, vel quando herbæ, radices, a ſordibus argillaceis & arenoſis aqua pura, aut vermes vino lauantur. G. Das Waſchen.

LOTIVM, vide *vron.*

LOTVS, eſt arbor Aegypto & Africæ adiacenti frequens, nobis non familiaris. *Dioſcorides* ipſi tribuit fructum pipere maiorem, dulcem, edulem, ſtomacho aptum, quique aluum ſiſtit. Idem nomen variis herbis imponitur.

LOZANGIÆ, ſunt idem quod *morſuli.*

LVES VENEREA, *morbus Gallicus, Italicus, Hiſpanicus, Siphylis Fracaſtorii.* Hic morbus ex India occidentali oriundus, in Europam translatus, poſt annum 1493. innoteſcere incepit; eſt hic autem contagioſus ita vt ab infectis parentibus inquinati naſcantur infantes, lactatione contaminentur, contrectatione, ſaliuæ per oſcula communicatæ deglutitione, ſudore, & coitu impurorum quilibet inficiatur: quæ autem pars primo fuit infecta, primo ſe manifeſtat inflammatione, vlcere erodente, dein per totum corpus effloreſcunt puſtulæ; labia, gingiuæ, palatum, nares eroduntur, dolores nocturni circa medios artus fiunt ingentes, & articulorum rigiditas, capillorum totius corporis defluuium, & vox rauca cum aliis multis ſymptomatibus hunc morbum declarant. G. Frantzoſen, Spaniſche Kranckheit.

LVIVLA, eſt acetoſellæ ſpecies, in officinis aſſeruata, cuius vires refrigerantes inſignes. G. Buchampffer.

LVMBAGO, eſt dolor in muſculis lumborum a lue ſcorbutica obſeſſis, ita vt æger ſeſe mouere absque dolore magno nequeat, adeoque, ſe recto ſitu tenere cogatur. G. Lendenwehe, Lendenpein.

LVMBRICALES MVSCVLI, ſiue VERMICVLARES, ſunt quatuor in ſingulis manibus, totidemque in pedibus, ſic ob exilitatem & figuram dicuntur. G. Die Wurmgleiche Muſculn.

LVMBRICVS, penult. prod.

Lumbrici quoque terreſtres miſcentur oliuo. Seren. c. ting.
Lumbricos terræ, ſeuumque ex anſere rauco. Seren. tit. Aur. vit.

Eodem modo *Idem tit. lumb. purg.* & *tit. ign. ſacr.* & *tit. ne u. inciſ.*

LVMBRICI ſiue VERMES, ſunt animalcula ex ouulis infectorum deglutitis cum cibis, in corpore noſtro aliquamdiu morantibus, producta. G. Würmer. Alii ſunt *rotundi,*

Spuhl-

Spuhlwürmer. Alii, cucurbitæ ſeminis forma, cucurbitini dicti. G. Platte Würmer. Alii *aſcarides*. G. Maden. Alii dracunculi, &c.

LVMBVS & LVMBI, Gr. ψόα, ὀσφὺς, ἰξὺς. Proprie dicitur pars totius ſpinæ infra dorſum quinque vetebris omnium craſſiſſimis, maximisque compacta, inter dorſum & os ſacrum mediis; eſtque ea regio corporis, qua homines cinguntur. G. Die Lenden.

LVNA, chymicis denotat *argentum*. G. Silber.

LVNARIA, ſiue viola latifolia, vulgo *bulbonac*: eſt planta, quæ habet caulem duos vel tres pedes altum, minimi digiti craſſitie, ramoſum villoſum, coloris cærulei vel rubicundi; folia vrticæ, interdum duplo vel triplo maiora, villoſa dentata: flores in ſummitate ramorum creſcentes, quadrifidi, in crucem diſpoſiti, purpurei, odoris non penetrantis: flori ſuccedit ſiliqua oblonga, compreſſa, obrotunda, quæ continet ſamina ampla, reniformia, coloris rubicundi, ſaporis acris cum quadam amaritudine: radix glanduloſa: ſic dicta eſt quod ſeminum folliculi lunarem colorem & figuram habent. G. Mondkraut, Pfennigkraut.

LVNATICI, dicuntur epileptici; σεληνιακοὶ, quia mutato lunæ curſu, epilepticus paroxyſmus exacerbatur. G. Mondſüchtig.

LVPARIA, vide *lycoctonon*.

LVPIA, eſt tumor, ſiue protuberantia, fabæ turcicæ magnitudine, durus glanduloſus in cute; quidam quo *meliceride* accipiunt, alii pro *ganglio*.

LVPINVS, eſt planta, quæ habet caulem duos pedes altum, mediocriter craſſum, rotundum, rectum villoſum, ramoſum, coloris viridis ſubflaueſcentis, medulla repletum: folia ſunt in ſeptem vel octo partes diuiſa oblonga, anguſta, manum apertam repræſentantia, ſuperius coloris cærulei, albeſcentia & lanuginoſa inferius, ſaporis leguminoſi, amareſcentis: flores in ſummitate ramorum creſcentes, in ſpicas congeſti, leguminoſi, albi pedunculis breuibus adhærentes: flori ſuccedit ſiliqua compreſſa, villoſa, turgidula, fœta ſeminibus planis compreſſis in complanatam figuram ſphæricam, foſſulam cauam vtrinque habentibus, extus albis, intus medulla flaua aurei coloris repletis; eſt leguminum ſpecies. Gr. θέρμ☉. G. Feigbohnen, Wolffsbohnen.

LVPINVS, penult. prod.

Nec tamen ignorat, quid diſtent æra lupinis. Horat. 1. ep. 7. Lupinus, Gr. θέρμος, dimidiæ drachmæ æquatur. *Danich* Arabibus: quod tamen *Fernelio* ſolum Gr. VI. *Agricolæ* & *Mercuriali* VIII. ſiue tertiam ſcrupuli partem pendet. *Drachma* pendet lupinos nouem: *ſiliqua* dimidium; lupini tres ſcrupulum pendent.

LVPVLVS, *recentiorum* vox, pro lupo ſalictario *Plinii*, penult. corripit, quia diminutiuum eſt, vt annulus, hortulus, fraterculus, &c.

Hellenium, lupulus, bugloſſa, filix, adianthum. Hont. l. 4. Lupulus, eſt planta, cuius caules ſunt exigui, ſarmentoſi, flexiles, villoſi, ſcandentes, aſperi, volubiles: folia ampla, anguloſa, ſcabra, coniugata, caulibus ſatis longis & rubicundis adhærentia: floſculi apetali, albi pallidi, aut herbacei, ſtaminibus præditi, calice quinque partito, ſtellatim expanſo, excepti, racemoſi in vna planta: ouaria bicornia, in racemos ſquamoſos ex multis foliolis axi adnatis compoſitos, congeſta; ſingulis foliolis recondentibus ſingula ſemina fere rotunda; nigricantia, tegmine membranaceo occultata; radix tenuis, conuoluta: Gr. βρύον. Appellatur quoque *humulus*. Aliquot Italiæ rura, ad græcam appellationem alludentes, *bruſcandulam*, quaſi bryon ſcanſile nominant. *Lupus* vero *ſaluctarius*, quia ſubit ſcanditque ſalices, & arbuſta omnia, circumuoluendo ſe, circumplectitur, appellatus eſt. Hinc quoque *lupus receptitius* nonnullis nominatur. G. Hopffen.

LVPVS, eſt ſpecies cancri, crura & tibias occupans. G. Der Wolff.

LVPVS RECEPTITIVS, SALICTARIVS, vide *lupulus*.

LVTATIO, eſt vaſorum chymicorum lutatio ſiue obſignatio. G. Verlutierung.

LVTEOLA, eſt planta, quæ habet folia ex radice erumpentia, oblonga, anguſta, mollia, caules ex his erumpunt tres pedes alti, duri, virides, ramoſi, folia ſuperius minora habentes, quam ſunt inferiora: flores polypetali, anomali, exigui, coloris flaui, poſt florem ſequitur capſula obrotunda, triangularis, continens ſemina exigua, obrotunda, & nigricantia: radix vt plurimum digiti minimi craſſitie, & interdum pollicis, lignoſa, alba, ſaporis acris: tota hæc planta per ſiccitatem fit flaua herba, ſic dicta, quod ea panni & telæ linteæ, candidæ quidem, colore luteo, virente vero, quum ante cæruleo tinctæ ſunt, inficiuntur. G. Streichkraut.

LVTVM,

LVTVM, eſt materia quædam glutinoſa, aqua ſubacta, vt farina triticea, ſecalina, lini ſeminis, amylum, oui albumen & ſimilia, qua vaſa deſtillatoria ſibi impoſita, ne quid expiret per rimas, probe obſignantur. G. Leim.

LVXATIO, ſeu DISLOCATIO, & ELVXATIO, eſt receſſus oſſis e proprio ſinu & loco, in alienam ſedem, motum arbitrarium impediens. G. Verrenckung.

LVZ, LVS, eſt nomen Ebraicum amygdalam ſignificans; imponitur oſſiculo, forte penitus imaginario & fictitio, quod ex Rabbinorum doctrina nullo pacto deſtrui poteſt. Quale ſit illud, iam diu diſceptatur, forte nunquam finienda lite.

LYCANCHE, eſt angina quæ lupos ſtrangulat, vide *angina*.

LYCANTHROPIA, eſt *rabies hydrophobica*, a rabido lupo excitata, in qua homines luporum vlulatus imitantur, ex λύκ☉ lupus, & ἄνθρωπ☉ homo. Vide *hydrophobia*.

LYCHNIS, eſt planta, quæ plures habet caules ſeſquipedem vel duos pedes altos, rectos, rotundos, ramoſos, lanuginoſos; folia ſunt tres vel quatuor digitos longa, ſeſquidigitum lata, ſaluia maiora, acuta, lanuginoſa alba, coniugata bina ſimul, mollia: calicem habet tubuloſum magnum, latum, longum, multifidum, magis bullatum quam in alſinis, ſqammoſum: flos caryophyllæus; floris piſtillum fit fructus, vtplurimum in conum deſinens, qui per maturitatem apice dehiſcens fundit ſemina exigua, ſubrotunda vel angulata, interdum reniformia; radix fibroſa, ſimplex: colitur hæc planta in hortis: nomen accepiſſe contendunt, quod tomentoſis earum foliis veteres ad lucernarum vſum, pro ellychniis vterentur, vnde *lucernula* dicta. Eius ſunt variæ ſpecies. G. Frauenröslein.

LYCIVM, penult. corr. quia nomen ei inde, quod in Lycia frequentiſſime id genus arboris naſcatur, vt ex *Dioſcor. l.* 1. *c.* 132. conſtat.

Ille etiam Lycias vrbes, Lyciæque propinquos. Ouid. Met. 4.

Lycium eſt arbuſcula ſpinoſa, ſic dicta, quod in Lycia, Aſiæ regione, creſcat. Eſt quoque ſuccus extractus & coquendo inſpiſſatus ex ramis ac caudice arboris pyxacanthæ ſiue Lycii, ſed cuius ſit ſuccus varii dubitant. Affertur ex variis locis, vti India, Hiſpania, Creta, Cappadocia, Lycia vnde nomen, &c. eſt medicamentum adſtringens.

LYCOCTONVM, vide *aconitum*.

LYCO-

LYCOPODIVM, eſt muſci ſpecies, latinis a ſimilitudine *pes lupi* dicitur, ex λύκος lupus & πȣ̃ς pes. G. **Gürtelkraut, Bärlapp.**

LYCOPSIS, ſeu ANCHVSA, Gr. λύκοψις nomen accepit, ab hiſpida caulis, florum, foliorum, impexaque hirſutie, faciem lupinam imitata, ex λύκος lupus & ὄψις viſus. Illud nomen anchuſæ, & bugloſſæ imponitur.

LYGMVS, idem quod *lynx* & *ſingultus.*

LYMPHA, eſt humor limpidus, fluens in vaſis arterioſis minoribus, ortis lateraliter ab arteriis maioribus ſanguineis vel ſeroſis, quæque vaſa tandem deſinunt in venas lymphaticas valuuloſas, exonerantes ſeſe, quæ ab inferioribus partibus veniunt, in ductum chyliferum; quæ a ſuperioribus, in venam ſubclauiam. Differt a ſero ſanguinis, quod eſt minus pellucidum, flauius, & igne concreſcit vt oui albumen. G. **Waſſer.** Sumitur aliquando pro aqua illa, quæ ex puncturis neruorum aliisque vulneribus effluit. G. **Gliedwaſſer.**

LYMPHATICA VASA, vide *venæ lymphaticæ.*

LYNX, idem quod *ſingultus.*

LYNCIS LAPIS ſiue BELEMNITES, ἀπὸ τȣ̃ βελέμνȣ cuſpidæ ſagittæ, cuius effigiem refert, ſeu *dactylus idæus*, a figura dactyli, & ida monte Cretæ inſulæ, vbi inuenitur. Teres eſt & pyramidalis, ſub variis coloribus repertus. Inueniuntur albi, nigri, cinerei, pellucidi, vini falerni inſtar. Et hic forſan eſt, quem veteres *lyncurium* appellarunt, quem & ſuccini ſpeciem fecerunt, ob colorem, quo ſuccinum refert, quemque ex vrina lyncis, ſimul ac ea excernitur, coagulari, nonnulli fabulantur. Verus hic lapis graue olet, & ne vſtus quidem odorem deponit. Reperiuntur multis in locis Germaniæ. In affectibus nephriticis præſcribitur. G. **Luchsſtein.**

LYNGODES FEBRIS, eſt, quæ ſingultum habet comitem. A λύγξ ſingultus.

LYSIMACHIA, penult. reddit communem, & breuem quidem, quia *Dioſcorides l. 4. c. 3.* λυσιμάχιον appellat: longam autem, quia *Heſychius* λυσιμάχειον vocat βοτάνην. Sed de vrbe, & planta *Lyſimachia* prolixius agit *Labbeus in Analectis Proſodicis.* Lyſimachia, ſeu Lyſimachium, & Salicaria, eſt planta, quæ habet plures caules duos vel tres pedes altos, rectos, villoſos, nodoſos; ex ſingulis nodis erumpunt tria vel quatuor folia oblonga, acuta, ſalicis latifoliæ ſimilia, ſuperne atro virentia, inferne albicantia, & lanuginoſa ſaporis adſtringentis,

flos

flos monopetalus, roſaceus, in quinque lacinias diuiſus: poſt ſingulos flores piſtillum fit fructus ſeu teſta globoſa, quæ per maturitatem, apice dehiſcit, ſemen excutit: ſemina ſunt coriandri ſaporis adſtringentis: radix eſt repens, rubicunda: creſcit hæc planta in paludibus, & locis aquoſis: flos conuenit cum blattaria, ſed fructus in hac eſt bicapſularis, cum in lyſimachia ſit tantum vnicapſularis: appellata, vt ferunt, ab eius inuentore Lyſimacho: *Salicaria* vocatur quod inter ſalices naſcatur. Huius ſunt variæ ſpecies. G. Weyderich.

M.

M. ſimplex in præſcribendis formulis poſitum immediate poſt alicuius herbæ nomen, denotat *manipulum*, ſcribitur ſæpe tribus literis vt *man.* In fine formularum ſignificat *miſce*. M.S. denotat mixturam ſimplicem.

MACERATIO, eſt ſpecies infuſionis, quando duræ quædam corpora, in aqua, alioue liquore, mediante frigore aut calore infunduntur per magnum temporis ſpatium, vt partes emolliantur, & ab aqua penetrentur, cum illa miſceantur, vel aptæ euadant miſcelæ ſi decoquantur; omnia enim hoc modo magis aperiuntur. G. Das Einwäſſern.

MACHINA, eſt in medicina inſtrumentum aliquod cuius ope magnus motus in reſiſtens parua vi potentiæ applicatæ poteſt excitari, vti ſcamnum, ſcala, ambe, &c. quibus membra luxata reſtitui ſolent, dum enim luxatio plerumque plurium hominum vi & opera indigeat in reſtitutione, ope artificioſarum machinarum, in hos vſus accommodatarum, chirurgus ſolus omnium aliorum viribus ſatisfacit. Gr. μηχανὴ, μηχάνημα. G. Eine Machine, Werckzeug.

MACIS, quid ſit, vide *moſchata nux*. G. Muſchatblum.

Macer veterum, eſt ligni cuiusdam cortex lignoſus, craſſus, rubeſcens, ex Barbaria afferri ſolitus, guſtu valde amarus & adſtringens, adeoque differt a maci, quamquam plerumque a multis iam ſæculis confundantur. Macerum veterum, dyſenteriæ inprimis proficuum, nuper reuocauit in hominum notitiam celeb. Dom. de *Iuſſieu*, botanicus Pariſienſis.

MACROCEPHALOS, ſiue CAPITO, eſt is, qui magnum habet caput, ex μακρὴ magna, & κεφαλὴ caput. G. ein Großkopff.

MACROCOSMVS, denotat mundum vniuerſum, ſicuti homo *microcoſmus*, ſiue minor mundus in comparatione,

ex

ex *μακρὸς* magnus, & *κόσμος* mundus. G. Die groſſe Welt.

MACROPIPER, eſt piper longum, vide *piper*.

MACVLA HEPATICA, eſt macula fuſci coloris, vel ex flauo nigricantis, lata palmi magnitudine, inguina imprimis & pecten ac dorſum occupans, imo totum pectus interdum obtegens, cum cutis quadam leui aſperitate, quæ ſquammas aut furfures quaſi emittit, quæ tamen non vno loco hærent, ſed hinc inde diſſeminantur, & modo euaneſcunt, modo rurſum emergunt. G. Leberflecken.

MACVLA MATRICALIS, *næuus*. Gr. *κηλὶς σπίλωμα, σπῖλος*, eſt macula, quæ cum fœtu naſcitur, obfuſci coloris, conſtanter locum ſuum occupans; quæ tamen indifferenter per totam cutim ſpargitur, vti eſt in facie, manibus, dorſo &c. aliquando rei alicuius imaginem exprimens, vt muris, mori, ſuberis &c. G. Muttermaal, Mutterflecken.

MACVLA VOLATICA, eſt macula rubra, vel purpurea in cute hinc inde ſerpens, quæ ſi orificium aliquod, os puta, nares, oculos, aures, nates attingit, & eousque penetret, malum lethale fit, infantibus infeſtum. G. Rothe Flecken.

MADAROSIS, eſt capitis glabrities, ſiue capillorum defluuium, a *μαδάω* læuis & depilis ſum. G. Das Ausfallen des Haars.

MAGDALEONES, ſunt cylindraceæ emplaſtrorum vel aliarum rerum maſſæ, a *μάσσω* pinſo. G. ein Stücke Pflaſter.

MAGISTERIVM, puluerem deſignat proprie ſolutione ac præparatione paratum, improprie reſinoſam materiam ſimili modo productam, vtpote quæ verius extracti nomine donatur. Magiſteria vt varia ſunt, ita & varie parantur, ſemper materiæ ſiccæ, ſi fieri poteſt pulueriſatæ, aut ſi neceſſarium, calcinatæ, affunditur liquor ſoluens, qui pro diuerſitate eius diuerſus eſt, acetum ſimplex aut deſtillatum, tum per ſe, tum acuatum per ſpiritum nitri, vitrioli, ſalis &c. Imo hæc ſola in mineralibus & animalibus; lixiuium ex ſale tartari, & aqua paratum in vegetabilibus, ſpiritus vini in his ſulphureis, hoc eſt, oleoſa parte præditis, hæc tamen magis ad extracta ſpectant. Soluto affunditur liquor præcipitationem efficere valens, ex ſpecialibus cognoſcendus, fere ol. tart. per deliquium, vrina, aqua ſalſa, ſpirit. vitrioli, nitri &c. In mineralibus & animalibus, aqua

com-

communis, aut aluminoſa in vegetabilibus & ſecedet ad fundum vitri coagulum exſiccandum, & ſi neceſſitas vrgeat primum edulcorandum, aliquando igniendum. G. Meiſterpulver, ſehr zartes Pulver.

MAGISTRALIA MEDICAMENTA, ſunt, quæ a medicis ad varios ſcopos & vſus in officinis præſcribi ſolent, ex tempore miſcenda & componenda. Illis opponuntur *officinalia*, quæ in officinis ſemper parata habentur.

MAGMA, ſpiſſum vnguentum eſt; ſed dicuntur quoque fæces poſt ſuccorum expreſſionem, aut decoctionem, relictæ, a *μάσσω* pinſo, ſubigo.

MAGNA ARTERIA, idem quod *aorta*.

MAGNES, eſt lapis, polos mundi oſtendens, ferrum, chalybemque, arenam martialem, aliaque corpora, attrahens, præſertim ferreo circulo armatus, plerumque duobus locis polaribus maximarum virium gaudens. Reperitur circa ferri fodinas in diuerſis Germaniæ, Noruegiæ, Sueciæ, & Italiæ locis. Vegetior plerumque cæteris eſſe ſolet, qui ferri colorem ruffeſcentem habet. Immiſcetur quibusdam emplaſtris, vt ferrum ex vulneribus attrahatur, ſed fruſtra, cum magnes pulueriſatus, & præſertim vſtus, vires ſuas amittat. Sanguinem quoque ſiſtit. Gr. λίθος μαγνῆτις & ἡράκλειος, dicitur & Sideritis. G. Magnetſtein.

MAIORANA, recentiorum vox, cuius nomen alii a maro *Dioſcoridis* deducunt, alii ex eo quod *maiori* cura colatur, quam cæteræ plantæ. Veteres ſampſuchum & amaracum videntur appelaſſe. Cui tamen opinioni vehementer aduerſatur *Stapelius*. Maiorana autem penult. producet per analogiam, vt oppidanus, ruſticanus, fontanus, ſyluanus, vrbanus, ſecundanus, &c. Maiorana eſt planta, quæ habet plures paruos caules pedem circiter altos, lignoſos, ramoſos, tenues, parum villoſos, & rubicundos: folia ſibi inuicem oppoſita, obrotunda, minima, origanum vulgare referentia, ſed multo minora, mollia, albeſcentia, odoris aromatici penetrantis & grati, ſaporis parum acris & amari: flores in ſummitate caulium creſcentes, congeſti in ſpicas, aut capitula rotunda, denſa, breuiora origano, conflata ex quaterno foliorum ſquammatim ſibi mutuo incumbentium ordine, galea erecta, bifida: flori ſuccedunt ſemina obrotunda, odorata, minima, amara, coloris rufi: radix minima. Gr. σάμψυχος vel ἀμάρακος. G. Majoran, Maſeran.

MALA, ſeu GENA, eſt illa pars faciei, quæ eſt infra oculos & ſupra maxillam inferiorem; ſic dicta ob protuberantiam. G. Wangen, Backen.

MALABATRVM, ab *Acoſta* delineatum, cinamomi ramus cum baccis & foliis eſſe videtur. Scriptores tamen non conueniunt. *Dioſcorides* folia hæc in aquoſis creſcere locis aquisque innatare ſcribit, vt lens paluſtris. *Garcias ab Orto* vt & alii ſcriptores eſſe folia arboris aiunt, inueniríque copioſe in India ac maxime in Cambaia, procul ab aquis. Vtrum ergo *Malabatrum* hodiernum ac veterum idem ſit, id eſt de quo ambigitur: conſultius eſt credere nomen hisce foliis inditum a regione *Malabra*. Ob folium quod habet magnum, per excellentiam quoque *folium* dictum. Indi *Tamalapatra* appellant. G. Indianiſch Blat.

MALA INSANA, Neapolitanis *melanzana*, ab aliis *amoris poma*, dicta ſunt, non quod lethalia ſint, ſed quod difficulter concoquantur. *Amoris* autem *poma* quod propter elegantiam & pulchritudinem digna ſint, quæ amentur. G. Goldapfel, Dollapfel.

MALACHE, Gr. μαλάχη, malua, a μαλάσσω mollio.

MALACHITES, eſt lapis, iaſpidis ſpecies, non tranſlucens, maluæ vireſcentis colore, vocatur quoque *Molochites*, in febribus calidis olim laudatus.

MALACIA, eſt fames deprauata, qua vſu humano aliena appetuntur: item corporis mollities, a μαλάσσω mollio. G. Luſt zu unnützen Sachen, unordentlicher Appetit.

MALACTICA, ſiue EMOLLIENTIA, ſunt, quæ mediocri ſua calefaciendi & humectandi facultate, partes inter ſe firmius cohærentes, diſſoluendo, & nonnulla diſſipando, molles reddunt. *Malagma* idem maioribus ſonat, quod *cataplaſma*, a μαλάσσω emollio. G. Lindernde Artzeney, erweichende Mittel.

MALAGMA, idem quod *malacticum*.

MALAXATIO, eſt, quando maſſæ quædam pilularum, aut emplaſtrorum in maſſam cum aliis rebus ſubiguntur, ſiue id manu fiat, ſiue pila, vel ſimili inſtrumento. G. Knäten.

MALICORIVM, quaſi corium mali, eſt mali punici putamen.

MALIGNVS MORBVS, eſt qui ſæuit vehementius, aut perſeuerat diutius, quam indoles eius præ ſe ferre prima fronte videtur, & medicinæ non auſcultans, mortem ſæpe inducit,

cit, vt febris peſtilens, vlcus cacoethes &c. G. Böſe, gefährliche Kranckheit.

MALLEVS, eſt ex oſſiculis illis quatuor in aure contentis vnum, a figura ita dictum, quod craſſius ſit altera ſui extremitate, quæ caput dicitur, & tenuius altera, quæ manubrium appellatur; hoc oſſiculum membranæ tympani a parte poſteriori, tympani cauum ſpectante, applicatur, habet caput ſuperficiem ex vna parte hæmiſphæricam, ex altera parte inæqualem, duabus protuberantibus eminentiis cum cauitate intermedia donatam, pro articulatione cum incude; quod locatur in foueola quadam, in parte ànteriori, ſuperiori, & media, tympani exſculpta, absque vlla tamen cum eadem connexione, quo efficitur, vt penitus liberum & mobile ſit hoc capitulum: manubrio ſuo longiori, tenuiori, incuruo, ſecundum membranæ tympani interiora protenditur, vltra eius medium vel centrum recta deſcendit, ei interim firmiter accreſcit, præſertim extrema manubrii parte, vbi illud paulo planius eſt, ſic dictam membranam introrſum trahit, atque efficit, vt tenſa admodum, interim intus verſus tympanum conice gibba, extus vero verſus meatum auditorium concaua ſit. Habet præterea manubrium duas apophyſes, quarum vna poſſidet proceſſum breuiorem, craſſiorem, acuminatum, tympani membranæ parti ſuperiori anteriori quodammodo infixum, eamque verſus meatum auditorium aliquantum eleuantem: alter vero proceſſus longiſſimus, graciliſſimus, tenerrimus, incuruus, flexilis, elaſticus, fragilis, a plurimis neglectus & præteruiſus, a *Cæcilio Folio* primum inuentus, & poſtea a *Th. Bartholino*, & *I. I. Rau* animaduerſus, locatur in ſulco quodam ad finem meatus auditorii oſſei in hunc finem excauato. G. Der Hammer.

MALLEOLVS, ſiue MALLEVS, Gr. σφυρὰ, σφυρὸν, πέζα eſt duplex, *externus*, qui eſt inferior in pede oſſis fibulæ proceſſus, vel *internus*, eſtque proceſſus inferior oſſis tibiæ. G. Die Knorren, Knöchel. In vegetabilibus eſt nouellus palmes innatus prioris anni flagello.

MALVM MORTVVM, eſt ſcabiei genus, dictum quod corpus nigrum & quaſi mortificatum appareat; quod eſt ſcabies cum liuore & nigredine, ac puſtulis cruſtoſis, nigris & fœdis, ſine ſanie & ſenſu ac dolore, in coxis & tibiis præſertim ſæuiens.

MALVA, eſt planta, quæ plures habet caules longos, ſatis craſſos rotundos, medulloſos, villoſos, ramoſos, aliquando

rubicundos, repentes: folia ſunt rotunda; aliquantum inciſa, villoſa, mollia, coloris ex viridi fuſci, in margine dentata, caulibus adhærentia: flos eſt monopetalus, campaniformis, patens & multifidus, ex cuius fundo emergit tubus pyramidatus, ſtaminibus plerumque onuſtus: ex calice vero exſurgit piſtillum, infimæ floris parti adinſtar claui infixum, quod deinde abit in fructum planum orbiculatum quandoque acuminatum, calice vt plurimum inuolutum, e plurimis capſulis conſtantem axi ita circumhærentibus, vt ſingulæ eius ſtriæ capſulam ſuam quaſi articulatione quadam excipiant, ſemine fœtam, non raro reniformi: radix ſimplex, longa, exigua, alba, ſaporis dulcis & viſcoſi: Gr. μαλάχη, ab emollienda aluo nomen traxit: μαλάττειν enim mollire ſignificat. Quin etiam ſic Latinis, Varro *Maluam* quaſi *Moluam*, quod alnum molliat, dictam eſſe contendit. G. Pappeln, Käßpappeln, Haſenpappeln.

MALVAVISCVM, vide *althæa*.

MALVS, arbor eſt notiſſima, variæ magnitudinis. Flos eſt roſaceus, pentapetalus, ouario intra coronam innatus, habet petala nata ex interſtitiis ſegmentorum, & ſtamina multa orta ex calicis interno ambitu: ouario aucto, petalis excuſſis, elapſis ſtaminibus marceſcunt quinque tubæ longæ ouarii centro emiſſæ; contrahitur calix fitque fructus pomum vmbilicatum, quinqueloculare, carnoſum. Gr. μῆλον. G. Apffelbaum.

MAMMÆ, MAMMILLA, VBER, grammaticorum ſenatus curioſior *vbera*, interiora; *mammas* ipſas eminentias dici voluit, μαζὸς, μαστὸς, τιτθὸς, τιτθίον, μῆλον, ob mali in rotunditate ſimilitudinem. Eſt corpus globoſum, album & molle, vtrinque muſculo pectorali anterius in pectore incumbens, intus ex glandulis conglomeratis conſtructum, quo mediante lac a ſanguine arterioſo ſegregatur, in ductus aliquos maiores colligitur, & ex his per tubulos minimos papillam tranſeuntes foras in vſum fœtus conuehitur. G. Die Bruſt.

MAMMIFORMES PROCESSVS, ſunt duæ oſſium temporalium apophyſes. G. Bruſtgleicher Fortſatz.

MAMMILLA, idem quod *mamma*.

MANDIBVLA, a mando, is, penult. corr. vt cætera diminutiua, ſportula, bucula, auricula, ſucula, acetabula, conciliabula, vnde & *Gacæo* in *iambicis* penultima breui exprimitur. Mandibula, MAXILLA, Gr. σιαγὼν, γένυς, γένειον, γνάθος. Eſtque ſuperior vel inferior, *ſuperior*, e tredecim componitur oſſibus, vtrimque ſex, cum vno impari, quorum nomina anatomici indicant. *Inferior* vigente ætate in os vnicum coaleſcit,

duri-

duritie, craſſitudine adeoque robore inſigne, habet proceſſus duos, acutum vnum qui *corone:* tum retuſum alterum, qui in capituli formam collectus *condylus* appellatur. Foramina interna poſſidet duo, totidemque externa neruis egreſſum concedentia; inferiores dentes cauernulis excipit, & oſſis iugalis ac temporalis proceſſui articulatur. G. Der Kinbacken.

MANDIBVLARES MVSCVLI, idem quod *maſſeteres.*

MANDRAGORA, penult. corr. quia *Galeno l.* 7. *de ſimpl. med. fac.* μανδραγόρας. Præterea ita Poetæ:

Mandragoræ pariat flores, mæſtamque cicutam. Colum. l. 10.
Nec non mandragoræ guſtu ſopor additur altus. Seren. tit. *ſomn. adſciſc.*

Mandragora, planta eſt, quæ habet folia immediate ex radice erumpentia, longa, in medio ampla, polita coloris viridis ſubfuſci, odoris ingrati: flores ſunt monopetali multifidi, campaniformes: poſt florem ſequitur fructus mollis, globoſus carnoſus, continens ſemina compreſſa, vt plurimum reniformia: radix eſt longa, craſſa, bifida, externe cinerea, ferruginea, interne pallida, odore ingrato, & viroſo; caput feriente & narcotico: radix fere hominem refert, inferne duo crura habet, & ſi ſuperne leuiter vulneretur ab vtroque latere, tum excreſcunt quaſi brachia, & tum ſuperne facile in caput formari poteſt, vnde dicunt autores eſſe hominem ſubterraneum, ob quam cauſam vocarunt quidam anthropomorphon, ἄνθρωπος homo, & μορφὴ figura, quaſi figura hominis: Gr. κιρκαία, Pythagoræ ἀνθρωπόμορφος, Latinis *canina* aut *terreſtris malus*. Qui *circæam* vocarunt, nomen illi a Circe fecerunt, quoniam creditur radix eius ad amatoria conducere. Agyrtæ & impoſtores illi circumforanei radices humana effigie inſignitas circumferunt, quas mandragoras eſſe teſtantur, cum tamen conſtet eas eſſe fictitias, & manu factas. Mas vocatur μώριον, & candida eſt. Fœmina nigra. Nonnulli *Dudaim* appellant. G. Alraun. Apud medicos vſus fere obſoleuit: ſuperſtitioſa plebs multum de ea fabulatur.

MANDVCATORII MVSCVLI, idem quod *maſſeteres.*

MANIA, eſt imaginationis & iudicii deprauatio, cum excandeſcentia ſine febri & timore: itaque nihil aliud eſt quam maior ac inordinatus ſpirituum animalium impetus, qui ab anima refrænari non poſſunt, quod non abſurde liquet ex fortitudine, quam furioſi habent, quæ quidem, deficientibus ſpi-

ritibus, eſſe non poſſet, a *μαίνομαι* furo, inſanio; dicitur & *rabies*, *furor*. Gr. *μανίη*, *μανικὴ ἔκστασις*, *λύσσημα*. G. Tobſucht, wütende Unſinnigkeiten.

MANICA HIPPOCRATIS, eſt ſacculus laneus, figura pyramidali, quo vina aromatica & medicamentoſa aliique liquores percolantur. G. Spitziger Filtrirbeutel, Filtzbeutel.

MANIODES, eſt delirium maniæ ſimile, a *μανία* furor, & *εἶδος* forma.

MANIPVLVS, eſt menſura ſicca medicis in præſcribendis formulis familiaris; eſt enim determinata quantitas, quantum ſc. vnica manu comprehendi poteſt. *Manipulus Celſo*, quod *Scribonio Largo*, faſciculus. Sed aliqui valde hæc diſcrepare volunt, & faſciculum dicunt, quantum plicatis brachiis capi poteſt. Notatur vulgo ſigno M. vel Man. G. Eine Hand voll.

MANNA, dicitur eſſe ros pinguis arboribus adhærens: qui error forte inde venit, quia in ſacris dicitur manna roris in modum decidiſſe. Manna hodierna eſt ſuccus concretus ex foliis quarundam arborum, vt fraxini & orni, productus: Obſeruat *Donatus Anton. ab Altomari*, qui librum de manna reliquit, quod meridie tantum, ac calidiſſimis diei horis manna exſudet ex foliis; maiori enim caloris gradu opus eſt; vt ſuccus ad folia perueniat, & extra vaſa ſua deferatur: Cælo ſicco & menſe Iulio in regno Neapolitano & Sicilia ſponte fluit liquoris limpidi inſtar & ſenſim concreſcit; poſtridie cultri ope eam colligunt, ne a pluuiis & cælo vdo liqueſcant, & in vaſis vitreis condunt, ac deinde ſoli exponunt in chartis nitidis, donec manibus non adhæreat, aliter enim liqueſceret & candorem amitteret. Manna ſpontanea a die 21 Iulii ad finem vsque Iulii effluit, niſi adueniant pluuiæ. Iulio deſinente ruſtici corticem fraxinorum incidunt ad materiem vsque, tunc a meridie ad ſextam fluit idem liquor, & in grumos craſſiores cogitur, caloris paulo intenſioris ope. Manna alia granata dicitur, quod minoribus conſtet granis, alia maſtichina, quæ maſtiches prope granis eſt æqualis. Venit ex Calabria, imo ex India orientali, Syria, Perſia, Goa, ex Ormuz, Ceilon &c. Dicitur etiam *mel aereum*, ſeu *aeromeli*; *tereniabin*, *droſomeli* &c. Leuiter aluum morantem incitat, ſapor eſt dulcis inſtar mellis; color debet eſſe albus, non fuſcus aut rufus. G. Manne.

MANNA CHYMICORVM, vt mercurii, eſt deſtillatum quoddam ex præcipitato albo, niui albiſſimæ ſimile; vocatur & *aquila cæleſtis*.

MANNA THVRIS, vide *thus*.

MANSORII MVSCVLI, idem quod *maſſeteres*.

MANVS, in genere ſumitur pro ea parte a ſummo humero ad digitorum extremitates. Sed ſtricte diuiditur in *brachiale* vel *carpum*, in *poſtbrachiale* & *digitos*. Interna poſtbrachialis pars *vola* ſeu *palma*, verum exterior dicitur *dorſum*. Gr. χείρ. G. eine Hand.

MANVS CHRISTI, eſt ſaccharum perlatum, ſic dicitur quod cardiacis, quibus vtuntur morte proximi, additur, quia Chriſti manus tunc neceſſaria eſt, ſiue in vita futura ſiue in morte. G. Perlenzucker.

MARASMODES, eſt febris, quæ lento gradu tabem acceſſit, ex μαρασμὸς tabes, & εἶδος forma. G. Dürre, wenn man am Leibe abnimmt.

MARASMVS, eſt ſummus tabis ſeu atrophiæ gradus; oculi ægrorum hoc malo laborantium ſunt concaui, collapſa tempora, nares acutæ, prominentia mala, coſtæ protuberantes, ſcapulæ inſtar alarum & clauiculæ inſtar arcus eminent: exerit ſe ſpina dorſi, collabitur venter, clunes pendent, aut conſumuntur, manus aridæ ſunt incuruatis vnguibus, cadunt pili, atque tota cutis euadit flaccida, arida, fuſca, & in rugas contrahitur, venis interdum conſpicuis & eminentibus, corpusque vniuerſum aliquando pellucidum & transparens conſpicitur. Vrget plerumque inexplebilis ſitis, fames perit, reſpiratio exiſtit ſumme difficilis, tandem alui fluor, & mors inſequitur, huic morbo ſenes non raro obnoxii ſunt, a μαραίνω marceſco. G. Verfallen, mager werden, ſchwinden.

MARCASITA, ſiue BISMVTHVM, eſt ſubſtantia, colore plumbi & ſtanni intermedia, vtroque durior, ſtibio ſimilis, fragilis & ſciſſilis, fractum ſplendens & ſtrias latas habens, ante ignitionem liqueſcens, tinniens, manus inficiens, reperitur in propriis, vel in argenti fodinis; & albo nitore argentum æmulatur, ſulphuris præſentis notas gerit, acidique actione bituminoſa dimittit, metalla volatilia, atque friabilia admiſtu ſuo reddit, eſt autem ſui generis metallum, & veteribus ignotum, quia in Miſnia ſolum reperitur: eſt autem alia eius ſpecies, flauedinis alicuius particeps, quæ marcaſita aurea dicitur. Goldkieß: prima autem vocatur. G. Wißmuth, Marcaſit.

MARCHASITA, materia metallica impura varii generis, *Græcis*, *Latiniſque* pyrites, *Arabibus* Markhasjitſa, vt ex *Auicennæ can. Med. l. 2. tract. 2.* conſtat. Cumque vox hæc Latina iam ciuitate donata ſit, neceſſe eſt penultimam Latino more, ob poſitionem in Arabico extantem produci. Hæc Borrichius

MARCOR, idem quod *maraſmus.*

MARGA eſt pinguis quædam materia, & quaſi medulloſa, in nonnullis ſaxis contenta, variorum colorum, ideoque *medulla ſaxorum* vocatur; viribus cum terreſtribus reliquis conuenit. G. Steinmarck.

MARGARITÆ, *perlæ* dictæ & *vniones* ſi magnæ ſint. Sunt lapides rotundi, in conchis nonnullis ex perittomate eodem quo teſtæ generantur, producti: imò & in ipſis animalculis, quæ conchas inhabitant, vti in oſtreis Anglicis, & muſculis noſtratibus, ſæpe inueniuntur. Duplices cenſentur, *orientales* nempe & *occidentales.* Illæ ſplendidiores ſunt, adeoque cæteris præferuntur & præſertim Perſicæ. Hæ lacteſcunt, minusque ſunt ſplendidæ. Inueniuntur etiam in multis Europæ locis, vti in Scotia, Sileſia, Bohemia, Friſia, locisque maritimis aliis, ſed vilioris ſunt notæ. Maiores cenſentur minoribus maturiores & præſtantiores. In medicina dicuntur cor roborare: ſed præcipuæ margaritarum vires conſiſtunt in temperando acido. Gr. μαργαρίτης. G. Perlen.

MARISCA, idem quod *ficus.*

MARMARYGÆ, ſunt oculorum fulgores & coruſcationes. G. Feuer das aus den Augen ſpringt.

MARMELATA, penult. prod. vide *ſuccolata.*

Marmelata, & MARMELADA, eſt ſuccus cydoneorum in gelatinam craſſiuſculam cum ſaccharo condenſatus: eaque tum ſimplex eſt, tum aromatiſata, idque pro vſu medico aut domeſtico. Venit a voce Luſitanica & Hiſpanica: *Marmelos* enim & *Marmellos*, illis malis malum cydonium eſt. G. Quittenlattwerg, Marmelat.

MARMOR, lapis eſt, inſigniter durus ac ad ſplendorem accipiendum, ſi poliatur, ita aptus, vt ſtatuæ vel columnæ egregie nitentes inde ſculpi poſſint. Genera multa ſunt, cum nec certa illis figura, nec color certus ſit. Alia ſunt *alba*, vti *alabaſtrites*; alia *rubra*; alia *nigra*, vt *Lydius lapis*; alia *variis coloribus*, vti *porphyrites*, *ophites* &c. Gr. μάρμαρος. G. Marmelſtein.

MARMORARIA, ſed corrupte *Mamolaria*, eſt acanthus ſeu branca vrſina, ſic olim Romanis dicta, quod eius folia colum-

columnarum maxime Corinthiarum capitulis inſculpebantur, quarum identidem tam ſcapi quam vertices marmore ſplendebant.

MARMORATA AVRIVM, vide *cerumina*. G. Ohrenſchmaltz.

MARRVBIVM, penult. corr.

Marrubium in vino potum prodeſſe loquuntur. Seren. tit. ſplen. cur.

Marrubium ex paſſo tritum perfunditur vndis. Seren. tit. profl. ſangu.

Marrubium, ſiue praſſium eſt planta, quæ habet caulem lanuginoſum, quadratum, ramoſum, excauatum: folia obrotunda, ſibi inuicem oppoſita, rugoſa, craſſa, neruoſa, in margine inciſa, lanuginoſa, villoſa, albeſcentia, odora, ſaporis acris & amari: flores ſunt minimi, albi, in verticillis denſis diſtincti, circa caules nudi, labio ſuperiori elato, & velut in cornua fiſſo, inferiori tripartito, media portione plerumque bifida: ſemina oblonga: radix fibroſa, nigra, odoris aromatici, penetrantis, & grati: creſcit hæc planta in locis incultis. G. Weiſſer Andorn.

MARRVBIVM NIGRVM, vide *ballote*.

MARS, belli deus, ſed a chymicis ſumitur pro ferro aut chalybe. Vnde *martialia* dicuntur medicamenta, quæ ex marte parantur. G. Eiſen, Stahl.

MARSVPIALIS MVSCVLVS, ſiue BVRSALIS & OBTVRATOR INTERNVS, habet foramen, vti & externus, inter pubis & iſchium os, dictorum oſſium circuitui extremo lateri affixus, transuerſim atque exterius, maiori inſigitur femoris proceſſui. Interim carnoſum veluti marſupium conſtituit; femur mouet. G. Der Taſchengleiche Muſcul.

MARTAGON, eſt lilium purpureo croceum: eſt & vox chymica, obſcuræ ſignificationis. *Martagon*, eſt origine Gallica, & forte ex Turcia tranſlata. G. Türckiſcher Bund.

MARTIALIS, vide *mars*.

MARTIATVM VNGVENTVM, eſt duplex *maius* vel *minus*. Sed minus maiori præſtat, ex variis herbis aromaticis, oleis, cera, adipibus, gummis &c. componitur aduerſus neruorum & tendinum mala, nomen a Martiato medico inuenit.

MARTIVS PANIS, vel PASTA REGIA, fit ex amygdalis excorticatis, inſtar pulmenti craſſioris cum aqua roſarum contuſis, & ſaccharo ana, vel amygdalarum partibus duabus, ſacchari parte vna, tum ſupra ignem in aheno diligenter agita, vsque dum ſuperflua humiditas euaporauit, depſeque ſimul in maſſam manui non adhærentem, ex qua deinde lautia præparantur. G. Marcipan.

MARVM, planta eſt exotica, maioranæ figuræ & viribus ſimilis; adeo vt pro vna eademque herba a nonnullis habeatur. Ex Syria ad nos defertur.

MAS, quid ſit, omnibus notum; ſed in republica medica inſtrumentum oblongum eſt, & acuminatum, quod modiolo ſiue trepano inditur, vt trepanum in initio firmiter ſtare poſſit, vide *modiolus*.

MASLACH, compoſitio Turcis eſt ex opio præparata, cuius doſis eſt drachma, imo ad tres quandoque innoxie deuorant, præſertim ſi veneris aut martis prælium ſint inituri. Vocatur & *Anſion* vel *Amphion*.

MASSA, nominatur ſæpe omnis ſanguis, in toto corpore ſimul ſumptus. Sic & *maſſa* dicitur omnis compoſitio ex pulueribus aliisque rebus ſiccis cum fluidis in vnam ſubſtantiam redactis, vti ſunt maſſæ pilularum, maſſæ emplaſtrorum &c. Sic & pro *maſſa* habetur carnis quædam excreſcentia. G. ein Teig.

MASSETERES, MANSORII, ſeu MANDVCATORII & MANDIBVLARES, ſunt muſculi maxillæ inferioris, a maxillæ ſuperioris oſſe primo & oſſe iugali producti, maxillæ inferioris margini inferiori, exteriori per ſpatium quatuor fere digitorum inſeruntur; maxillam inferiorem fortiter adducunt ad ſuperiorem, atque eam dextrorſum, læuorſum & antrorſum ob fibrarum diuerſitatem, commouere poſſunt, a μασσάομαι manduco. G. Der Kinbackenmuſcul.

MASTICATIO, & MANDVCATIO, eſt actio, quæ maxillam inferiorem verſus ſuperiorem adducendo, varie declinando, interceptos cibos dentibus comminuit, & ſaliuæ in ore admiſcet. G. Das Käuen.

MASTICATORIVM, eſt medicamentum quod ore detentum, ſæpius maſticatum, ſaliuam prolicit, ex *pyrethro*, *ſale*, *maſtiche &c.* præparatum. G. Eine Artzney die man kauet.

MASTI-

MASTICHE, *es*, penult. habet ancipitem.

Rugarum ſulcos lentiſci maſtiche tendens. *Seren. tit. cut. vitiis.*

Pulegium, abrotonum nitida cum maſtiche coctum. Seren. tit. ſplen. cur.

Maſtichis, abdentur fractæ iam mollia farra. Seren. tit. præcord. ſanand.

Numinis at iuſſu cedrum cum maſtiche miſces. Seren. tit. ſolut. ventr.

Siue apio nepetas tereti cum maſtiche iunges. Seren. tit. col.

Cæterum: Μαςίχης, ὄινῳ δ' ἂν φαλερίνῳ φυράσασθαι. *Poëta* apud *Galenum l.* 1. *de Antidotis.* Idem imitatus poſtea eſt *Sammartanus.* Præterea *Verepæo* obſeruatum *maſtix ichis*, pro gummi noto, raro eruditioribus vſurpari, frequenter *maſtiche, iches.* Maſtiche, barbare *Maſtix*, eſt gummi, reſina aut lachryma ex lentiſco arbore exſudans, venit ex Chio, Syria, Candia, Prouincia, Hiſpania &c. ex albo citrina eſt, pellucida, granulata, bene odorata, friabilis &c. G. Maſtix.

MASTICHINA, aqua vitæ, & oleum *maſtichinum Officinarum*, penult. corrip. vt cætera omnia adiectiua in inus a rebus inanimatis deriuata: Vide *Amaracinus, ſequ.* De oleo illo ita *Dioſcorides l.* 1. *c.* 51. Τὸ δὲ μαςίχινον ἐκ τῆς μαςίχης λέαις σκευάζεται.

MASTOIDEI, rectius MASTOIDES, ſunt proceſſus mammiformes, qui a latiore baſi in obtuſum verticem protenduntur, & vaccinum vber figuræ ſimilitudine exprimunt, oſſibus temporum accreti, ſiti ad latus & infra meatum auditorium: Item ſic vocantur *muſculi capitis flexorii*, quia a ſterno & clauicula orti, in mammiformem proceſſum terminantur, ex μαςὸς mamma, & εἶδος forma. Vide *mammiformes proceſſus.*

MASTOS, idem quod *mamma.*

MATER DVRA, eſt membrana, quæ cranio intus in quibusdam locis firmiter adhæret, cerebrumque & cerebellum mediate obducit; quatuor habet ſinus, qui vicem venarum ſuſtinent, & inter cerebrum & cerebellum ſimul conueniunt, quæ coniunctio ab *Herophilo, torcular* vocatur. Denominatio matrum venit ab Arabibus: Græcis vocantur μηνίγγες; meninges. G. Das dicke Hirnhäutlein.

MATER PERLARVM, MACRA PERLARVM, ſeu MARGARITARVM, ſunt conchæ & teſte, quæ intus ſplendore margaritarum nitent, vbi præſertim ſunt ex genere nautilorum, vnde & nomen diductum. G. Perlenmutter.

MATERSYLVA, eſt caprifolium, forte ita vocatur, quod in ſyluis, quaſi mater, priores partes habet. Vide *caprifolium.*

MATER TENVIS, eſt membrana quæ cerebrum & cerebellum immediate inueſtit ſub dura matre, omnesque gyros & anfractus illius intrat, vaſculis ſanguineis quam vberrime perfuſa; neruis ex cranio egredientibus tunicam concedens. G. Das dünne Hirnhäutlein.

MATRACIVM, eſt ſacculus cui ineſt tartarus calcinatus, vel ſimile quid, vt in cella humida, in loquoris formam, reſoluatur: porro dicitur & vitrum tenue & purum, vrinis inſpiciendis accommodatum, habetque formam fere rotundam, cum collo ſatis ſpatioſo. G. Ein Harnglas.

MATRICALIA, ſunt, quæ matricis morbis deſtinantur medicamenta.

MATRICARIA, penult. corr. ob vocalem ante vocalem. Matricaria, planta officinalis, chamæmeli ſpecies, habens plures caules, ſatis craſſos, rigidos, firmos, cannulatos, medulla alba, fungoſa, repletos, in plures ramos diuiſos, folia ſunt ſatis lata, in ſegmenta diuiſa, ad vnam coſtam coniugatim poſita: flores habent calicem ſqammoſum, ſubrotundum, ſuntque in vmbellam congeſti; ſed plerumque laxiores: ſemina oblonga, ſaporis ingrati, amari, & odoris fortis Gr. παρθένιον: ita dicitur, quod matrici proſit. G. Mutterkraut.

MATRIX, ſeu VTERVS. Inter vegetabilia denotat medullam ſiue cor alicuius plantæ.

MATRONALIS FLOS, ſeu VIOLA, *viola Damaſcena*, dicitur quod odoris gratia a matronis atque virginibus coli ſoleat, iisque in deliciis ſit. G. Damaſtblum.

MAZA, eſt ſpecies panis apud veteres, quæ tempore *Hippocratis* & *Galeni* coquebatur: conſtabat maxima ex parte ex farina hordei toſta, oleo & melle; ſed poſterioribus temporibus, compoſitio ex amygdalis & ſaccharo, facta fuit, & *mazæ* ſeu *mazæ panes* & *Gallis macrons* & *macarons* dicitur Apollodorus apud Athen. a μασᾶσθαι manducare, comedere, deriuari ſcribit: ipſe vero Athenæus a μάττω pinſo deriuat, quem & Euſtathius ſequitur.

MATVRANTIA, ſunt medicamenta, quæ partes ſuppurandas ſeu actione ſic ſoluunt, vt omnes ſuppuratæ coeant in vnum locum nullis diſtinctum cellulis, & ex quo apertura facta omne ſuppuratum vna vice expelli poſſit. G. Zeitigende Mittel.

MATV-

MATVRATIO, Gr. πέπανσις, chirurgica vox eſt, & dicitur de tumoribus in pus vergentibus, item de variolis. Chymicis quædam exaltatio eſt rerum crudarum in maturiorem & gratiorem ſtatum; eſtque *digeſtio*, *circulatio*, *fermentatio*, *proiectio*. G. Die Reiffung,

MAXILLA, vide *mandibula*.

MEATVS, Gr. πόρος, eſt vas, vt vena, arteria, vaſa lymphatica, ductus chyliferi &c. per quod aliquid tranſit; alii ſunt recti, alii ramoſi, alii tortuoſi &c. G. ein Gang.

MEATVS AVDITORIVS, canalis eſt, conchæ continuatus, ab eius cartilagine continuata, anguſtata, originem ducens, ſic externo ſui extremo ab auricula principium ſumens, porro temporalis oſſis parti petroſæ inſculptus, ſic dictum os perforans, oblique ad interiora verſus faciem excurrens, longus, anguſtus, non rotundus, ſed quodammodo depreſſus, in initio paululum aſcendens mox incuruatus iterum circulari ſectione deſcendens deorſum, iterum aſcendens, demum vltimo, maxime parte ſua inferiori, ad extremam tympani membranam, qua terminatur, deſcendens, a qua aliqua ſectione clauditur ſic, vt faciat cum hac obtuſum angulum parte ſuperiori, & poſteriori; acutum vero anteriori & inferiori; ſic ſerpentino inceſſu progreditur, & figuram habet tubuloſam, cylindro - ellipticam, tortuoſam, conſtat hic meatus partim cartilagine conchæ elaſtica, continuata, partim oſſe petroſo, protuberantiis quibusdam cartilaginem excipientibus, vt & ligamento validiſſimo ab extremitate conchæ proueniente. Hic ductus vere ſoniferus eſt, dum ſonum verſus interiora defert; dum radios ſonoros, ab auricula receptos, impulſos, recipit, retinet, redire & iterum ad exteriora egredi, impedit; reflectit, & quidem creberrime, & efficit, vt omnes in medium ſui finis currant, hoc eſt in membranæ tympani centrum, incurrant, dum interim huius canalis obliquitas & tortuoſitas eius longitudinem, ſuperficiemque augent; loca reflectionum, ipſasque reflectiones multiplicant, & ſimul impediunt corpuſculorum heterogeneorum facilem ingreſſum, & tranſitum ad interiora. G. Der Gang des Ohrs.

MEATVS VRINARIVS, vide *vrethra*.

MECHOACANNA, eſt radix purgans alba, Bryoniæ inſtar, ex Hiſpania noua. Duplex habetur ratione loci. Prima ex Mechoaca inſula (vnde nomen) affertur, altera vero ex continente, circa Nicaragua nata, quæ priore longe præſtantior eſt. Inter conuoluuli ſpecies numeratur. Folia habet magna

magna obſcure virentia & lata, & in acutum deſinentia. Vocatur & Mechocanna Peruuiana, Rhabarbarum album. G. Weiſſe Rhabarber.

MECON, Latine *papauer*. Gr. μήκων.

MECONIVM, eſt opium ſiue condenſatus papaueris ſuccus. Item excrementa fœtus, poſt partum inteſtinis adhuc inhærentia, a papaueris ſucci nigredine ſic dicta, a μήκων papauer.

MECONOLOGIA, eſt opii deſcriptio, ex μήκων papauer, & λέγω dico.

MEDIANA VENA, eſt illa ſita in cubiti flexura inter cephalicam & baſilicam media: ea tumefacta a perito chirurgo tuto ſatis pertunditur, ſed imperito non ſine periculo læſuræ tendinis ſubiacentis, vnde conuulſiones, gangrænæ &c. procurantur. G. Die Medianader.

MEDIASTINVM, eſt ſepimentum membranoſum, thoracem & pulmones bifariam diuidens, eſtque ipſum duplex, dum pleura cingens thoracem ab vtraque parte in medio aſſurgit, hocque ſepimentum conſtituit, hinc anterius ſternum attingit, poſterius dorſi vertebras. G. Das Bruſtfell, Mittelſell.

MEDICA, eſt trifolii ſpecies, ſic dicta quod in Media plurimum creſcat, vnde nobis primum aduecta: quæ ex vnica ſemente durat annos decem. G. Schneckenklee.

MEDICAMENTVM, eſt auxilium conueniens, quo cum alteratione morbi impugnantur, eo fine, vt ſanitas in integrum reſtituatur manente vita: vel quicquid corporis affectum depellit. Eſtque vel *actuale*, quod primo contactu corpus noſtrum ea, qua præditum eſt, qualitate, afficit: vt ferrum candens, aqua frigida. Vel *potentiale*, cuius vis non primo contactu, ſed tum demum ſeſe exerit, cum illa ex aliqua in corpore mora, in medicamento excitatur, vt piper, raphanus, ſalia acria &c. deinde medicamentum dicitur vel primis vel ſecundis, vel tertiis facultatibus eſſe præditum. Eæque omnes a temperamento & varia particularum in corpore noſtro actione innoteſcunt. *Medicamentum* eſt triplex *chirurgia*, *pharmacia* & *victus ratio*. Vocatur etiam medicamen, ἴαμα, φάρμακον, λυτήριον, remedium, iuuans, & indicatum. G. Mittel, Geneßmittel, Artzeney.

MEDICINA, eſt ars medendi, ſiue qua per conuenientia remedia, quantum poſſibile eſt, introducatur ſanitas amiſſa, conſeruetur præſens in corpore humano: a *Galeno* definitur a fine

fine, quod ſit *ars præſentis ſanitatis conſeruatrix, & labefactatæ inſtauratrix*, & libro introductorio, *ſcientia ſanitatis protectrix, & morborum expultrix*, ab *Herophilo* autem ex ſubiectis, *ſcientia ſalubrium, inſalubrium & neutrorum. Medendi methodus, a Syluio de le Boe* ſic definitur, *ars inueniendi & rite vſurpandi remedia reparandæ ac reſtituendæ valetudini amiſſæ maxime conuenientia.* Medicina a *Sennerto* aliisque recte in quinque partes diuiditur; in *phyſiologiam*, nempe in qua agitur de conſtitutione humana quatenus ſana; ad hanc etiam pertinet *anatomia.* 2. *Pathologiam*, in qua agitur de morboſa corporis noſtri conſtitutione. 3. *Semeioticam*, de ſignis ſanitatis & morborum. 4. *Hygieinen*, illa de regimine ſanitatis conſeruandæ leges pronunciat. 5. Et *therapeuticam*, quæ docet *diætam, chirurgiam*, & *pharmaciam*. Prima & generalis medicinæ diuiſio bimembris tantum eſt, & vna medicinæ partem *theoreticam* conſtituit, altera vero *practicam*. Medicinæ ſubiectum eſt corpus humanum quatenus ſanabile: ſcopus ſeu *finis* eſt *ſanitas*. *Hippocrates* vocat eam *artem longam* cum dicit, ἡ δὲ τέχνη μακρή, e contrario *Paracelſus* eam ponit *breuem*: reuera tamen ars magna & longa eſt, ita vt exclamare cogamur, *quantum eſt quod neſcimus*. G. Artzeneykunſt.

MEDICVS, eſt vir artis medicæ gnarus, eamque apud clinicos exercens: ſi autem rationem experientiæ obſeruatisque aliorum adiungit, dogmaticus vocatur; ſi ſolam conſulit experientiam & a ſimilitudine concludit, dicitur empiricus. Gr. Ἰατρὸς, ab ἰάομαι medeor. Vulgo vocatur *doctor* ob promotionem ſuam, qua poteſtatem alios docendi accepit. G. ein Artzt.

MEDIMNVS, eſt menſura aridorum Attica, continet chœnicas quadraginta & octo, ſiue centum & octo libras menſurales, ſeu modios ſex, non medicos, ſed georgicos, eius nota fuit μ & in ſummitate ε.

MEDITVLIVM, eſt ſpongioſum illud inter duas cranii laminas, vide *Diploe*.

MEDIVS VENTER, idem quod *thorax*.

MEDVLLA, inter mineralia partem molliuſculam denotat, quæ in ſaxis nonnunquam reperitur. G. Steinmarck. Inter vegetabilia, eſt media cuiuslibet caulis, ſeminis, fructus pars mollior ac præſtantior, quam & cor & matricem appellant. Quoad animalia, medulla eſt pars mollior, & pinguior, quæ in oſſium cauitatibus continetur, ſiue oleum blandiſſimum,

ſauiſ-

ſuauiſſimum, & ſubtiliſſimum, quod in toto ſanguine eſt. G. Das Marck.

MEDVLLA CEREBRI, eſt ſubſtantia alba & mollis, ex infinitis neruorum filamentis, ſingulis ab inuicem ſeparatis compoſita, exterius corticali ſubſtantia obducitur; quæ magis cinerea eſt, intus corpus calloſum conſtituit: in ea fit ſpirituum animalium diſtributio, & imaginatio. *Malpighius* eam ex innumeris filamentis conſtare affirmat: nam nerui exinde oriuntur. G. Das Marck im Hirn.

MEDVLLA OBLONGATA, eſt initium ſpinalis medullæ, a qua nerui intra cranium originem ſumunt, quæ per foramen occipitis & vertebrarum vsque ad os ſacrum deſcendit, ex ſuis lateribus decem neruorum paria ad thoracem, abdomen & artus emittit, etiam ſenſorium commune πρῶτον αἰσθητήριον appellatur, quia vbi neruorum origo, ibi eſt ſenſuum externorum receptio communis. G. Das lange Marck.

MEDVLLA OSSIVM, eſt ſubſtantia pinguis, in oſſium cauitatibus, poroſitatibusue ab arteriis depoſita. Medulla hæc membranulis & cellulis continetur, & omni prorſus ſenſu caret; in fiſtulis maioribus rubicunda eſt, in minoribus alba, in oſſibus ſpongioſis mollis & ſucculenta. Gr. μυελός. G. Das Marck in Beinen.

MEDVLLA SPINALIS ſiue DORSALIS, eſt cauda cerebri, μυελὸς νωτιαῖος, eſt illa pars, quæ per annulos vertebrales deſcendit & in os ſacrum terminatur, habet etiam ſubſtantiam eandem & vſum cum cerebro; neruorum coagmentatio eſt, quorum etiam vſum poſſidet; ſuperius bifida conſpicitur: hinc ſi alterutra obſtruatur, *hemiplegia* ſiue paralyſis vnius lateris oritur, vtrimque triginta neruorum paria ad artus, ventres, cæteraſque corporis partes emittit, ſi conuenienti liquore diligenter lauetur, in plurimas fibrillas diſpeſcitur. G. Das Marck im Rückgrad.

MEL, Gr. μέλι, eſt ſubſtantia liquida craſſiuſcula ex albo flaueſcens, nata in variis vegetabilium floribus, & ab apibus in iisdem collecta. Mel differt, tum ratione temporis, & loci, tum ratione plantarum ex quibus colligunt illud apes; ſic veteres locuti ſunt de melle venenato, vbi in vicinia erant multa rhododendra. Pharmacopœis denotat aliquando ſuccum ſimplicem ad mellis conſiſtentiam inſpiſſatum, melque ſapore æmulantem, ſic conuenit cum ſapa ſiue rob; vti mel paſſulatum, iuniperinum. Non raro refert ſyrupum cum melle paratum, vt mel roſarum, diamorum &c. G. Honig.

MELA

MELA, Gr. *μήλη*, eſt inſtrumentum chirurgicum, *ſpecillum* dictum. Imperitum vulgus a tentando *tentam* vocat. Conficitur vt plurimum ex argento, vel ebore, idque ad exploranda vlcera, vel calculum vrethræ infixum, extrahendum &c. aptum: pro vario vſu, varias habet formas. G. Wundeiſen, Sucher, Sonde.

MELAMPODIVM, appellatur ſic helleborus niger, quoniam Melampus, caprarum paſtor, Prœti furentes filias hoc primum purgaſſe & ſanaſſe fertur.

MELAMPYRVM, eſt planta, cuius caulis quadratus, lanuginoſus, purpureus, ramoſus: folia ſibi inuicem oppoſita per interualla, quædam anguſta inſtar linariæ, alia ampla, & profunde inciſa, aſpera; coloris ex viridi fuſci, in ſummitate plantæ adſunt folia breuia, ſatis lata, coloris purpurei: flores ex alis foliorum erumpentes in foliaceas ſpicas congeruntur; poſt florem ſequitur fructus aut teſta ſubrotunda, ab inferiori parte ad ſuperiorem in duas partes dehiſcens; quæ ſingulæ in duo loculamenta ſunt diuiſæ, continentia ſemina oblonga, nigra inſtar tritici: radix parua lignoſa, fibroſa: hæc planta creſcit inter ſegetes, quaſi triticum nigrum: vocatur etiam *triticum bouinum* & *vaccinum*, ex *μέλας* niger, & *πυρὸς* frumentum. G. Fleiſchblumen, ſchwartzer Weitzen.

MELANAGOGA, ſunt medicamenta atram bilem (veteribus putatitiam) euacuantia, ex *μέλας* niger & *ἄγω* educo.

MELANCHOLIA, eſt delirium diuturnum & pertinax circa vnum obiectum absque febre, quo ægri ſine cauſa manifeſta admodum triſtantur & metuunt; horrenda, nonnunquam etiam ridicula, imaginantur & ſibi perſuadent; color cutis externus eſt pallidus, flauus, vel fuſcus, ſolitudinem amant, vt ſuæ indulgere poſſint meditationi, anxietatem, repletionemque ab aſſumtis in hypochondriis ſentiunt, ructibus, flatibus, & ſpaſmis frequenter ſunt obnoxii &c. illa ſpectant vel ad corpus, vel ad animam: nam ſi corporis illis imaginatio ſit, putant ſe nullum habere caput, nates, naſum &c. vel mortuos eſſe; ſed quoad animam, de vita æterna deſperant, & ſibi perſuadent a diabolo tentari, & cum eo ſermones miſcere &c. quoad reliqua videntur ſani, imo ſæpe ſaniſſimi. G. Melancholey. Veteribus vocabatur hic morbus *atra bilis*, quum illa ſanguinis & humorum craſſities ac malignitas acris aderat, vnde hic morbus producebatur, ſiue tam a cauſis corporeis, ſiue a mente hæc diſpoſitio inducta fuerit. Videbant enim vere quod in hoc

morbo

morbo ægri ſæpe euomebant materiam aterrimam inſtar picis, quæ omnium malorum cauſa fuerat, ex μέλαινα nigra & χολὴ bilis. G. Böß/ſchwartz Geblüt.

MELANOSMEGMA, eſt ſapo niger, ex μέλαν nigrum & σμῆγμα ſapo.

MELANTHIVM, eſt nigella, vt & alia florum ſpecies: ſic appellatur a nigro ſeminis colore, a μέλας niger & ἄνθ☉ flos. G. Schwartzer Kümmel.

MELAS, vide *alphus.*

MELEAGRIS eſt *fritillaria*: ſic dicitur ab aue Meleagride, ſeu perdice Barbariæ; cuius plumas dicunt referre. Vide *fritillaria.*

MELIA, eſt fraxinus.

MELICERIS, eſt tumor tunica propria concluſus, hærens vel in folliculis glanduloſis quacunque in corporis parte, vel vbi membrana celluloſa, vulgo adipi colligendo dicata, reperitur, materia quaſi mellea repletus, indolens, rotundus, digitis facile cedens, ſed illico rediens, ex particulis lymphaticis non rite circulantibus originem ſumere videtur, quæ euaporato humido, maſſam melleam relinquunt ex μέλι mel, & κηρίον, fauus. G. Ein Honiggeſchwulſt.

MELICRATVM, eſt hydromel, ſiue mulſum, quod componitur ex vna parte mellis & octo partibus aquæ pluuialis, ex μέλι mel, & κεράννυμι miſceo. G. Meth.

MELILOTOS, vel *melilotus*; *Dioſcoridi l.* 3. *c.* 48. μελίλωτ☉ penult. prod.

Pars thyma, pars rorem, pars meliloton amat. Ouid. 4. Faſt.

Melilotus, eſt ſpecies trifolii odorati, habetque vnum pluresue caules rotundos, ſtriatos, excauatos, flexiles: folia terna, fœnum Græcum referentia, ſed magis alba, in margine crenata: flores ſunt exigui, leguminoſi, in ſpicam longam diſpoſiti, coloris flaui, aliquando albi odoris grati: flori ſuccedit capſula nigricans, nuda, non recondita in calice vt in trifolio, fœta vno vel altero ſemine rotundo, exiguo, pallido: radix longa, exigua, alba, flexilis, fibras multas habens: creſcit hæc planta in locis arenoſis & ſiccis, dicitur propter melleum ſaporem, qui ex caule eius & radice deprehenditur, dum comeduntur. Vocatur etiam *ſertula campana*, quod flos eius coronamentis dicatus ſit, & quia ex ea antiquitus coronæ & ſerta factitata ſunt. *Corona* etiam *regia* appellatur, quoniam lu-

teis

teis floribus ſuperne coronatur, atque ſuperbit. G. Steinklee, Melote.

MELIPHYLLVM, eſt meliſſa, ex *μέλι* mel, & *φύλλον* folium: quia apes meliſſam amant, & ex ea mel colligunt.

MELISSA, ceu *citrago*, vel *apiaſtrum*: eſt planta, quæ habet caules quadratos, duros, ramoſos: folia oblonga, acuta, ſatis ampla, aſpera, lanuginoſa, aliquantulum in margine inciſa, coloris viridis, ſubfuſci, ſplendentis, odoris citri, grati, ſaporis aliquantulum acris: flores in foliorum alis nati, annulos quaſi formant, qui tamen non ſunt integri circa caulem, neque omnino verticillati; galea erecta, ſubrotunda, bifida, tripartita; calix tubuloſus eſt, quinquifidus, longus, tribus ſegmentis maioribus & binis inferioribus ſic vnitis, vt bilabiatus appareat: floribus decidentibus ſuccedunt quatuor ſemina obrotunda, oblonga, ſibi inuicem adiuncta, in calice florum incluſa: radix fibroſa, longa, diuiſa, rotunda: ſic vocatur vel a melle, quod apes eius foliis gaudeant: vel ab apibus quæ Gr. *μέλισσαι* & *μέλιτται* vocantur. G. Meliſſe.

MELITEMA, eſt trageæ ſpecies ex melle & medicamentis ſubacta. G. Honigküchlein, Lebkuchen.

MELLAGO, eſt medicamentum quodlibet ad conſiſtentiam mellis reductum.

MELO, *onis*, vox *Palladio Mart. tit. 9.* vſurpata. *Nunc melones*, inquit, *ſerendi rarius.* Penult. corripit ab o micron præſens, quod vel *μηλοπέπων* oſtenderit apud *Galen. l. 2. de Alim. facult.* apud *Dioſcoridem*, *Heſychium*, *alios.* Vide & *Pepo.* Melo eſt cucurbitæ ſpecies, quæ habet caules longos, ſarmentoſos, repentes, aſperos: folia cucumeris, ſed minora, rotundiora, minus anguloſa: flores ſunt parui, flaui; poſt florem ſequitur fructus, in initio aliquantulum villoſus, figuræ & magnitudinis diuerſæ, habens corticem durum, craſſum, coloris viridis & cinerei; caro eſt tenera, medulloſa, humida, glutinoſa, flaua aut rubicunda, odoris & ſaporis dulcis, & valde grati, in terna loculamenta bifariam ſecta diuiſus, continens ſemina oblonga, plana, ex flauo albeſcentia, habentia corticem durum, fœtum amygdala albiſſima, dulci, & oleoſa; loculamenta, in quibus reconduntur ſemina, continent medullam liquidam rubicundam, boni ſaporis: dici volunt a *μῆλον* pomum, quod figura & odore pomum ſeu malum referat. G. Pfeben, Melonen.

MELOCARDVVS, MELOCACTOS, POMVM SPINOSVM, OPONTIATVM, ECHINOMELOCACTOTOS, ſunt ſynonyma, eſt planta exotica, meloni maiori ſimilis, in cuius ſuperficie ſpinæ erumpunt. Caules eius ſunt craſſi, ſtriati, lanuginoſi, ſpinoſi, eius habitus eſt ſingularis, ſucculentus, echinatus, polygonus: flores monopetali, campaniformes, tubulati, nudi, multifidi, ouario inſidentes, intus gerentes multa ſtamina: ouarium eſt carnoſum, molle, fungoſum, pulpoſum, fœtum multis ſeminibus paruis, oblongis: fructus huius plantæ ſunt edules, hæc planta creſcit in ſaxis duriſſimis, quæ nullas habent rimas.

MELOCARPVS, eſt ariſtolochiæ fructus, ob melonis minoris ſimilitudinem, dictus ex melo, & καρπὸς fructus.

MELOPEPON, eſt cucurbitæ ſpecies, inter melonem & peponem media, ex melo, & pepo, fructum habet carnoſum, ſubrotundum, ſtriatum, anguloſum in quinque partes ſectum, continentem ſemina compreſſa, placentæ ſpongioſæ affixa.

MELOSIS, ex exploratio chirurgica, ſpecillo facta, a μηλόω ſpecillis exploro. Vide *mela.*

MELOTIS, Gr. μηλωτὶς & μηλωτρὶς, idem quidem quod *mela*, ſed minori forma, vt eſt ſpecillum auriculare, ex μήλη ſpecillum, & οὖς auris.

MEMBRANA, eſt ſubſtantia neruoſa, fibroſa, ex fibris vario modo vel intertextis vel accretis compoſita, lata, plana, alba, & dilatabilis, viſcera, ventres, muſculos &c. inueſtiens, conuolutione vaſa conſtituens, exquiſito ſenſu prædita. Gr. ὑμήν. G. Häutlein, eine dünne zarte Haut.

MEMBRANA ADIPOSA, ſic proprie nominata eſt, quæ renes cingit, multo adipe referta, verum nulla eſt muſculoſa pars corporis, quantilla quoque ſit, quæ non inuoluatur membrana cellulis multis conſtante, in quibus colligitur pinguedo, pro illinienda parte, ne motu atteratur vel areſcat, & hæc membrana adipoſa pariter appellatur. G. Das Fetthäutlein.

MEMBRANA CARNOSA, idem quod *panniculus carnoſus.*

MEMBRANOSVS MVSCVLVS, ſiue FASCIALIS LATVS & FASCIA LATA, tibiam mouet, qui ſuperne illi ſpinæ, inferne femoris oſſis extremitati latiſſimæ, inſtar cæterorum fere huius partis muſculorum inuolucri, tendinea-

neaque alligatur expanſione. G. Der Pergamentgleiche Muſcul.

MEMBRVM, Gr. Κῶλον & μέλος, eſt corpus organicum ex variis ſimilaribus partibus compoſitum, actionibus voluntariis perficiendis deſtinatum. G. ein Glied.

MENDOSA SVTVRA, ſiue SQVAMMEA, Gr. λεπιδοειδὴς προσκόλλημα, eſt connexio oſſium ſquammoſa, vt in oſſe temporum cum bregmate apparet.

MENINGOPHYLAX, eſt meningis ſiue membranæ cerebri cuſtos, vt laminæ aureæ & argenteæ, quæ aperturis cranii accommodantur, ex μήνιγξ membrana cerebri, & φυλάσσω cuſtodio. G. Hirnbeſchirmer.

MENINX, vide *mater dura* & *tenuis*.

MENSA, eſt dentium molarium pars latior, quæ cibum comminuit, τράπεζα *Rufo*, at pars quæ gingiuam contingit, μωμίσκος. Sic & machinæ quædam chirurgis & anatomicis dicuntur *menſæ*. G. ein Tiſch, eine Tafel.

MENSES, ſunt ſanguinis excretiones, quæ ſingulis menſibus proueniunt in mulieribus generationi aptis, idque ex ipſo vtero, ex collo, aut vagina. Incipiunt, cum iuuenculæ pubeſcunt, anno ſcilicet duodecimo vel decimo quarto, & plus ſanguinis conficiunt, quam pro nutriendo ſuo corpore requiritur, vnde oritur plethora, quæ maxime in vaſis vteri collecta ob minorem eius, quam aliarum partium, compreſſionem, per oſcula vaſorum huc hiantium dilatata exit: deſinunt vero in grauidis, lactantibus & effœtis: etiam vocatur *menſtruum*, *profluuium mulierum*, *profluuium genitale*. Gr. μῆνες, καθάρσεις ἔμμηνοι, ἔμμηνα γυναικεῖα, καταμήνια. G. Die monatliche Reinigung, Monatzeit, Frauenzeit.

MENSIS CHYMICVS, ſeu PHILOSOPHICVS, conſtat ex quadraginta diebus.

MENSTRVA ALBA, vide *fluor albus*.

MENTRVVM, apud chymicos admodum diuerſa ſignificat, modo enim deſtillationi exponitur; vel liquor, quo metalla corroduntur, & lapides ſoluuntur, vt acetum, aqua fortis, ſpiritus vini &c. ſumi etiam ſolet pro capite mortuo a deſtillatione relicto, vel vocatur corpus, quod lege artis applicatum alteri, illud diuidit in minutas quidem partes ita, vt particulæ ſoluentis inter partes diuiſas ſoluti, ſint penitus intermiſtæ; diſtinguuntur, licet ſatis improprie, in menſtrua dura vel ſolida, & in fluida, nam quamdiu corpora talia ſub forma dura conſiſtuunt, tamdiu neutiquam agent vt menſtrua.

MENSVRA, eſt tam aridorum quam liquidorum quædam determinata quantitas. Gr. μέτρον. G. Maß.

MENTAGRA, eſt ſpecies lichenis feri, qui ad tempora *Claudii* incognitus fuerat, morbus dictus a mento, a quo incipit & faciem, pectus, manusque fœdo quodam furfure occupat. G. eine Krätze ums Kin, Schwinde, Flechte.

MENTHA, eſt planta, quæ caules habet quadratos, rubicundos, ramoſos: folia ſunt oblonga, ſatis anguſta, acuta, in margine inciſa, aliquantulum lanuginoſa, coloris ex viridi fuſci: flores in ſpicas congeſti in ramorum ſummitatibus, parui, bilabiati, coloris albi, punctis quibusdam rubris notati: ſingulis floribus ſuccedunt quatuor ſemina oblonga, tenuia, floris calice comprehenſa: radix longa, fibroſa, & repens: nomen accepiſſe putatur a *Mintha* Plutonis pellice, in hanc plantam conuerſa. Alii dicunt nomen accepiſſe, quod odore ſuo mentem excitet, aut quod grato odore menſas percurrat. Nonnulli deriuant a mentula, quia ad coitum ineptos facit, homineſque eneruat. Gr. μίνθη, & propter ſuauem odorem ἡδύοσμος. G. Müntze.

MENTHASTRVM, eſt menthæ ſpecies: vnde & ei nomen deuoluitur.

MENTVLA, idem quod *penis* aut *clitoris*.

MENTVLAGRA, eſt morbus membri genitalis virilis in quo muſculi illud erigentes vel conuulſi, vel contracti ſunt, qualis *ſpadonibus* ſæpe accidit.

MENTVM, eſt inferior pars faciei ſub inferiori labio. Gr. γένειον. G Das Kinn.

MERCVRIVS, Græcis *Hermes*, ſiue Ἑρμῆς dictus; apud chemicos vocatur metallum, poſt aurum ponderoſiſſimum ſimpliciſſimum, paruo igne, ſed paulum maiori quam ebullientis aquæ, totum volatile, candidi coloris, grauitatis ſpecificæ, reſpectu aquæ, vt 1. ad 14. minime ductile ſub malleo, ſed parua vi diuiſibile in partes minimas, nullo frigore noto conſtringendum in ſolidam maſſam, auro omnium facillime adhæreſcit, dein plumbo, argento, ſtanno, difficilius cupro, vix ferro: videtur eſſe baſis metallorum, atque illud fluidum, quod partes ſolidas terreſtres inſtar glutinis coniungit. Chymicis ſic dicitur omnis liquor, qui non inflammatur, ſiue ſit ſpirituoſus, acidus vel aquoſus. Alii ſumunt pro ſpiritu e plantis vel animalibus educto, vel pro liquore quouis acido arte chymica parato: dicitur triplex, mineralis, cæleſtis & chymicus: appellatur ſic ab ethnico deo Mercurio, qui ob agilitatem

tatem negotiatoribus præſidere exiſtimabatur. G. Queckſilber.

MERCVRIALIA, dicuntur omnia, quæ ex mercurio præparantur. G. Artzney von Queckſilber.

MERCVRIALIS, herba, penult. prod.

Vincetur talis mora gramine mercuriali. Seren. tit. hydrop. depell.

Mercurialis item capitur communiter herba. Seren. tit. concept.

Mercurialis, eſt planta, quæ habet caules rotundos, politos, in paruos ramos diuiſos: folia ſunt oblonga, ſatis ampla, acuta, polita, viridia, in caule bina oppoſita, in margine crenata: calix florum monophyllus, expanſus in tria ſegmenta, tam in mare quam in femina: flos in mare apetalus, ſtamineus, habens ſtamina octo vel duodecim in ſpicas congeſta: ouarium calici triphyllo inſiſtit gemellum, rotundum; inſtructum tuba fimbriata: ſemina oualia vel rotunda includuntur in capſula obrotunda; radix fibroſa eſt. Gr. λινόζωστις & Ἑρμῦ βοτανίον, ſic dicta, quod, vt ferunt, a Mercurio ſit inuenta. G. Bingelkrant.

MESARÆVM, idem quod *menſenterium*, vnde vaſa *Meſenterica* & *Meſaraica* appellantur, vide *meſenterium*.

MESENTERIVM, eſt peritonæi membrana duplicata, glandulis, neruis, arteriis, venis, vaſis chyliferis & lymphaticis dotata, medium abdominis occupat, & inteſtina ordine quodam miro continet: in medio glandulæ ſunt, ad quas lactea primi ordinis vaſa ex inteſtinis tendunt & ab hepate aliisque partibus vaſa lymphatica, deſcendunt; ab hiſce iterum lactea ſecundi ordinis vaſa ad ſacculum chyliferum aſcendunt & in eius ſinum ſeſe exonerant, ex μέσον medium, & ἔντερον inteſtinum. Item *meſaræum*. Gr. ἐπιχορδὶς, μέσαρχον, μεσαραῖον, μεσόκωλον, ἀνοχεὺς τῶν ἐντέρων. G. Das Gekröſe.

MESOCOLON, eſt pars meſenterii, quæ craſſis inteſtinis continuatur, ex μέσον medium, & κῶλον inteſtinum colon.

MESOGLOSSVM, idem quod *genioglosſum*.

MESONYCTIVM, eſt media noctis pars, ex μέση media, & νύξ nox. G. Mitternacht.

MESOPLEVRII, ſunt coſtarum ſpatia intermedia, vt & muſculi intercoſtales, in vtroque latere viginti duo, vndecim externi & totidem interni ſunt, ex μέση media, & πλευρὰ latus. Vide *intercoſtales muſculi*.

MESPILVS, penult. corr.

Æmula dura pyri deſpecti mala ſaporis
Meſpilus admiſſo germine tuta ſubit. Pallad. l. 14.

Meſpilus, eſt arbuſcula mediocriter alta, cuius truncus tortuoſus, rami duri & non flexiles: folia lauri, ſed lanuginoſa, & in parte inferiori alba: flores ſunt magni, roſacei, coloris albi aut rubri; poſt florem ſequitur fructus rotundus, poſt maturitatem rubicnodus, carnoſus, qui vocatur meſpilum, eius cutis eſt tenera, caro dura, alba, ſaporis auſteri, ſed poſt maturitatem dulcis, vinoſi & grati, quatuor vel quinque oſſicula, dura, oblonga inæqualia, & rubicunda habet, in ſingulis oſſiculis hæret ſemen, oblongum. Meſpilum in arbore raro fit maturum, ſed poſtquam ad ſuam magnitudinem naturalem peruenit, carpitur, & ſupra ſtramen deponitur, donec maturescat. Gr. μεσπίλη arbor, μέσπιλον fructus eius. G. Ein Miſpelbaum.

METABASIS, eſt tranſitus ab vna indicatione in aliam ab vno remedio in aliud, qui cum prudentia & non temere fieri debet, a μεταβαίνω transgredior. G. Verånderung.

METABOLE, eſt temporis, aeris, vel morborum mutatio, a μεταβάλλω muto.

METACARPVS, & METACARPIVM, eſt manus pars poſterior, conſtituitur ex oſſiculis quatuor oblongis, volam manus expandentibus, quæ dicuntur *poſtbrachialia*, ex μετὰ poſt, & καρπὸς manus iunctura.

METACONDYLI, ſunt poſtremi digitorum articuli vnguibus proximi; quemadmodum medii condyli & primi metacarpio proximi *procondyli* dicuntur, ex μετὰ poſt & κόνδυλος digitus. G. Die Knöbel, oder forderſte Gelencke der Finger.

METALLVM, Gr. μετάλλον, eſt ſubſtantia admodum ponderoſa, ſolida & rigida, malleabilis, igne fuſilis, frigore concreſcens, quæ in montibus & cryptis ſubterraneis inuenitur: ſunt aurum, ferrum, argentum, cuprum, plumbum, ſtannum, quibus addunt argentum viuum. G. Metall.

METALLVRGIA, eſt illa operatio, qua metalla ex fodinis eruuntur, ideoque operariorum vnusquisque vocatur Metallurgus, ſeu Metallicus, qui in terræ viſceribus metalla ſcrutatur, vt chymici ſolent, ex μέταλλον metallum, & ἔργον opus. G. Ein Ertzgråber, Bergknapp, Bergmeiſter.

METAPEDIVM, Gr. μεταπέδιον, idem quod *metatarſus*.

METAPHRENVM, Gr. μετάφρενον, eſt pars dorſi poſt ſeptum tranſuerſum, ex μετὰ poſt, & φρὴν præcordium. G. Der Rücken.

METAPTOSIS, eſt morbi in alium morbum degeneratio: vt febris quartana in tertianam & vice verſa: apoplexia in paralyſin &c. a μεταπίπτω recido, relabor, degenero, tranſeo. G. Veränderung der Kranckheiten.

METASTASIS, eſt morbi demigratio ab vna parte in aliam: quod apoplecticis contingit, cum materia, qua cerebrum ccⁱipſin patitur, ab eo in neruoſum genus excutitur, vnde paralyſis, a μετίστημι transſtatuo. Vide *apoſtema.*

METASYNCRISIS, eſt medicamenti foris applicati operatio, qua ex intimis receſſibus humores euocentur. Vide *Oribaſium* lib. 1. cap. 34. ex μετὰ trans, & συγκρίνω coagmento.

METATARSVS, ſunt quinque oſſicula, tarſi oſſibus connexa, quæ plantam pedis conſtituunt, ex μετὰ poſt, & τάρσος crates, tarſus. G. Der Riß auf dem Fuß.

METHODICA MEDICINA, eſt, cuius author fuit *Themiſon Laodiceus*, excultor *Theſſalus Trallianus*, qui artem ſex menſium ſpatio addiſci poſſe clamitabat. Hi ſignis & cauſis neglectis ad laxum & ſtrictum in omni morbo reſpiciebant.

METHODICI, ſunt, qui compendium artis methodo quæſiuerunt, ſcil. *laxi*, *ſtricti* & *medii* cancellis omnia comprehendentes.

METHODVS, eſt pars medicinæ, qua per indicationes ratiocinando ex datis principiis auxilia inueniuntur, vt deperdita hominis ſanitas reſtituatur, ex μετὰ cum, & ὁδὸς via. G. Manier zu curiren.

METOPVM, eſt frons, ſiue pars faciei ſupra oculos, ex μετὰ poſt, & ὤψ oculus.

METRENCHYTA, eſt inſtrumentum chirurgicum, ſeu ſipho, quo liquores vaginæ & vtero immittuntur, ex μήτρα matrix, vterus, & ἐγχεύω infundo. G. ein Muttertrichter.

METRETES, eſt menſura maxima apud Atticos, capiens choas duodecim ſiue libras centum & octo. Aliis centum & viginti libras continet, & olei circa centum & quinque.

MEVM, Gr. μᾶον & μῆον, eius herbæ folia ſunt inſtar anethi aut fœniculi, ideoque *fœniculum porcinum*, vocatur, eius radix in vſu eſt, ingrediturque theriacam & mithridatium, aro-

matica eſt, ſatis craſſa, vtcunque obtuſa, vnde radix vrſina vocatur in officinis, eſt etiam oblonga, digiti craſſitiei, foris ferruginoſa, intus pallida, aliquantulum reſinoſa, ſaporis & odoris ad angelicam & liguſticum accedentis, ob nimiam fragrantiam nonnullis moleſta & odioſa; creſcit copioſe in ſylua Hercinia, aliisque locis montanis, & in montibus campeſtribus & apricis: alibi non niſi in hortis cultum inuenitur. Floret Iunio ac Iulio. G. Bårwurtzel.

MEZERÆVM, ſeu chamelæa, eſt frutex, & laureolæ ſpecies, vox origine barbarica. G. Zeilant, Kellerhals.

MIASMA, eſt inquinamentum contagioſum, quod ſpiritibus & ſanguini (vt in peſte & ſcorbuto) accreſcit, a μιαίνω inquino. G. Alles was anſtecket.

MICROCOSMVS, ſic homo dicitur, quaſi paruus mundus & compendium totius, a μικρὸς paruus, & κόσμος mundus. G. Die kleine Welt.

MICROPHTHALMVS, eſt, qui a natiuitate paruos & fiſſos oculos habet, ex μικρὸς paruus, & ὀφθαλμὸς oculus. G. Kleine Augen.

MIGMA, eſt mixtio diuerſorum ſimplicium, a μιγνύω miſceo.

MAGRANA, corruptum ex *hemicrania*; quod vide.

MILIARIS HERPES, vide *herpes*.

MILITARIS, ſeu STRATIOTES, eſt herba aquis innaſcens, ſic dicitur quod milites vulnerati, ea ſanguinem effluentem ſiſtunt: idem nomen quoque *millefolium* obtinuit, vocatur etiam *aloe paluſtris*, *ſedum aquatile* & *aizoon paluſtre*. G. Waſſerbitter.

MILIVM, penult. corr.

Frumentum, milium, ptiſanamque, fabamque ſolebas. Martial. l. 12. ep. 73.

Milium, planta eſt, quæ habet caulem mediocriter craſſum: folia ſunt ampla & inſtar arundinis: flos apetalus per faſciculos in paniculam laxam diſpoſitus; ſinguli floſculi conſtant plurimis ſtaminibus ex calice plerumque bifolio ſurgentibus: ſemina fere rotunda ſunt aut oualia, flaua, aut alba, dura, ſplendentia, in cortice exiguo, tenero, incluſa: radix fibroſa, albeſcens: hæc planta creſcit in locis arenoſis & humidis. Gr. κέγχρος. G. Hirſe, Hirſchen.

MILIVM SOLIS, vide *lithoſpermon*.

MILLE-

MILLEFOLIVM, eſt planta, quæ plures habet caules rigidos, anguloſos, villoſos, rubicundos, in ſummitate ramoſos: folia tenuiſſime & innumerabilibus fere ſegmentis diuiſa & ſubdiuiſa, iuxta vnam longiſſimam coſtam diſpoſita, cui folia adnaſcuntur inſtar auium plumæ, odoris ſatis grati, ſaporis aliquantulum acris: flos eſt congeſtus in vmbellam candidiſſimam, eſtque diſcoides, radiatus: calix ſubrotundus, ſqammoſus: ſemina valde parua: radix eſt lignoſa, fibroſa, coloris fuſci; creſcit in locis incultis & arenoſis: dicitur, quod eius folia in plurima ſegmenta ſunt conſciſſa & diuiſa. Gr. μυριόφυλλον, vocatur & achillea, narrat enim Plinius Achillem a Chirone edoctum fuiſſe medicinam, & artem curandi vulnera, & Telephum, proprio telo vulneratum, hac planta curaſſe: *Stratiotes* ſiue *militatis* etiam appellatur quod vulnera ferro facta ſanet: atque adeo in militia & caſtris multus eius vſus fit. G. Schaafgarbe.

MINA, ſiue MNA, patet ex Dioſcoride pondus fuiſſe vnciarum ſedecim, ſiue drachmarum centum viginti octo. *Attica* pendebat drachmas centum, ſiue duodecim vncias & ſemiſſem. *Romana* pendebat nonaginta & ſex drachmas, ſiue vncias duodecim. *Alexandrina* videtur vncias viginta continere, ſiue drachmas centum & ſexaginta.

MINERA, eſt terra ſiue materia, ex qua mineralia, & maxime metallica ignitionibus & liquefactionibus extrahuntur: vti ſunt mineræ auri, argenti, cupri, ſtanni &c. G. Mineral.

MINERALIA, ſunt corpora, quæ vel in telluris ſuperficie, vel in eius gremio naſcuntur, quorum fabrica eſt adeo ſimplex, vt nulla hactenus perſpicientia, ne quidem per microſcopia acutiſſima, detexerit in his varietatem inter vaſa & ea, quæ his continentur, ſed ſimillimam omnibus partibus affinitatem toti, licet in plurimis horum fluidarum & conſiſtentium partium concurſus certo cognoſcatur permiſtu factus. Huc pertinent ſeptem metalla imperfecta: gemmæ pellucidæ, & opacæ: lapides, terræ, ſalia, ſulphura. G. Mineralien.

MINIVM, eſt plumbnm forti igne calcinatum, & in puluerem rubrum redactum, ponderoſius quam ante erat, virtutis mire refrigerantis, ſi externe apponitur. G. Mennig.

MIRABILIS PERVVIANA, vide *ialappa*.

MIRACH, Arab. vox, idem eſt quod *epigaſtrium*.

MISCE, ſcribitur plerumque per M ſimplex in fine formularum, & denotat mixtionem duorum vel plurium medicamentorum.

MISERERE MEI, idem quod *iliaca paſſio*, & *chordapſus.*

MISTIO, idem quod *mixtura.*

MISY, eſt minerale, ſiue potius chalcitidis efflореſcentia, colore aurum imitans, aureiſque ſcintillis, dum frangitur, ſplendens, natum ſuper chalcitim & ex chalciti, non ſecus ac ærugo naſcitur ſuper æs & ex ære.

MITELLA, eſt ſpecies faſciæ ſiue linteum, in quo brachium læſum ſauciumque ſuſpenditur. G. Binde darinnen man den Arm trägt.

MITHRIDATIVM, penult. prod. quia *Galeno* frequens *ἀντίδοτος Μιθριδάτειος l. 2. de Antidotis.* Mithridatium, a rege Mithridate compoſitum, & pro antidoto habitum ad depellenda e corpore venena, ab antiquis plurimi æſtimatur, verum nunc temporis non tanti venit. Huius variæ dantur deſcriptiones. G. Mithridat.

MITRALES VALVVLÆ, ſunt duæ, venæ pulmonali, vbi ſe in cordis ventriculum ſiniſtrum exonerat, appoſitæ. Nomen acceperunt, quia ambæ ſimul iunctæ mitram epiſcopalem videntur referre. Ab aliquibus ex cauſa ea dicuntur *epiſcopales.*

MIVA, eſt caro ſiue pulpa mali cydonei cum ſaccharo in conſiſtentiam ſpiſſam cocta. Vide *marmelata.*

MIXTVRA, MISTVRA, MIXTIO, MISTIO, CRAMA, CROMA & CHRAMA, eſt ſubſtantia *ſolida* vel *liquida*, ex variis medicamentis commixta. Mixturæ pro ſcopi, quem habet medicus, diuerſitate variæ admodum ſunt: Guttis maxime, vel cochlearibus, quandoque hauſtu vſurpandæ, conficiuntur vel ex liquoribus ſolis, quales ſunt præcipue aquæ deſtillatæ, ſpiritus & olea, quouis modo inter ſe mixtis, ſic vt aquæ miſceantur aquis, olea oleis, aquæ ſpiritibus, &c. vel ex iisdem cum ſyrupis conuenientibus, pulueribus, confectionibus, opiatis, ſiue omnia concurrant, ſiue vnum aut alterum tantum adſumatur. G. Vermiſchung.

MNA, idem quod *mina.*

MOCHLIA, eſt oſſium luxatorum reſtitutio, *μόχλος* enim vectis eſt, & *μοχλίσκος* paruus vectis.

MODIVS, Gr. *μόδιος*, eſt menſura continens ſedecim ſextarios.

MODIOLVS, eſt *trepanum*, ſiue *abaptiſton*; quo vtimur in profundis oſſium corruptionibus, contuſionibus, fiſſuris & fracturis. *Modus* hoc inſtrumento vtendi, cùm omnibus caute-

cautelis, apud chirurgiæ ſcriptores legendus eſt. G. ein Trepan.

MOGILALOS, eſt is, qui cum difficultate loquitur, ex μόγις vix & λαλέω loquor. G. Der eine ſchwere Sprache hat.

MOLA, PATELLA, ſeu ROTVLA, eſt os rotundum & latum, imponitur articulationi femoris & tibiæ, vbi genu membranoſo ligamento cingitur. Gr. κόγχη, μύλη, ἐπιγονατίς. G. Die Knieſcheibe.

MOLA CARNEA, eſt ſubſtantia carnoſa, quandoque etiam fungoſa ſine oſſibus & viſceribus; ſæpe inſtar ſanguinis concreti, nigra; & nonnunquam duriſſima, loco fœtus in vtero producta. G. Muttergewächs, Mondkalb.

MOLARES, ſeu MAXILLARES DENTES, Gr. μύλοι & γόμφιοι, vide *dentes*. G. Die Backenzähne.

MOLLVGO, eſt aparines ſpecies, ob mollitiem dicta, quod prætereuntium veſtibus non adhæreat. G. Meyerkraut, Bettſtroh.

MOLOPES, *vibices*, *ecchymomata*, *ſugillationes*, idem ſunt; dicuntur rubores vibicum inſtar in febribus malignis, & peſtilentialibus producti, Gr. μώλωψ, vibex.

MOLY, Gr. μῶλυ, eſt allii aut cepæ ſpecies; omnia ſunt vt in allio, ſed odor ſuauis, aut non graueolens. Fabulis poetarum celebratur, tamquam faſcinis & veneficiis contraria. Qualis ſit planta, incertum videtur; vt & de etymo antiqua eſt quæſtio.

MOLYBDÆNA, ſeu PLVMBAGO, planta eſt, perſicaria, forte dicta ob maculas, quibus maculatur, plumbeas, a μόλυβδος plumbum.

MOLYBDÆNA, ſeu PLVMBAGO, duplex DIOSCORIDI eſt: *natiua* & *factitia*. Illa nihil aliud eſſe videtur, quam lapis, ſiue plumbi minera, ſeu potius minera plumbi & argenti ſimul. Factitia eſt ſpecies lithargyrii, videlicet eſt illud recrementum quod in argenti aurique purificatione cum plumbo, mineraue plumbi inſtituta, fornacibus adhæreſcit.

MOLYNSIS, idem quod *miaſma*.

MOMORDICA, eſt planta, quæ habet caules exiguos, ſarmentoſos, anguloſos, ſtriatos, ſcandentes: folia bryoniæ, ſed minora, caulibus longis adhærentia, ſaporis acris & amari: flores ſunt monopetali, campaniformes, quinquefidi, lati expanſi, coloris flaui, albeſcentis: poſt florem ſequuntur elegantes fructus longi vel rotundi, magis minusue turbinati, caui, carnoſi,

noſi, elaſtica vi rupti, & ſemina explodentes oblonga, vel ouata, rubicunda, obducta calyptra plana, margine denticulato: radix eſt parua, fibroſa. Hæc planta colitur in hortis; eſt officinalis, refrigerans & adſtringens, cuius fructus pomiformis eſt in vſu. Balſaminæ quoad faciem ſimilis, quamuis prorſus ab ea diſtinguenda. G. Balſamapfel.

MONOCEROS, idem quod *vnicornu*.

MONOCOLVM, eſt *inteſtinum cæcum*.

MONOHEMERA, ſunt morbi, qui vno die curantur, vt *ephemera* febris, ex μόνη ſola, vna, & ἡμέρα dies. G. Eintägig Fieber.

MONOPEGIA, eſt acutus capitis dolor, vnum locum occupans, ex μόνος ſolus, & πηγνύω compingo. G. Hauptwehe an einer Seiten des Haupts.

MONS VENERIS, nominatur ſuperior pubis muliebris pars, præ reliquis nonnihil eminentior, & criſpior, quam in veneris caſtris militaturi omnium primo conſcendere debent. G. Venusberg.

MONSTRVM, Gr. τέρας, nihil aliud eſt quam fœtus, ſiue homo perverſe formatus, hoc eſt, capite duplici, pedibus aut manibus deficientibus, vel abundantibus, ita vt perfecto homini ſimilis non ſit. G. eine Mißgeburt, Wundergeburt.

MORBILLI, quaſi parui morbi, ſunt maculæ rubræ quæ a contagio aereo in ſanguine contracto excitantur, quæ neque in molem attolluntur, neque ſuppurantur; ſed cum epidermide deſquammantur, cum febre, tuſſicula, &c. decurrentes; a variolis, vt magis & minus tantum differunt, ab Arabibus *bothor* vocantur. G. Die Maſern.

MORBVS, Gr. νόσημα, νόσος, dicitur eiusmodi corporis conſtitutio, qua actionibus naturalibus, vitalibus, animalibus recte obeundis ſumus inepti. G. Kranckheit, eine Seuche.

MORBVS GALLICVS, HISPANICVS, INDICVS, idem quod *lues venerea*.

MORBVS REGIVS, idem quod *icterus*.

MORETVM, mulierculis Batauis vſitatiſſimum potionis genus aromaticum eſt, quod parari faciunt, vbi præſumtio impraegnationis adeſt, perſuaſum nimirum ſibi habent, falſam impraegnationem eo exturbari, veram corroborari. Moretum dicitur, a moris ſeu diamoro ingrediente. G. ein Maulbeerentranck.

MORIA,

MORIA, *ſtupiditas, fatuitas, ſtoliditas &c.* eſt iudicii & intellectus defectus; oritur præcipue ab imaginationis & memoriæ deliquiis, a *μωραίνω* ſtulte ago. G. Thorheit.

MOROSIS, idem quod *moria.*

MORPHÆA, idem quod *alphus.*

MORPIONES, vocantur, pediculi illi lati, qui ad pubem genitalium, imo & ſub axillis in crinibus hoſpitantur. G. Filtzlåuſe.

MORSELLI, MORSVLI, ſeu TABVLÆ, medicamenta ſunt quadrata figura vt plurimum, parata ex pulueribus & ſimilibus ſaccharo ſoluto exceptis, ſuperque tabulam ligneam, lapideam, cupreamue effuſis, vt conſolidentur. G. Zeltlein, Morſellen.

MORSVS DIABOLI ſeu SVCCISA, eſt planta officinalis, de qua vulgus ſuperſtitione quadam credit, cacodæmonia tantæ efficaciæ radicem inuidere hominibus atque hac ratione vbi ſuccreuerit, ſtatim eam vndiquaque circumrodere. G. Teufelsabbiß.

MORSVS GALLINÆ, eſt alſines ſpecies, ſic dicta quod gallinis gratum pabulum ſubminiſtret. G. Hünerbiß.

MORSVS RANÆ, eſt nymphææ minoris ſpecies: ſic appellatur, quod ranæ eius morſu gaudeant. G. Froſchbiß

MORTARIOLA, ſeu CAVERNÆ, loculamenta ſunt quibus ſinguli dentes ſunt infixi. *Βόθρια Galeno, ὀλμίσκοι Poll. Rufo.* G. Die Hölen der Zähne.

MORTARIVM, eſt vas ex marmore, ære, ferro, ligno, vel vitro confectum in quo piſtillo ligneo, vitreo, ferreo, æreo, vel lapideo res quædam comminuuntur. G. ein Mörſel

MORTIFICATIO, idem quod *ſphacelus.*

MORVS, MORVM, eſt arbor magna & ramoſa, cuius truncus ſatis eſt craſſus, cortice craſſo & aſpero obductus: lignum eſt durum, intus flauum: folia ſunt inſtar manus ampla, ſerrata, dura & tactu aſpera, ſaporis dulceſcentis & viſcoſi, bombycibus pabulo inſeruiunt: flos eſt amentaceus, plurimis nempe ſtaminibus e calice quadrifolio ſurgentibus conſtans, ſed ſterilis. Embryo autem abit deinde in fructum nigrum, ſuccum viſcoſum dulcem habentem, & e glomerulis ſquamarum, ſuccum viſcoſum & dulcem continentium, compoſitum, quæ ſemen amplectuntur ſubrotundum: an a morando? quia differt

differt germina donec frigus minime timendum ſit. Gr. *μορέα*, *συκαμινέα*, & *μόρον*. G. Maulbeerbaum.

MOSCHATA NVX, quæ aliis *muſcata*, aliis *nuciſta*, *nux myriſtica*, *nux vnguentaria*, *μοσχοκάρυον*, *κάρυον*, *ἀρωματικόν*. Nomen ei ab odore, qui tantillum ad moſchi ſimilitudinem accedit. Primi vocis natales, quantum conſtat, ab *Aetio* deducti ſunt, cui *μόσχατα* placuit in ſuffimento odorifero. Quod ad penult. in Græcis parum præſidii eſt, cum alia in *ατος*, *η*, penult. corripiant, vt *δυνατὸς*, *ἔμβατος*, *ἐλατὸς*, *περατὸς*; alia producant, vt *θεατὸς*, *ὁρατὸς*, *ἀρατός* &c. tutius ad analogiam Latinorum penult. producemus, vt conſulatus, ſenatus, auratus, candidatus, capillatus, paludatus, ſtolatus, togatus, oculatus, &c. Moſchata nux, duplex habetur, *oblonga* nempe, quæ & *mas* dicitur; alia *rotunda*, quæ *fœmina*, differentiæ gratia appellatur. Naſcitur arbor in inſula *Banda* Indiæ orientalis: proceritatem habet arboris pyri: folia perſicæ malo haud abſimilia, vel vt verius dicam, breuiora, & magis ſubrotunda, imo & latiora ſunt. Fructus appoſite malum perſicum refert: cuius cortex externe per maturitatem inſtar iuglandis non tantum dehiſcit, ſed eo incolæ quoque veſcuntur. Hoc remoto, ſequitur *macis*, conſtans ex variis ſubrubicundis foliolis: hæc item durum corticem inueſtiunt, qui ipſam nucem moſchatam incluſam ſeruat. Leguntur nuces maturæ, lectæ remotis putaminibus aqua marina conſperguntur, & ſiccantur ad ſolem, ſiccatis adimitur macis, & poſtea nuclei lauantur calce, vt eo melius a corruptione ſeruentur. G. Muſcatnuß.

MOSCHELÆVM, eſt compoſitio ex moſcho & oleo.

MOSCHELLINVM oleum, *Officinis* ita dictum, a *Nic. Alexandrino* compoſitum. Nomen ei a moſcho, qui in eo copioſus. *Μοσχέλαιον* forſan rectius appellaretur. Penult. autem corripit, vt cætera in inus adiectiua ab inanimatis deſcendentia. Vide *Amaracinum ſequ.*

MOSCHVS, quidam eſſe ſaniem ex tumore circa vmbilicum alicuius animalis promanantem volunt: alii teſticulos eiusdem, alii aliud quid cenſent. Moſchifera caprea, capreæ minoris ſpecies eſt, dentibus duobus verſus inferiora prominentibus prædita, quadrupes, vngulis biſectis, ſine cauda. Pilorum color variegatus ex luteo, maculis interſperſis. Cæterum in abdomine, non longe a poſterioribus pedibus, eminentia quædam eſt, rotunda & dura, oui gallinacei mediocris magnitudine, pilis albis, iisque non flexuoſis, ſed rectis, &

ad

ad folliculi faſtigium porrectis obſita. Circa cuius partem inferiorem vnica vtrinque caruncula apparet, qualis etiam, licet paulo maior, non longe ab iſtis in ſiniſtro conſpicitur latere. Ea autem eminentia, ſiue tumor, nihil aliud eſt, niſi folliculus quidam in quo moſchus ſaniei inſtar, colligitur. Venit ex India orientali, de Tonquin, non procul a China. G. Biſem.

MOTOS, eſt linteum carptum, quod vlceribus inditur, quo etiam ſanguinis fluxus ſiſtitur, vulgo *Carpi*, a *μοτόω* linteamentum vulneribus indo.

MOTVS CONVVLSIVVS, eſt conuulſio, quæ alternatim fit inter muſculos, vel fibras antagoniſtas ſiue oppoſitas. Hic vero motus conuulſiuus multa complectitur, & in multis morbis tragœdiam ſuam exhibet: vulgo quidem eum vix intuentur, niſi in vna illa ſpecie, quam vocant *epilepſiam*, quæ ferme vniuerſalis eſt, ſed altera quædam particularis occurrit, cum in his illiſue muſculis, cum maxime in fibris motricibus, quæ longe, longeque frequentior eſt. G. Das böſe Weſen, Gichter.

MOTVS PERISTALTICVS, vide *periſtalticus motus*.

MOXA, venit ex China & Iapan. Lanugo quædam eſt ab inferiore parte artemiſiæ foliis accreſcens, quæ ſcalpello abraditur, & poſtea caro pretio venum exponitur. Inſeruit vſtioni, eodem modo vt in Ægypto goſſypium, & olim Hippocratis tempore fungi. Conficitur ex artemiſiæ vulgaris (latifoliæ) adhuc dum recentis foliis exſiccatis, longo tempore in aere ſuſpenſis & obſoletis: colligitur vero ad moxam eliciendam artemiſia non omni promiſcue tempore, ſed certis tantum diebus ab aſtrologis indicatis. Præparatio moxæ nullo artificio abſoluitur: tunduntur primum impigro piſtillo folia, ad mollitiem rudioris ſtupæ; dein vtraque manu agitantur & fricantur aſſidue, vt priori contuſione iam attritis decedant duriores fibræ, & recrementa membranacea: quibus excuſſis, remanet deſiderata illa inſignis teneritatis homogenea & puriſſima lanugo, qua tenellam regii nominis artemiſiam præ ceteris herbis ditare natura ſtuduit. Lanugo illa coloris cinerei eſt, concipiendo igni aptiſſima, eoque admiſſo moderate gliſcens, ſcintilla minus conſpicua, ardore temperato, progreſſu lento, donec in fauillam tota fatiſcat.

MVCCVS, idem quod *mucus*.

MVCAGO, MVCILAGO & MVCVS, eſt extractio viſcida mediante aqua ex ſeminibus, gummi, radicibus &c. facta. G. Schleim.

MVCHARVM ſiue MVCARVM, vocabulum eſt barbarum, quo nonnulli infuſionem roſarum per ſe, alii infuſionem cum ſaccharo in ſyrupum coctam, intelligunt.

MVCILAGO, idem quod *mucago.*

MVCRO CORDIS ſiue APEX, eſt inferior pars cordis cuſpidata. G. Die Spitze des Hertzens.

MVCRO, eſt acumen, in quod pars quæcunque deſinit. Sic foliorum multorum, ſiliquarum quarundam, & ſpinarum omnium extrema in mucronem acuminantur.

MVCRONATA CARTILAGO, vide *enſiformis cartilago.*

MVCVS, Gr. *μύξα*, *βλέννα*, *κόρυζα*, eſt excrementum liquidum, craſſum & viſcidum, quod ad nares & palatum defluit, & ſecretum fuit ex glandulis membranæ nares earumque ſex cauitates inueſtientis. G. Rotz.

MVCVS INTESTINORVM, eſt quædam viſciditas, ex glandulis exſudans, interna obliniens, ne inteſtina facile ab acribus aut duris ingeſtis lædantur. G. Schleim der Därme.

MVLOMEDICINA, idem quod *veterinaria.*

MVLSVM, idem quod *hydromel.*

MVMIA, vox *Arabum* & *Officinarum*, quia autem *Auicennæ* eſt moumija, neceſſe eſt penult. produci, cum Latinæ ciuitatis vox iam ſit, eoque ob j inter duas vocales proxime præcedentem ſyllabam producit. Mumiæ habentur quinque ſpecies, *Arabum* nempe, quæ eſt liquamen ſeu liquor concretus exſudans in ſepulchro e cadaueribus conditis. Altera *Ægyptiorum* eſt, ſiue liquamen ex cadaueribus piſſaſphalto conditis. Nimirum, hoc condiebantur cadauera vilioris ſortis, adeoque & ipſamet cadauera nonnunquam eo modo condita proſtant. Tertia, *piſſaſphaltum factitium*, id eſt mixtum pici bitumen, quod pro *mumia* venditant. Quarta, cadauer ſub arena ſolis æſtu torrefactum. Fitque in Hammoniorum regione, quæ eſt inter Cyrenarum regionem & Alexandriam, vbi arenarum Syrtes ventorum turbine ſublatæ incautos viatores obruunt, vnde horum cadauera a flagrante ſolis æſtu torrentur & exareſcunt. Omnium præſtantiſſima eſt Perſica, ſpecies olei terræ ſeu petrolei, quod vbi aquis diu innatauit, calore ſolis ſpiſſius redditur.

Cæteræ omnes abominandis & ſtolidis officinæ ſordibus annumerantur & a medicis elegantibus abdicatæ ſunt.

MVNDATIO, ſiue PVRIFICATIO, eſt, quando medicamenta a puluere, corticibus aliisque immundis purgantur. G. Das Säubern, Reinigen.

MVNDIFICATIVVM, eſt tale medicamentum, quo vlcera a ſordibus purgantur.

MVRALIS HERBA, idem quod *parietaria*.

MVRIATICA ACRIMONIA, eſt acredo humorum in corporis humani quibusdam morbis peccans, vti in ſcorbuto, melancholia &c. quæ omni ſigno ſe accedere ad naturam ſalis marini, vel ammoniaci manifeſtat ſeſe, in qua ſapor in ore ſalſus ſemper, ſitis aſſidua & ingens, ſiccitas & rigiditas corporis; vrina ſalſa, tarde putreſcens, cum ſedimento ſpiſſo, & cum pellicula tenui pingui innatante.

MVSCARI, eſt hyacinthi botryoidis ſpecies: quæ ſic appellatur, quod eius flores moſchum oleant. Radix vires habet emeticas.

MVSCARIA, in vegetabilibus ſunt in orbem radiatæ herbarum comæ, cacuminaque in faſces coacta, a flabri ſimilitudine, cuius ventilatu muſcæ in conuiuiis abiguntur, dicta.

MVSCIPVLA, eſt ſpecies floris armerii, ſeu *viſcaria*, eo dicitur, quod caules eius viſciditate obducuntur, qua de cauſa muſcæ aduolantes viſco illo capiuntur.

MVSCVLVS, eſt pars corporis animalis organica, vaſis ſanguineis, lymphaticis, neruis, duobus tendinibus, & fibroſo ſeu carnoſo ventre inſtructa, cuius officium eſt, membra mobilia, appenſa mouere. Motio illa ſeu contractio fit, quando a cerebro, cerebello, vel medulla ſpinali, per neruos ad fibras muſculoſas ſpiritus animales fluunt; & ſimul in ſanguine maior eſt determinatio ad easdem partes, tum muſculi venter incipit tumere, adeoque partes longitudinales abbreuiantur, & tendines ad ſe inuicem accedunt, & pars annexa mobilis ad minus mobilem attrahitur. G. ein Muſcul.

MVSCVLOSA EXPANSIO, vide *myodes platyſma*.

MVSCVS, Gr. βρύον, & μνίον; Arab. *vſnea*, ſunt plantulæ paruæ ſui generis, arboribus, lapidibus &c. accreſcentes, forte a mucore appellatur, quod inſtar mucoris effloreſcat. G. Moß.

MVTVS, vide *aphonia.*

MYACANTHA, ſeu RVSCVS, aut BRVSCVS, ſic appellatur, quod eius folia rei conſeruandæ appendantur, ne mures ob acutas ſpinas, eam lædant, ex μῦς mus, & ἄκανθα ſpina. Vide *ruſcus.*

MYAGRVM & MYAGRIVM, eſt planta, quæ habet caules rotundos, duros, politos, ramoſos, medullam albam habentes: folia ſunt oblonga, & aliquomodo iſatidis cultæ ſimilia, ſed pleraque ſunt laciniata, & inprimis inferiora: flores ſunt exigui, quadrifidi, in crucem diſpoſiti, flaui: poſt florem ſuccedit fructus rotundus, acuminatus, trilocularis ea lege, vt loculus primus contineat ſemen obrotundum, oblongum, & rubicundum, bini vero vacui appareant: radix craſſa, alba, vno tantum anno durans, creſcit in pratis, præſertim in regionibus calidis: nomen accepit, quod inſiſtentes, vel præteruolantes muſcas glutine ſuo implicet, & retineat, a μυῖα muſca, & ἀγρεύω, capio.

MYCETÆ, MYCETES, ſunt fungi: μύκης, Gr. μύκητας vocarunt, ab enſis capulo, vel ſummo vertice vaginam occludente: μύκη enſis theca, gladii capitulum, a μύω claudo.

MYCTERES, ſunt nares, ſiue humorum pituitoſorum receptacula. G. Die Naſenlöcher.

MYDRIASIS, eſt nimia papillæ dilatatio, & diffuſio, viſui hebetudinem adferens, ex ἀμυδρῶς obtuſe. G. Blöd Geſicht.

MYELOS, idem quod *medulla oſſium*, vel *cerebri.*

MYLOGLOSSVM, eſt par muſculorum, quod circa dentium molarium poſtrema oritur, & ligamento linguæ inſeritur, lingamque ſurſum conuertere perhibetur, a μύλη mola, ſiue dens molaris, & γλῶσσα, lingua.

MYOCEPHALVM, eſt inchoatus vueæ tunicæ prolapſus, in nigro oculi, ab exulceratione ortus, muſcæ capiti ſimilis, ex μυῖα muſca, & κεφαλή caput.

MYODES PLATYSMA, eſt muſculoſa expanſio, lata, a clauiculis ſternoque incipiens, in collo denſiſſima, menti totiusque fere facici cuti mouendæ dicata, nam immediate ſub panniculo adipoſo decurrit, ex μῦς muſculus, εἶδος forma, πλατὺς latus.

MYOLOGIA, eſt illa pars anatomices, quæ tradit nomina, ſtructuram, ſitum, functionem omnium muſculorum

totius

totius corporis, ſiue hæc deſcribendo, ſiue diſſecando & demonſtrando fuerit occupata, ex μῦς muſculus, & λέγω narro.

MYOPIA, eſt quædam viſus in rebus diſtantibus cernendis obſcuritas vel abolitio, ſed tamen in propinquis perſpicacia, orta ob oculum anterius nimis globoſum, vel quod lens cryſtallina ſit rotundior: hinc radii lucis ab obiectis remotis emiſſi, ob refractiones per tres humores ſe ſecuerunt transuerſim antequam in retina colligantur, cui medendo appropinquatio obiectorum, vel vitrorum concauorum applicatio conuenit. Ex μύω, contraho, claudo, & ὤψ oculus. G. ein kurtz Geſicht.

MYOPS, eſt qui *myopia laborat.*

MYOSOTIS, id eſt muris auricula, dicitur ſic ob foliorum formam, ex μῦς mus, & ὠτὶς auricula: eſt planta, quæ habet caulem exiguum, lanuginoſum, repentem: folia ſunt obrotunda, craſſa, lanuginoſa: flores amœni, lactei, quinque petalis in medio aliquo vsque vnica diuiſura inciſus, & ſtriatis compoſiti, quos foris ad baſin totidem hirſuta viridantia foliola ſuſtinent, in medio vero ſtamina & ſtilus colore luteo: floribus ſuccedit capſula ſiue fructus apice dehiſcens, ſeminibusque fœtus exiguis, plerumque ſubrotundis: radix eſt alba, repens, fibroſa: creſcit hæc planta in montibus. G. Mauſeohrlein.

MYOSVROS, eſt paruula planta, quæ habet folia graminea, coronopi inſtar, ſed non laciniata: caules ſunt parui, tenues, rotundi aut cylindrici, nudi: calix quinquefolius, ſingulis foliis appendice inſtructis, deorſum tendente: floſculi herbacei, ſtaminibus præditi multis ex ambitu fundi ouarii, ſemina in ſpica longa, tenui, acuta, muris caudam referente: radix annua, fibroſa, hæc planta habet ſaporem acrem, & vocatur a μῦς mus, & ὀρὰ cauda, quaſi cauda muris.

MYRACH, Arabica vox eſt, & idem ſonat quod *epigaſtrium.*

MYRACOPVM, eſt vnguentum laſſitudinem auferens, ex μύρον vnguentum, & κόπος labor.

MYRICA, eſt arbuſcula, quæ vulgo *tamariſcus* vocatur.

MYRIOPHYLLVM, eſt *millefolium*, ex μυρία numerus infinitus, & φύλλον folium.

MYRISTICA NVX, idem quod *moſchata nux.*

MYROBALANI, proprie ſignificant glandes vngentarias; ideoque procul omni dubio veteres medici aliud quid ſub hoc nomine intellexerunt: componitur enim vox ex μύρον vnguentum, & βάλανος glans. Qui nobis in vſu ſunt, prunis

exoticis annumerari debent, veteribus græcis incogniti, ab Arabibus primum inuenti, ſuntque *chebuli*, *citrini*, *bellerici*, *indi*, *emblici*. *Chebuli* omnium maximi ſunt, oblongi, intus nucleum continentes, externe colore fuſco. *Citrini*, externe ſunt colore citrino, & teretes, oblongi & ventricoſi; intus nucleum habent. Arbor folia inſtar amygdali habet. *Bellerici* etiam oblongi ſunt, cucurbitam referentes, eius arbor folia habet inſtar lauri. *Indi*, ſunt oblongi & nigri, prioribus minores; folia habent inſtar amygdali, vel, vt alii volunt, ſalicis: fructus ſunt octangulares. *Emblici* rotundi quidem ſunt, ſed ſemper fere in fruſta fiſſi. Folia habent tenuia, in modum fere ſalicis. Omnes illæ ſpecies pruni ſunt, & inter eas cenſeri debent, quamuis foliis, regione & fructuum figura ab inuicem differant; omnes quoque purgant & adſtringunt, fere vti rhabarbarum.

MYRMECIA, eſt verrucarum ſpecies, ſunt thymo duriora, humilioraque, quæ radices altius agunt, maioremque dolorem mouent, infra lata, ſupra autem tenuia; minus autem ſanguinis mittunt: magnitudine vix vnquam lupini modum excedunt. Naſcuntur in palmis aut in inferioribus partibus pedum, a μύρμηξ formica. G. Breite Wartze.

MYROBALANVS, a μύρον & βάλανος, aliis glans vnguentaria, βάλανος μυρεψική. Penult. corripit:

Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus,
Hoc ex vnguento conſtat, & ex balano. Martial. l. 14. ep. 157.

MYRON, idem quod *vnguentum*.

MYROPOLA, eſt vnguentarius, qui vnguenta vendit, ex μύρον vnguentum, & πωλέω vendo. G. ein Salbenkramer.

MYRRHA, cuius arboris ſit gummi adhuc incertum eſt. Eſt tamen reſina gummea cuiusdam arboris exoticæ, quæ, cortice vulnerato, myrrham profundit. Plurima affertur ex Arabia & Æthiopia. Debet eſſe friabilis, leuis, vndiquaque concolor, minutis glebis, amara, acris, odorata & quæ, confracta, venas vnguium modo candidas & leues oſtendit. Laudatur ab antiquis *Troglodytica*, colore palleſcens, ſeu ſubuiridis, ſplendens ac mordax. Inutilis eſt ponderoſa, & coloris picei ſeu nigra. Gr. σμύρνα. G. Myrrhen.

MYRRHIS, eſt planta, cuius caulis altus, ramoſus, villoſus, intus excauatus; folia ſunt magna, ampla, ſtriata, cicutam aquaticam referentia, ſed magis albeſcentia, & ſæpe maculis albis notata, mollia, parum villoſa, coloris & odoris chærophylli,

li, & ſaporis aniſi: flos roſaceus, & vmbellatus, plurimis ſcilicet petalis conſtans inæqualibus, in orbem poſitis, & calici inſidentibus; qui abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum oblongis, plerumque ſtriatis, aliquando hirſutis, quæ licet hirſuta, ſemper ſunt ſtriis excauata, nigricantia, gratum guſtum aniſi præbentia: radix longa, craſſa, alba, mollis, fungoſa, aromatica, dicitur & cicutaria, ſic dicta, quod cicutæ ſimilis ſit. G. Wilder Kerwel.

MYRTOCHEILIDES, dicuntur pudendi muliebris extremi margines carnoſi, qui quoque *alæ* appellantur.

MYRTVM, eſt caruncula in muliebri pudendo, circa rimam, a corrugatione vaginæ excitata.

MYRTVS & MVRTVS, eſt arbuſcula ſemper virens & odora, quæ habet caulem ramoſum, flexilem: folia buxi, ſed minora, acutiora, polita, ſplendentia, odoris grati: flores ex foliorum alis creſcentes, ſinguli quinque folia in vmbellam deſinentia habentes, albi, odorati, & calicem inciſum continentes: calix poſtea fit bacca oualis, aut oblonga coronam habens, poſt maturitatem nigra, ſucculenta habens ſemina ſaporis adſtringentis: hæc arbuſcula creſcit in regionibus calidis. Gr. μυρσίνη μυῤῥίνη. G. Myrtenbaum.

MYSTAX, Gr. μύσταξ eſt labium ſuperius, eiusque pili in lateribus excreſcentes. G. Der Knebelbart.

MYSTRVM MAGNVM, eſt antiquorum menſura continens tres vncias, & octo ſcrupulos vini, & olei tres vncias.

MYSTRVM PARVVM, eſt menſura antiquorum continens viginti ſcrupulos vini, vel ſex drachmas olei.

MYVRVS, eſt pulſus decurtatus aut mutilus, ſenſim decreſcens. Non recte ſcribitur per y. Eſt enim græce μείουρος a μεῖον, minus, nullum, & οὐρὰ cauda. Sed iam olim aliquos per y ſcripſiſſe, apud Euſtathium videre licet.

MYXA, eſt mucus ſiue humor pituitoſus, ex cauernis frontalibus, maxillæ ſuperioris, oſſis ſphenoidis, & conuolutionibus 4 oſſiculorum ſpongioſorum membrana glanduloſa inueſtitis ad nares deſcendens. G. Rotz.

MYXA MYXARIA, vide *ſebeſten*.

N.

NÆVI, ſunt quædam maculæ natiuæ, eæque duplices, protuberantes & planæ, quæ ſunt figura varia & colore diuerſimodo. Hi a grauidarum imaginatione. G. Muttermaal.

NAPELLVS, eſt diminutiuum a napus, ſic dictus, quod napellus radicem habeat quodammodo tuberoſam. G. Eiſenhütlein, Narrenkappen.

NAPHA, ſic proprie in officinis vocatur aqua deſtillata ex floribus aurantiorum.

NAPHTHA, eſt colamen bituminis babylonii, conſiſtentia liquidum, ignis rapaciſſimum, colore nunc albo, nunc nigro: procul dubio eſt idem quod petroleum. Perſæ hodie vocant *mumiam*.

NAPVS, eſt raparum ſpecies: & eadem vox eſt cum rapus: dicitur etiam *bunias*. G. Steckrüben.

NARCISSVS, eſt planta, quæ folia porri habet: caulis eſt excauatus ſtriatus, nudus: flos eſt liliaceus, monopetalus campaniformis in ſex partes ſectus, meditullium eius coronæ inſtar cingentes: calix autem, qui prodit plerumque vagina membranacea, abit deinde in fructum oblongum, vel ſubrotundum, trigonum, trifariam dehiſcentem, in tria loculamenta diuiſum, ſeminibusque fœtum ſubrotundis: radix eſt bulboſa, extus nigra, intus alba, viſcoſa, amara. Nomen illud deriuare ſtudent a narciſſo adoleſcente in florem ſui nominis conuerſo, vel quia torporem (qui Gr. νάρκη eſt) neruis incutit, grauedinemque torpidam. G. Narciſſe.

NARCOSIS, eſt ſtuporis inductio, vt fit in paralyſi; vel ex opio, aliisque ſtuporem inducentibus, a ναρκόω ſtuporem induco. G. Unempfindlichmachung, Betäubung.

NARCOTICA, ſunt medicamenta, quæ ſtuporem inducunt, ſicque dolorem ſiſtunt, a ναρκόω ſtupefacio. Gr. νάρκη, torpor, ſtupor. G. Artzneyen die unempfindlich machen.

NARDVS, Gr. νάρδος & ναρδοστάχυς a Nardo vrbe Syriaca, Euphrati contermina nomen accepiſſe, multorum eſt opinio. Duplex huius ſpecies proſtat in officinis.

NARDVS CELTICA, vide *ſpica Celtica*.

NARDVS INDICA, ſiue SPICA INDICA, in Iaua magna quantitate creſcit, eiusdem ibi vſus eſt, qui calami aromatici, ac iunci odorati. Putant ex locis circa Gangem & Syriam quoque adferri. Creſcit fere vt cæpa aut allium, cuius

inferior pars fibroſa eſt, exinde, tanquam e baſi, aliquot bulbi ſiue ſpicæ ſe erigunt. Singulæ ſpicæ ſunt quaſi fibrillæ ſibi inuicem connexæ, caſtanei coloris, odoris cyperi: ſaporem habet nonnihil amaricantem, & aromaticum. G. Indianiſch Spicanarden.

NARES, Gr. μυκτῆρες, ſunt partes concauæ naſi vtrimque poſitæ, quæ meatum præbent aeri in reſpiratione & odoribus, & exitum concedunt excrementis mucoſis. G. Die Naſenlöcher.

NASALIA, idem quod *errhina*.

NASCALIA, ſunt globuli, ex eadem ſubſtantia, qua peſſaria formantur, qui matricis ceruici immittuntur. Diſtinguuntur a *peſſo* & *peſſario*, quod *naſcale* ſit penicillus in nodi effigiem molliſſimus, ex cotonis vel lanæ flocculo &c. qui inſuccatur vel ſucco idoneo vel vnguento conuenienti.

NASTVRTIVM, vulgare, eſt planta, quæ habet caules ramoſos, rotundos, ſolidos; folia oblonga, profunde inciſa, ſaporis acris, ſed grati, flores in ſummitate ramorum creſcentes, exigui, quadrifidi, cruciformes, coloris albi vel purpurei: poſt florem ſuccedit fructus oualis, compreſſus, diuiſus in duo loculamenta, continentia ſemina obrotunda, parua, oblonga ſublutea aliquantulum compreſſa, in cacumen pallidum deſinentia, ſaporis acris, amaricantis: radix fibroſa, hæc planta in hortis colitur: naſturtium vero aquaticum eſt ſpecies ſiſymbrii. Gr. κάρδαμον. Vide *Cardamon*. G. Kreſſe.

NASVS, eſt media faciei prominentia; eſtque externus vel internus. Intus conſtat ex duabus cauitatibus, oſſibus, cartilaginibus. *Externus*, habet partem ſuperiorem immobilem & continet radicem, dorſum, ſpinam, & inferiorem magis mobilem: diuiditurque in *globulos*, *alas* & *pinnas* &c. Eſt odoratus inſtrumentum. *Naſus* pro diuerſa conformatione varia accepit nomina, dicitur paruus, ſimus, aquilinus, acutus, magnus &c. Gr. Ῥὶς & Ῥὶν. G. Die Naſe.

NATA, idem quod *Natta*.

NATES, ſunt infimi ventris poſterior & inferior pars maxime carnoſa, qua ſedemus. Gr. γλουτοί. G. Die Arsbacken.

NATES CEREBRI, ſunt duæ prominentiæ orbiculares, poſt neruorum opticorum thalamos, quæ ſuperiori caudicis medullaris parte accreſcunt; in homine minores ſunt, in brutis vero maiores.

NATTA, eſt tumor magnus & mollis, ſine dolore & colore, in dorſo præcipue excreſcens, quandoque tamen in humero & aliis partibus erumpens, ex tenui quidem radice pendens, ita tamen incrementum ſumens, vt aliquot libras pendeat & melonis vel cucurbitæ quantitatem æquet, eius materia eſt adipoſa, ideoque ad ſteatomata referri debet. G. ein Speckgeſchwulſt.

NATVRA, Græce φύσις dicta, a φύω creſco, naſcor. Huius vocis in medicina autor eſt Hippocrates, qua voluit, prout ex eius ſcriptis colligendum, complexum omnium partium tam ſolidarum quam fluidarum corpus animale conſtituentium ſimul ſumtarum, in ſuo motu vel quiete, prout bene ſe habent: vnde non eſt ens diſtinctum & ſingulare a corpore, verum ipſum corpus, eiusque omnia ſimul. Verum prout vocibus variæ attribui ſolent ſignificationes, hinc poſtea ſumta fuit a phyſicis pro illa in corporibus conditione, qua ſola poſita ponitur corpus, qua ſublata tollitur; vulgo ſumitur pro naſcendi vi, ideoque partes genitales vtriusque ſexus appellarunt *naturam*. G. Die Natur.

NATVRALES FACVLTATES, ſunt in corpore animali illæ, quæ faciunt, vt heterogenea alimenta aſſumta fierent iterum pars corporis animalis, ſeu eius naturæ: cum enim corpus perpetuo deteritur per ſuum motum, requiritur vt detritum reſtituatur. Id fieri nequit niſi aſſumantur, quæ nondum ſunt illud corpus animale (h. e. heterogenea) quæcunque igitur actiones in corpore mutant illa heterogenea, ita vt abeant in corpus ipſum, vocantur *facultates naturales*. Sunt igitur hæ actiones maſticatio in ore, concoctio ciborum in ventriculo, & inteſtinis; concoctorum per lactea & ductum thoracicum in ſanguinem delatorum, in corde & pulmonibus compreſſio, attritus, mutatio; applicatio in locum partium detritarum &c. G. natürliche Würckung.

NAVICVLARE OS, dicitur & σκαφοειδὲς & *cymbiforme*, eſt tertium os tarſi in vtroque pede. G. Das Schiffgleiche Beinlein.

NAVSEA, Gr. ναυτία, eſt faſtidii ſpecies & ad vomitum conatus; qui aut ſubſequitur aut non, labiis inferioribus tremore actis, & plerumque humore ex ore fluente ac fibris muſcularibus œſophagi, ventriculi, inteſtinorum incipientibus motu periſtaltico inuerſo agitari. Eſt etiam cibi, potus & medicamentorum, quæ tanta eſt ſæpe, vt nequidem deglutitio fieri poſſit. Tandem vt vomitus, ſic nauſea, cum multis morbis com-

complicatur, & iis euenit ſæpius, qui in mari aut aquis agitatis a vento peregrinantur. Sumitur & pro *anorexia*, ſiue omni ciborum faſtidio & auerſatione. G. Das Grauen, der Eckel.

NEBVLA, eſt morbus oculi, quando tunica cornea incraſſatur, eius diaphaneitas ita mutatur, vt æger omnia quaſi per nebulam videat.

NECROSIS, eſt alienatio & plenaria corruptio alicuius partis, *ἀ νεκρόω, morte afficio.*

NECTAR, eſt potus deorum, vt *ambroſia* cibus. Medicis autem dicitur potus medicamentoſus, colore guſtu, & odoratu gratiſſimus.

NEFRENS, id eſt, dentibus carens ſiue in infantia, ſiue in ſenectute. Sic dicuntur quia duriora dentibus frangere non poſſunt. G. Zahnlos.

NENVPHAR, penult. prod. Nenuphar eſt *nymphæa*, eſt vox barbarica.

NEOGALA, eſt lac recens ex *νέον* nouum, recens, & *γάλα* lac.

NEPENTHES, eſt apud aliquos laudanum opiatum, medicamentum vere laudatum. *Nepenthes*, Latine dicitur quaſi nullus luctus, ob ſummos & admirabiles, quos exerit, effectus, ludani nomen ei aptiſſime & ſummo iure competit. *Nepenthes* remedium *Helenæ* fuiſſe dicitur, quo omnes e corde languores & ægritudines ſuſtulerit, & hilaritatem lætitiamque induxerit. Legitur apud *Homerum* Od. *δ. φάρμακον νηπενθὲς* remedium triſtitiam animo eximens: dicitur autem a *νὴ* priu. & *πένθος* luctus.

NEPETA, penult. corripit:

Siue apio nepetas tereti cum maſtiche iunges. *Seren. tit. col. ſan.*

Aut molles nepetæ, aut rutæ, quæcunque bibentur. *Seren. tit. proſt. ſangu.*

Nepeta, vulgo *cattaria:* aliis *calamintha.* G. Katzenmüntz.

NEPHELÆ, ſunt tenues oculorum albedines. Item nubeculæ medio vrinæ innatantes: dicuntur etiam maculæ albæ, quæ in vnguium ſuperficie nubecularum ſpeciem repræſentant. Gr. *Νεφέλη* & *Νέφος* nubes, nebula. G. Eine Wolcken.

NEPHRITICA, ſunt medicamenta, renum morbos auferentia, a *νεφρὸς* ren.

NEPHRITICVM LIGNVM, penult. corr. vt hyſtericus *Martiali*, ictericus *Iuuenali*, phreneticus *Martiali* & *Sereno*; ſic phlegmaticus, arthriticus &c. Nephriticum lignum, dicitur *ſantalum cæruleum*; creſcit in noua Hiſpania; craſſum eſt & enode; reddit aquam infuſione cæruleam. Vtimur hoc in affectibus nephriticis. G. Grießholtz.

NEPHRITICVS, eſt, qui ex renibus laborat.

NEPHRITICVS LAPIS, eſt opacus & variegatus, ex colore viridi, aliisque permiſtus. Raro hic lapis in ſe duos colores habet ſemperque viriditatem ex albedine refert, alius viriditatem ſubflauam, interdum ſubcæruleam; plerumque ex viridi, albo, flauo, cæruleo nigroque colore mixtio eſt. Poliri exacte non poteſt, ſemper enim ipſius ſuperficies pinguis apparet, quaſi oleo inuncta fuiſſet. Adfertur ex Hiſpania noua, in nonnullis etiam Hiſpaniæ locis, & in Bohemia reperitur. Tanta inuenitur mole, vt pocula inde fieri poſſint. Vtimur in nephriticis doloribus. G. Grießſtein.

NEPHRITIS, AFFECTIO NEPHRITICA NEPHRITICVS DOLOR, eſt dolor ardens pungensque in lumbrorum regione, vbi renes ſiti ſunt, nempe ad latera ſpinæ in ſiniſtra vel dextra parte: qui ſi oritur ab inflammatione renum, abſceſſu, calculo febrem, inflammatoriam continuam comitem habet; nonnunquam a conuulſione partium iſtarum vel rheumatiſmo quoque obſeruatur; dolor in initio obſcurus, ſed mox acerbiſſimus, & ſine remiſſione, vsque dum totus recedat, plerumque ſtupet alterum crus ad illud latus, in quo dolor; vrina ſæpe eſt flammea, vbi autem valde vrget malum, eſt aquoſa, ſed vbi ſummum, aliquando ſupprimitur; vomitus nunquam non adeſt & maximus quidem, cum inexplicabili nauſea, & anxietate & inquitudine: ſæpe etiam dolor ad inguina, aut alterum inguen exporrigitur, deſcendens quaſi a lumbis, iuxta ſitum vreteris, a νεφρὸς ren. G. Lendenſtein, Nierenwehe.

NEPHROTOMIA, ſeu renum ſectio: quando calculo vel vlcere affecti ſunt, hæc operatio in vno latere inſtituenda quibusdam eſt viſa: vaſis nempe colligatis, eo modo, quo lien eximitur: ſed forte nunquam inſtituitur. G. Das Ausſchneiden des Lendenſteins.

NERION, eſt arbuſcula, viſui grata, laurum referens folia ſunt oblonga, craſſa, dura: flores ſunt pulcherrimi, magni, roſis ſimiles, coloris rubri vel albi, monopetali, infundibuliformes, multifidi: fructus eſt teres, fere cylindricus, compoſitu

poſitus ex duabus thecis per maturitatem a ſe inuicem abſcedentibus, ſemina lanuginoſa placentæ adnata continentibus: radix polita, lignoſa, longa: creſcit hæc arbuſcula circa loca maritima, dicitur *rhododendron*, & *rhododaphne*, ſic appellari videtur quod circa amnes creſcat: Νηρὸς enim eſt humidus. *Rhododaphnen* autem Gr. dixerunt a roſæ floribus & lauri foliis, Barb. *Oleànder*, forte quod eius folia ſint inſtar oleæ, ſed multo maiora. G. Oleander.

NERVINVM vnguentum, oleum, emplaſtrum. Vox hæc duabus premitur difficultatibus, altera, quod barbarismi poſtulari videatur, vt *Foro Romano* ignota; altera, quod de penultimæ in pronunciando mora dubitari poſſit. Ceterum Latinam eſſe vocem docet *Vegetius l. 4. Tormenta*, inquit, *niſi funibus neruinis intenta nil proſunt.* Præterea *Priſcianus in Plaut. Truc. Pecua*, inquit, *ad hanc collo in neruina ego obligata defero.* Quod ad ſecundum, penultima produci meretur ad leges Adiectiuorum in inus ab animatis deſcendentium. Neque iuuerit obduxiſſe neruos tam plantarum attribui foliis, quam animantium corpori; nam non niſi per translationem nerui plantis conueniunt, animalibus proprie.

NERVINA, ſunt medicamenta, quæ aduerſus neruorum morbos in vſu ſunt. G. Nerven ſtärckende Mittel.

NERVVS, eſt pars fibroſa, rotunda, longa, alba, inſtar cannæ indicæ poroſa, ſpirituum animalium diductioni inſeruiens, vt hoc ritu partes corporis mobiles ſint. Intra cranium a medulla oblongata decem paria neruorum originem ſumunt: vt neruus odoratorius, ophthalmicus, oculorum motorius, patheticus, guſtatorius, timidus, auditorius, par vagum, linguæ motorius, & ceruicis muſculorum motor. Intra cranium ſeptem duntaxat paria veteres agnoſcebant, hodierni decem numerant. Infra cranium triginta paria enumerantur; nempe ſeptem ex colli lateribus, duodecim ex medulla ſpinali in dorſo: quinque ex lumbis, & ſex ex oſſe ſacro: nerui omnes infra cranium oriuntur a medulla ſpinali, qui per lateralia vertebrarum foramina artubus & ventribus deſtinantur. Neruus, tendo & ligamentum male a chirurgis veteribus confunduntur. Gr. Νεῦρον. G. Nerven, Spannader.

NEVROCHONDRODES, eſt ligamenti genus partim latum, partim rotundum, duritie medium inter cartilaginem & ligamentum, quale eſt in articulo calcis cum aſtragalo & vicinus partibus, & in intimo ſinu oſſis coxendicis, quod femoris capiti inſeritur.

NEVRO-

NEVRODES, eſt ſpecies febris lentæ, ſic a doctiſſimo *Williſio* dicta; eo quod liquor nerueus ab indole ſua deſciſcens, & craſi ſua vitiatus, atrophiæ cauſa exiſtit, ex νεῦρον neruus, & εἶδος forma.

NEVROLOGIA, eſt elegans neruorum deſcriptio, agens de eorum origine, fine, fabrica, & vſu; quam *Barth. Euſtachius*, *Thomas Williſius*, & *Raymundus Vieuſſens*, omnium præſtantiſſime deſcripſerunt, ex νεῦρον neruus, & λέγω narro, deſcribo.

NEVROTICA, ſunt medicamenta, neruorum mala auferentia. Vide *neruina*.

NEVROTOMIA, eſt anatomica neruorum ſectio, item neruorum punctura, ex νεῦρον neruus, & τέμνω ſeco.

NEVROTOMVS, eſt, qui punctura neruorum laborat, vel qui neruos anatomice diſſecat, ex νεῦρον neruus, & τέμνω ſeco.

NEVTHA, dicitur pellicula, quæ in initio meatus auditorii auribus fœtus accreſcit, ne tympanum in vtero nimis ab aqua allabente emolliatur, quæque poſt partum ſucceſſu temporis decidere ſolet; nonnunquam etiam ſimilis pellicula oculis accreſcit, totamque faciem obtegit.

NICOTIANA, eſt tabacum: planta, quæ habet caulem rotundum, medulla alba repletum, villoſum, digiti craſſitiei: folia ſunt ampla, aliquantulum acuta, neruoſa, ſine caule, integra, ſucculenta, viſcida & attrectatione manus inficientia, ſaporis acris aut vrentis: flores monopetali ſunt, infundibuliformes, quorum inferior pars tubum refert, ſuperne in quinque lacinias diuiduntur, coloris purpurei: poſt florem ſequitur fructus membranaceus, oblongus, in duas partes diuiſus, multa ſemina exigua & rubicunda habens: radix eſt fibroſa, alba, ſaporis acris: tota planta habet odorem penetrantem: ſemen eius, quum Vlyſſiponæ, legati munere fungeretur, a Belga e Florida inſula allatum, accepit. Vide *tabacum*.

NIDOR, dicitur odor fœtens, & redolens partes animalis ambuſtas.

NIDOROSA DYSPEPSIA, vide *Dyſpepſia*.

NIGELLA, ſeu MELANTHIVM, eſt planta, quæ habet caules tenues, excauatos: folia mediocriter lata, viridia, minutim inciſa, capillacea: flores ſunt polypetali, roſacei, in medio corona eleganti reflexa ornati: flori ſuccedit capſula membranacea in quinque loculos diſtributa, ſemina angulоſa nigra vel flaua, odoris aromatici, ſaporis ſubacris

conti

continens. Dicitur a nigro ſeminis colore. G. Schwartzkümmel.

NIHIL ALBVM, idem quod *Pompholyx*.

NISI NINSI, vide *Genſing*.

NITRVM, ſiue ſal petræ, cryſtallos priſmaticas formans octohedras; ſemifoſſile eſt, ex terra petitum nitroſa, acri; in igne mediocri fuſile; vix aquam exhalat, ſatis fixum; cum omni materia inflammabili, vbi fuſum, deflagrans; ſoluitur in aquæ $6\frac{1}{3}$. Hæc nitroſa terræ, aut ſaxi nitroſi, indoles ortum debet excrementis animalium, horum putrefactis cadaueribus, præcipue ſale marino non vtentium, auium ergo inprimis, accedente vegetantium exuſtorum cinere non eluto & calce viua; denique parati ſic nitri, plurima aqua diluti, per arenam transcolatione, atque in cryſtallos octohedras formatu, eſt ſal ſapore ſalſoamarum, eſtque præter Antiquorum nitrum, quod plane nobis incognitum eſt, triplex. Primum elixiuiatur ex terra; Secundum, muris lapideis adhæreſcit, & Tertium quod ſcopulis ſeu rupibus adnaſcitur. Attamen officinis noſtris non niſi vnicum vſitatum eſt, primum videlicet, quod excoquitur ex terris idoneis; cryſtallinum & purum eligendum eſt. Tanto autem purius cenſetur quanto minus ſalis communis particeps fuerit, quod experiri licet, ſi iniiciatur carbonibus candentibus, nihilque poſt phlogoſin remaneat: deriuari videtur παρὰ τὸ νίζειν, vel νίπτειν, quod abluendi, purgandique habeat facultatem. G. Salpeter, Salniter.

NOCTAMBVLO, ſeu NOCTAMBVLVS, aut *ſomnambulus*, eſt morbus e ſomno profundo, inſomniis grauibus, & motu corporis compoſitus; adeo vt hic ſtatus ſit proximus quidem vigiliis, ſed vt ſomnambuli plane excitati neſciant, quæ perpetrarint, vnde obliuio hic regnat & ſomnum non adeſſe dicendum foret, niſi oculi clauſi eſſent, & ſenſus externi omnes aboliti. Somnambuli vero aliquos muſculorum motus cient, ſurgunt, incedunt, ſtant, aut alia quædam agunt, nonnulli ad vitæ munia accedunt, & id aggrediuntur quod vigiles non auderent. Gr. Νυκτοβάτης & Ὑπνοβάτης. G. Ein Nachtwandler, Mondſüchtiger.

NODOSVM, dicitur de certa *arthritidis* ſpecie, quando materia tophacea articulis digitorum pedum, manuumque impacta & coagmentata, poſt varios arthritidis paroxyſmos, efficit vt diſtorqueantur, cutis aperiatur, & pereunte motu membrum incuruetur. Dicitur quoque de radicibus; vocatur radix nodoſa, quoties oriundus ex eius latere ſtolo, & longe lateque

que horizontaliter ſub terra diſcurrens, hinc inde nodos format, ita vt ſinguli nodi radices emittant, & gemmam contineant nouæ plantæ producendæ idoneam, vt in gramine canino repente, & aliis quotidianum eſt obſeruare, quæ ratio eſt, cur tam raro tales plantæ floreant, quoniam non ſufficiens humorum copia ſurſum ad explicationem floris propellitur, maxima enim pars producendis ac nutriendis ſtolonibus abſumitur, qui tamen, ſi ſingulis ſeptimanis abſcinduntur, flores explicant. Eſt etiam productio recentis ſobolis ex fibris ligneis & tracheis ortæ, vt exterius in noua folia & plantæ ſurculum ſeu gemmam compingatur, iterim tamen varias, in quibus naturæ luſus eluceſcit, metamorphoſes ſubire deprehenditur.

NODVLVS, NODVS, Gr. Κρoκυφάντιον, eſt ſacculus linteus, medicamentis morbo conuenientibus impletus, qui in cantharo cereuiſiæ aut vini pleno inditur, cuius tinctura ægris propinatur. G. Säcklein, ein Knötlein.

NODVS, idem quod *Ganglion* & *Nodulus*.

NOLI ME TANGERE, vide *impatiens herba*. Eſt etiam ſpecies cancri, in facie: præſertim ſupra mentum, circa os & naſum oritur tumor vel vlcus, exulcerati cancri ſpeciem gerens, lente in initio creſcens, quaſi puſtula parua, toto anno manet, quod alias minus ſæuum quam cancer, & cancer plus rodit vno die quam noli me tangere vno menſe. G. Der Krebs, der freſſende Wurm.

NOMAS, & NOMA, eſt vlcus putridum & depaſcens in glanduloſis oris partibus, cum roſione & ſæpe carie, a ſcorbutica corporis temperie ſæpe ortum, a νέμω depaſco. G. ein böß Geſchwär.

NOSOCOMIVM, eſt domus publica, ſeu hoſpitium commune, in quo pauperes ægri recipiuntur, decumbunt, & curantur, ex νόσος morbus, & κομέω curam gero. *Noſocomia* eſt ægrorum curatio. G. ein Siechhaus, Hoſpital.

NOSOLOGIA, idem quod pathologia, a νόσος morbus, & λέγω narro.

NOTÆ MATERNÆ, idem quod *næuus*.

NOTHÆ COSTÆ, ſunt coſtæ quinque (in vtroque latere) inferiores, ſpuriæ dictæ, ſic vocantur, quia non vt aliæ coſtæ cum ſterno cohærent, neque ſunt veluti aliæ, tam cito, neque tam firme oſſeæ, ſed fere cartilagineæ, a νόθος, ſpurius. G. Die kurtze Ribben. *Morbi* etiam nothi dicuntur, qui ordinariam & regularem normam excedunt, vt febres tertianæ, quartanæ, & quotidianæ nothæ: pleuritis notha &c.

NOVA-

NOVACVLA, eſt culter chirurgicus, cuius forma, propter diuerſimodam operationem, variat: vix deſcribi poteſt. *Culter tonſorius* ξύρον, ξύρος, ξυστὴρ, μαχαιρὶς, μάχαιρα, κουρική. G. ein Scheermeſſer.

NVBECVLÆ, ſunt particulæ leues, ſe mutuo, laxo amplexu comprehendentes, vrinæque innatantes. G. νεφέλιον. Vide *enæorema*. G. Wölcklein.

NVBES, vide *nubeculæ* & *enæorema*.

NVCAMENTA, dicuntur ea quæ collo ſqammatim compactili pendent e ramis nucum, picearum, mororum. G. Kätzlein.

NVCHA, eſt poſterior pars colli, ceruix dicta, in qua ſetacea excitantur. G. Der Nacken.

NVCLEVS NVCLEI, ſunt inſtrumenta chirurgica formam dimidiatæ iuglandis habentia, ex argento, cupro, vel cornu confecta, in medio foramine paruo pertuſa, quæ ſtrabonibus ante oculos ligantur, vt aſſueſcant per medium foraminulum videndo, oculorum aciem recte dirigere. Item eſt ſemen nucibus vel fructibus incluſum.

NVMMVLARIA, eſt planta, quæ habet caulem tenuem, longum, repentem, ramoſum: folia ſunt circinnatæ fere rotunditatis, ex aduerſo caulis repentia, viridia, ſaporis adſtringentis: flos monopetalus eſt, multifidus, arcte cauli adnatus, huic flori ſuccedit capſula, vel teſta rotunda, per maturitatem diſſiliens, habens ſemina minima: radix eſt parua: hæc planta creſcit in locis humidis, ſic dicitur a foliorum rotunda figura, nummulum referente. Vide *centummorbia*.

NVTRIMENTVM, idem quod *alimentum*.

NVTRITIO eſt auctio corporis, qua continuum ſubſtantiæ corporeæ defluxum, alimentis idoneis reſtauramus. Item, ſpecies quædam eſt incraſſationis, aut potius augmentationis, vti videre eſt in conficiendo vnguento nutrito, in aloe, aliiſque rebus. G. Das Gedeyen, Nahrung.

NVX, eſt ſpecies doloris capitis, quæ magnitndine nucis ſentitur; ſicut ouum, clauus, aliæque ſpecies. Fructus item quosdam denotat cortice lapideo nucleum occludentes.

NVX VNGVENTARIA, idem quod *balanus myrepſica*.

NYCHTHEMERVM, eſt tempus, denotans ſpatium viginti quatuor horarum, ex νὺξ nox, & ἡμέρα dies.

NYCTALOPIA, eſt affectus oculorum, quo æger in luce magna non poteſt videre, noctu vero, vel circa veſperam melius;

lius; oritur ab incipiente catarracta in medio pupillæ, vel ſi nimis ſenſilis fuerit neruus opticus.

NYMPHÆ, ſunt colliculi ſeu ſumma pudendi muliebris labia, ſic dicta, quod aquis e veſica proſilientibus adſtare reperiantur. G. νύμφη, μύρτον, ὑωδερὶς, κλητωρὶς, ἐπιδερὶς, & κέρκωσις, vbi increuerit. Item cauum inferioris labri. Poll. τύπος. Nympha tamen ab artis medicæ principibus Paulo, Oribaſio, & Aetio ſumitur pro clitoride nec illam confundunt cum alis, quæ a veteribus Græcis diſtinctiſſime πτερυγώματα, μυρτοχέλαι, κρῆμνοι vocabantur, & vocum abuſu nymphæ dictæ fuerunt. Vide *æſtrum veneris*.

NYMPHÆA, ſeu NENVPHAR, eſt planta, quæ habet folia magna, ampla, orbiculata, craſſa, carnoſa, fungoſa, ad ſuperficiem aquæ creſcentia: caules ſunt craſſi, fungoſi, rotundi, ſucculenti: flores ſunt roſacei, polypetali, coloris lutei & albi, ſine odore; calix pentaphyllus: poſt florem ſequitur fructus obrotundus, in plurimos loculos diuiſus, qui loculi continent ſemina nigricantia, ſplendentia & oblonga: radix eſt longa, craſſa, in cortice nodos habens, foris ex fuſco flaueſcens, intus pallida, fungoſa, leuis carnoſa, ſuccum viſcoſum continens, in fundo fluminum vel aquarum creſcit, ſaporis eſt adſtringentis, auſteri, odoris nullius. Nomen ſibi vendicaſſe videtur, quod aquoſa amet loca. G. Seeblum, Waſſerlilien.

NYMPHOMANIA, idem quod *furor vterinus*.

NYMPHOTOMIA, eſt nympharum exciſio, quarum nimia protuberantia in nupturis virginibus, ſponſus copula quandoque fruſtratur, aut ſaltem difficulter admittitur; earum exciſio *Ægyptiis* frequens erat. Ex νύμφη, nympha, & τέμνω ſeco.

O.

O. Simplex, chymicis *alumen* denotat, verum ſi triplex fuerit, in baſi nempe duo, & in ſuperficie vnum, *oleum*, ſignificat. Si diametrum habeat, a dextris ad ſiniſtrum latus, *ſal* denotat: verum a ſuperficie ad infimam partem, nitrum, erit; in ſuperficie ſi aderit crux *antimonium*, ſed ſi in infima parte, *cuprum* ſignificabit; in ſuperficie ſemilunula recumbeus dorſo, & in infima parte crux, *mercurii* erit ſignum, e vertice, ad baſin linea, & a dextris crux *vitriolum* denotat. Si habeat transuerſim telum *mars* ſiue ferrum aut chalybs eſt, in medio punctum, *aurum* ſiue ſol eſto.

OBE-

OBELÆA, eſt *ſutura ſagittalis*, in cranio, quæ anterius coronalem, poſterius lambdoidem ſuturam attingit, fit enim ex mutua oſſium bregmatis coniunctione. Ab Gr. ὀβελὸς veru. G. Die Pfeilnath.

OBLATÆ LAXATIVÆ, & purgantes, fiunt ex farina cum ſaccharo & ſpeciebus purgantibus. G. Purgirende Oblaten, Morſellen.

OBLIVIO, eſt rerum antea perceptarum, e cerebro delapſus. Hoc fit cum impreſſio rerum percipiendarum, cerebrum leuiter tetigerit; quemadmodum motus leuis vix ſentitur, ita vis leuiter impreſſa facile elabitur. Gr. ἐπιλησμοσύνη, λήθη. G. Vergeſſenheit.

OBOLVS, iſt dimidium ſcrupuli; pendet grana decem. Eſt ſexta pars drachmæ Atticæ, ſiue æreola ſex. G. ein halber Scrupel.

OBRIZVM, eſt aurum ab omnibus aliis admixtis metallis depuratum, ita vt ſummo igne & fluxu cum antimonio nihil amplius deperdat. G. Fein Gold.

OBSESSVS, eſt, qui a dæmone afficitur; ſed illud malum interdum inter epilepſiæ & maniæ morbos recenſeri debet. G. ein beſeſſener Menſch.

OBSTIPITAS, idem quod *ſcolioſis*.

OBSTRVCTIO, eſt canaliculorum a laterum tumore, callo, contractione, vel corpore impacto, aut laterum a vicinis compreſſione occluſio, ita vt liquor requiſitus per illos fluere impediatur. G. Verſtopfung.

OBSTRVENTIA, ſunt conſtipantia, quæ poros ſudorem nimium effundentes claudunt; aut ſanguinem alibi exilientem, ſiſtunt.

OBTVNDENTIA, medicamenta ſunt, quæ figuram acrem, ſuperpoſita alia inerti, tollunt, vt vagina reſpectu cultri facit; & oleoſa reſpectu veneni. G. Schärfe brechende Mittel.

OBTVRATORES MVSCVLI, ſunt ex iis qui femur flectunt & circumagunt. Horum *prior* foramen inter pubis & iſchium os occupans, dictorum oſſium circuitui extremo affixus, transuerſim ſiue exterius maiori infigitur femoris proceſſui. *Alter* etiam, *burſalis* dictus, eiusdem oſſium terminis appoſitus ſuperius inferiusque ſub pectinæo muſculo, validiſſimo tendineorum faſciculorum aceruo, omnes abſcondens quadrigemini tendines, magni trochanteris implantatur concauitati. G. Der Schenckelmuſcul.

OBVLVS, idem quod *Obolus*.

OCCIPVT, Gr. ἰνίον, eſt poſterior cranii pars. G. Das Hintertheil des Haupts.

OCCVLTA QVALITAS, ſic dicebatur olim ea rerum conditio, qui a nemine explicari poterat: ſed noſtra ætate qualitates occultas in manifeſtas mutare ſtudemus. G. Verborgene Eigenſchafft.

OCCVLTI MORBI, ſunt quorum cauſam ſæpe ignoramus: vel qui in corpore noſtro latent, vt ſunt cancri, inflammationes in cerebro. G. Verborgene Kranckheit.

OCHEMA, eſt liquor, ſeu vehiculum aliquod, quo medicamenta ſiue nimis arida, vel nimis fortia miſcentur, vt tutius & commodius aſſumi poſſint. Gr. ὄχημα τῆς τροφῆς, eſt vehiculum alimenti, ſiue ſerum in ſanguine. Gr. ab ὀχέω, veho.

OCHRA, terræ ſpecies durior; coloris flaui ſeu lutei, videtur ferri acidulis ſoluti & præcipitati ſoboles. G. Ochergeel.

OCHRVS, eſt planta, quæ habet caules anguloſos, flexiles repentes: folia oblonga articulata, modo ſimplicia, modo coniugata, in clauiculam abeuntia: flores ex foliorum alis erumpunt, pedunculis breuibus adhæreſcunt, leguminoſi ſunt, & albi; flori ſuccedit ſiliqua rotunda, & cylindrica, ſed in ſuperiori parte conica, recondens ſemina cylindrica, piſi minoris magnitudine, coloris obſcuri flaui. Hæc planta creſcit in pratis; ſemina ſunt edulia, chylum viſcidum parientia. Gr. ὦχρος, piſum minus, eruilia: eſt leguminis ſpecies, a luteo colore, quem medulla refert, nominatur. G. Kleine Erbſen.

OCHTHODES, ſunt vlcera quorum labia calloſa vel verrucoſa ſunt, non maligna tamen, ab ὄχθη ripa, & εἶδος forma.

OCIMASTRVM, eſt herba, & ab ocimo diminutiuum.

OCIMVM, ſeu OCYMVM, penult. corr.

Ocyma præterea, bulbiue linuntur amari. Seren. tit. præs. ſan.

Ocyma comprimite, & grauibus denſate cylindris. Colu- mell. l. 10.

Ocymum, vel BASILICVM, eſt planta, quæ habet caulem denſum, qui ſe in multos ramos lanuginoſos & quadratos diuidit, foliaque parietariæ habet, ſed minora, odoris fortis, aromatici, penetrantis, & grati: flores ſunt verticillati in ſpicas ſatis longas, & in ſummitate ramorum diſperſas congeſti, odoran-

rantes; galea erecta, crenata, longa quadrifida, ſimplex, horizontaliter porrecta: ſuccedit poſtea capſula, quæ ſemina oblonga, nigricantia, & minima includit: radix eſt nigricans, fibroſa, lignoſa, annua. Gr. ὤκιμον, ὤζιμον & ὄκιμον. G. Baſilge.

OCREA, vide *tibia*.

OCTVNX, eſt vnciarum octo pondus.

OCVLARES DENTES, vide *dentes*.

OCVLISTA, eſt medicus, qui in curandis oculorum affectibus, tum per remedia chirurgica, tum pharmaceutica peritus eſt. G. Ein Oculiſt.

OCVLVS, eſt organum viſus externum; componitur ex muſculis ſex, quatuor nempe rectis, duobus transuerſis, quibus in brutis ſeptimus additur. Tunicas habet varias, adnatam, innominatam, corneam, vueam, Ruyſchianam, retiformem, cryſtallinam & vitream. Humores tres, aqueum, cryſtallinum & vitreum. Habet item neruum opticum, & pupillam. G. Das Auge.

OCVLI, ſunt etiam florum prodromi, inque flores & folia explicabiles: Quæ etiam *gemmæ* dicuntur. G. Rebaug, Trageknoſpe.

ODAXISMVS, eſt gingiuarum pruritus, quando dentes infantibus erumpunt, ab ὀδάξω prurio. Vide *dentitio*.

ODONTAGRA, eſt inſtrumentum, quo dentes euelluntur. Vide *forfex*. G. ein Zahnzange, Pellican.

ODONTALGIA, ſiue DENTIVM DOLOR, vnus eſt ex maximis doloribus, ſiue fit in vno dente, ſiue in pluribus, ſiue continuus, ſiue periodicus. Principio hic dolor ſolus eſt, deinde accedunt plerumque gingiuarum tumor, & non raro inflammatio aut abſceſſus: tumor vero ſæpe exterius genas, aut maxillam inferiorem viſibiliter inflat, adeoque impedit maſticationem, & deglutitionem. Sed caries dentium denique ex diuturno aut ſæpius repetito dolore conſequitur, ita vt dens vel pars eius excidat, aut variis ſinubus, iisque mire contortis, perforetur, quos ſi aer frigidus ſubit, ingens ilico dolor ſuſcitatur. Cum tumor apparet, plerumque dolor ſolet minui, & euaneſcere. Ex ὀδὲς dens, & ἀλγέω doleo. G. Zahnwehe.

ODONTIASIS, idem quod *dentitio, odontophyia*.

ODONTICA, ſunt medicamenta, quæ aduerſus dolores dentium adhibentur, ab ὀδὲς dens: vocantur & *odontalgica*. Mittel gegen Zahnwehe.

ODONTOIDES, quod denti ſimile eſt; vt dens ſecundæ vertebræ & aliorum oſſium, ex ὀδὰς dens, & εἶδ☉ forma. G. Das den Zähnen gleich iſt.

ODONTOLITHOS, eſt petroſus ille tartarus dentibus accreſcens, ex ὀδὰς dens & λίϑ☉ lapis. G. Kalck der Zähne.

ODONTOPHYIA, idem quod *dentitio*, ſiue dentium eruptio, ex ὀδὰς dens, & φύω creſco. Vide *dentitio*.

ODONTOTRIMMA, ex ὀδὰς dens & τρίζω tero. Idem quod *dentifricium*. G. Zahnpulver.

ODORAMENTVM, eſt medicamentum odoris gratia adhibendum; componitur ex *ladano*, *ſtyrace*, *benzoin*, *moſcho*, *zibeto*, aliisque aromatis. Gr. Ἄρωμα & Ὀσφρητὸν. G. Lieblicher Geruch, Rauchwerck.

ODORATVS; ſiue OLFACTVS, Gr. Ὄσφρησις, eſt ſenſus, quo ex motu & irritatione neruorum, naſi membranis inſertorum, per effluuia odorifera ideæ quædam ſenſorio communi offeruntur & repræſentantur. G. Der Geruch.

ODORIFERVM, idem quod *odoramentum*.

OECONOMIA, eſt quidem rei familiaris diſpenſatio, ſed & adminiſtratio quædam circa ægrorum diſpenſationem. Item, ſuccorum in corpore noſtro diſtributio *œconomia animalis* appellatur, ex οἶκ☉ domus, & νέμω diſtribuo. G. Haushaltung.

OEDEMA, Barb. *vndimia*, ab *Hippocrate* nonnunquam late ſumitur pro omni tumore præter ſanitatem excitato, ſtricte vero pro tumore a pituita ſiue viſcido humore genito, quando eiusmodi humor alicubi, fere ſemper in folliculis panniculi adipoſi, ſtagnat, albus eſt, mollis & indolens, ſine pulſatione, & digitis facile cedens. Sed ſi ſymptomata alterius indolis accedunt, vt pulſus, vel calor vel color ſenſibilis, vel intumeſcentia, vel dolor, vel aliud quid, dicitur *œdema phlegmonodes*, *eryſipelatodes*, *ſcirrhodes* &c. ab οἰδέω inflatus ſum, tumeo. G. ein wäſſeriger Geſchwulſt.

OENANTHE, eſt planta, quæ habet primo folia ampla, repentia, & petroſelino ſimilia, deinde peucedanum referunt, intra hæc aſſurgunt plures caules, duos circiter pedes alti, anguloſi, ramoſi, ſtriati, cæruleſcentes: flos roſaceus, & vmbellatus, plurimis ſcilicet petalis conſtans inæqualibus, cordiformibus, in orbem poſitis, & calici inſidentibus: is autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum oblongis,

hinc

hinc gibbis & ſtriatis, inde vero planis, in aliquos veluti aculeos deſinentibus, quorum medius cæteris validior: dici volunt ἀπὸ τοῦ οἴνου & ἄνθους a *vino* & *flore*, quaſi flos vinoſus, quod odore & quadantenus colore, ſit viti ſimilis. Malunt alii ſic dictam, quod viti ſimilem florem ferat, vel quod cum vite floreat. Illud nomen imponitur quoque filipendulæ, ſpondylio, iunco odorato &c.

OENELÆVM, eſt vini & olei admixtio, ex οἶνος vinum & ἔλαιον oleum. G. Wein vermiſcht mit Oel.

OENOIDES, eſt vinum dilutum, aut latex vino analogus, ex οἶνος vinum, & εἶδος forma.

OENOGALA, eſt compoſitio ex vino & lacte, ex οἶνος vinum, & γάλα lac.

OENOMELI, eſt mel vinoſum, ſiue mulſum vinoſum, vel mulſum, quod ingreditur vinum, ex οἶνος vinum, & μέλι mel.

OESOPHAGEVS, eſt muſculus œſophagi conſtrictor, ſphincter dictus, ab vtroque latere cartilaginis cricoidis ortus, os œſophagi amplexus, & extrorſum ambiens. G. Muſcul der Speißröhre.

OESOPHAGVS, eſt fiſtula membranacea, a faucibus ad ſtomachum tendens, qua cibus in ore maſticatus & ſaliua mixtus ad ventriculum tranſit: tunicas habet quatuor; *extimam membranaceam*, *ſecundam* muſculoſam ex fibris longitudinalibus, externis, & orbicularibus internis compoſitam. *Tertia* huic ſuccedens eſt vaſculoſa, infinitis numero vaſculis ad glandulas hic ſitas contexta. *Quarta* ſeu *intima* prorſus neruea eſt, quæ intus cuticula villoſa obducitur, & vere pro quarta ſumi poteſt. Ab οἴσω Fut. a φέρω feram, quia omnes cibos verſus ventriculum fert, & φάγω edo, vocatur item *gula*, λαιμὸς, στόμαχος. G. Die Speißröhre, die Kähle.

OESTRVM VENERIS, idem quod *clitoris*, vel nympha, eſt corpus exiguum, teres, rubellum, vuulæ apici non abſimile, ſitum ante foramen vrethræ, vnde nomen νύμφης accepiſſe videtur, apparet deductis vtrimque muliebris ſinus labiis, ſub monte veneris, in alarum ſummitate nidulatum; in diuerſis fæminis diuerſæ magnitudinis iuxta ætatem, tempus, naturam moresque reperitur, plerumque tamen in adultis, bene natis, non libidinoſis extremi articuli infantis digiti magnitudinem æquat; ſitu vero, figura, ſubſtantia, fabrica, erectione, coli virili ſatis exacte reſpondet, quamuis ab eo exilitate,

breuitate, imperforatione imprimis differat, cetera videantur apud anatomicos.

OESYPVM, ſiue lana ſuccida, penult. corr.

Oeſypa quid redolent, quamuis mittantur Athenis,
Demtus ab immundæ vellere ſuccus ouis?

De lana illa ſuccida ita *Serenus:*

Succida lana malos remoratur ſubdita curſus. tit. profl. ſangu.

Oeſypus, vellus ſuccidum *Plin. lib. 29.* exponit ſordes ſudoremque lanis ouium adhærentes. Verſantur itaque non paruo in errore, qui *Oeſypum* interpretantur pro ſcybalis & ſtercoris pilulis ouium lanæ inhœrentibus, ὄισυπος quaſi ὄϊος ῥύπος, ouis ſordes. G. Das Fett von ungewaſchener Wolle.

OFFICINA, medicis eſt alia pharmaceutica, in qua Galeni medicamenta maximé præparantur: alia chymica, in qua eſſentiæ, ex mineralibus, vegetabilibus & animalibus, in varia forma extrahuntur, & dicitur vulgo, *laboratorium* a laborando. Vide *laboratorium.* Et alia eſt *chirurgica*, in qua res ad chirurgiam pertinentes tractantur. Gr. ἐργαςήριον. G. eine Werckſtätte.

OLEA, eſt arbor mediocriter magna, cuius cortex eſt politus, coloris cineritii, lignum ſolidum coloris ſubflaui, ſaporis amari: folia ſunt oblonga, anguſta, ſalicem referentia, acuta, craſſa, dura, carnoſa, in ſuperiori parte viridia aliquantulum, in inferiori albeſcentia, non lanuginoſa, caulibus breuibus adhærentia, ſibi inuicem oppoſita: flos eſt monopetalus, calicem habens, ex quo piſtillum egreditur, vnde fit fructus oblongus, oualis, viridis, carnoſus, ſucculentus, qui fructus oliua dicitur, ſapor eius eſt amarus, acer, acerbus, & ingratus, in ſe includens putamen oſſeum oblongum, quod continet ſemen eiusdem figuræ, hæc arbor creſcit in regionibus calidis, a Gr. ἐλαία, vnde quoque *oliua.* G. Olivenbaum, Oelbaum.

OLEANDER, vide *nerion.*

OLEASTER, eſt olea ſylueſtris.

OLECRANVM, ſiue ANCON, eſt proceſſus maior vlnæ ſiue oſſis cubiti primi. Item ſuprema humeri pars.

OLENE, eſt *cubitus*, ſiue *focile maius.*

OLEVM, Gr. ἔλαιον, eſt pinguedo quædam fluida ex fructibus aut ſeminibus expreſſa, vti eſt oliuæ, palmæ, amygdalorum, raparum &c. vel eſt deſtillata ex rebus pinguibus, vti ex cinamomi cortice, caryophyllis, aniſi ſemine &c. vel eſt compo-

compoſita, vti oleum iaſmini, caſtorei, camomillæ &c. in genere eſt corpus liquidum, id eſt leni calore fluidum, ad ſenſus homogeneum, non tamen ſimpliciſſimum, totum inflammabile, & aquæ non permiſcibile, in reſinæ conſiſtentiam condenſari potens, tumque tenaciſſime adhærens. G. Oel.

OLEVM PETRÆ, vide *petroleum.*

OLEVM TERRÆ, eſt pellucido-rubicundum, odoris fortis petroleum æmulantis, ſed gratioris. Ante paucos annos nobis ex India orientali allatum eſt, vbi ex monte quodam effluere dicitur, ſed eſt oleum ex nuce cocos expreſſum atque terris medicatis commiſtum; id enim quod genuinum eſt, ex India ad nos non affertur, ſed a regulis aſſeruatur, venit quoque ex Bohemia atque ex Barbados. Paratur etiam in Marchiæ Brandenburgicæ oppido Freyenvvalde: Perſarum & orientalium vera Mumia. G. Steinoel.

OLFACTVS, idem quod *odoratus.*

OLIBANVM, *Officinarum*, ſeu *thus*; *Dioſcoridi l. c. 81.* λίβανος; ſic dicitur *Iſidoro l. 17. c. 8.* a Libano monte, vbi copioſe legitur, quanquam de origine vocis alia mens ſit *Voſſio in Etymol.* Quicquid horum fuerit, *Auſonius* eo reſpexit, cum ſcriberet *Idyll. 5. 98.*

Florum ſpirat odor, Libani ſeu montis honor, thus.

Penult. autem corripit non ſolum ob hunc *Auſonii* locum, ſed ob Græci quoque Poetæ authoritatem:

Καὶ σμύρναν, λίβανόν τε πρὸς μαλακὴν ἐπὶ τέφραν
Βάλλε. id eſt,

Et myrrham, & molle thus in ignem projice. Archeſtr. apud *Athen. l. 3. c. 11.*

OLIGOPHOROS, eſt vinum tenue, paucis ſpiritibus gaudens, ex ὀλίγον paucum, & φορέω fero.

OLIGOTROPHIA, eſt paucitas nutrimenti, ex ὀλίγη paucum, & τροφὴ alimentum.

OLIGOTROPHVS, eſt cibus minus nutriens, cui opponitur polytrophus.

OLIVA, eſt oleæ fructus. G. Oliven.

OLOSTEVM, vide *holoſteum.*

OLVS, ab alendo dicitur, quod oleribus alerentur homines, antequam fruges repertæ eſſent. Vide *lachanum.*

OLVS ATRVM, vide *hippoſelinum.*

OLYRA, eſt frumenti ſpecies, affinis zeæ. Gr. ὄλυρα.

OMASVM, vide *abomaſum.*

OMENTVM, RETICVLVM, ſiue inteſtinorum operimentum, eſt membrana duplicata, intus caua, verum ſacculum formans, inteſtinis inſtrata, pinguedine & vaſis ſanguineis copioſe ad inſtar retis piſcarii intertexta, glandulis quoque duabus aut tribus dotata, ventriculo, colo, & pancreati annexa, vt inteſtina calore ſuo foueat, tum hæcce pinguedine ſubtiliſſima, vna cum vapore rorido ex tenuiſſimis vaſculis exhalante, illiniat, ne vel areſcerent, vel motu periſtaltico attererentur, vel cum inuicem concreſcerent; habet quædam vaſa lymphatica, item ductus & ſacculos adipoſos perplures, in quibus adipem colligit pro tempore, & aliquando in maxima copia, quam tamen quoque effundere creditur per ductus paruos in venas ſanguineas verſus hepar tendentes, vt vna cum ſanguine mixta inſeruiat generationi bilis. Gr. ἐπίπλοον. G. Das Netz.

OMOGRA, eſt dolor arthriticus humerum afficiens, ex ὦμος humerus & ἀγρεύω capio, quaſi humeri captio. G. Der Schulterfluß.

OMOPLATA, male HOMOPLATA, Lat. *ſcapula*, eſt os latum & tenue, non tam ad coſtarum dorſalium tutelam, quibus ſcuti inſtar incumbit, quam clauiculæ, & præcipue humeri, tutam articulationem comparatum. Figura triangulum exhibet, longiore latere in baſin porrectum. Angulum habet ſuperiorem & inferiorem; intus concauum, extus, gibbum: proceſſus obtinet tres; nempe *ſpinam*, *carocoidem* & *breuem*, ex ὦμος humerus & πλατὺς, latus. G. Schulterbein, das Schulterblatt.

OMPHACIVM, penult. corripit. quia *Dioſcoridi l. 5. c. 6.* ὀμφάκιον ſine ſuſpicione diphthongi, ab ὄμφαξ, ακος, ἡ, vua immatura, cuius etiam penult. corripitur. Omphacium, eſt ſuccus ex vuis immaturis expreſſus, *agreſta* officinis dicitur. G. Agreſt. Item eſt oleum ex immaturis oliuis preſſum.

OMPHALOCARPOS, APARINE, vocatur ab vmbilici nempe ſimilitudine, quam ſemen eius refert, ex ὄμφαλος vmbilicus, & καρπός fructus.

OMPHALOCELE, eſt hernia vmbilicalis: quando nempe omentum, vel inteſtina circa vmbilicum protuberant: quod fit relaxatione vel ruptione peritonæi; illud enim hic, ob regreſſum vaſorum vmbilicalium, eſt ſimplex, veluti quoque eſt in exitu vaſorum ſpermaticorum, verum cæteroquin vbique in abdomine eſt duplex, adeoque viribus prementibus inteſtina inæquali reſiſtentia contranititur, nempe hic loci minor ob ſimplicem

plicem lamellam, quare cedit: contingit hoc herniæ genus plerumque in mulieribus pinguiſſimis, laxiſſimæ ſtructuræ & ætatis ſeneſcentis; rarius in viris, ſed & his pariter pinguiſſimis & laxis; ſi macilentis contingat, a cauſa violenta externa fuit inductum, alias nunquam: itidem euenit in laxis infantibus; ex ὀμφαλὸς vmbilicus, & κήλη tumor. G. ein Nabelbruch.

OMPHALOS, vide *vmbilicus*.

ONOBRYCHIS, eſt leguminis ſpecies: ſiue planta, quæ habet caules rubicundos, repentes: folia galegam referentia, ſed minora, in parte ſuperiori viridia, in inferiori alba & villoſa, acuta, bina coſtæ adhærentia: flores denſe ſpicati, ex alis foliorum erumpentes, leguminoſi; rubicundi, raro albi, flori ſuccedit ſiliqua breuis, criſtata, vel echinata, ſubrotunda, fœta ſemine reniformi: radix longa, mediocriter craſſa, extus nigra, intus alba; hæc planta creſcit in pratis, dictam volunt ab aſini rugitu, quod eam depaſti fremant aſini: ob ὄνος aſinus, & βρύχω frendo, ſtrideo. G. Kerſtwurtz.

ONONIS, vel *anonis*, penult. prod. quia *Dioſcoridi l. 3. c. 12.*

ἀνωνὶς, & ὠνωνὶς: *Galeno* ἄνωνις & ὄνωνὶς, ἰδος.

Ἄλλοτε δ' ὑσσωπός τε, καὶ ἡ πολύγωνος ὄνωνις. *Nicand. in Theriac.*

Ononis, vide *anonis*.

ONYX, vide *vnguis*. Onyx dicitur etiam alabaſtrum.

OPERATIO, Gr. ἐργασία, ἐνέργεια, eſt labor non tantum chirurgis familiaris, vt operationes circa lithotomiam, herniam &c. Sed & chymicis, qui ſuos proceſſus etiam *operationes* nuncupant. Ita medicamentorum in corpore noſtro effecta appellantur a medicis operationes. Ita & pharmacopœi ſuas habent operationes. G. Wirckung.

OPHIASIS, eſt capillorum morbus, quo extenuati hinc inde ſpatiis intermiſſis, macularum ſerpentis inſtar, decidunt, ab ὄφις ſerpens. Vide *Alopecia*.

OPHIOGLOSSVM, ſiue LINGVA SERPENTINA, eſt herba quædam cum excreſcentia longa, linguæ ſerpentinæ æmula: planta hæc habet folia betæ minimæ, ſed craſſiora, recta, polita, carnoſa, & anguſta, aliquando ampla & rotunda; ſaporis viſcoſi & dulcis: caret hæc planta floribus, ſed ex alis caulis erumpit fructus figura linguæ compreſſæ; in plures cellulas bino ordine per longitudinem diuiſus, quibus ſponte diſruptis vtrinque denticulatus fit: hæ cellulæ includunt puluiſculum minimum: radix eſt fibroſa, cre-

ſcit in pratis & locis humidis, ex ὄφις ſerpens, & γλῶσσα lingua. G. Natterzünglein.

OPHIOSCORODON, ſiue allium anguinum, eſt allii ſpecies, cuius caulis obſcure rubicundis ſeu nigris maculis commaculatur, vel eſt alia allii ſpecies, cuius caput cum ſuprema caulis parte ſerpentis in modum contorquetur, ex ὄφις anguis, & σκόροδον allium. G. Langlauch, Waldknoblauch.

OPHITES, eſt marmor inſtar porphyritæ duriſſimum, colore viridi ſaturato, dilutis eiusdem coloris maculis quaſi aſperſum. Sed & alium conſtituunt colore cinereo, & eadem duritie, nec non & nigriuſculis maculis variegatum, & hunc mollitie alabaſtritæ. Veteres ophitæ genera fecerunt, *nigricans durum*, *cinereum punctis diſtinctum*, lineis quibusdam candidis interſtinctum, candidum, molle. Hinc apparet veterum ophitem a noſtratibus eſſe diuerſum. Foditur noſter in locis variis Italiæ, Germaniæ, verbi gratia in Miſnia, quod tamen, ob mollitiem, rectius alabaſtris accenſetur, diciturque *Zeblicium*. Gr. ὀφίτης. Lat. ſerpentinus. G. Serpentinſtein.

OPHRIS, eſt planta, quæ habet caulem rotundum; folia ſunt plantaginis latifoliæ foliis ſimilia, duo in qualibet planta, quandoque tria, ſibi inuicem oppoſita, altero ex alterius ſinu prodeunte, ſaporis viſcidi & quodammodo dulcis: flos eſt polypelalus, anomalus, ſex petalis ſcilicet diſſimilibus conſtans, quorum quinque ſuperiora ita diſponuntur, vt galeam quodammodo æmulentur, inferiori capitato & quaſi anthropomorpho: calix autem abit deinde in fructum ſeu vtriculum tribus feneſtris peruium, quibus adhæreſcunt valuæ, ſeminibus fœtæ minutiſſimis inſtar ſcobis, eſt *Bifolium*. *Ophrys*, ſignificat ſupercilium, an a duobus ſuperciliis, *Bifolium* appellatum? ſumitur tam pro orchidis ſpecie, binis gaudente foliis, quam pro lunaria quadam.

OPHTHALMIA, quam *Celſus* lippitudinem vocat, eſt tunicarum oculi inflammatio, cum dolore analogo ac ſi ſpina eſſet oculo infixa, cumque copioſis & feruentibus lacrymis in initio, ſed quæ ſucceſſiue craſſiores factæ in lippam mutantur, album oculi tumet valde, & vaſis ſanguineis ſcatet, ὀφθαλμὸς oculus. G. Das Augenwehe.

OPHTHALMICA, ſunt medicamenta aduerſus oculi mala. G. Mittel gegen Augenwehe.

OPIATA & OPIATVM, ſiue electuarium, medicamentum internum eſt, quod conſiſtentia *theriacæ* vel *mithridatio* ſimile, ex variis rebus melle vel ſyrupo exceptis, in plu-

res

res doſes eſt concinnatum. Generaliter ſumitur pro omni electuario, ſed ſpecialiter pro iis tantum, quæ opium, a quo denominatio, recipiunt, vti pro *theriaca*, *mithridatio*, *diaſcordio*, *philonio*, *requie Nicolai* &c. G. ein Opiat, Latwerge.

OPISTHOTONVS, eſt tetanus ſiue tenſio aut conuulſio ceruicis & ſpinæ verſus poſteriora, contractis ſurſum pedibus, cum rigore aliquandiu perſeuerante, ex ὄπισθεν atergo, pone, & τείνω tendo. G. Der Krampff, der einen hinterwerts zeucht.

OPIVM, penult. corripit:

Irin, Caſtoreum, ſcillamque, opium & panaceam. Vindician. v.52.

Sunt qui opii ac meconii nomen confundunt, & duo pro vno eodemque habent; ſed male. *Opium* enim lachryma eſt, quæ ſtillauit ex capitibus papaueris, dum matureſcebant, leuiter inciſis. *Meconium* contra ſuccus eſt ex iisdem expreſſus. Eſtque triplex: *album* adfertur ex Cairo, quod & forte *Thebaicum* vocatur & *Meſri*. *Nigrum* & durum venit ex Aden. Tertium flaueſcens magis & mollius, ex Cambaia & Decan mittitur. Turcæ ex albo colligunt papaucre. *Opium* quod in Europa diuenditur nigrum eſt, amarum & graueolens, forſan nihil aliud erit quam *Meconium*, quod Iauanenſes *Pouſt* vocant, & eo vtuntur infimæ ſortis homines: ſed quod ex ipſis capitibus ſtillat, *Affion* dicitur & a ditioribus tantum vſurpatur, & in deliciis habent; præſertim ſi eo vti aſſueuerint. Alias paucula grana ad ſoporem concitandum ſufficiunt, ideo frigidum non eſt, ſed ob penetrandi vim, *calidum*. Gr. Ὀπός. G. Magſamen Saft.

OPOBALSAMVM, vide *balſamum*.

OPLOCHRISMA, vide *hoplochriſma*.

OPODELDOCH, nomen eſt alicuius emplaſtri vulnera & vlcera ſanantis: iſtius deſcriptiones inueniuntur apud *Paracelſum*, aliosque authores. Nomen eſt fictitium, nihil ſignificans: ſpecies eſt emplaſtri ſtictici. Ideoque etiam ſonat. G. Stichpflaſter.

OPOPANAX, acis, penult. corr. quia a panax, acis.

Exſpirant acrem panaces, abſinthia tetra. Lucret. l. 4.

Ambroſiæ ſuccos, & odoriferam panaceam. Virg. Æn. 12.

Vindicianus quidem *pa* etiam auſus fuit producere, (de quo vide *Pompholyx*) ſed perperam, niſi quod metri neceſſitate tan-

tantillum excuſetur. Opopanax, eſt gummeus ſuccus ex herbæ panacis heraclei radicibus & caulibus ſauciatis ſtillans, ac concreſcens; primo eſt albidi coloris, ſed poſt ſiccationem flauum & quaſi croceum acquirit colorem; ordor eſt grauis, ſapor amarus, friabilis eſt, intus albeſcit, & granulatim ſæpe inuicem adhæret.

OPPILATIO, idem quod *Obſtructio*.

OPPRESSIO, dicitur de cordis & præcordiorum anxietate in febribus ardentibus, ob ſanguinis liberum transfluxum impeditum oriunda.

OPTICVS NERVVS, ſiue viſorius, qui in fundo oculi explicitus & *retina* dictus, excipit radios lucis, hincque rerum ſupra retina depictarum ideæ in cerebro ad ſenſorium commune deferuntur; vtriusque nerui origo ex thalamis neruorum opticorum prouenit, poſtea hi nerui coeunt, & cranium egreſſuri ab inuicem ſeiunguntur. Ab ὄπτομαι, video. *Optica* ſunt medicamenta, quæ aduerſus oculorum affectus valent.

OPVNTIA, planta eſt ad altitudinem magnæ arbuſculæ creſcens: folia ſunt magna, longa, craſſa, viridia, dura, tuberculis ſpinoſis inſtructa, ſucco plena, viſcoſa, neruoſa: flores ſunt roſacei, flaui, aut rubri; petalis plurimis in orbem poſitis conſtantes, innati apici ouarii, numeroſiſſimis ſtaminibus præditi: ouarium, cuius apex in ambitu ſpeciem caliculi refert, fit fructus carnoſus, vmbilicatus, vnicapſularis, excauatus, continens pulpam medulloſam, rubram, ſaporem dulcem habens, fœtus ſeminibus annulatis, ſaporis non ingrati. Ab vrbe Opunte nomen habet: eſtque fici Indici ſpecies. G. Indianiſche Feigen.

ORBICVLARE OSSICVLVM, eſt auris internæ paruum, rotundumque oſſiculum, incudis proceſſui adnatum, quod articulatur cum ſtapede.

ORBICVLARIS, ſiue CREPITVS LVPI, eſt fungi ſpecies, ſunt vel rotundi, vel ſemirotundi, ſed incertæ magnitudinis. Naſcuntur in campis deſertis; nullum habentes pediculum, intus ſpongioſi ſunt, & ſi recentes fuerint, aquam continent: ſiccati vero ſpongioſam, & puluerulentam continent materiam inſtar ochræ ſubnigræ. Extus pellicula obducuntur eiusdem fere coloris: vtuntur chirurgi in ſanguine ſiſtendo. G. Boviſt.

ORBITA OCVLI, eſt antrum ſiue cauitas, e proceſſibus oſſis frontis ad canthos oculi protenſis, & oſſe maxillæ ſuperioris illis coniuncto conſtans, oculi bulbum excipiens.

OR-

ORCHIS, eſt planta, quæ habet folia ex radice erumpentia, ſimplicia liliaceis ſimilia: caulis eſt rotundus: finis pedunculi exit in ouarium oblongum, triloculare, triualue, tribus feneſtris peruium, continens puluerulenta ſeminula: flos inſidet apici ouarii, mirabilis ſtructuræ, hexapetalus, vix deſcribendus: radix rotunda, carnoſa, tuberoſa carnoſa, aliquando palmata, ſucculenta, albida, viſcoſa, ſubdulcis, odoris ſeminalis: hæc planta creſcit in locis humidis. Eſt *ſatyrion*, Latinis *teſticulus*, ſic dicitur, quod eius radices ex duobus, aut tribus conſtent globulis, quaſi tot teſticulis, qui pro varia forma, varia quoque obtinuere nomina; vt Cynoſorchis, Tragoſorchis, &c. G. Knabenkraut, Stendelwurtz.

ORCHIS, eſt teſticulus; vide *teſtes*.

ORCHOTOMIA, eſt teſticuli exciſio. Vide *Orchotomus*.

ORCHOTOMVS, eſt, qui teſticulos exſcindit, qua operatione animalia caſtrantur, ne cum aliis coeant, inde *orchotomia*, ſiue teſticulorum exciſio, ex ὄρχις teſticulus, & τέμνω ſeco.

ORDEOLVM, barbaris idem quod *crithe* & *hordeolum*.

OREOSELINVM, eſt apium ſeu ſelinum montanum, ex ὄρος mons & ſelinum, vulgo *petroſelinum*.

OREXIS, eſt ordinarius cibi appetitus: is oritur a fermento, tum a liquore gaſtrico ab arteriis cœliacis ventriculo inſpirato, & laterum ventriculi mutuo contactu ob reſpirationem, quo tunica neruoſa, eiusque neruі inordinatius mouentur, ad alimentum idoneum appetendum, ab ὀρέγομαι cupio. G. Hunger, Begierd zu Eſſen, Luſt zur Speiß.

ORGANICA PARS, eſt, quæ ex variis partibus, quarum natura & efficacia diuerſa eſt, conſtat, vti muſculus conſtat ex carne, membranis, tendinibus, variisque vaſis &c. ei opponitur *ſimilaris pars*, de qua ſuo loco. G. Ein zuſammengeſetzter Theil.

ORGANVM, eſt pars, quæ ad ſui conſtitutionem, actionesque perficiendas, rectam & determinatam, ſenſibilemque conformationem requirit, vt brachium, muſculus, cor, &c. G. Werckzeug.

ORGASMVS, eſt impetus, incitatio & turgeſcentia ſanguinis vel ſpirituum, vt ſi quando ſpiritus animales cum impetu

in

in neruorum genus ruunt, ab ὀργάζω. G. Schnelle Treibung, Aufwallung.

ORICHALCVM, vide *aurichalcum.*

ORIGANVM, *Dioſcoridi l. 3. c. 32. & 34.* ὀρίγανος, penult. corrip.

Cumque hoc abſumi debebit origanus herba. Seren. tit ict. ſcorp.

Euſtathius deriuat ab ὄρος & γάνος, quaſi ſit montium ſplendor, & lætitia. Sed & γάνος penult. corr.

Καὶ κόρυθες, καὶ θώρηκες λαμπρὸν γανόωντες. *Homer. il. ν.*
Ψῆγμα πολύκνημον, καὶ ὀρέγανον ἢ ἀπὸ κικόρπε.
Ἤπατος. - - - - - *Nicand. in Theriac.*

Origanum, *cunila* appellatur *Plinio lib. 20. cap. 16.* cuius penult. cum vulgo exiſtimetur corripi, producitur manifeſte *Nicandro in Theriacis:*

Κόρκορον ἠμυόεντα, πανάκτειόν τε κονίλην,
Ἣν δὲ καὶ ἡράκλειον ὀρέγανον αὖά τε θύμβρης.

Origanum eſt planta, quæ habet caulem durum quadratum, villoſum; folia maiora calamintham referunt, minima maioranam, villoſa ſunt, odorata, ſaporis aromatici acris: flores in ſpicas ſquammoſas congeruntur, monopetali, labiati, horum labium ſuperius ſurrectum eſt, ſubrotundum, bifidum, inferius vero tripartitum: ex calice ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti adinſtar claui infixum, ac veluti quatuor embryonibus ſtipatum, qui abeunt in totidem ſemina ſubrotunda, minima, in capſula, quæ floris calix fuit, recondita: radix eſt fibroſa, minima, lignoſa: creſcit in montibus: planta hæc Hippocrati maxime fuit commendata in morbis vbi calefaciendum, diſſoluendum, & ſtimulandum. G. Doſten.

ORNAMENTVM FOLIACEVM, extremitas tubæ Fallopianæ vteri muliebris fimbriata eſt, eum in modum comparata, vt quaſi tot digitis, ouum ex ouario prodiens melius comprehenderetur.

ORNITHOGALVM, eſt planta, quæ habet folia longa, anguſta vt graminis, mollia, repentia, excauata, lineam albam in longitudinem habentia; caulis eſt rotundus, nudus, tener: finis pedunculi ex caule membranula eſt longa, tenuis: flos eſt liliaceus, ex petalis ſex in orbem poſitis compoſitus, quorum ſingulis intus ad ſuperiora adnaſcitur ſtamen. Ouarium tuba longa, apice ſphærico inſtructa donatum fit, fructus ſubrotundus, fœtus ſeminibus ſubrotundis, nigris: radix bulboſa aut tuberoſa, bulbus eſt fere vt in narciſſo, ſeu vt in porro,

porro, ita vt totus habitus ad porrum accedat. G. Feldzwiebel.

ORNITHOPODIVM, eſt planta, quæ habet plures caules flexiles, debiles, ramoſos, fere repentes, rotundos, villoſos: folia coluteæ foliis minora, ſibi inuicem oppoſita, & iuxta vnam coſtam diſpoſita: flores ſunt exigui, leguminoſi, in ſpicas in ſummitate ramorum congeſti: flori ſuccedit ſiliqua oblonga, articulata, ſulcata, vndulata, ſingulo quoque articulo continens ſemen vnum, rotundum; ſiliquæ vero ad vnum pedunculum, & eundem exortum creſcunt multæ ſimul: radix eſt parua, & alba: hæc planta creſcit in pratis. Ornithopodium eſt auis pes, ſic dicitur quod eius ſiliquæ pedem auis, cum ſuis digitis & articulis, referant, ex ὄρνις auis & πῦς pes. G. Vogelfuß.

ORNVS, eſt fraxinus ſylueſtris. G. Wilder Eſchenbaum.

OROBANCHE, eſt planta orobum, aliaque legumina ſtrangulans, ab *orobus* & ἄγχω, ſtrangulo; vocatur etiam *Limodoron:* habet caulem rectum, cylindricum, aut rotundum, fiſtuloſum, fragilem, pallidum, villoſum; folia non habet, niſi in principio quædam, exigua, anguſta, ſpongioſa, cito cadentia: flores iuxta ſummitatem caulium naſcuntur, a ſe inuicem diſtantes, villoſi, coloris purpurei, pallidi, flaui aut viridis, odorantes, poſt florem apparet fructus oblongus, per maturitatem dehiſcens in duas valuas, fœtus ſeminibus minutiſſimis, & albeſcentibus: radix eſt bulboſa, obrotunda, ſquammoſa, pollicis craſſitie, extus nigra, intus albeſcens, aut flaueſcens, tenera, ſuccum viſcoſum amarum habens, per ſiccitatem fit adeo dura ac os: creſcit plerumque in locis arenoſis.

OROBOIDES, eſt hypoſtaſis ſiue vrinarum ſubſidentia, eruis aut orobis ſimilis, ex ὄροβος eruum & εἶδος forma.

OROBVS, penult. corr. quia *Dioſcoridi l.* 2. *c.* 131. ὄροβος. Orobus eſt leguminis ſpecies: habens caules exiguos repentes: folia ſunt oblonga, bina coniugata, adnata coſtæ in mucronem abeunti: flores in ſpicas congeſti ſunt leguminoſi, coloris purpurei aut albi: flori ſuccedit ſiliqua teres, obrotunda; nigra, erecta, fœta ſeminibus ſubrotundis, anguloſis, ouatis, fuſcis; ſaporis paululum amaricantis & ingrati: creſcit hæc planta in ſyluis.

ORTHOPNOEA, eſt ſpecies aſthmatis, ſiue vitiata reſpiratio, qua ægri, ne ſuffocentur, non niſi ceruice erecta

cta reſpirare poſſunt, ex ὀρθὴ recta, & πνοὴ flatus, ſpiritus, ſpiratio.

ORVIETANVM, ſubaudi *electuarium*, dicitur ab inuentore circumforaneo ex vrbe Oruieto, cui nomen fuit *Hieronymus Ferrantes*, qui fiducia eius primus auſus fuit publico foro deglutire ignotum ſibi quodlibet toxicum. Vulgo vocatur Orvietan.

ORYZA, planta eſt culmifera, cuius ſemen in vſu domeſtico familiare, album, oblongum inſtar tritici, in Aſiæ multisque Europæ locis creſcens; habetque caulem tritico craſſiorem, per interualla nodoſum: folia longa, carnoſa, porrum referentia. G. Reiß.

OS, Gr. ὀστέον, eſt ſubſtantia totius corporis animalis duriſſima, compactiſſima, ſicciſſima, alba, ex variis membranis lamellatim ſibi incumbentibus, & firmiter ſibi applicatis, perreptantibus mediis vaſis contexta, vt ſit corporis ſtabilimentum, eiusque motum facilem reddat & in munimentum quibusdam partibus ſe præbeat, deſtinata. G. ein Bein. Os etiam eſt primus alimenti introitus, qui duobus clauditur labiis. Gr. στόμα. G. Der Mund, das Maul.

OSCITATIO, eſt expanſio omnium fere muſculorum voluntariorum ſimul, maxime autem maxillarium, & explicatio ampla pulmonis, vnde quam plurimum aeris lente & ſenſim inſpiratur, qui aliquamdiu retinetur, & rarefactus iterum lente & ſenſim exſpiratur. Hæc febrium ordinarium ſymptoma eſt, ſub initio incidens; attamen & alibi euenit, & iis quoque, qui ſani vtcunque habentur: ſæpe, dum e lecto ſurgimus, oſcitatione aliqua afficimur, maxime ſi ſomno non ſumus expleti, aut quando pleno ſtomacho dormiuimus; imo adeo frequens omnibus eſt oſcitatio, adeoque ei aſſueuimus, vt merito dictum ſit, *oſcitante vno, oſcitat & alter*. Gr. χάσμη, & χάσμημα. G. Das Gähnen.

OSCVLA, ſunt extremæ vaſorum aperturæ.

OSCVLVM VTERI, eſt illud foramen partis inferioris vteri, per quod ſemen ex pene virili eiectum intrat in vterum; ordinarie tam exiguum eſt, vt ſtylum tenuiorem ſolummodo excipiat, & nullo conatu vel minimus digitus in eam intrudi poſſit, ex eo etiam menſtrua fluunt. Prominet in vaginæ capacitate, tincæ piſcis ori, aut vt *Galenus* mauult, glandi virili perſimile; rimam habet transuerſam; in virginibus oſculum illud exiguum, aſt in mulieribus quæ ſæpe pepererunt, maius

maius euadit; ſi nimium laxetur, vel exulceretur, cicatrice obducatur, vel humidum nimis fiat, ſterilitas ſequitur. G. Der Mund der Mutter.

OSMVNDA, eſt filicis ſpecies, quæ dicitur *regalis*, *paluſtris*, *aquatilis*, *florida* &c. habet caulem viridem, ſtriatum, ramoſum, ſe in latum extendentem: folia ſunt ampla, ſatis anguſta, parua, diſpoſita ſupra vnam coſtam in vnum foliolum terminatam; ſummitas caulis ſe in multos diuidit, qui ſinguli rami ſuſtinent multos racemos fructus minimos habentes, quorum fructuum ſtructura non examinari poteſt niſi microſcopii ope; ſinguli racemi habent capſulas membranaceas ſphæricas, quæ in duas partes apertæ fundunt ſemina quædam oblonga: hæc planta nullos gerit flores: radix eſt nigra, & longa; creſcit in locis aquoſis & humidis. G. Waſſerfarn, Wantzenkraut.

OS SEPIÆ, piſcis ſepiæ os candidum eſt, oblongum, anguſtum, compreſſum, ſuperna ſuperficie durum & læue, inferiori autem fungoſa quaſi medulla eiusdem coloris repletum. Gr. σήπιον, quia intra veſiculam in corpore liquor ater, ac ſi eſſet putridus, reperitur, nam σήπειν ſignificat putreſcere. G. Weiß Fiſchbein.

OSTAGRA, eſt *volſella* ſeu forceps, qua oſſa eximuntur. Item eſt inſtrumentum chirurgicum, quo oſſa vel attolluntur, vel deprimuntur, vel omnino loco mouentur, ex ὀςέον os, & ἀγρεύω capio.

OSTEOCOLLA, eſt lapis albo cinereoue colore oſſis, que figuram æmulans. Naſcitur in Palatinatu, Saxonia, Sileſia &c. creſcit per arenam forma corallii albi. Putant hoc remedio oſſa cito conglutinari, & callo obduci, ſi intus ſumatur, & emplaſtris admiſceatur. G. Beinbruch, Bruchſtein.

OSTEOGENICA; vel *callum generantia* medicamenta dicuntur, quæ in oſſibus impedimenta tollunt, quorum virtute impediebatur, ne humor in iis concreſceret.

OSTEOLOGIA, eſt de oſſibus enarratio ſeu deſcriptio, ex ὀςέον os, & λέγω narro. G. Beſchreibung der Beine.

OSTEON, vide *os*.

OSTEOCOPI, ſunt dolores oſſium, ſiue potius dolores perioſtei aut neruorum, oſſa ſubeuntium: oſſa enim quatenus oſſa non ſentiunt, dicitur & *laſſitudo contundens*, ex ὀςέον os & κόπος labor. G. Schmertzen der Beine.

OSTRVTIVM, ſeu ASTRANTIA, vel MAGISTRANTIA, eſt *imperatoria*, dicitur & *laſerpitium*. G. Meiſterwurtz.

OSYRIS, eſt *linaria*, ſed illud nomen etiam aliis herbis imponitur.

OTALGIA, ſiue aurium dolor, is ſæpe eſt grauiſſimus & lacerans, atque adeo nonnunquam, vt non modo ſomnum omnem impediat, ſed delirium inducat. Iam vt hic dolor non ſit ſine inflammatione, quæ aliquando exterius conſpicua eſt, ita frequenter in abſceſſum tranſit, pure ex auribus fluente: aliquando iſte dolor per vices affligit, & coniunctam habet odontalgiam, imo tinnitum & ſurditatem, ab οὖς auris, & ἀλγέω doleo. G. Ohrenſchmertzen.

OTENCHYTA, ſeu CLYSTER AVRICVLARIVS, eſt ſiphunculus, quo medicamenta auribus immittuntur, ab οὖς auris, & ἐγχέω infundo. G. eine Ohrſpritze.

OTICA, ſunt medicamenta, aduerſus aurium morbos, ab οὖς auris.

OVA, in feminis ſunt ſphærulæ, quæ deprehenduntur in ſuperficie ouariorum ſub membrana cingente, inferne per calicem craſſiuſculum concretæ ipſi ſubſtantiæ ouarii, pellucidæ, humore lymphatico, ad ignem concreſcente, repletæ, binisque membranulis concentricis ſibique inuicem arctiſſime nexis conſtantes; chorio ſcilicet & amnio. Bullulæ vero hæ, calice ſuo hærent finibus minutiſſimis vaſorum ad ouaria euntium, poſt vſum veneris fere tantum apparent, ſenſim tumeſcunt, pedetentim magis pellucent, craſſeſcunt in membranis ſuis, membranam ouarii eleuant, extendunt, in formam papillæ ſic dilatant, vt emineant, a pedunculo ſuo pendeant, inde ſeparentur, cicatricem cauam relinquant in ſubſtantia & membrana effracta ouarii, ſenſim iterum coaleſcentem; tandem & in his bullulis hic loci adhuc hærentibus ouario, fœtus inuenti fuere, vnde nullum eſt dubium, quin in his conceptus fiat, & ſint tantum animalculorum receptacula, vbi nutriuntur, augentur &c. G. ein Ey.

OVARIVM, eſt teſtis muliebris; vtero ad diſtantiam binorum circiter pollicum lateraliter anneƈtuntur per ligamenta valida duo ouaria, quæ eſt ope membranarum aliarum a peritonæo ortarum obuoluta firmantur. Hæc corpora ſunt ſcabra, fere ouata; in ſuperiori tamen parte magis plana quam gibboſa apparent. In horum ſuperficie, ſub membrana cingente reperiuntur ſphærulæ ſiue bullulæ, oua dictæ. Ouariorum

varia

varia magnitudo eſt pro ætatis & temperamenti ratione, etenim in libidinoſis, & ætatis flore conſtitutis plerumque ſesquidrachmam pendent, in vetulis vero exſucca, parua, quaſi corrugata, vix ad ſemidrachmam aſcendunt, nunquam tamen euaneſcunt, infantibus adhuc minora quam in decrepitis. Subſtantia eorum membranoſa eſt, fibroſa, plurimisque intertexta vaſis, ſpermaticis ſcilicet & hypogaſtricis, aliisque ante ingreſſum ſuum hic loci ita vnitis, & cum neruis commiſtis & intricatis, vt fabrica haud deſcribi queat. G. Der Eyerſtock.

OVIDVCTVS, idem quod *tuba fallopiana.*

OVVM, eſt ſpecies doloris capitis, quæ ſentitur magnitudine oui: & ſic a figura, quam ouum occupat, denominationem accepiſſe videtur.

OXALIS, idis: vtrumque penult. corripit:

Ἀρκτιόν, ὀξαλίδας τε, καὶ ὁρμενόεντα λύκαψον Nicand. in Ther.

Pharmacopœi *acetoſam* vocant, penult. longa, vt paludoſus, ſtrumoſus, oneroſus, lapidoſus.

OXELÆVM. eſt mixtio aceti cum oleo, ab ὄξος acetum, & ἔλαιον oleum.

OXYACANTHA, eſt berberis; ſic dicitur ab acidis baccis, & ſpinis, ergo ab ὀξὺ acidum & ἄκανθα. Vide *berberis.*

OXYACANTHA, eſt *ſpina acuta*, ſiue *vallaris*, aut *ſepicularis;* ὀξὺ enim eſt acutum, & ἄκανθα ſpina. G. Hagedorn.

OXYCEDRVS, ſiue acuta cedrus, quod cedri folia in acutam deſinunt aciem, ex ὀξὺ acutum & cedrus.

OXYCRATVM, eſt aceti cum aqua miſtio, puſca vel poſca dictum, ac ὄξος acetum & κεράννυμι miſceo. G. Waſſer und Eßig.

OXYCROCEVM, eſt emplaſtri cuiusdam nomen quod ex croco, aceto, pice aliisque rebus componitur, ex ὄξος acetum & κρόκος crocus. G. Saffranpflaſter.

OXYDORCICA, ſunt medicamenta viſum acuentia, ex ὀξὺ acutum & δέρκω video.

OXYGALA, eſt lac acidum, ex ὀξὺ, & γάλα lac.

OXYLAPATHVM, eſt lapathum acutum, ex ὀξὺ acutum & lapathum. Mengelwurtz, Grindwurtz.

OXYMEL, penult. corr. quod vel ex *orygaro* liquet:

Inter lactucas, orygarumque liber. Martial l. 3. ep. 49.

Oxymel, ex compoſitio in formam ſyrupi, ex aceto & melle, ab ὄξος acetum, & μέλι mel. G. Eſſigmeth.

OXYRRHEGMIA, eſt acidus e ventriculo ructus, ab ὀξὺ acidum, & ἐρεύγω ructo.

OXYRRHODINVM, eſt acetum roſaceum, ab ὄξος acetum, & ῥόδον roſa. G. Roſeneſſig.

OXVS, eſt planta, quæ habet caules longos, flexiles, teneros, rotundos, purpureos aut rubicundos: folia ſunt terna, cordiformia, eidem pedunculo adnaſcentia, mollia, ſucculenta, ſaporis acidiuſculi & grati: flores ſunt campaniformes, monopetali: poſt florem ſequitur fructus membranaceus, quinque locularis, oblongus fœtus ſeminibus rubicundis calyptra elaſtica inuolutis, eiusque vi cum impetu diſſilientibus: radix craſſa, ſquammoſa, fibroſa, alba, aut rubicunda, fibras longas & albas habens: hæc planta habet odorem gratum, ſed non penetrantem *trifolium acetoſum*, *Alleluia*, & *panis cuculi*, vel quod cuculus auis eo veſcatur, vel quia hoc erumpente, cuculus vocem ſuam edere incipiat. *Oxus* vero vocatur ab acido ſapore. Vide *oxytriphyllum*.

OXYSACCHARVM, eſt compoſitio ex aceto, & ſaccharo. Nonnunquam in aceto prius infunditur vitrum antimonii, & tunc dicitur *vomitiuum*; aliquando ſcilla, & appellatur *ſcilliticum*, ex ὄξος acetum, & σακχαρον ſaccharum. G. Eſſigzucker.

OXYTRIPHYLLVM, eſt trifolium acetoſum, ex ὀξὺ acidum, & τριφύλλον trifolium. G. Saurer Klee, Buchampffer.

OZÆNA, eſt vlceratio interioris naris, tetrum odorem ſpirans, oſſicula naſi, & tunicam palati ſerpendo erodens, oriunda ex lue venerea, polypo exulcerato vel catharris acribus: ab ὄζω olfacio. G. Naſengeſchwür.

P.

P. Simplex medicis *pugillum* ſignificat, imo & aliquando *pondo*.

P. Æ. vel PART. ÆQ. denotat *partes æquales*.

P. N. idem eſt quod *præter naturam*

PACHYNTICA, ſunt medicamenta incraſſantia, craſſis ramoſisque partibus prædita, quæ dum ſuccis tenuioribus permi-

miſcentur, partes eorum coniungendo, & inter ſeſe connectendo, craſſiorem & ſtabiliorem conſiſtentiam ipſis tribuunt, vt bolus Armena, amylum, nymphæa, amygdala, papauer, a παχύνω incraſſo. G. Verdickende Mittel.

PÆDARTHROCACE, cariem oſſis ſignificat; eſt ſcorbuti ſymptoma, ex παῖς puer, ἄρθρον membrum & κακὸν malum, nam pueri hoc malo plerumque afficiuntur, verum & adultis quoque accidit, confunditur ſæpe cum *ſpina ventoſa.* Nihil aliud eſt quam caries oſſium, maxime circa puerorum articulos cum dolore obſcuro & apparente tandem articuli tumore coniuncta, orta a materia acri, diſſoluente & corrodente, ab oſſium medulla incipiens, vlterius ſerpendo vlcera ſinuoſa & maligni moris, fiſtulasque in vicinia producit. G. Beinfreſſer.

PÆDOTHROPHICA, eſt pars hygieinæ, ſpectans ad puerorum regimen, ex παῖς puer, τρέφω nutrio.

PÆONIA, *Dioſcoridi l. 3. c. 153.* Παιονία, penult. corripit, vt Pæonia regio:

Ὅς ῥ᾽ ἐκ Παιονίης ἐριβώλακος εἰληλέθει. Homer. Il. ρ.

Pæonia, eſt planta, quæ habet caules rubicundos, in multos ramos diuiſos; folia ampla, polita, ſplendentia in parte ſuperiori lanuginoſa, caulibus rubicundis adhærentia: flores ſunt roſacei, pentapetali, aut polypetali, rubentes, ſaporis fatui, odoris nullius; piſtillum floris abit in fructum multis ſiliquis vniualuulis conſtantem, in inferiori parte coniunctis, in ſuperiori a ſe mutuo ſecedentibus per maturitatem, repletis ſeminibus craſſioribus, oblongis, rotundis, nigris, lucidis, ſub cortice craſſiuſculo, membranaceo, includentibus pulpam, albam, ſaporis ſubdulcis, odoris nullius: radix eſt oblonga, craſſa, tuberoſa, foris fuſca, intus pallida, ſaporis dum recens eſt, ſubacris, cum leni quadam amaritie, odoris nullius. Gr. γλυκυσίδη & παιονίη. Γλυκυσίδη dicta quod grana mali punici acinis ſimilia habere videatur. Nam ſidia mali punici grana nominantur. *Pæonia* ab eius inuentore, medicinæ peritiſſimo, Pæone appellata eſt, qui ea nempe vulneratum Plutonem ab Hercule curaſſe perhibetur. G. Peonie, Pfingſtroſen, Gichtroſen.

PALÆTYRVS, eſt caſeus vetus; ex παλαιὸς vetus, & τυρὸς caſeus.

PALATVM, eſt ſuperior oris pars, inſtar tholi leuiter concauum, vnde & oris cœlum appellatur. conſtans maxima parte oſſe quarto maxillæ ſuperioris, & dein duobus oſſiculis

proprie palati dictis, quæ omnia obuoluuntur membrana craſſa, glanduloſa, rugas verſus poſteriora determinatas habente. Item vocatur ὑπερῷον, οὐρανὸς, οὐρανίσκος. G. Der Gaume.

PALIMPISSA, vide *pix.*

PALINDROME, eſt morbus recidiuus, ex πάλιν iterum & δρόμος curſus.

PALLIATIO, ſiue CVRA PALLIATIVA, eſt therapia, qua morbi incurabiles, quantum fieri poteſt, medicamentis localibus, mitigantur.

PALMA, eſt interior manus pars, *vola* dicta. G. Die flache Hand.

PALMA, Gr. φοῖνιξ, arbor Aſiatica, quam copioſe deſcribit *Kæmpferus*, in *amœn. exot.* G. Dattelbaum.

PALMA CHRISTI, eſt *ricinus*, ſic appellatur, quod ſcilicet eius folia in humanæ manus effigiem articulentur: ideoque etiam *Pentadactylum* vocatur. Vide *ricinus.* Eodem nomine dicitur Satyrion, a ſimilitudine, quam eius radix cum humana habet manu.

PALMARIS MVSCVLVS, venit ab interno humeri oſſis tuberculo, tendineo, gracilique carneorum faſcium cœtu eiectus, tendineus mox vsque in volam atque digitorum limites expanditur: cuti exterior pars, nexu non ſine laceratione ſolubili, cohæret, volamque in rugas contrahit. G. Der flachen Handmuſcul.

PALMITES, dicuntur ſurculi qui e vitibus quotannis prodeunt, ſic nominati quod in modum humanarum palmarum virgulas quaſi digitos edunt.

PALMVS, eſt tremor & palpitatio cordis, a conuulſione aut irritatione neruorum, cuius cauſa in ſanguine vel ſucco neruoſo conſiſtit, vel in aqua pericardii, a πάλλω vibro, quatio. G. Hertzbebung.

PALPEBRÆ, Gr. βλέφαρα, ſunt integumenta bina oculos claudentia & tegentia: conſtant ex cute, membrana celluloſa, ſub qua carnoſa, muſculis, tunica, tarſis & ciliis, ſuntque vel ſuperiores vel inferiores. G. Die Augenlieder.

PALPITATIO, ſeu PVLSATIO CORDIS, eſt motus conuulſiuus, non arteriarum, ſed cordis, nam licet violenter & perturbato motu contrahatur, extendaturque, in carpo vix tamen ſentitur, ſed ægri ipſi id percipiunt, non ſine moleſtia aliquando maxima; ſæpe manu pectori applicata palpitatio dignoſcitur, & cum maxima eſt, ſonitum edit, quem e longinquo audimus,

aut

aut coſtæ diffringuntur, vel ſi oſſa mollia ſint, extrorſum cedunt, & in ipſo vero corde & auriculis, aut altera tantum, vel principio arteriæ ſæpe maxima extenſio, & aneuriſma inducitur. Adhæc palpitatio gradus habet, neque ſemper adeo ferox eſt, vnde per periodos incidit: at motu corporis vel animi perturbatione, æſtu, vino, &c. intenſior fit, quiete vero & ſomno lenior; cum diſpnœa, ſcorbuto, cachexia, chloroſi &c. plerumque iungitur, aut hi cum iſta. Cauſæ ſæpe ſunt cordis obſtructiones a ſanguine coagulato, oſſiculis, polypo, arteriæ initio anguſtato &c. G. Das Hertzklopfen.

PAMPINI, ſunt frondentium vitis muſculorum comæ colliculique fructum fouentes & ab impendente vindicantes iniuria. Hinc pampinare, eſt pampinos ſuperfluos ex vinea detrahere, poſteaquam fronduit.

PAMPINIFORME CORPVS, ſiue VARICOSVM, aut PYRAMIDALE, ſunt arteriæ & venæ ad teſticulos euntes, quæ communi tunica includuntur, & corpus referunt pampinis criſpatis ſimile. Vide *varicoſum corpus*.

PANACEA, eſt medicamentum vniuerſale, omnes morbos indifferenter curans; ſed an detur dubito: de tabaco, tinctura ſolis, tartaro vitriolato, lapide philoſophico, plurima plurimi iactant, ex πᾶν omne, & ἀκέομαι ſano, medeor. G. eine allgemeine Artzeney, Panacee.

PANARITIVM, idem quod *paronychia*.

PANATELLA & PANATA, eſt pultis genus, ægrotis vtile, ex medulla panis triticei vel ſecalini cum aqua in pultis formam, coctum. Melioris nutritionis gratia oua interdum admiſcent. Sæpe ſemina melonum adduntur, vt magis ſit refrigerans, a pane nomen ſumpſiſſe videtur. Italica vox eſt. G. Brodtmus.

PANAX, & PANACES, eſt planta paſtinacæ latifoliæ ſpecies, cuius radix benignum præbet nutrimentum, dicitur ἀπὸ τȢ πᾶν ἀκεῖν, hoc eſt, a ſanandis omnibus morbis.

PANCHYMAGOGA, ſunt medicamenta purgantia, quæ dicuntur vim habere, omnes humores vitiatos e corpore educendi; ſed an tale detur, dubitandum, ex πᾶν omne, χυμὸς ſuccus, humor, & ἄγω duco.

PANCRATIVM, dictum videtur, a profligandis & vincendis morbis omnibus, ex πᾶν omne, & κρατέω vinco. Eſt etiam exercitationis ſpecies.

PANCREAS, vide *callicreas*.

PANDALEA, vox obſcuræ originis & apud nos parum vſitata. Pandaleon a rotulis, morſulisue non niſi forma differt.

PANDEMIVS, ſiue morbus communis eſt morbus qui in vna regione plures ſimul inuadit, ex πᾶς omnis, totus, & δῆμος populus. G. eine allgemeine Kranckheit, eine Seuche.

PANDICVLATIO, Gr. σκορδινιασμὸς, σκορδίνημα, eſt conuulſio brachiorum in altum ſublatorum ſub certa figura, ac nonnihil verſus lumbos contractorum, vnde etiam ipſi lumbi nonnihil conuelluntur, inflexo, & ad latus alterutrum, commoto corpore, imo etiam collo, vt facies quoque ad latus ſpectet, caputque verſus dorſum inclinetur: verum in pandiculatione conuulſio non eſt diuturna, ſed cum lenta, tum breuis: atqui plus, quam rigor ſolitam corporis figuram afficit, qua de cauſa magis ſpectat ad opiſthotonon. Imo Pandiculatio ſæpe cum oſcitatione vna incidit; aut oſcitationem excipit pandiculatio, vel hæc iſtam, & plerumque mutuæ viciſſitudines fiunt inter oſcitationem, pandiculationem & horrorem, rigoremque ſeſe mutuo excipientes, aut alteram cum altera complicantes: nam pandiculatio eſt tantum oſcitationis maximus gradus. G. Das Recken und Strecken des Leibes.

PANICVLA, dici poteſt quidquid ſublonga vel ſubrotunda effigie tumet, vt quæ pendet a picearum ramis. Lanoſam quoque comam in milio, panico, arundine, & qualem in aruis complures herbæ & in paluſtribus iunci gerunt, Latini paniculam dixere.

PANICVM, eſt milii ſpecies cuius ſpica ex innumeris craſſis, rotundis, albis aut flaueſcentibus ſeminibus in ſpicas minores digeſtis conflatur: a paniculis dici perhibent, Gr. Ἔλυμος. G. Fuchsſchwantz, welſcher Hirs.

PANNICVLVS ADIPOSVS, eſt congeries multarum cellularum ſub cute immediate poſitarum, membranis tenuiſſimis conſtantium, totum corpus ambientium vbi cutis eſt, in quibus ex vaſis ſanguiferis huc decurrentibus deponitur oleum ſanguinis, quod ibi per tempus ſtagnare poteſt, verum a maiori ſanguinis motu per ductus ſuos in venas ſanguineas iterum impellitur & circulationem obit: poteſt hæc congeries cellularum in obeſis continere quamplurimum pinguedinis, in macilentis parum. G. Die Fetthaut.

PANNICVLVS CARNOSVS, Gr. ὑμὴν σαρκώδης, eſt panniculi adipoſi membrana inferior, cellulas eius determinans,

nans, & ſuſtinens, & proprie ad eas pertinens, quæ in plurimis locis ſatis craſſa & muſculoſa, in aliis iterum membranoſa, velamentum toti corpori præbet. Sed in brutis tantum reperitur, in hominibus rariſſime, & ad certa tantum quædam loca. G. Das fleiſcherne Häutlein. A quibusdam dicitur *panniculus neruoſus.*

PANIS PORCINVS, vide *arthanita.*

PANNVS, oculi morbus eſt, quando vaſa ſanguinea ad angulos oculorum in tunica tendinoſa excurrentia, propter obſtructionem, ſiue inflammationem ſanguine turgent. Poſtea creſcente hoc malo, tela, quaſi carnoſa oculum vel ex parte vel in totum in ſuperficie, obducunt, adeo vt oculi a lumine maxime offendantur, & plane rubeant.

PANNVS, notat *maculam* vel *næuum* in cute ſiue ex lue gallica, ſiue ex alio morbo maligno dependentem, eſt macula grandior palmæ interdum magnitudinis, coloris ſubflaui, vel rubicundi, fuſci vel ſubnigri, in facie ſæpius proueniens, & ſexum ſequiorem deformans. G. Die Honigflecken, Sonnenbrand.

PANVS, eſt ſpecies bubonis ſub axillis, faucibus, auribus & inguinibus, in partibus ſc. glanduloſis. Sumitur etiam pro *phygetlo.* G. Drüſengeſchwulſt.

PAPAVER, penult. producit; genitiuus autem pen. corr.

Inferias Orphei Lethæa papauera mittes. Virg. Georg. 4.
Illa papauereas ſubſecat vngue comas. Ouid. 4. Faſt.

Papauer eſt planta, quæ habet caulem ramoſum; folia ſunt oblonga, ampla, dentata, criſpata; albeſcentia; vel ex atro viridia: calix bifolius, valde caducus: flos eſt roſaceus, quatuor plerumque petalis in orbem poſitis conſtans; ex cuius calice bifolio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum, ſeu teſtam ouatam vel oblongam, capitello ornatam, ſub quo in quibusdam ſpeciebus ſeries ſpiraculorum in circuitu aperitur in fructus cauitatem, variis per longitudinem foliis munitam ſeu lamellis, quibus tanquam placentis adhærent ſemina rotunda vt plurimum & minutiſſima. Gr. μήκων. G. Magſamen, Mohn.

PAPILLÆ INTESTINORVM, ſunt protuberantiæ exiguæ, quibus intima inteſtinorum tunica referta eſt, ex ductibus glandularum, finibus neruorum, emiſſariis lymphaticorum & lacteorum contexta.

PAPILLA, eſt prominentia rubra in medio mammarum conſita, cuius pori recipiunt omnes tubulos lactiferos, hic anguſtatos, a glandulis mammariis prodeuntes. Gr. θηλή. G. Bruſtwärtzlein.

PAPILLARVM proceſſus, ſunt extremitates neruorum olfactoriorum, membranæ mucoſæ Schneiderianæ numeroſiſſime inſertorum, ſenſationi olfactus inſeruientes, & hinc cum extremitatibus ſuis inſtar minimorum villorum eminentes.

PAPPVS, tam Græcis quam Latinis lanugo ex floribus & fructibus decidua eſt. Sic etiam lanoſi quidam villi, qui deflo-reſcentibus aliquot herbis circum ſemen remanent, & poſtmodum in auras euaneſcunt, pappi ſunt, in ſenecione, ſoncho, & plerisque aliis fit.

PAPVLÆ, vide *exanthemata.* Item ſpecies morbillorum, quæ etiam *boa*, *ſudamina*, *feruidæ eruptiones* & *rubicundæ cutis aſpredines* dicuntur.

PAPYRVS, eſt arundinis ſpecies Niloticæ: eſt res & vox Ægyptiaca. Foliis ad ſcibendum, radice vtebantur pro ligno ad ignem ſtruendum. G. Papierrohr.

PARACENTESIS, ſiue punctio, eſt perforatio thoracis, vel abdominis, per cultrum aut cannulam cuſpidatam. In thorace fit, quando repletus eſt pure vel aqua, & punctio inſtituitur in latere, intra quintam & ſextam vertebram; in abdomine vero cum illud hydrope aſcite intumet, ad latus lineæ albæ abdominis, in muſculis rectis & oblique aſcendentibus a παρακεντέω compungo. G. Eröffnung des Bauches oder der Bruſt.

PARACMASTICA, eſt febris continua decreſcens: item ætas declinans, a παρακμάζω decreſco. G. Abnehmend Fieber.

PARACME. vide in *acme.*

PARACYNANCHE, eſt inflammatio cum febre continua & reſpiratione difficili, in muſculis laryngis exterioribus, excitata, ex παρά, κύων canis, & ἄγχω ango. Vide *angina.*

PARADISI GRANA, vide *cardamomum.*

PARALYSIS, ſiue RESOLVTIO, eſt mouendi impotentia in his aut illis muſculis, qui dicuntur arbitrio noſtro ſubiecti, quod tamen non admodum ſtricte intelligendum. Nullus adeſt dolor, vel ſenſus in parte, aliquando hic tamen eſt leuis cum ſtupore, vel ſpecie punctionis, ſemper ſunt cauſa membra flaccida, ſæpe etiam macilentia; & ad tactum frigidio-

gidiora, ſubinde etiam ſanguis quoque ablatus eſt, aut quaſi formicæ repentes in partibus percipiuntur: oriunda ab omni cauſa, quæ impedit influxum ſpirituum animalium in neruos partibus affectis dicatos, vel quæ prohibet introitum ſanguinis arterioſi in muſculos partes eas mouentes. Si in vtroque latere fit, *paraplegia* dicitur, ſi in vno *hemiplegia*: ſi in hoc aut illo membro, particularis appellari ſolet, a παραλύω reſoluo. G. Lähmung vom Schlag.

PARALYSIS HERBA, ſeu PARALYTICA, dicitur vulgo *primula veris*, & *betonica alba*: vocatur, quod paralyticis morbis medeatur.

PARAMESVS, eſt digitus medio proximus, minimoque vicinus, qui *medicus* & *annularis* dicitur, ex παρὰ iuxta, & μέσον medium. Vide *digiti*.

PARAPHIMOSIS & PERIPHIMOSIS, eſt penis vitium, cum cutis ita curta eſt, vt glandem adducta contegere nequeat. Item vteri anguſtia & contractio, ex παρὰ de, & Φιμόω capiſtro.

PARAPHRENITIS, eſt delirium cum febre continua ex inflammatione diaphragmatis, vel membranarum illud cingentium tum in thorace, tum in abdomine oriunda, cum dolore intolerabili punctorio ob membranas neruoſas, qui immaniter increſcit in reſpiratione, tuſſi, ſternutatione, vnde ægri incidunt in riſum ſardonium, & breui conuulſionibus & furore percunt, vnde eſt morbus pleuritidi affinis, illa tamen maior, ex παρὰ & Φρενῖτις phrenitis.

PARAPHROSYNE, ſiue DELIRIVM, eſt leuis quædam imaginationis & iudicii alienatio orta ab inflammatione aliquam partem corporis occupante cum febre continua, a quibus in conſenſum trahitur cerebrum, ex παραΦρονέω mente ſum alienus. Vide *delirium*.

PARAPLEGIA, eſt paralyſis quæ omnes corporis partes capiti ſubiectas occupat, ab vtriusque trunci medullæ ſpinalis obſtructione, ex παρὰ iuxta & πλήττω percutio. G. Allgemeiner Schlag des gantzen Leibes.

PARAPLEXIA, idem quod *paraplegia*.

PARARHYTHMVS, eſt pulſus alterius indolis quam ætas fert, ex παρὰ præter, & ῥυθμὸς modulus.

PARASTATÆ, idem quod *epididymis*, e παρίστημι iuxta ſto.

PARASYNANCHE, eſt inflammatio muſculorum ipſius pharyngis, ſeu faucium cum febre ſæpe continua, ex παρὰ

præ-

præter, σὺν cum, & ἄγχω ſtrangulo, Gr. ὑάγχη ſeu *angina porcina Aureliano*, quod ſuibus familiare ſit malum.

PARDALIANCHES ACONITVM, ſic vocatur quod pantheras necet & pardos; πάρδαλις eſt pardus, & ἄγχω ſtrangulo.

PAREGORICA, ſunt medicamenta mitigantia dolorem tollendo aſperitatem eius, vt & acrimoniæ lædentis, a παρηγορέω lenio, mitigo. G. Schmertzen lindernde Artzeney.

PAREIRA BRAVA, eſt vox Luſitanica ſignificans vitem ſylueſtrem. Apud Braſilianos vocatur *Caapeba.* Radix eſt magna & craſſa, quæ ad renes a tartareo nauco expurgandos nuper magnopere fuit commendata. Videtur autem famam maiorem fuiſſe, quam realem effectum.

PAREMPTOSIS, eſt terminus antiquæ pathologiæ Pythagoreæ & Eraſiſtrati. Hi docebant febrem fieri ſi ſanguis ſuos fines egreſſus incideret in vias ſpirituum. Scilicet in arteriis contineri ſpiritum ſeu aerem credebant, in venis ſanguinem: quæ duo inter ſe reciproco æſtu, maris inſtar, incurrant. Si igitur ſanguis incidat in arterias, hoc dicebant *paremptoſin.*

PARENCEPHALOS, idem quod *cerebellum*, ex παρὰ iuxta, poſt, & ἐγκέφαλος cerebrum, παρεγκεφαλὶς *Herophilo*, ἔγκρανον *Galeno*, ἐπίκρανος, *Poll.* ὀπίσθιος ἐγκέφαλος. Vide *cerebellum.*

PARENCHYMATA, ſunt viſcera, quæ elaborant aliquid, quod vſui communi totius corporis inſeruit: ſic pulmo & cor conficiunt ex alimentis in primis viſceribus contritis ſanguinem per ſuam actionem & fabricam, & iterum ex ſanguine conficiunt reliquos humores minores; hepar elaborat bilem, quæ eſt ciborum intimum reſoluens & miſcens. Pro omnibus viſceribus aliquando paulo latius ſumitur, a παρεγχέω transfundo.

PARESIS, eſt paralyſeos ſpecies, quæ poſt dolorem colicum inducitur, a παρίημι laxo, ſoluo. Vide *paralyſis.*

PARIETALE OS, idem quod *bregma* vel *ſinciput.*

PARIETARIA, *Officinarum*, dicta quod in parietinis frequens ſit; penult. corr. ob vocalem ante vocalem. Parietaria, eſt planta, quæ habet caules rotundos, rubicundos, fragiles: folia oblonga, acuta, villoſa, aſpera, veſtibus facillime adhærentia; flos eſt apetalus, quatuor plerumque ſtaminibus conſtans ex calice quadripartito ſurgentibus, nunc campaniformi, nunc infundibuliformi, modo rotato: piſtillum autem

autem abit in ſemen, vt plurimum oblongum, in capſula, quæ floris calix fuit, reconditum. Gr. ἑλξίνη & περδίκιον ſic vocatur a parietibus, & muris, quibus accreſcit, vel iuxta prouenit. G. Tag und Nacht, Glaſkraut.

PARIS HERBA, ſeu VVA LVPINA, & VVA VERSA, eſt aconiti ſpecies; quæ habet caulem mediocriter craſſum rotundum, ſolidum, in parte ſuperiori viridem, in inferiori rubicundum: folia ſunt in crucem diſpoſita, oblonga, ampla, venoſa, rugoſa, aliquantulum acuta, nigricantia: calix quadrifolius, radiatim expanſus: flores ſunt tetrapetali, cruciformes, quatuor ſtaminibus donati; flori ſuccedit bacca mollis, globoſa, quatuor tubis inſtructa, in quatuor loculamenta diuiſa, coloris obſcuri, odoris ingrati, continens ſemina oblonga, exigua, alba: radix longa, parua, nodoſa, repens: hæc planta creſcit in ſyluis. G. Wolffsbeer, Einbeer.

PARISTHMIA, ſunt glandulæ duæ, in ore ad faucium initia poſitæ, ex conuolutionibus in ſeſe conſtantes, quæ tenui lataque productione inter ſeſe connectuntur: ſinum habent vtrinque vnum communem, amplum & oualem in os apertum; vſus præcipuus eſt, materiam quandam mucoſam, ſiue pituitoſam in fauces & os effundere. Vocantur etiam *tonſillæ*, ἀντιάδες, μῆλα & σπόγγος; ex παρὰ iuxta, & ἰσθμὸς iſthmus. G. Mandeln.

PARONYCHIA, PANARITIVM, eſt inflammatio ſubcutanea in apice digiti manus, in perioſteo vel vnguis radice hærens, quæ primo vix exterius conſpicitur, dolore nihilominus acerrimo, qui vigilias moleſtas facit, cum ardore & pulſatione: ſed tumore pene nullo in principio, aut rubore manifeſto; tertio autem vel quarto die cum tumor, tum inflammatio exterius elucent, & ſæpe ad manum vel humerum vsque extenduntur. Originem habet ex quacunque cauſa has partes inflammare, tum ex acri, & corrodente humore, tendines, neruos, perioſteum, imo os ipſum corrodere valente, ex παρὰ iuxta, & ὄνυξ vnguis. Lat. *panaritium*. G. Fingerwurm, das böſe Ding, Nagelgeſchwär.

PAROPIÆ, ſunt anguli oculorum minores, tempora verſus ſpectantes, ex παρὰ iuxta, & ὄπτομαι video. Vide *canthus*.

PAROPTESIS, ſignificat ſudoris prouocationem in balneo ſicco cum prunis ardentibus, a παροπτάω aduro.

PAROTIDES, ſunt glandulæ duæ poſt aures ſitæ, occupantes foueam inter proceſſum mammillarem, condyloidem &

os

os iugale factam, quæ ab carotidibus externis ſanguinem accipientes, ſaliuam in magna copia conficiunt, eam communi ductui infundunt, qui circa tertium dentem molarem ſuperiorem perforando muſculum buccinatorem in os hiat. Item tumores glandulis, poſt aures, contingentes, ex παρὰ pone, iuxta, & ὦς auris. G. Die Ohrendrüſen, Geſchwulſt hinter den Ohren.

PAROXYSMVS, eſt pars periodi morborum, qua intenduntur & exacerbantur: eſtque vel ordinatus, qui certis temporibus intenſionis affligit, vt in febri tertiana, vel inordinatus, qui nullum certum intenſionis tempus obſeruat; ſed nunc hoc, nunc illo die redit; nunc citius, nunc tardius infeſtat, vt in febre erratica. Vocatur & *periodus*, *acceſſio*, *exacerbatio* & *inuaſio*, aliis εἰσβολὴ *Gal.* λῆψις *Ariſt.* cuius ipſius initium ἀρχὴ & ἐπισημασία Galeno dicitur, a παροξύνω exacerbo. G. Anſtoß, Anfall.

PARS, eſt corpus toti cohærens, communique vita coniunctum, actionibusque perficiendis comparatum. Partes dicuntur ſenſibiles, ſpermaticæ, & ſanguineæ: ſimilares & diſſimilares; organicæ vel inorganicæ: principales & miniſtræ; continentes & contentæ &c. Gr. μέρος & μοῖρα. G. ein Theil.

PARTHENIS & PARTHENIVM, eſt planta cuius nomen variis imponitur herbis: ſic appellatur, quod morbis vterinis mulierum, præſertim virginum, medeatur: ſic vocatur matricaria, & artemiſia. Παρθένος enim virgo eſt. Officinis & herbariis *cotyla fœtida* eſt, vide *cotyla.*

PARTVS, eſt fœtus maturi in lucem editio. Gr. τόκος, κύημα. Sumitur & pro ipſo fœtu. G. Geburt, Frucht.

PARTVS CÆSAREVS, eſt, quando infantes in difficili partu, ex abdomine & vtero exſcinduntur, viuente vel mortua matre. G. Der Kayſerliche Schnitt.

PARTVS DIFFICILIS, idem quod *dyſtocia.*

PARVLIS, eſt inflammatio, putredo, aut excreſcentia, iuxta gingiuas, ex παρὰ iuxta, & οὖλον gingiua.

PASMA, idem quod *diapaſma.*

PASSA, & PASSVLA VVA, eſt vua ſicca ſolem paſſa.

PASSERINA, eſt alſines ſpecies, ſic dicta, quia paſſeres hac herba gaudent.

PASSIO, idem quod *pathema.*

PASTA REGIA, idem *Martius panis.*

PA-

PASTILLVM, eſt pomum odiferum, fit ex odoratis pulueribus, qui a cera, ſtyrace liquida, balſamo indico, tragacantho cum tantulo terebinthinæ excipiuntur, & in globum formantur: vſus eſt vt gratus odor concilietur, ſumitur aliquando pro trochiſco. G. Riechküchlein.

PASTINACA, penult. prod. vt portulaca.
Et paſtinacæ virtus in ſemine tanta. Macer. 28. 1. *Dioſcoridi, l. 3. c. 59.* ſtaphylinus dicitur, cuius penult. prod. tum quia σταφυλῖνος circumflexo notatur, tum quia *Columella l. 10.* & *Nicander in Theriac.* penult. produxere. Paſtinaca, eſt planta, quæ habet caulem craſſum, firmum, ſtriatum, vacuum, ramoſum: folia ampla, villoſa, in margine dentata, pinnata, ex aliis ſat craſſis, & coſta magna ſuſtentatis compoſita, ſaporis grati & aromatici: flos eſt luteus, roſaceus: radices ſunt craſſæ, carnoſæ, longæ, eſculentæ, exterius flauo fuſcæ, vel dilutius flaueſcentes, intus albicantes; ſemina ſunt parua, ouata, margine donata, per maturitatem ſacculum deponentia; eius nomen a paſcendo dictum videtur. G. Paſtenach, welſch Peterlein.

PATELLA, idem quod *mola, genu.*

PATHEMA, eſt omnis paſſio, morbus, ſeu affectus præter ordinem, quo corpus noſtrum laborat; Gr. πάθος & πάθημα, παθήματα τῆς ψυχῆς, ſunt animi affectus, a πάσχω patior. G. Leiden, Bewegung des Gemüths.

PATHETICVS, eſt neruus quarti paris intra cranium: quarto pari apud *Williſium*, & octauo apud *Fallopium* accenſetur, hic cranio egreſſus per foramem tertium magnum oblongum, videtur totus impendi in muſculum trochlearem oculi, a πάσχω patior.

PATHOGNOMONICVM, eſt ſignum proprium inſeparabile, quod ſoli & omni conuenit, eiusque eſſentiam indicat, quod etiam a principio ad finem durat: vt in pleuritide vera, ſemper adeſt febris continua, reſpiratio, moleſta, lateris dolor punctorius & tuſſis, ex πάθος affectus, & γινώσκω, cognoſco.

PATHOLOGIA, eſt pars medicinæ, docens morbos corporis noſtri, morborum differentias, eorumque cauſas vnde oriantur, & effecta quæ in corpore præſtent, ex πάθος affectus, & λέγω dico, narro.

PATHOS, idem quod *pathema.*

PATIENTIÆ MVSCVLVS, idem quod *leuator ſcapulæ.*

PE-

PECTEN VENERIS, ACVLA, Gr. σκάνδιξ, eſt ſpecies chærefolii ſylueſtris: dicitur quod eius ſeminum thecæ pectinem referant, vel ſi ſinguli dentes ſumantur, acui ſimiles ſint. G. wilde Mohren.

PECTINÆVS MVSCVLVS, vide *liuidus*.

PECTINIS OS, ſeu BECHICA, ſunt medicamenta, quæ agunt vel attenuando, vel incraſſando & leniendo, vt ea quæ pulmonibus hærent & tuſſim excitant, ad expectorandum apta reddantur. Gr. βηχικά.

PECTORALIS MVSCVLVS, duo ſic vocati ſunt muſculi, alter eſt *pectoralis maior*, alter eſt *pectoralis minor*. *Maior* oritur a facie exteriore omnium coſtarum verarum & clauiculæ, & inſeritur ad latitudinem quatuor digitorum infra caput oſſis humeri ſpinæ exteriori eiusdem; huius muſculi tendo duplicatur, & quaſi intorquetur vt in tam paruo loco tot fibræ tendinoſæ implantari poſſint, aliquæ etiam eius fibræ carnoſæ confunduntur cum deltoide, functio huius muſculi eſt humerum ad pectus adducere. *Minor* oritur a facie externa 2. 3. 4. 5. coſtæ dentatis productionibus circum circa vbi coſtæ cartilaginibus ſterni iunguntur, & inſeritur proceſſui coracoideo ſcapulæ, hinc anteriorem & ſuperiorem ſcapulæ partem verſus inferiora & anteriora flectit. G. Der Bruſt-muſcul.

PECTORIS OS, vide *ſternum*.

PECTVS, Gr. ςῆθος, θώραξ, eſt pars thoracis anterior, quæ ſub iuguli clauicula eſt vsque ad diaphragmatis regionem extenſa, cuius poſterior pars *dorſum* appellatur. G. Die Bruſt.

PEDICVLARIA, & PEDICVLARIS, dicitur ſtaphis agria, quod ſemen eius pediculos necet.

PEDICVLARIS, eſt planta, quæ habet folia criſpata inſtar criſtæ galli & crenata; caules anguloſos, debiles, excauatos, partim repentes, partim rectos: flores ſunt monopetali, perſonati, bilabiati, labio ſuperiori galeato, in inferiori trifido, coloris purpurei, aut rubicundi, aut albi; poſt florem ſequitur capſula compreſſa, acuta, fere oualis, inter duo folia latens, & diſſiliens in duas partes, pluribus ſeminibus compreſſis & nigricantibus & figuram renum ferentibus fœtas; radix eſt digiti minimi craſſitie, aſpera, alba, in multas craſſas fibras diuiſa, ſaporis amari: hæc planta creſcit in pratis & in locis humidis. Gr. ἀλεκτορόλοφος, ceu criſta galli. Vide *Alectorolophos*.

PEDI-

PEDICVLARIS MORBVS, idem quod *phthiriaſis*.

PEDICVLVS, idem eſt quod *petiolus*, quod nempe folium, fructus aut flos dependet. G. Der Stiel.

PEDICVLVS, eſt inſectum homini præſertim infeſtum. G. Laus.

PEDICVLVS ELEPHANTIS, eſt *anacardus*, ſic ob magnitudinem, & fortaſſe ob analogiam ita appellatur.

PEDILVVIVM, eſt balnei ſpecies, lauandis pedibus vtilis, vti ipſo vocis ſono liquet. G. ein Fußbad.

PEDIVM, idem quod *planta pedis*.

PEDRA DE COBRA, eſt lapis oualis figuræ, ex vno latere planus, ex altero gibboſus, coloris fuſci & ſplendentis, cuius virtus eſt alexipharmaca cum applicatur ſerpentum morſibus. Vocabulum a Luſitanis impoſitum. In ſerpente, dicit Cl. *Kæmpferus*, quod vulgo credunt, non inuenitur, ſed arte ſecreta fabricatur a Brahmanis. Pro dextro & felici vſu, oportet adeſſe geminos, vt cum primus veneno ſaturatus vulnuſculo decidit, alter ſurrogari illico in locum poſſit; hinc geminos habere debent indigenæ, quos cum goſſypio capſulæ incluſos probe aſſeruant.

PEDRA DEL PORCO, eſt lapis quadrupedis hyſtricis dicti, conſtans ex tomento, fibrillis, & materia friabili, ſubruffa, amaricante, & deforis quibusdam in partibus, ceraceis, & ſubnigris quaſi vnguibus coopertus, ſubſtantiæ ſolubilis facile, ad linguæ attactum ſumme & illico amaricans, eius vis ſudorifera eſt inſignis, dicitur etiam lapis hyſtricinus: iuxta Doctiſſ. *Kæmpferum*, coagulum eſt bilioſum, rotundum, ſatis compactum, vt plurimum nucis myriſticæ vel iuglandis magnitudine, leue, coloris rufi, ſubſtantiæ quodammodo vnguinoſæ, ſaporis ſubtiliſſime amareſcentis. Reperitur in veſicula biliaria hyſtricum terræ Malaicæ. Rarius generari accidit, quod ipſum inprimis, præter eximias & præſentiſſimas facultates, pretium eius extollit, vt in ditiorum duntaxat & principum Nigritarum manibus verſetur, qui illum ſphæris aureis argenteisue armari curant, adnexa ex eodem metallo catenula, cuius adminiculo tractari valeat: vſus eius eſt, vt ſuſpendatur per horas aliquot, vel vna alteraque vice agitetur in hauſtu aquæ communis, quam, vix grani pondere imminutus, amarore imbuit: hauſtus, ita præparatus, habetur ſumme cordialis & alexipharmacus, tum in ictero, febribus putridis, malignisque, & in quibuscunque viſcerum obſtructionibus medicamentum efficaciſſimum.

PEGANVM, vide *ruta.*

PELICANVS, eſt inſtrumentum chirurgicum, dentibus euellendis deſtinatum; forfex eſt roſtro incuruato, dentibusque intus, melioris apprehenſionis gratia, munito. Item inſtrumentum eſt chymicum circulatorium dictum, a figura pelicani roſtro pectus ſuum fodientis nuncupatum, amplo ventre ſenſim in anguſtius collum vergente, quod retortum & recuruum os rurſum in ventrem immittit. Hoc vas in fundo canalem, per quem liquor infunditur, habet, qui, liquore infuſo, hermetico ſigillo occluditur, & calori admouetur. G. ein Pelican.

PELIDNVS, eſt color faciei plumbeus & liuidus, melancholicis frequens, a πέλος, niger, fuſcus.

PELLICVLA, idem quod *membrana* vel *tunica.*

PELLIS, cutis eſt brutorum, pilis aut lana necdum orbata, alias, ſi præparationem ſubiiſſet, corium appellaretur. G. Die Haut, Fell.

PELTALIS CARTILAGO, idem quod *enſiformis cartilago.*

PELVIS, eſt locus ille in ventre imo, quo veſica & vterus continetur, & circumſcribitur oſſibus ilium, coxendicis, pubis, & oſſe ſacro; in mulieribus hæc oſſa magis a ſe inuicem diſtant, & tenuiora ſunt quam in viris, præſertim oſſa pubis, vt ſic cauitatem peluis, & angulum inter oſſa pubis & iſchii, maiorem efficiant, pro fœtus commodiori geſtatione, facilioriqne in partu excluſione. G. das Becken.

PELVIS RENVM, eſt receptaculum membranaceum in vtroque rene, quod vrinam ex duodecim papillis recipit, & in vreteres effundit. G. Das Nierenbecken.

PEMPHIGODES FEBRIS, eſt, quæ ob caloris intenſionem puſtulas & bullulas, producit: aliis placet febrem eſſe ventoſam & flatuoſam, ſeu *ampulloſam*, ex πέμφιξ flatus, bulla, puſtula, & εἶδος forma.

PEMPTÆOS, quintana dicitur febris intermittens, quinto quoque die recrudeſcens, a πεμπτὴ quinta.

PENICILLVS, eſt inſtrumentum chirurgicum ex pilis aut linteo carpto accommodatum, eluendisque vlceribus aliisque medelis deſtinatum. G. κερκίσκος. G. ein Pinſel.

PENICILLA, idem quod *turundula.*

PENIDIVM, eſt ſacchari clarificati & depurati ſpecies; quæ in bacillos arte redigitur. G. Penyzucker.

PENIS,

PENIS, *veretrum*, *virile membrum*, *membrum genitale*, *mentula*, *virga*, *priapus*; ταῦρος eſt membrum virile, quod conſtat ex duobus corporibus, neruoſis, vrethra, glande, cute, præputio &c. G. Das männliche Glied.

PENIS CEREBRI, idem quod *glandula pinealis*.

PENIS MVLIEBRIS, idem quod *clitoris*.

PENSILIS VERRVCA, vide in *verruca*.

PENTACVLA, ſeu PERIAPTA, ſunt ſigna, ſigilla & delineamenta admirandis & incognitis aliquando literis & characteribus implicata, quæ collo appenſa creduntur a malignis ſpiritibus, & quouis faſcino præſeruare. Idem quod *periamma*.

PENTADACTYLON, vide *palma Chriſti*, ex πέντε quinque, & δάκτυλος digitus.

PENTAMYRON, eſt vnguentum ex quinque ingredientibus compoſitum: conſtat enim ex ſtyrace, maſtiche, opobalſamo, cera & vnguento nardino, ex πέντε quinque, & μύρον vnguentum.

PENTAPHYLLVM, eſt *quinquefolium*, quia quinque folia habet, vnico inſiſtentia petiolo, ex πέντε quinque, & φύλλον folium. G. Fünffingerkraut, Fünfblat.

PENTAPLEVRVM, eſt *plantago* minor, *quinqueneruia* dicta, eo quod eius folia coſtis quinque tanquam neruis diſtincta ſunt, ex πέντε quinque & πλευραὶ coſtæ. Vide *plantago*.

PEPANSIS, eſt vitiati, corruptique humoris in conuenientiorem ſanitatis ſtatum deductio, a πεπαίνω excoquo.

PEPASMVS, vide *coctio*.

PEPASTICVM, eſt medicamentum mitigans, & cruda concoquens, a πεπαίνω excoquo.

PEPLION, PEPLIS & PEPLVS, eſt eſulæ ſpecies; ſic nominatur, quod ramulorum ambitu, & quaſi rotundo amictu velum efformet ac tellurem operiat; peplus enim ſiue peplum, ſindon eſt, ſiue veſtis prætenuis, proprie mulierum. G. Wolfsmilch.

PEPO, *onis*, penult. corr. quia *Dioſcoridi l.* 2. *c.* 164. Ἡ δὲ τῆ πέπονος σὰρξ καὶ αὐτὴ ἐρητικὴ.

Ὦ πέπονες, κάκ' ἐλέγχε' Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί. id eſt,
O ſtupidi, peponibus ſimiles, peſſima ludibria, Achaides non Achiui. *Homer. Il.* β.

Vt pateat hinc error *Anonymi* apud *Smetium*, qui ita inepte:

Aurea mala ferunt, dein melonas, atque pepones.

Pepo, eſt planta, quæ habet caules ſarmentoſos, craſſos, repentes, in longum & latum ſe extendentes, cum capreolis vicinis plantis vel lignis adhærentes: folia ſunt ampla magna, inciſa, dura, aſpera, dentata coloris viridis, ſubfuſci, ſplendentia, caulibus longis, duris, aut ſpinoſis adhærentia: flores ſunt monopetali, campaniformes, lanuginoſi, aliquantulum odorantes; flori ſuccedit fructus oblongus vel rotundus, carnoſus, corticem durum & quaſi lignoſum habens, trifariam diuiſus, fœtus ſeminibus planis, oblongis, annulo quodam cinctis, quæ habent ſub cortice amygdalam albam dulcem, & gratam: hæc planta in hortis colitur. Gr. πέπων, a πέπτω coquo, vel a πεπαίνεσθαι matureſcere, eſt melonum ſpecies, quæ mitis eſt & tenera, ac maturitatem nacta, facile flacceſcit. G. Pfeben.

PEPSIS, eſt coctio, ſiue actio ventriculi, inteſtinorum, ſaliuæ, liquoris gaſtrici, pancreatici, & bilis in cibos aſſumtos, qua acquirere incipiunt naturam a ſua priori diuerſam, & ſimilem ac corporis in quo continentur, & attenuantur, ſubiguntur, miſcentur, vt cum modo dictis liquoribus in bonum chylum redacti per lactea vaſa tranſire poſſint: a πέπτω coquo. Vide *coctio* & *fermentatio*.

PERACVTISSIMVS MORBVS, vide *acutus morbus*.

PERACVTVS, vide *acutus*.

PERCOLATIO, eſt, quando liquor turbidus per pannum linteum, chartam, pannum laneum &c. transmittitur, vt mundior reddatur. G. Das Durchſeigen.

PERDICIS FEL, penult. prod.

Seu fel perdicis parili cum pondere mellis. Seren. tit. ocul. dol.

Vulturis atque iecur, vel ius perdicis apricæ. Seren. tit. iec. vit.

PERDICIVM, eſt planta ſic dicta; quod perdices ſe ad id voluerent, terramque ſuffodiant. Vide *helxine*.

PERETERION, eſt modiolus vel terebellum rectum & acutum, a περάω transfodio. G. ein Trepan, Böhrlein.

PERFOLIATA, eſt planta, quæ caulem habet tenuem, firmum, ſtriatum, nodoſum ramoſum, ſaporis aliquantulum aromatici: folia ſimplicia, alternatim diſpoſita, oualia, vel fere

cir-

circularia, dilute virentia, ſapore oleraceo ſed feruidiore: flores in ſummitate ramorum naſcuntur parui, in vmbellas flauas diſpoſiti, quarum quæuis ex quinque foliis componitur, in orbem poſitis: radix vt minimi digiti craſſa, ſimplex, lignoſa, alba: ſemina longa, ſtriata, nigricantia. Dicitur, quia folia circa caulem ſeſe ita comprehendunt, ac ſi eſſent mutuo coalita, vt vaccariæ, braſſicæ &c. ſpecies quædam. G. Durchwachs.

PERFORANS MVSCVLVS, perforato muſculo ſubſternitur *perforans*, qui ſuperiori cubiti, radiique parti adnatus, tendine quadripartitio priorem perforans, in tertium vsque excurrit articulum. Vnde hos duos muſculos, ex pluribus ſuorum generum ſimplicibus conſtitutos eſſe cenſendum eſt: digitos cum perforatore flectit. Ita vt manus, ſic & pes ſuum perforantem obtinuit. Supernæ tibiæ, vt & tibiæ ex parte oſſis extremitati poſterius alligatus in quatuor inferius diſſectus tendines, tertiis affigitur digitorum oſſiculorum integumentis, perforat hic prioris tendines muſculi perforati. G. Der durchbohrende Muſcul.

PERFORATA, eſt hyperici ſpecies, cuius folia plurimis punctis videntur pertuſa.

PERFORATVS MVSCVLVS, prior muſculorum digitis adhærens, *perforatus*, dicitur, interno humeri oſſis tuberculo alligatus; circa carpum tendines diſpergit robuſtos quatuor, qui prope finem rima quadam perforanti muſculo tranſitum præbente finditur, tandemque digitorum internodio ſecundo affiguntur; cum perforante digitos flectit. In pede in planta ſitus eſt, ſuperius calcis oſſi adnatus; quatuor adhæret articulationibus ſecundis. Sic & *coracoideus* etiam *perforatus* dicitur. G. Der durchgebohrte Muſcul.

PERIAMMA, *periaptou, amuletum, Xenechton*, medicamentum eſt quod de collo ſuſpenſum morbum arcere creditur, ac præcipue peſtem, ex περίαπτω circumplector. G. ein Angehencke.

PERIANTHIVM, ſiue calix, id eſt, circumuolutum flori integumentum, quod partim pro baſi & fulcimento, partim pro tegmine erupturis deinceps petalis & ſtaminibus inſeruit, pro quorum vario exortu variæ magnitudinis & figuræ deprehenditur, eſtque vel μονόφυλλον vt in quinquefolio, fragaria, caryophyllata, filipendula, & ſimilibus; vel δίφυλλον vt in papauere, vel τρίφυλλον, vt in chelidonio minore, vel τετράφυλλον, vt in burſa paſtoris non raro obſeruatur, vel πεντά-

φυλλον & ἐξάφυλλον, vt in ranunculo: imo quandoque in ſedecim & vltra ſoluitur folia, quæ iterum in ſummitatibus vel leuioribus vel profundioribus gaudent ſegmentis, & copioſis interdum pilis fungis & ſpinis operiuntur, vt in rubis, roſis, & ſimilibus apparet, angulare enim calicis foliolum, tenui capillitio obductum, laterales profert appendices, quarum extremitates rubicundis fungis liquidum quoddam fundentibus terminantur.

PERIAPTVM, vide *periamma.*

PERICARDIVM, *Inuolucrum, capſula, burſa, ſcrotum* ſeu *ſacculus membraneus cordis*, eſt inuolucrum membranaceum, quo totum cor inueſtitur, & in quo libere hæret, quod ex glandulis vel ipſi, vel cordis baſi inſidentibus accipit perpetuo humidum aliquod tenuiſſimum, pingue, exhalans ſponte, quodque perpetuo iterum abſorbetur, & inſeruit humectando & flexiles tenendo fibras cordis. Duplici conſtat membrana, quarum exterior communis cum mediaſtino, interior propria, lubrica eſt, cum tunicis maiorum vaſorum continua, ex περὶ circum, & καρδία cor. G. Hertzbändel.

PERICARPIVM, illud eſt, quod ſemen vel fructum ambit, in quibusdam edule eſt, vt in pomis, pyris, in aliis non, vt in nucibus, caſtaneis &c. dicitur & *folliculus*, & *ſiliqua.* G. Die Hülſen, darinnen der Samen ſteckt.

PERICLYMENVM, penult. corr.

φύλλα τε κισσήεντα περικλυμένοιο φέρουσα. *Nicand. in Theriac.*

Periclymenum eſt *caprifolium*, cuius nomine & alii frutices ſcandentes, & circumuoluentes vocantur. Vide *caprifolium.*

PERICRANIVM, eſt membrana, perioſteo cranii ſuper inducta, ab aliis ipſum perioſteum cranii dicitur pericranium, ex περὶ circum, & κρανίον caluaria. G. Das Hirnſchedelhäutlein.

PERINÆVM, ſeu INTERFEMINEVM, eſt ſutura illa ligamentoſa inter anum & ſcrotum. G. Die Arßnath.

PERINYCTIDES, ſunt papulæ, puſtulæ & tubercula papulis ſimilia.

PERIODVS MORBORVM eſt tempus in morbis intermittentibus ex intenſione & intermiſſione conſtans, ex περὶ circum, & ὁδεύω iter facio.

PERIODVS SANGVINIS, ſeu CIRCVLATIO, & CYCLOPHORIA, eſt continua ſanguinis per totum corpus circum-

circumgyratio. Hæc eſt duplex, vel in *adulto*, vel in *fœtu:* in *adulto*, ſanguis omnis in venam cauam redux influit in ſinum venoſum ante dextram auriculam, inde impellitur in auriculam dextram cordis, hinc in cordis ventriculum dextrum, ex quo vi magna impellitur in arteriam pulmonalem, cum qua minima omnia loca pulmonis perfluit, & intrat venas pulmonales, quæ ante auriculam ſiniſtram in vnum ſaccum quoque deſinunt, ex hoc ſacco pellitur in auriculam ſiniſtram, inde in ventriculum cordis ſiniſtrum, ex hoc iterum in arteriam magnam, quæ cum diſpergatur ad omnia corporis viſcera & loca, nullo excepto, ſanguinem quoque ad omnes partes circumuehit. Sanguis autem ex arteriolarum finibus infunditur initiis venarum, quæ omnes confluunt in venam cauam ſuperiorem, inferiorem, & azygon, quæ coniunguntur in ſinum venoſum ante auriculam dextram, ſoletque hoc circuitu ſanguis continuo ferri. Verum in *fœtu* magna intercedit differentia, ob placentæ vterinæ vaſa, canalem venoſum in hepate, canalem arterioſum ex arteria pulmonali in aortam hiante, & foramen ouale, quæ cuncta obſeruantur in fœtu; & in adulto concreſcunt. Hanc circulationis differentiam vide in anatomicis, ex περὶ circum & ὁδεύω iter facio. G. Umgang des Bluts.

PERIOSTEVM, eſt membrana tenuis, oſſa, paucis exceptis, immediate inueſtiens, ex περὶ circum, & ὀστέον os. G. Das Häutlein der Beine.

PERIPHERIA, eſt corporis vel alicuius viſceris ambitus aut circumferentia, a περιφέρω circumfero. G. Der Umfang.

PERIPLOCA, vide ſupra *apocynum.*

PERIPHIMOSIS, vide *phimoſis.*

PERIPNEVMONIA, eſt vaſorum arterioſorum pulmonalium, tum arteriæ pulmonalis, tum bronchialis inflammatio, cum febri acuta, reſpirandi difficultate, tuſſi, & dolore grauatiuo, rubore omnium partium faciei, pulſu exili, molli & omni modo inæquali, & maxima anxietate coniuncta: diſtinguitur ab autoribus in *veram* & *notham.* *Vera* oritur ex ſanguine phlogiſtico, *notha* ex ſanguine pituitoſo: ex περὶ circum, & πνεύμων pulmo, a πνέω ſpiro. G. Entzündung der Lungen.

PERISCYPHISMVS, eſt ſectionis chirurgicæ genus in ſincipite ad caluariam vsque, vna tribusue lineis. Hodie non eſt in vſu.

PERISTALTICVS MOTVS, eſt vermicularis inteſtinorum motus, incipiens a pyloro & deſinens circa craſſiora inteſtina, contrahens inteſtina perpetuo quaſi vermes repentes eſſent, quo motu mediantibus ſpiritibus animalibus, excrementa alimna ſenſim egeruntur & chylus oſculis lacteorum impellitur, a περιστέλλω contraho, arcto.

PERISTEREON, vocatur *verbena*: Lat. *columbina*, & *columbaris*; quia columbæ huius plantæ præſentia valde delectantur: περιστερὰ enim eſt columba, dicitur etiam ἱερὰ βοτάνη, ſiue *ſacra herba*, quod ea olim apud Romanos domus purgabatur, familia luſtrabatur, Iouis menſam ad ſacrificium & epulas ferebant, & feciales in ſacris legationibus illa coronabantur; vel quod in expiationibus ſuſpenſa & alligata mire vtilis ſit. *Sagminalis* etiam vocatur, quod inter ſagmina, hoc eſt, gramina ex loco ſacro, præſertim arce Capitolii, cum ſua terra euulſa primum hæc honorem haberet. Vide *verbena.*

PERISTROMATA, ſunt ſtragula, quibus ægri ſolent inſterni. Item, tunicæ viſceribus circumiectæ, ex περιστρωννύω circumſterno.

PERISYSTOLE, eſt tempus quietis inter ſyſtolen & diaſtolen cordis.

PERITONÆVM, eſt membrana tenuis, polita, & lubrica; muſculis abdominis transuerſalibus proxime adhærens, quæ totum abdomen interius, eiusque viſcera exterius circumueſtit, conſtat ex tunica velut duplici, innumeriſque vaſis ſanguineis, lymphaticis, & abſorbentibus ſcatet. Arab. *Siphac*, a περιτείνω circumtendo. G. Die Haut, ſo um alle Eingeweide gezogen iſt.

PERITTOMA, eſt excrementum, poſt humorum coctionem in corpore, relictum. Item reliquiæ morborum a περιττεύω redundo.

PERIZOMA, eſt cinguli ſpecies herniosis præſertim vtilis. Vide *amma.*

PERLA, vide *margarita.*

PERNIO, Gr. χίμετλον, & μάλκη, eſt tumor rubens, pruriens, dolens, præternaturalis a frigore brumali, præcipue in pedibus & manibus excitatus, qui tandem in ſciſſuras & vlcerationes terminatur. G. Die Froſtbeulen.

PERONA, ſiue FIBVLA, ſic dicta, quod tibiæ muſculos coniungere videtur; etiam *ſura*, *canna*, *minor*, *focile minus* &c. eſt os minus & tenuius tibiæ extrinſecus attenſum, vt

radius

radius cubito, vnde *peronæus* tibiæ primus & ſecundus muſculus ſic appellatur. Vide *fibula*. G. Das Wadenbein, die Röhre im untern Schenckel.

PERONÆVS, vide *perona*.

PERPERACVTVS, vide *acutus*.

PERSICA MALVS, eſt arbor, cuius rami ſunt longi, extenſi, fragiles: folia oblonga, anguſta, acuta in margine dentata, ſaporis amari: calix monophyllus in quinque vel ſex ſegmenta profunde ſectus, expanſus, cauus, intra hunc flos roſaceus, pentapetalus, vel hexapetalus, petalis ex margine calicis caui interno enatis, & ſtaminibus triginta fœcundus: ouarium in imo fundo calicis, inſtructum tuba longa apice globoſo, ſcabro, prædita, fit fructus carnoſus, fere globoſus, iuxta longitudinem ſulcatus, fœtus oſſiculo profundis ſcrobiculis exſculptis ornato, in quo nucleus rubicundus, oblongus, plerumque vnus. Eius caro eſt medulloſa, vinoſa, ſucculenta, ſaporis grati, nucleus eſt compreſſus, ſaporis aliquantulum amari ſed grati; hæc arbor colitur in hortis. Sic forte appellata, quod ex Perſide primum aduecta ſit. G. Pferſichbaum.

PERSICARIA, penult. corr. ob vocalem ante vocalem. Perſicaria eſt planta, quæ habet caules rotundos, excauatos, rubicundos, ramoſos, nodoſos: folia perſicam referentia, aliquando maculata, aliquando non: flores ſpicati ex aliis foliorum ſupremorum naſcuntur, longis pedunculis adhærentes, quinque ſtaminibus donati, coloris purpurei, aliquando albi; calix quadrifidus: ouarium in centro calicis compreſſum, ouatum vel orbiculare, tuba bifida, fimbriata præditum: ſemen planum ex ouato acuminatum, nigricans; radix fibroſa; creſcit hæc planta in locis aquoſis, & habet ſaporem ad acidum vergentem. G. Mückenkraut, Flöhkraut.

PERSICVM, penult. corr.

Incita præcocibus ſurrepere Perſica prunis. Calph. ecl. 2.
Perſicon huic potum e nuce traditur interiore. Seren. tit. iecor. vit.

PERSICVS IGNIS, denotat morbum cauſticum & igneæ indolis, eſtque vel *anthrax* ipſe vel ei ſimilis. Vide *anthrax* ſeu *carbunculus*, ſumitur quoque pro *gangræna*.

PERSONATA, Gr. προσώπιον, προσωπὶς, ἄρκειον, eſt *lappa* ſeu *bardana*, appellata, quod ob foliorum magnitudinem, perſonæ faciem tegat, atque a ſolis calore defendat. *Perſonata* hac quondam ad perſonas vtebantur, quoties in theatris aliisue

ue locis qui cognoſci a populo nollent, egiſſe quippiam volebant. Vide *lappa.*

PERSPIRATIO, idem quod *diaphoreſis.*

PERVIGILIVM, idem quod *agrypnia.*

PERVINCA, vide *clematis daphnoides.*

PES, Gr. πȣ̃ς, ſumitur late pro femore, tibia & pede ipſo. Vel ſtricte pro pede, qui diuiditur in tarſum, metatarſum & quinque digitos. G. ein Fuß.

PES ANSERINVS, eſt ſpecies atriplicis: ſic dictus quod eius folia pedem anſerinum referant. Gr. *chenopus*, vide ſuo loco. G. Gänſefuß, Schweinstodt.

PES COLVMBINVS, eſt geranii ſpecies, ob ſimilitudinem cum pede columbino dictus. G. Taubenfuß.

PESSARIVM, eſt medicamentum oblongum, quod aduerſus varios vteri affectus, in craſſioris, longiorisque digiti figuram efformatum, in ceruicem eius immittitur. G. Mutterzäpflein.

PESSVLVS & PESSVS, idem quod *peſſarium.*

PESTIS, eſt morbus epidemius, contagioſus ex miasmate venenato aeris nimis aculeato, & euecto, primum ſuſcepto, deinde per contagium propagato, ortum ducens, qui occulte & latenter homines plurimos ſimul ſubitiſſimo aggreſſus, febres validiſſimas, ſpirituum extinctiones, cruoris ſolutiones vel coagulationes, ipſius & partium ſolidarum ſiderationes & νεκρώσεις infert, cum apparentia exanthematum, bubonum aut anthracum, nec non horrendo aliorum ſymptomatum apparatu, ægros in vitæ periculum adducit. G. Peſtilentz.

PETALVM, Gr. πέταλον, proprie bracteam vel laminam denotat. A Nicandro iam olim translatum eſt ad foliola florum. Hodie frequentiſſimo in vſu eſt hic terminus technicus in arte botanica, crebroque audiuntur flores monopetali, dipetali, tripetali, tetrapetali, pentapetali, hexapetali, polypetali: de quo conſulendi ſunt botanicæ artis magiſtri. G. Die Blumenblätter.

PETALOIDES, eſt vrina foliacea aut ſquammea, ex πέταλον folium, ſquamma, lamina, & εἶδος forma.

PETASITES, *Dioſcoridi l. 4. c. 108.* πετασίτης, penult. producit, vide *Abrotonites, ſequ.* Petaſites eſt planta, quæ habet caules plures, craſſos, excauatos, lanuginoſos: folia initio anguſta, acuta: vbi caulis eſt deciduus, oriuntur folia ampla, fere circularia, aliquantulum in margine inciſa, ſuperius ex viridi fuſca, inferius lanuginoſa & albeſcentia, pedunculis longis

longis adhærentia, craſſis, rotundis, carnoſis: radix oblonga, digitum craſſa, ramoſa, reſinoſa, foris fuſca, albicans, ſaporis acris, aromatici, amaricantis, odoris fragrantis: nomen accepit a foliorum magnitudine, pileum, ſeu petaſum referentium. G. Peſtilentzwurtz.

PETECHIÆ, PETECHIALIS febris, ſeu *Pulicaris* dicta, eſt febris qua cutis maculis, pulicum morſui ſimilibus, variegatur, deriuatur a voce italica *Pettechio*, ſignificante variolas purpureas. G. Fleckfieber, Butflecken.

PETIA, eſt linteamentum ex quo ſacculi formantur in vſum medicum. G. Ein Säcklein.

PETROLEVM, ſeu OLEVM PETRÆ, eſt liquamen, ſiue axungia macrocoſmi, pingue, liquidum ex bitumine fuſo expreſſum, tenuiſſimum, leuiſſimum, graueolens, inflammabile penitus, aquæ fontanæ ſæpe innatans, oleo ſtillatitio ſimillimum, e petris & ſaxis effluens. In Italiæ regione Mutinenſi ſtillat candidum & ruffum. In Sicilia fontibus innatat. Apud Meianum pagum in tractu Parmenſi album eſt. Babylonicum autem in ſuo fonte flagrare dicitur, ſecus Italicum. G. Steinöhl.

PETROSELINVM, penult. prod.

Peucedanumque, apiumque, melanthia, petroſelinum. Hont. 4.
Λωτὸν ἐρεπτόμενοι, ἐλεόθρεπτόν τε σέλινον. *Homer. Il. β.*
Καὶ σπέρμα νεμεαῖον ἀειφύλλοιο σελίνου. *Nicander.*

Petroſelinum eſt apii ſpecies: ſic appellatur, quod in petroſis rupibus, ſaxisue, locisque præruptis naſcatur: vel quod oreoſelinum (id eſt ſelinum montanum) a linguæ græcæ imperitis, in Petroſelinum mutatum ſit. G. Peterlein, Peterſilg.

PETROSVM OS, eſt interna oſſis temporum facies, ſic ob lapidis petroſam duritiem appellatum, canales tres ſemicirculares & cochleam continens ex πέτρος lapis, & εἶδος forma. G. Das Steinharte Bein im Ohre.

PETVM, eſt tabacum, dicitur Americanis *petune*, hinc quia eſt vox barbarica, eius etymologiam deſcribere neſcimus, vide *tabacum* & *nicotiana*.

PEVCE, Gr. πεύκη eſt *pinus, larix,* quæ vide.

PEVCEDANVM, *Dioſcoridi l. 3. c. 92.* πευκέδανος pen. corr.

Ναὶ μὴν πευκεδάνοιο, βαρυπνόου ἄττε καὶ ὀδμή. *Nicand. in Theriacis.*

Peucedanumque ſonat flammis, Erycinaque thapſos. Lucret. l. 9.

Peu-

Peucedanum eſt planta, quæ habet caulem excauatum, ramoſum: folia fœniculi foliis maiora, laciniata, trilobata: ſemina ſunt ouata, ampla, marginata, oblonga, inuolucrum deponentia: radix eſt craſſa, longa, externe nigreſcens, interne albeſcens, ſaporis pinguis, acriuſculi, vt fœniculi radix, odoris ſulphurei, eſt fœniculus porcinus; nomen accepit a pinu, quæ Gr. Πευκὴ dicitur, cui odore, vt ſapore quodammodo par eſt. Hinc poſteriores Lat. *Pinaſtellum* eum vocarunt. G. Haarſtrang, Schwebelwurtz.

PEZA: ſignificat imam plantam vel pedis molleolum.

PHACE, Gr. φακὴ & φακὸς eſt *lenticula*. G. Linſe.

PHACIA, idem quod *Lenticula*.

PHACOS, eſt macula faciei lentem referens, vnde *Lenticula* & *Lentigo* appellatur. G. Sommerflecken.

PHACOTOS, eſt ſcalpri chirurgici genus, lentem referens, a φακὴ lens.

PHÆNOMENA, ſunt omnia quæ ſecundum & præter ſanitatem in corpore noſtro apparent, a φαίνω appareo. G. Zeichen.

PHAGEDÆNA, eſt cancer exulceratus, a φάγω edo. G. Der Wolff.

PHAGEDÆNICA, ſunt medicamenta carnem ſuperfluam vlcerum, eorumque latera calloſa exedentia; item vlcera tumida, profunda, ſubiectas carnes erodentia, labia calloſa habentia, & ſanationi reſiſtentia ſic vocantur.

PHALACROSIS, eſt caluities ſiue capillorum decidentia & profluuium, ex φαλακρὸς caluus. G. Das ausfallen des Haars.

PHALANGIVM, & PHALANGITES, eſt planta florifera, cuius flos eſt nudus, hexapetalus, amplectens ouarium ſubrotundum, fœtum ſeminibus anguloſis: folia ſunt longa, anguſta, caulis ex imo foliorum erumpens, rotundus, ſic vocatur, quia creditur morſus phalangii animalis poſſe ſanare.

PHALANGOSIS, eſt palpebrarum vitium, quando duplicem aciem pilorum repræſentant, vel quando interius creſcunt, ita vt oculos pungant & lachrymas exciteut, a φάλαγξ acies. Item eſt vitium palpebræ ſuperioris, quod nimium ſit relaxatum, oculique aperturam & viſum impediat, niſi æger palpebram manu eleuet.

PHALANX, eſt oſſium digitorum ſeries, velut in aciem ſtructa. G. Eine Ordnung. Aliqui non recte ſcribunt *phalanga*.

PHALARIS, ſiue canarina, eſt planta, quæ habet caulem nodoſum; folia tritici, ſed minora; ſpica eſt craſſa, confecta ex glumis, ſemina oblonga, alba ſplendentia condentibus, ſqamniatim congeſtis; glumæ binæ, cauæ, carinatæ, ſemen medium vtriculo inuolutum tenentes, faciunt ſquammulas apparentes: hæc planta creſcit in Hiſpania & regionibus calidis, nomen habet ἀπὸ τῦ φαλαριᾷν, quod ſemen ſplendidum, candidumque reddat. G. Kanarienkraut.

PHANTASIA, eſt ſenſus internus ſeu *imaginatio*, qua aliquid menti repræſentatur & imprimitur, vt ſuo tempore cum eius expreſſione proferatur. Videtur quod imaginatio ſit ſpirituum animalium quædam vndulatio, interius in cerebri meditullio, & deinde verſus ambitum eius vndequaque expanſa, a φαίνω repræſento. Gr. φαντασία. Lat. *imaginatio*. G. Einbildung.

PHANTASMA, idem quod *phantaſia*.

PHARMACEVTICA, idem quod *pharmacia*, vel ſunt ea, quæ ab arte pharmaceutica dependent.

PHARMACIA, eſt ars ſimplicia medicamenta colligendi, depurandi, ſoluendi, componendi, aliis miſcendi pro ſcopo medici in vſum ægrorum. Eſt hæc vna ex tribus medicinæ fontibus, vnde auxilia quibus morbi profligantur, ſuppeditari debent: aliæ enim duæ partes audiunt chirurgia & diætetica, a φαρμακεύω medicamantis purgo. G. Die Apotheker-kunſt.

PHARMACOPOEA, eſt doctrina ſiue deſcriptio rerum medicamentalium quoad notas diſtinctionis, colligendi & depurandi modum, earumque vires & doſin exhibens, in vſum medicorum & pharmacopœorum: ſeu eſt doctrina medicamentorum, adeoque & *pharmacologia* eodem ſenſu dicitur. Vide *Diſpenſatorium*, a φάρμακον medicamentum, & ποιέω facio. G. Apothekerbuch, it. Apotheke.

PHARMACOPOEVS, ſiue SEPLASIARVS, eſt vir pharmaciæ peritus, qui nouit medicamenta colligere, eligere & componere: eſtque medici manus ſiniſtra, quamuis arte & ſcientia chirurgus anteponendus ipſi.

Læua manus *medici doctoris*, *pharmacopæus:*
Dextraque *chirurgas* iure vocandus erit.

Ex

Ex φάρμακον medicamentum, & ποιέω facio. G. Ein Apotheker.

PHARMACOCHYMIA, eſt illa chymia, quæ tantum præparationes medicamentorum tradit, quæ ſanitati humanæ inſeruiunt, ideoque hac in parte a *metallurgia*, arte *ſpagyrica* & *chyſopœetica*, facile diſtinguitur, G. Chymiſche Artzney.

PHARMACOPOLA, eſt is, qui medicamenta diuendit, ex φάρμακον medicamentum, & πωλέω vendo. G. Apotheker.

PHARMACVM, REMEDIVM, ſeu MEDICAMENTVM, eſt quicquid manente vita morbos in corpore humano impugnat & profligat: eſtque vel *actuale* vel *potentiale*: *ſimplex* vel *compoſitum*: *dogmaticum* vel *empiricum*: *externum* vel *internum*: *naturale* vel *artificiale*. G. Eine Artzney.

PHARYNGETRVM, nunc pro pharynge nunc pro oſſe hyoide ſumitur.

PHARYNGOTOMIA, idem quod *laryngotomia*.

PHARYNX, eſt ſuperior pars œſophagi, mouetur & conſtat ex tribus muſculorum paribus, *cephalopharyngæo*, *ſphenopharyngæo*, & *ſtylopharyngæo*, quibus accedit *ſphincter*, qui & *œſophagæus* vocatur. Eſt vocabulum Græcum, Latinis *fauces* & *frumen*. G. Der Rachen, Schlund.

PHASEOLVS, penult. corr. quia *Dioſcoridi l.* 2. *c.* 130. Φασίολος. PHASELVS vero pro eodem penult. producit:

Seu pinguem viciamque ſeres, vilemque phaſelum. Virgil. Georg. 1.

Phaſeolus vero, & Phaſelus, eſt planta, quæ habet folia terna, hederam terreſtrem referentia, ſed molliora, venoſa: flores ſunt leguminoſi, papilionacei, albi: flori ſuccedit ſiliqua longa, in acumen deſinens, in initio viridis, poſt maturitatem albeſcens, in duas partes dehiſcens: fœta ſeminibus reniformibus, quæ ſemina phaſeoli dicuntur, plerumque albi, tamen aliquando inueniuntur nigri, rubicundi, & vario colore inſtructi; primo ſunt ex Thracia delata, hinc fabæ Turcicæ vocantur. Gr. Δόλιχος, vtrumque nomen ab effigie & longitudine ſiliquarum, aut fructus accepit, qui lintrem, lembumque ſeu nauiculam exprimunt. G. Welſche Bohnen, Türckiſche Bohnen.

PHEGOPYRVM, idem quod *fagopyrum*.

PHELLANDRIVM, eſt aquatica planta cicutæ fere æmula, odore ſii, habetque caulem craſſiſſimum, ſtriatum excaua-

cauatum, nodoſum, in multos ramos diuiſum, qui rami ſe in alas extedunt: folia ampla, in margine inciſa, ſaporis grati, aliquantulum acris: flores in ſummitate caulium creſcunt, ſemina ſibi inuicem iuncta, aniſo craſſiora, obrotunda, fere ouualia, compreſſa, odorata, nigricantia, reliquum ſimile eſt cicutæ; creſcit in locis aquaticis, forte a φελλεύω fluito ſuberis more, & ἀνδρέομαι virile robur aſſumo, in aquis enim non tarde fluentibus intrepide quaſi & viriliter ſe erigit.

PHELLODRYS, ſuberis eſt arbor, a φελλὸς ſuber, & δρῦς quercus.

PHIALA, dicitur vas vitreum ex ventre amplo in modum ſphæræ rotundæ, gracilem canalem in proceritatem emittens; eius vſus frequens chymicis in coagulationibus & ſolutionibus. G. Eine Phiole.

PHILADELPHVS, eſt aparine, ſic dicitur, quod ob aſperitatem vicinis herbis tanquam fratribus adhæret, ex φίλος amator, & ἀδελφὸς frater. Vide *aparine.*

PHILANTHROPOS, eſt aparine: ſic dictus quod prætereuntium veſtibus adhæret, ex φίλος amans, & ἄνθρωπος homo. Vide *Aparine.*

PHILIATROS, eſt is qui medicam artem amat & in ea ſtudet, ex φίλος amator, & ἰατρὸς medicus.

PHILLYRA, & PHILYRA, tilia, habet folia oblonga, coniugata, ſemper vitentia; flos eſt monopetalus, campaniformis, quadripartitus; calice quadrifido contentus: ouarium in fundo calicis fit fructus ſemine rotundo. Dictam volunt, quod cortex eius aqua maceratus in tenues quaſi membranas ſiue philyras diſcerpatur.

PHILOCHYMICVS, dicitur is qui chymiam amat, ex φίλος amator, & χυμικὸς artis chymicæ peritus.

PHILONIVM, penult. corripit.

Quid referam multis compoſta Philonia rebus? Seren. tit. Iecor. vit.

Philonium, eſt medicamentum electuarii conſiſtentia, & quia recipit opium, opiatis annumeratur. Ita ab inuentore *Philone* vocatur; ſed huius medicaminis variæ occurrunt deſcriptiones. Gr. φιλώνειον.

PHILTRVM, eſt conacuitas labro ſuperiori impreſſa & diuidens, ſic quaſi amabile dicitur. Sumitur quoque pro medicamento amorem conciliante, *amatorium virus* Plin. *Amatorium poculum* Cic. eſt. Gr. φίλτρον. G. Ein Liebtrunck.

PHI-

PHIMOSIS, eſt quando præputio arcte adeo obtegitur glans, vt denudari nequeat, a φιμὸς, obturamentum.

PHLEBORRHAGIA, eſt venarum ruptio, a φλὲψ vena, & ῥήγνυμι rumpo. G. Ader Bruch.

PHLEBOTOMIA, eſt venarum ſectio per lancettam. Vide *venæ ſectio*, ex φλὲψ vena, & τέμνω ſeco. G. Das Aderlaſſen.

PHLEBOTOMVS, eſt is, qui venas ſecat: item inſtrumentum quo venæ ſecantur, ex φλέψ vena, & τέμνω, ſeco. G. Ein Lancet, Fliete, Laßeiſen.

PHLEGMA ſiue PITVITA, eſt materia ſubalbida, limpida, tenax, ſero ſanguinis craſſior, ex ſanguine crudo viſcidoque, vel ſtagnatione diuturna lymphæ tenuioris in cauis ſuis collectæ, & tenuiſſimis particulis ſpoliatæ, oriunda; & imprimis in cauis narium, ventriculi, inteſtinorum &c. hærens. G. Rotz, Schleim. *Phlegma* item eſt deſtillatus aquoſus, ſpirituoſo liquori contra diſtinctus liquor: item nubeculæ quæ in aquis deſtillatis aliquando apparent *phlegma* vocantur. Apud *Hippocratem* inflammatio ſic ſæpe ſonat. Sumitur interdum pro excretione viſcida.

PHLEGMAGOGA, ſunt medicamenta pituitam educentia, ex φλέγμα pituita, & ἄγω duco. G. Schleim austreibende Mittel.

PHLEGMASIA, inflammatio, æſtus, ardor, a φλέγω vro. Vide *phlegmone*.

PHLEGMATICI, ſunt qui nimia pituita abundant.

PHLEGMONE, ſiue INFLAMMATIO, Gr. Φλεγμονὴ & Φλεγμασία, eſt ſtagnatio ſanguinis rubicundi in vaſis arterioſis, anguſtioribus quam vt particulæ ſanguinis tranſire poſſint, cum attritu ſanguinis a tergo prementis, hinc coniungitur cum tumore, calore, rubedine, pulſatione & dolore loci, etiam contingit quia vaſa naturaliter lympham vehentia admiſerunt in initio ſuo globulos rubros, ob liquidi velocitatem & preſſionem, vel quod ipſa vaſa ſanguinea fuerint anguſtata, vel quod liquidum tranſmittendum ſit nimis craſſum, a φλέγω inflammo, vro. G. Entzündung.

PHLEGMONODES, eſt inflammatio leuis, tumens, phlegmonæ ſimilis, ex φλεγμονὴ inflammatio, & εἶδος forma.

PHLOGIVM, eſt violæ ſpecies, nomen videtur impoſitum ἀπὸ τῆς φλογὸς a flamma, quod florem, in quo flammei quid emicet, habeat.

PHLO-

PHLOGOSIS, idem quod phlegmone, a φλογόω incendo.

PHLOGMOS vt & PHLOMOS & PHLOX, vocatur *verbaſcum*, quia flammæ ſeu facis in modum aſſurgit, φλὸξ enim eſt flamma. G. Wullkraut, Kertzenkraut, Königskertze.

PHLYCTÆNA, ſiue PAPVLA, puſtula vel veſicula in cute excitata, alba, oriunda a ſtagnatione lymphæ in vaſis lymphaticis, vel a ruptione & effuſione lymphæ ex ſuis vaſculis. G. Waſſerblaſen. Item ſub cornea tunica, ab vlcuſculo puris collectio, vocantur & φλυκτίδης, φλυζάκια, & φλύζεις. Arab. *Saphati* ab aliis *Ignis ſylueſtris* appellatur, a φλυκταινῦμαι in puſtulas erumpo, vel ἀπὸ τῦ φλύειν vel φλύζειν quod bullire & feruere eſt, puſtulæ & veſiculæ quaſi a feruentibus & acerrimis humoribus excitatæ, iis, quæ ab igne vel feruente aqua excitantur, ſimiles. G. Hitzpocken, hitzige Blattern.

PHLCYTÆNODES, ſunt puſtulæ phlyctænis ſimiles.

PHOENICIVS MORBVS, idem quod *elephantiaſis*, ſic vocatus forte, quia in Phœnicia aliisque orientalibus plagis graſſatur, vel a colore rutilante: eſt & nomen alicuius emplaſtri.

PHOENIGMVS, eſt medicamentum, quod in cute per aliquod tempus applicatum, ſua valida actione rubedinem excitat, vti & *dropax* & *ſinapiſmus*, a φοινίσσω rubefacio. G. Ziehende Mittel.

PHOENIX, eſt palma ſeu dactyli arbor, quaſi φοῖνιξ, a ſanguineo cruentoque quarundam palmarum dicitur colore, a φοινίσσω rubefacio. G. Dattelbaum.

PHOSPHORVS, eſt quicquid in tenebris lucem de ſe ſpargit; vt lapis Bononienſis, qui certo modo calcinatus, in tenebris lucem de ſe mittit. Sic quoque vocatur oleum vrinæ, quod ſummam ignis torturam paſſum; ignem in ſe intricat, & deſtillatione ex terrea retorta tranſcendens, in aqua exceptum, formulis adaptatis infundi & figurari poteſt, & in tenebris ſe verum eſſe ignem oſtendit, ex φῶς lumen, & φέρω fero. G. Phoſphorus.

PHRAGMITES ARVNDO, ſic dicitur, quod inde ſepes fiant, e φράσσω ſepio: φραγμὸς enim eſt ſeptum.

PHRENES, ſunt *præcordia*, idem quoque quod *diaphragma.*

PHRENITICI NERVI, ſunt qui ad diaphragma pertinent.

PHRENITIS, PHRENITIASIS, ſeu PHRENESIS, eſt delirium cum febre acuta continua, ſæpe cum furore & excandeſcentia, inquietudine, rubore oculorum & faciei, aſpectu truculento, pulſu duro, reſpiratione rara & magna coniunctum, a ſpirituum animalium inordinato motu, ab exeſionibus meningum, inflammationibus &c. productum; nam ab irritationibus iſtis conuulſiones totius cerebri fiunt, vnde imaginatio perturbatur, & obiecta animæ non debite repræſentantur, a φρήν, mens. G. Tobſieber, Tobſucht.

PHRICE, idem quod *horror*.

PHRICODES, eſt febris horrifica, in qua vna cum calore horrores ſentiuntur, ex φρίξ horror, & εἶδος forma. G. Zitterende Fieber.

PHRYGANIVM, ſiue CREMIVM, eſt ſuffrutex: ſic forte dicitur a cremando, φρύγειν enim ſeu φρύττειν eſt cremare, arefacere, quia eius ſarmentis ignes ſtruuntur.

PHTHARTICVM, eſt medicamentum corrumpens & deleterium, a φθείρω corrumpo.

PHTHEIROCTONON, eſt *ſtaphys agria*, ſic dicitur quia eius ſemen pediculos enecat, a φθεὶρ pediculus, & κτείνω occido.

PHTHORA, eſt napelli deleterii ſpecies, a φθέω corrumpo, perdo, tela enim huius ſucco illita parant vulnera deleteria, niſi exciſione pernicies anteuertatur.

PHTIRIASIS, ſiue MORBVS PEDICVLARIS, eſt affectio, qua verminat corpus, ſcatetque pediculis. In hominis corpore primo exiguæ excitantur puſtulæ, quæ, ſi aperiantur, facile curantur, ſin minus in grauem morbum pedicularem incidunt. G. Lauſeſucht. Aliud genus eſt, quod dicitur ἄγριον ſiue ferum, quia ita corpori tenaciter adhærent, vt diuelli nequeant: ſunt lati pediculi in barba, palpebris, pectine & ſub axillis nidificantes. G. Filtzläuſe. Huc referuntur *ſirones*, *dracunculi*, *paſſio bouina*, *ricinus* &c. quandoque infantibus *pedicelli* ſuccreſcunt pedibus.

PHTHISICVS, eſt qui pulmonum tabe laborat, a φθέω corrumpo. G. ein Schwindſüchtiger.

PHTHISIS, TABES, Gr. φθόη, φθίσις, φθινὰς νόσος τηκεδὼν, πύη, eſt vniuerſi corporis conſumptio, ex pulmonum vel alterius viſceris nobilioris vlcere orta, cum febri lenta & continua coniuncta; ſæpe anhelitus fœtens, ſputa purulenta, &

& tuſſis comitatur, a φθίω corrumpo. G. Schwindſucht, Lungenſucht.

PHTHOE, idem quod *Phthiſis*.

PHV ſeu PHY, eſt valeriana: illa vox a Ponti incolis Græcis eſt mutuata: dici volunt a putore grauique odore, miſto nardeæ ſuauitati, quem *phu* ſeu *phy*, aduerbio admirantis, & abhorrentis aduerſamur ſubodorati. Vide *valeriana*. G. Baldrian, Katzenwurtzel.

PHYGETHLON, ſiue PANVS, eſt tumor ex inflammatione glandularum ortus, vt in peſte circa inguina &c. G. ein Geſchwulſt, ein Schlier.

PHYLACTERIVM, eſt amuleti ſpecies, qua venenati morbi arcentur, vt zenexton & alia.

PHYLLITIS, eſt ſcolopendriæ ſpecies: ſic dicitur quod folioſus ceſpes appareat, ex φύλλον folium.

PHYLLVM, eſt *mercurialis*.

PHYMA, ſiue TVBERCVLVM, generaliter ſic vocatur omnis tumor p. n. præſertim in ambitu extremo corporis, a cauſa quacunque interna proueniens. Gr. φύμα, quatuor vel quinque generum ſunt, verrucæ, calli, vari, furunculi & hydroa ſiue deſudationes, de quibus ſuo loco. Aliis eſt tumor glandularum duntaxat qui ſtatim augetur & ad ſuppurationem feſtinat, a φύω creſco.

PHYMATODES, eſt tuberculum *phymati* ſimile.

PHYSALIS, eſt lupulus, vel potius eius flores ſeu vmbellæ: forte dicitur a φυσάω inflo, quia cereuiſia cum lupulo cocta facile in bullas eleuatur. Eodem quoque nomine vocatur ſolanum veſicarium ob veſicas, φυσαλὶς enim eſt bulla, veſica.

PHYSALOS, eſt bufo, qui ſe mirum in modum inflare poteſt, a φυσάω inflo.

PHYSEMA ſeu PHYSESIS, eſt inflatio in quacunque corporis parte, inteſtinis vel abdomine, vt in tympanitide, a φυσάω inflo.

PHYSIOGNOMICA, ſunt ſigna, quibus nonnihil ex vultu præſagiri poteſt, ex φύσις natura, & γινώσκω cognoſco.

PHYSIOGNOMIA, eſt peritia in natura, hoc eſt, in creatis cognoſcendis, a γινώσκω cognoſco, & φύσις natura.

PHYSIOLOGIA, eſt medicinæ pars, quæ docet corporis humani conſtitutionem quatenus ſana eſt, quoad omnes

eius partes, fabricam tam ſolidorum quam fluidorum, ex quibus conſtat exhibens, legesque tradens iuxta quas hæc in ſe agant, quænam effecta producant, & cui vſui omnia deſtinata ſint, ex φύσις natura, & λέγω narro.

PHYSIS, idem quod *natura*.

PHYSOCELE, idem quod *pneumatocele*.

PHYSODES, eſt quod flatibus abundat: a φυσάω inflo.

PHYTOLOGIA, eſt pars medicinæ, quæ ſtricte ad *pharmacologiam* & late ad phyſicos pertinet. Eſt enim vegetabilium & plantarum cognitio, ex φυτὸν planta, & λέγω dico. Vide *botanica*.

PICA, eſt appetitus vix ſuperabilis eorum, quæ in nutrimentum commutari queunt, vel eorum, quæ neutiquam apta huic operi: huius mali cauſam obſeruationes docuere eſſe humorem acrem prædominantem in viſceribus chylopœeticis, vel ad ſtomachum & inteſtina delatum, vix niſi inſueto aſſumto compeſcendum, circuitum cruoris mutatum, imaginationem deprauatam; vnde virgines, grauidasque mulieres in primis mirabilis hic affectus occupat; raro autem viri eo infeſtantur, niſi qui aliquomodo hypochondriaci. Vide *citta*.

PICATIO, vide *dropaciſmus*.

PICEA, Gr. πίτυς, eſt abietis ſpecies, picem proferens.

PICRA, vide *hiera picra*.

PICRIS, ſic nominatur cichoreum, aliquando hieracium idque propter amaritudinem: πικρὸν enim eſt amarum.

PICROCHOLVS, eſt is, qui amaram bilem eructat, eaque abundat, ex πικρὰ amara, & χολὴ bilis. Choleriſch, voll von Galle.

PIESTRVM, eſt inſtrumentum chirurgicum ad contundenda oſſa capitis in extrahendo fœtu mortuo, a πιέζω, comprimo.

PIGRITIA, eſt maxima corporis tarditas cum appetitu otii & ſomni, metuque defatigationis, laſſitudinisque: ſed raro ſunt macilenti, vnde pigritia non tam in macie vel tabe pinguedinis carnisque & ſuccorum defectu, quam in ſuccis non ſatis agilibus & fibris motricibus, hinc inde obſtructis, conſiſtit. Ideo qui pingues, carnoſi, craſſique ſunt, longi item & ventre tumidi, ſolent pigri eſſe: at pigritia vnum eſt ex præcipuis ſcorbuti dicti ſymptomatis; Gr. ὄκνος. G. Faulheit, Trägheit.

PILA, ſpecies, mortarii eſt, ex varia materia fabricata, vt ænea, lapidea, vitrea, fictili &c. ſumitur & pro piſtillo. G. ein Mörſel.

PILARIS MORBVS, idem quod *phalangoſis* & *trichiaſis*.

PILI, ſunt corpora teretia & tenuia, variæ formæ & coloris, intus caua, in locis nonnullis exterioris ambitus corporis eminentia, per cutis poros penetrantia, radicem ſub ea figentia bulboſam, multis vaſculis ornatam, per pili ſubſtantiam diſtributis; inſeruientia fotui partium quibus ſupereminent, pororumque exhalantium defenſioni, ne ab externis comprimantur. Dicuntur & *crines*, & *capilli*, quamuis capilli capiti ſolummodo attribuuntur, quaſi eſſent pili capitis. G. Das Haar.

PILEVS, idem quod *galea* in fœtu. Item eſt inſtrumentum chirurgicum metallicum, vndique in vertice perforatum, quod exulceratis papillis nutricum applicari ſolet pro commodiori lactatione.

PILOSELLA, eſt gnaphalii ſpecies, dicta a copioſis pilis quibus folia inueſtiuntur.

PILVLA, penult. corr. vt cætera diminutiua in vla, vt bucula, ſportula, lingula, ligula, &c.

Aut platani pilulas acri infundemus aceto. *Seren. tit. reiect. cibi.*

Pilula, ſiue CATAPOTIVM, eſt medicamentum ſolidum ſphærica figura, piſi magnitudine, ex pulueribus, gummis, extractis &c. glutinoſo liquore exceptis, efformatum deglutitioni faciliori inſeruiens. G. Pillulen, Pillen.

PILVM, idem quod *piſtillum*.

PIMPINELLA, eſt planta, quæ habet caules rubros, anguloſos, ramoſos: folia oblonga, obrotunda, in margine dentata, bina vni coſtæ adhærentia: flores ſunt monopetali, rotati, plerumque quadrifidi ad centrum vsque, quatuor vel multis ornati ſtaminibus, prælongis, bracteis vero herbaceis, minutis, vix conſpicuis, vnde apetalon alii pronunciant: ouarium fit fructus quadrangularis plerumque, vtrimque acutus, modo vnicapſularis, modo bicapſularis, fœtus ſeminibus oblongis, coloris fuſci vel ſubrufi, ſaporis ſubamari, adſtringentis; odoris tenuis non ingrati: hæc planta creſcit in pratis & montibus. G. Bibernell, Bibinell.

PINEALIS GLANDVLA, vide *conarium*.

PINGVEDO, vide *adeps*.

PINNA AVRIS, eſt ſuperior & latior pars ipſius auris, quæ *ala* dicitur.

PINNA NASI, vide in *pterygium* & *ala*.

PINVS, truncus huius arboris eſt magnus, eleuatus, rectus, craſſus, in parte inferiori nudus, in ſuperiori vero ramoſus, corticem aſperum & rubicundum habens, lignum durum, flaueſcens, & odoratum: folia abietis foliis longiora, bina ſemper ex vna communi vaginula orta, parua, dura, ſemper viridia, acuta: flos mas amentaceus ſtaminibus conſtat plurimis in vno plantæ loco: fructus in eadem planta, loco a flore mare remoto, fit conus, tuberculis tetragonis conſtans, inter ſquamas duobus ſcrobibus excauatas, ſunt duo oſſicula, ſæpe alata, fœta nucleo oblongo; hæc arbor colitur in hortis, & in calidioribus regionibus creſcit in montibus. Germania veram pinum non alit, ſed pinaſtrum. Gr. πεύκη. G. Pienbaum.

PIPER, eris, penult. vtramque corripit, quia *Galeno l. 8. de ſimpl med. fac* πέπερι, πεπέρεως.

Ἤ πέπερι κνίδης τε μέγα ἀπεϱμεῖα λεήνας. *Nicand. Alexiph.* Piper, eius variæ ſunt ſpecies, vt *vulgare piper* ſiue *nigrum*, *melanopiper*. Secundo, *album*, ſiue *leucopiper*, & *longum*, *macropiper*; in Malabar maxima piperis prouenit quantitas; naſcitur & in Malacca, inſulis Iauæ vicinis, Sunda aliisque locis. Seritur ad radices alterius arboris, ad cuius vsque faſtigium ſeſe conuoluendo ſcandere ſolet, foliis raris, mali aſſyrii effigie, ſed minoribus, & per extremum acutis, virentibus, guſtu acri. Fructus vuarum fere modo racematim cohæret, quamuis racemi & fructus minores ſint: inter nigri & candidi plantam tam exigua eſt differentia, vt a nemine quam ab incolis dignoſci poſſint. Longum naſcitur in Bengala, cuius planta eadem quidem, ſed folia teneriora & pallide vireſcentia habet, imo & petiolum breuius. Virtute omnia calefaciunt, ſed album ſuperat nigrum, & illud iterum longum ſua præſtantia. G. Pfeffer.

PIPERITIS, eſt planta cuius folia & præſertim radices acrem & morſicantem habent ſaporem, ideoque a piperis acrimonia nomen mutuatur. Gr. λεπίδιον. G. Pfefferkraut.

PISSASPHALTVS, eſt natiuus vel factitius. *Natiuus* deſcribitur a Dioſcoride, quod naſcatur in Apollonia Epirotarum, quodque ex Ceraaniis montibus deuoluatur, & impetu fluminis raptus, rurſus æſtu in littus expuatur, ibique concreſcat. Et hac ratione nihil aliud eſſe videtur quam *aſphaltus*,

tus, de quo vide ſuo loco. *Factitius*, eſt mixtura ex pice ac bitumine, vnde & nomen accepit. Arabes veterum medicorum interpretes *mumiam* ponunt, quoties in Græco eſt piſſaſphaltus.

PISSELÆON, vide *pix*.

PISTACIA, penult. corr.

Quin & amygdaleos ſubeunt piſtacia ramos. Pallad. l. 14. Piſtacia, PISTACIVM, eſt arbor nucifera, cuius nomen a Syris inditum, ideoque eius originem neſcimus. G. Pimpernußbaum, Piſtachien.

PISTILLVM, eſt inſtrumentum pharmaceuticum, quo res in mortario tunduntur. In botanicis ſic vocatur pars illa floris, quæ eius centrum inter ſtamina occupare ſolet, & piſtilli oblongi pharmaceutici formam habet. Sumitur a Cl. *Tournefortio* pro ouario ſiue ſeminali conceptaculo: eoque ſenſu eſt femininum plantæ organum, ſemper bene tectum, & in intimo floris centro vt plurimum diſpoſitum, quod ſemina, quæ vera ſunt oua, vsque in perfectam maturitatem continet, conſeruat, & ab externis iniuriis defendit, & poſtquam fœcundata ſunt, vteri vicem gerit. Hæc autem ſingula, fœtus ad inſtar vmbilicali fune inſtructa, aſſurgenti ex vtero ſtylo annectuntur, qui intus cauus eſt; & ad ſuperiora exporrectus in veram vaginam expanditur, quæ diuerſa plerumque figura prædita mirum in modum in extremis oris fimbriata apparet. G. ein Stöſſer.

PISTOLOCHIA, eſt Ariſtolochiæ ſpecies fideliter partum expellens: hinc eius nomen a πιςὸς fidelis & λοχὸς puerpuera.

PISVM, eſt planta, quæ habet caules longos, cauos, fiſtuloſos, fragiles, coloris viridis, albeſcentis, ramoſos, repentes: folia ſunt oblonga, a caule quaſi penetrata, cætera pinnata, coſtis appoſita: flores ſunt leguminoſi, albi, punctis purpureis inſtructi, flori ſuccedit ſiliqua longa, inflata, cylindrica, fœta ſeminibus ſubrotundis, viridibus; ſed poſt ſiccitatem anguloſis albis, aut flaueſcentibus: radix eſt parua. Gr. πίσον, πίςον. Gr. λεκύθες nominant. G. Erbſen.

PITTACIVM, eſt pannus modicus, qui medicamento illitus affecto loco imponitur, πιττάκιον, πλάτυσμα, qui latior videtur, vt *ſplenium* oblongior. Wundpflaſter.

PITVITA, idem quod *phlegma*.

PITVITARIA, vocatur *ſtaphys agria*, quia maſticando pituitoſam ſaliuam copioſe elicit.

PITYRIASIS, vide *furfuratio*, πίτυρον furfur.

PITYROIDES, eſt vrinæ ſedimentum furfuraceum, ex πίτυρον furfur, & εἶδος forma.

PITYS, eſt *Pinus, Picea*, quaſi a πῖος, quia pingui abundat, vel a πίττα, ſiquidem ex ea pix defluit.

PITYVSA, eſt eſula, cuius folia pini foliis proxime accedunt: hinc nomen venit a πίτυς pinus.

PIX, Gr. πίσσα, eſt pars reſinoſa ex arboribus reſinoſis, vti pinu, abiete, larice, terebintho, cedro &c. vi ignis, extorta, modus fit per deſcenſum. Primo venit pix liquida: deinde craſſior & craſſiſſima, affertur copioſe ex Finlandia, aliisque circa Noruegiam locis. Pix liquida dicitur *piſſelæon Dioſcoridis*. Pix illa vbi denuo coctione purgatur, ſeu ſi mauis dephlegmatur, craſſeſcit magis & magis, diciturque pix ſicca, *palimpiſſa pix naualis*, quod nauibus picandis adhibeatur. G. Pech.

PIX GRÆCA, vide *colophonia*.

PLACENTA VTERINA, ſeu hepar vterinum, eſt ſubſtantia rubra hepati ſimilis, plurimis acinis glanduloſis & innumeris vaſorum tenuiſſimorum myriadibus referta. Habet venam vnam, & arterias duas ex funiculo vmbilicali, & vaſa forte lymphatica a partibus vicinis. Parte exteriore vtero adhæret, alterutri lateri indifferenter, frequenter tamen in medio, quemadmodum fructuum petiolus arbori, interius chorio obducitur, & qua parte vtero adhæret, membrana quoque intercurrit: ex vteri vaſculis minimis huc currentibus & cum orificiis vaſculorum placentæ communicantibus ſuccum, nutrientem, (non ſecus ac in papillis inteſtinorum contingit, quæ chylum imbibunt & vaſis lacteis communicant) accipit, qui per venam vmbilicalem, vna cum ſanguine refluo, in vſum fœtus faceſſit, cuius pars ſuperflua ab arteriis in amnion forte deponitur, vt fœtus etiam per os nutriatur. Forte vaſa ſanguinea placentæ cum vaſis vteri ſanguineis communicant. Placenta illa vna cum membranis, poſt enixum fœtum, etiam expellitur, & *ſecundinarum* nomine veniunt. G. Mutterkuchen, Nachgeburt.

PLADAROSIS, ſunt parua & mollia tubercula, internæ parti palpebrarum accreſcentia.

PLAGVLA, vide *ſplenia*.

PLANETICA ARTHRITIS, a πλανάω erro, vagor. Idem quod *arthritis vaga*.

PLANTA, eſt vegetabile integrum; ſiue arborem velis, ſiue fruticem, ſiue herbam, eſtque corpus organicum, per radicem terræ affixum, vnde nutrimentum capiens creſcit, ſicque diſtinguitur a reliquis rebus creſcentibus, viuentibusque. G. ein Gewächs, Kraut, eine Pflantze.

PLANTA PEDIS, eſt pedis inferior carnoſa & concaua pars, inter digitos & calicem. G. Die Fußſohle.

PLANTAGO, penult. prod.

Agninæ ſimilis foliis plantaginis huius. Macer.

Plantago, Gr. ἀρνογλῶσσον. Vide *arnogloſſum.*

PLANTARIS MVSCVLVS, hic a latera inter ſoleum & gaſtrocnemium ab externo femoris inferiore tuberculo exilis, longiſſimo tendinis tractu, emiſſus, teres infigitur externo calcis lateri, plantamque tegens totam, omnes adit digitos; eius officium eſt retrorſum extendere. G. Der Fußſohlenmuſcul.

PLASTICA VIRTVS, dicitur quæ vim habet aliquid formandi. Veterum eſt locutio & ignorantiæ aſylum; vt vis oſſifica, oſſifraga, expultrix, attractrix &c. a πλάσσω fingo.

PLATANARIA, eſt arundinis ſpecies, ob ſimilitudinem fructuum, quam globuli arboris platani habent, nomen accepit. G. Igelsknöpffe.

PLATANVS, eſt arbor, quæ in Aſia tam mirifice ramos expandit, vt plus quam mille homines ſua grata vmbra tegat. Nomen habet, ob folia lata & ampla, a πλατύνω dilato, ramos late diffundo. G. Ahorn, Maßholder.

PLATYPHYLLOS, eſt eſculus: vox ſonat *latifolia*, ergo a πλατὺ latum & φύλλον folium.

PLATYSMA, eſt linteum latum, quod vlceribus ſuperimponitur, a πλατὺ latum.

PLATYSMA MYODES, vide *myodes.*

PLECTRVM, vide *cion.*

PLENITVDO, eſt *plethora*, ſiue boni ſanguinis abundantia; quæ dicitur eſſe vel ad vaſa vel ad vires. Vide *plethora.*

PLERES ARCHONTICVM, eſt puluis quidam cephalicus: ſignificans *completum principale*, a πληρόω impleo & ἄρχων princeps.

PLEROTICA, ſunt medicamenta carnem reſtaurantia & implentia. Vide *ſarcotica*, a πληρόω impleo. G. Fleiſchmachende Mittel.

PLETHORA, eſt cum ſanguis, alendo corpori vtilis, in vaſis ſupra mediocritatem abundat, ita vt a minimo motu vehementiori, in ſtatu ſanitatis requiſito, ſtatim morbus inducatur: diciturque eſſe vel ad vaſa, cum ſanguis ita abundat, vt vaſa, quibus continetur, mole ſua diſtendat: vel ad vires quando tanta eſt ſanguinis copia, vt vaſa quidem non ſupra modum repleat; viribus tamen ſit grauis. Sed illa differentia, potius ad morbos referri debet quam ad ſanitatem: nam ſi vaſa diſtendantur, craſſum ſanguinem & obſtructiones indicat: & ſi homines viribus fuerint graues, obſtructiones & compreſſiones vaſorum minimorum & neruorum ſignificat, a πλήθω plenus ſum. G. Blutreich.

PLETHORICVS, eſt is, qui multo ſanguine & ſuccis abundat. G. Vollblütig.

PLEVRA, ſiue MEMBRANA SVBCOSTALIS, eſt membrana thoracem eiusque viſcera intus ſuccingens. G. Das Bruſtfell, Ribbenfell.

PLEVRITIS, eſt pleuræ & muſculorum intercoſtalium inflammatio, cum febre acuta, continua, punctorio lateris dolore, aucto in inſpiratu: in exſpiratu, vel animæ retentione, mitiori, quare coniungitur cum difficili reſpiratione, pulſu duro, tuſſi, ſputoque interdum cruento, eſtque vel *vera*, vt ſupra definiuimus, vel ſpuria, a πλευρὰ latus. G. Das Seitenſtechen, Seitenwehe.

PLEVRITIS NOTHA, ſeu SPVRIA, eſt ſpecies pleuritidis, in qua muſculi intercoſtales externi, vel muſculi alii his incumbentes, vera inflammatione corripiuntur, cum ſignis nonnullis pleuritidis modo deſcriptæ.

PLEVRORTHOPNOEA, eſt lateralis morbus, in quo non niſi erecto collo reſpirare poſſumus, ex πλευρὰ latus, ὀρθὸς rectus, & πνέω ſpiro.

PLEXVS CHORIOIDES, ſupra glandulam pinealem, velut ſupra fibulam ſuſpendi videtur: iſte plexus ad hunc modum conſtituitur: ex vtroque medullæ oblongatæ latere, vbi cerebri limbus ei connectitur, duæ arteriæ e poſterioribus carotidum ramis, vbi vertebralibus vniuntur, oriundæ, recta aſcendunt; quæ ſtatim diuiſæ, velut plures riui iuxta conſiti, verſus glandulam pinealem euehuntur, ibidemque mutuo occurſu terminari videntur; atque illic loci, e ſinu quarto ſurculi venoſi vtrinque prodeunt, qui pariter in filamenta diuiſi, arteriis capillaribus obuiam fiunt, inque illos pluribus in locis inoſculantur, & varie complicantur; adeoque hæc vaſa, inter ſe pluri-

plurimum irretita, & glandulis interſerta, plexus admirandos conſtituunt. G. Die Netzgleiche Blutgefäſſe.

PLEXVS GANGLIOFORMIS, dicitur, quando varii nerui in vnum nodum, ganglio ſiue nodo ſimilem, coaleſcunt.

PLEXVS NERVOSVS, dicitur, cum duo vel plures nerui coeunt, & extuberantiam velut nodum conſtituunt. G. ein geflochten Sennaderknopf.

PLEXVS RETICVLARIS ſeu RETIFORMIS, vide *plexus chorioides*.

PLICA, eſt morbus *Polonis* endemius, quando capilli capitis in vnum cirrum, vel plicam concreſcunt, inſtar caudæ vaccinæ, adhæc etiam gibbi fiunt, laxantur artus, membra conglobat & retorquet, pediculos fundit, aliaque ſymptomata inde proueniunt. G. Marenflächte, Judenzöpfe.

PLVMACEOLA, idem quod *ſplenia*.

PLVMBAGO, idem quod *molybdæna*.

PLVMBAGO, eſt perſicaria, dicta quod maculas habeat, plumbeas.

PLVMBVM, eſt metallum molliſſimum, ante ignitionem in igne liqueſcens, fumando auolans. Diu fuſum per vaſa pleraque tranſit, ante ignitionem calcem eiicit, vitreſcit cito, tum fuſum nullo vaſe in igne contineri vltra poteſt: cum metallis impuris vitreſcit, tumque eadem ſecum ex caua ſuperficie catilli docimaſtici abripit, ſolum aurum & argentum pura a cæteris relinquit, in aqua forti, non in aqua regia, ſoluitur, ſalemque dat dulcem, minime ſonorum eſt, coloris liuidi, ſpecificæ grauitatis ad aquam, vt 11345. ad 1000. G. Bley.

PNEVMATOCELE, eſt ramex ſeu hernia ventoſa; cum ſcrotum a flatibus diſtenditur, a πνεῦμα ventus, & κήλη tumor. G. Windbruch.

PNEVMATODES, eſt anheloſa reſpiratio, a πνέω ſpiro, & εἶδος forma.

PNEVMATOSIS, eſt ſpirituum animalium generatio, quæ fit in glanduloſa corticali cerebri ſubſtantia, niſi forte vaſcula ex ſanguineis recte oriunda ſint neruorum communicatoria: illic arteriolæ deplentur, & ſpiritus extillant, qui poſtquam cerebri meditullium ſubierint, totum neruoſum genus, motibus actionibusque ſenſitiuis perficiendis, irradiant, a πνεῦμα ſpiritus. G. Geiſtmachung.

PNEVMATOMPHALVS, eſt vmbilici, a flatibus in ventre collectis, protuberantia, ex πνεῦμα flatus, & ὀμφαλὸς vmbilicus. G. Des Nabels Windbruch.

PNEVMON, Gr. πνεύμων, pulmo, a πνέω ſpiro. Vide *pulmones.*

PNEVMONANTHE, eſt campanula autumnalis: & vox ipſa ſignificat *florem pulmonalem*, ſed an inſeruiat morbis pulmonum, necdum compertum habeo, ex πνεύμων pulmo, & ἄνθος flos. G. Lungenblume.

PNEVMONICA, ſunt quæ reſpirationem facilitant, a πνέω ſpiro.

PNIGALIVM, idem quod *ephialtes*, a πνίγω ſuffoco.

PNIGMVS, eſt ſuffocatio, ſeu ſtrangulatio, a πνίγω ſtrangulo.

PODAGRA, eſt arthritis pedum, vide *arthritis*, a πᾶς pes, & ἀγρεύω capio. G. Das Zipperlein an den Füſſen.

PODAGRA DENTIVM, idem quod *odontalgia.*

PODEX, idem quod *anus.*

POLEMONIVM, nonnullis *Been album.*

POLIVM, eſt planta graueolens, quæ habet caulem obrotundum, tenuem, durum, lignoſum: folia oblonga, lanugine flaua inſtructa, dentata, craſſa: flos eſt monopetalus, labiatus, cuius labii ſuperioris locum occupant ſtamina, labium vero inferius in quinque partes diuiditur; ex calice autem ſurgit piſtillum poſticæ floris parti ad inſtar claui infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui abeunt in totidem ſemina in capſula, quæ floris calix fuit, recondita, obrotunda, minima; flores in capitulum collecti ſummis ramulis & caulibus innaſcuntur, ſuntque aurei coloris, odoris penetrantis, aromatici ſaporis amari: creſcit hæc planta in regionibus calidis in montibus, dicitur a canitie, canisque capillamentis & tomento hirſuto, quæ non modo capitula corymbacea, ſed etiam vniuerſam plantam incanam reddunt, perinde ac gnaphalium. Gr. πολιὸς, canus. G. Poley.

POLLEX, vide *digitus.*

POLLVTIO NOCTVRNA, eſt inuoluntaria ſeminis, cum titillationis ſenſu, per libidinoſa inſomnia, excretio. G. Samenfluß.

POLYACANTHA, eſt cardui ſpinoſi ſpecies, ex πολὺ multum & ἄκανθα ſpina.

POLY-

POLYANTHEMVM, eſt planta multos flores proferens, ex πολὺς multus, & ἄνθος flos.

POLYCHRESTON, eſt medicamentum multis morbis accommodatum: hinc hoc nomine nitrum ſulphure accenſo & ignitione præparatum donari ſolet.

POLYCHRONIVS, eſt morbus diuturnus, qui ad menſes & annos plurimos ſæpe extenditur, ex πολὺς multus, & χρόνιος diuturnus. G. Langwierige Kranckheit.

POLYGALACTOS, eſt fœmina, quæ multo lacte abundat, ex πολὺ multum, & γάλα lac.

POLYGALA, eſt herba lac generans, vel multum ſucci lactei habens, ex πολὺ multum, & γάλα lac: habet caulem tenuem, folia exigua, graminea, oblonga, & obrotunda: flores ſunt monopetali, perſonati, perforati, exigui, in ſpicas congeſti: labio ſuperiori erecto, & inferiori bifido, quod magis prominet: poſt florem ſequitur fructus compreſſus, in duo loculamenta, ſemina oblonga continentia, diuiſus; floris calix quinquifidus hunc florem inuoluit: creſcit hæc planta in locis incultis: oues præ omnibus graminum ſpeciebus hanc eligunt: nullas vires præter eas, quæ gramini communes ſunt, habere videtur.

POLYGONATVM, *Dioſcoridi lib. 4. c. 6.* πολυγόνατον, penult. corr. quia a γόνυ, γόνατος, vel γένατος genu.

Ἤλασε, τῆ δ' αὐτῆ λῦτο γένατα, καὶ φίλον ἦτορ. *Hom. Il. Φ.*

Polygonatum eſt ſigillum Salomonis, planta hæc habet caules rotundos, politos, nullos ramos dantes, in ſummitate aliquantulum incuruatos: folia ad caulem alternatim diſpoſita, oblonga, coloris ſubfuſci: flores ſunt monopetali, campaniformes, tubulati, nudi, multifidi, vni cauli adhærentes pedunculis breuibus, in ſex ſegmenta fiſſi, ſex ſtaminibus e latere interno floris enatis præditi: ouarium ex floris centro natum tubam emittit longam, apiculo fimbriato inſtructam, & fit bacca mollis, fere rotunda, continens ſemina oualia, dura, alba; radix eſt longa, digiti craſſitiei, per interualla articulata, & nodoſa, alba, ſaporis ſubdulcis: creſcit in ſiluis, ſic dicitur a radice geniculorum frequentibus nodis ex interuallis tumente, ex πολὺ multum, & γόνυ genu, ſeu nodus. G. Weißwurtz.

POLYGONVM, penult. corr. quia *Dioſcoridi l. 4. c. 4. & 5.* πολύγονον a γόνυ, ατος. *Nicander* quidem in *Theriacis* penult. prod. ſed neceſſitate metri, vt in hexametro locum inueniret. Polygonum, ſeu CENTVMNODIA, eſt planta, quæ habet caules longos, tenues, tenaces, plerumque repentes,

tes, creberrime geniculatos: folia oblonga, anguſta, acuta, caulibus breuibus adhærentia, & alternatim diſpoſita; calix eſt quinquifidus, infundibuliformis, qui per maturitatem fit capſula ſeminalis: flores apetali, plurimis ſtaminibus conſtantes, parui, qui ad foliorum alas oriuntur: ſemen perfecte triangulare eſt, ſat craſſum, coloris caſtaneæ; radix longa, ſatis craſſa, fibroſa, valde repens, ſaporis adſtringentis: hæc herba in viis frequens, ex πολὺ multum, & γονή genitura. Vocatur etiam *ſeminalis*, a ſeminis multitudine: & *ſanguinalis*, a ſanguine cohibendo: vt & *corrigiola*. G. Weggras, Wegtritt.

POLYPHORA, ſunt potus ſeu vina plurimis ſpiritibus pollentia, ex πολὺ multum, & φορέω fero. G. Starck Getränck.

POLYMORPHVM OS, idem quod *ſphenoides os*, & *cuboides*.

POLYNEVRON, vide *arnogloſſum*.

POLYPHAGIA, eſt multi alimenti aſſumptio, ex πολὺ multum, & φάγω edo.

POLYPHARMACON, idem quod *polychreſton*, ex πολὺ multum, & φάρμακον, medicamentum.

POLYPODES, dicti *aſelli* & *milkepedes*: eſt inſectum diureticum. G. ein Kellerwurm.

POLYPODIVM, eſt plantæ genus, cuius folia ad neruum pene in partes anguſtas & oblongas ſecari ſolent: fructus foliis innaſcuntur; capſulæ ſcilicet membranaceæ ſphæricæ, in aceruulos congeſtæ annulo carentes, quæ fibrarum contractione rumpuntur & ſemina fundunt minutiſſima: radix eſt oblonga, minimi digiti craſſitie, foris rufeſcens, intus herbacea, ex viridi palleſcens, multis nodis & tophis quaſi acetabulis geniculata, ſaporis ſubacris dulcis, quodammodo adſtringentis & nauſeoſi: eſt ſpecies filicis in opacis ſyluis & montibus ad petras muſcidas, imprimis ad radices caudicesque vetuſtos arborum fagi, coryli, quercus naſcitur, ex πολὺ, multum & πȣ̃ς pes: repit enim quaſi plurimis pedibus: vel nomen accepiſſe ferunt, a radice ſcil. quæ ſcirrhos & acetabula polyporum modo habet: *filicula* etiam vocatur a ſimilitudine foliorum cum filice. G. Engelſüß, Baumfarn.

POLYPVS, eſt tumor in cauitate narium excreſcens, eſtque duplex, vel turundæ formam refert, & *ſarcoma* generali nomine vocatur: vel ramulis aut pedibus variis ad oris interiora aut naſi exteriora ſe extendit; color eſt albus; ſæpe ad rubedinem vergit; aliqando liuidus, & niger, huiusmodi excre-

ſcen-

ſcentiæ in naribus, & finibus craſſæ meningis aliquando contingunt; in corde quoque & arteriis maioribus ſanguis, pro tempore ſtagnans, ob animi deliquia &c. concreſcit in maſſam ſolidam tenacem, poſtea non diſſoluendam, quæ vel libere in vaſis illis aliquamdiu fluctuat, donec impellatur trunco vni alteriue, vel accreſcit lateri vaſis quod ſumme extendit, & vocatur *polypus*, ex πολὺς multus, & πȣ̃ς pes. G. ein Naſengeſchwär, Hertzgewächs.

POLYSARCIA, eſt nimia corpulentia corporis, ex πολὺ multum, & σάρξ caro. G. Ungemeine Dicke, Fettigkeit des Leibes.

POLYSPASTON, eſt machinamentum articulis reponendis accommodatum: ita dictum, quod multis orbiculorum circuitionibus facilitatem præſtat, ex πολὺ multum, & σπάω traho. G. ein Flaſchenzug.

POLYSPERMOS, qui ſemine diues eſt, ex πολὺ multum, & σπέρμα ſemen.

POLYTRICHVM, eſt capillus veneris, ſic dicitur ob capillarem faciem, ex πολὺ multum, & θρὶξ capillus, dicitur quaſi *multicomum*, quod capillos denſos ac multos faciat, eiusque defluuia expleat. Eſt & aliud *polytrichum*, quod muſci ſpecies eſt, aurei coloris, ſic dicta a ramulis, qui capillorum inſtar tenues ſunt. G. Frauenhaar.

POLYTROPHIA, eſt nutritio multa.

POMAMBRA, dicitur, quaſi pomum ex ambra aliisque odoramentis compoſitum. Ingredientia ſunt plerumque ambra gryſea, moſchus, zibethum, ladanum, benzoin, ſtyrax calamita, oleum cinamomi, oleum caryophyllorum &c. ex hiſce cum mucagine alicuius gummi, globuli maiores ſeu poma odoris gratia componuntur.

POMATVM, eſt vnguentum grati odoris, pinguedinem porcinam & poma recipiens, vnde nomen. G. Apfelſalbe, Pomade.

POMPHOLYGODES, vrina eſt, cui in ſuperficie plurimæ bullæ innatant, quæ plerumque in flatibus & doloribus corporis obſeruantur, a πομφολυγόω bullas excito.

POMPHOLYX, penult. corr. quia *Dioſcor. l. 5. c. 85.* πομφόλυξ.

Andrachnen, acoronque, apopanaca, pompholygemque. Vindician. v. 58.

Pompholyx, nihil album, eſt fauilla tenuiſſima & volatilis, quæ, dum æs in fornacibus perficitur, ſupernæ earum parti ad-

adhæreſcit. Coit ibidem in glomuſculos vellerum lanæ ſimiles, contactaque farinæ modo diſpergitur. Eodem modo & cadmia, vi ignis violent in fauillam ſeu tutiam redigi poteſt. Arab. *Tutia.* Lat. *Bulla.* G. Weiß Nichts.

POMVM & POMVS, latius patet quam malum, comprehendit enim fere omnes fructus molliorem corticem habentes. Gr. *μῆλον, ὀπώρα.* Nonnulli a *πόμα* potus deriuant, quod ſitim ſedant.

POMVM ADAMI, eſt protuberantia illa in collo anterius conſpicua. Nihil aliud eſt, quam capitis laryngis protuberantia. G. Adamsapffel. Eſt etiam mali aurantii ſpecies: nomen accepiſſe ferunt, quod cortex rimis quibusdam exaſperatur, ac ſi dentibus demorſus eſſet.

POMVM ODORIFERVM, idem quod *pomambra.*

PONDO, idem quod libra, quæ medicis eſt XII. vnciarum. De ponderibus videndi ſunt auctores, qui hoc argumentum ex inſtituto tractant. G. Pfund.

PONS VAROLII, ſunt proceſſus quidam cerebelli globoſi, prope vermiformes, ſic a *Varolio* inuentore dicti.

PONTICVM ABSINTHIVM, nomen habet a Ponto regione, in qua naſcitur.

POPLES, eſt articuli iſtius, quo os femoris articulatur oſſi tibiæ, pars interior, ſiue poſterior, qua crus flectitur. Gr. *ἰγνὺς* & *ἰγνύα.* G. Die Kniebüge.

POPLITEVS MVSCVLVS, eſt vnus ex iis, quibus tibia mouetur. Externo infernoque femoris oſſeo tuberi adnatus, oblique, itidem tibiæ ſuperiori poſteriorique eminentiæ quadrata ex parte figura inſeritur. G. Der Kniebügen-muſcul.

POPLITEA VENA, ex duplici ramo crurali miſto conſtat, & ſub cute tecta poſterius per medium poplitis flexum, excurrit vsque ad calcem, aliquando ad malleoli cutim.

POPVLAGO, eſt planta, quæ habet caules ramoſos, rotundos; folia rotunda, ampla, polita, leuiter crenata in margine, coloris ex viridi obſcuri, chelidonii minoris foliis ſatis ſimilia: flores ſunt polypetali, roſacei, nudi, ranunculoides: piſtillum floris abit in plurimas vaginulas, quæ deorſum pendentes ferunt plurima ſemina plerumque oblonga: radix fibroſa, albeſcens: hæc planta creſcit in locis aquoſis: eſt *tuſſilago* altera, dicitur & caltha paluſtris, & chelidonia paluſtris, ſic

ſic dicta ob foliorum albedinem, quam cum populo arbore communem habet.

POPVLEVM, eſt vnguenti nomen, ſic dictum, quia componitur ex oculis ſeu gemmis populi, quibus additur *bardana*, *hyoſcyamus*, *lactuca*, *mandragora*, *papauer nigrum*, *ſemperuiuum maius* & *minus*, *ſolanum*, *violaria*, *vmbilicus veneris*, *rubi cymæ*, & *porci axungia*. G. Pappelſalbe.

POPVLARIS MORBVS, idem quod *endemius* aut *epidemius*.

POPVLVS, arbor, penult. corr.

Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho. Virg. Ecl. 7.
Qualis populea mœrens philomela ſub vmbra. Virg. 4. Ge.

Inde vnguentum populeum, non populeonis, vt perperam Officinæ. Populus, ſeu FARFARVS, eſt arbor procera, quæ habet folia fere circularia, inciſa, dura, nigricantia, ſemper tremula, licet nullus adſit ventus: flos eſt amentaceus, plurimis nempe foliolis apicibus donatis conſtans, ſed ſterilis; teneri enim fructus innaſci ſolent iis populi ſpeciebus, quæ floribus carent, ſpicati, plurimis foliolis compoſiti, ſub quibus latet campana quædam embryonem complectens; is autem abit deinde in ſiliquam membranaceam, bifariam dehiſcentem, ſpicatam, ſeminibus fœtam pappis inſtructis: initio veris oculos ſeu gemmas producit, mucronatos, odorato, luteo, pingui, ac tenaci ſucco prægnantes. G. Alberbaum, Pappelbaum, Aſpen.

PORCELLVS, eſt inſectorum ſpecies, quæ & *aſelli* & *millepedes* dicuntur. G. Kelleresel.

PORI, dicuntur meatus exigui & inſenſiles cutis aliarumque partium, per quos ſudor & effluuia vaporoſa ex corpore decedunt. G. Schweißlöcher.

POROCELE, eſt hernia ex callo aut calculo excitata, in membrana erythroide hærens, renitens, dura, & inæqualis: ex πῶρος callus, & κήλη tumor.

POROMPHALVS, eſt calculus aut callus, in vmbilico protuberans, ex πῶρος, callus & ὀμφαλὸς vmbilicus.

POROSIS, eſt calli generatio, a πῶρος callus.

POROTICA, ſunt medicamenta callum generantia, ſeu quæ exſiccando, incraſſando, & adſtringendo partis alimentum in callum conuertunt, a πωρόω callum indueo.

PORPHYRITES, eſt lapis ſatis durus, ſuperficie læui & æquali, ſuper quo, ancillante alio lapide, curſore dicto, alii

alii lapides, gemmæ &c. in ſubtilem puluerem rediguntur. G. Reibſtein.

PORRACEA BILIS, vide *bilis*.

PORRVM, eſt planta, quæ habet folia ex tunicis radicis enata, plana, quandoque carinata; caulis eſt rectus, craſſus, ſolidus, ſucculentus: flos hexapetalus, quaſi campaniformis, ornatus ſtaminibus latis, planis, in tria capillamenta exeuntibus, quorum medium apice donatur; flos in faſciculos globoſos colligitur: ouarium fit fructus ſubrotundus, trilocularis, fœtus ſeminibus ſubrotundis: bulbi ſunt oblongi, anguſti, fere cylindrici, tunicati, politi, ſplendentes, albi: tota hæc planta habet odorem allii, & colitur in hortis; planta hæc ita tunicata eſt, vt bulbus totus in tunicas poſſit reſolui, & folia ſint tantum elongatæ ſqammulæ bulbi: Gr. πράσον. G. Lauch.

PORRVS, eſt verrucæ ſpecies, quæ habet quasdam radices ad extra, ad ſimilitudinem porrorum, & ita minutim fixas. G. Hüneraugе.

PORRIGO, idem quod *furfuratio*.

PORTA, Gr. πύλη, ſic vocatur hepatis pars ſima, vbi duæ paruæ inueniuntur eminentiæ ſeu protuberantiæ, quas *portas* appellarunt veteres medici, putantes chylum per facultatem attractricem ſuccum ex inteſtinis in venas meſaraicas ad venam portarum attrahi, & per vim hepatis aſſimilatricem in ſanguinem conuerti. *Vena*, quæ ibidem loci ex viſceribus imi ventris ſanguinem in hepar ducit, ideo *vena portæ vocatur*. G. Die Leberpforte.

PORTVLACA, penult. prod. vt paſtinaca.

Andrachne græce, quæ portulaca latine. Marcel. l. 1.

Portulaca eſt planta, quæ habet caulem rotundum craſſum, rectum, ſucculentum, tenerum, politum, ſplendentem, rubicundum, in ramos diuiſum: folia ſucculenta, oblonga, fere rotunda, craſſa, carnoſa, ſaporis viſcoſi, ſubacidi: flos eſt roſaceus, plurimis petalis in orbem poſitis conſtans, ex cuius calice monophyllo & bifido ſurgit piſtillum, quod deinde ſimul cum calice abit in fructum, plerumque ouatum, ſeminibus fætum orbicularis, nigris, paruis. Gr. ἀνδράχνη, πυλὶς, πυλίδιον, χοιροβότανον, porci herba. G. Portulak.

PORVS BILARIVS, ſeu HEPATICVS, eſt canalis, ex tota hepatis ſubſtantia vndique oriundus, ex minimis in maiores canales deſinens, tandem in vnicum, qui ductui cho-

lido

lidocho inſeritur; vehitque bilem, in glandulis hepatis præparatam, ex hepate; eamque in inteſtinum duodenum amandat. *Porus* etiam omnem ductum & meatum ſignificat, a πείρω peruado. G. Der Gallengang.

POSCA, putatur dici a πόσις potio, idem quod *oxycratum.*

POSSETVM, Gr. ζυθόγαλα, eſt lac decoctum, cui ſub finem coctionis cereuiſia infunditur, tunc liquidum ſerum in febribus ſorbendum datur, & coagulum remouetur, potio eſt Anglis familiaris. G. Biermolcke, Poſſet.

POSTBRACHIALE, idem quod *metacarpus.*

POTAMOGEITON, Lat. Fontalis, quia fontibus & præſertim fluminibus vicina eſt. Siquidem in aquoſis & paluſtribus locis naſci amat. *Stachyites* Gr. σαχυίτης vocatur, quaſi ſpicata, ob caulem, quem ex ſe mittit floribus & ſemine ſpicatum: ex ποταμὸς fluuius, & γείτων vicinus. G. Schwemmenkraut.

POTENTILLA, ſiue ARGENTINA, vide *anſerina*, & *argentina.*

POTIO, ſeu POTVS, a potare, eſt mixtura vel diſſolutio ex variis; vel decoctio, quæ bibitur, aut hauſtus, decoctum, emulſio, iulapium. G. ein Tranck.

PRÆCIPITANTIA, ſunt, quæ acidum in corpore noſtro infringunt, & quaſi præcipitant: eſt vox a chymicis mutuata, quia præcipitando res alterius indolis fiunt. Vide *abſorbentia.*

PRÆCIPITATIO, eſt quædam minimarum particularum in liquore conueniente ſolutarum, & per contrarium liquorem infuſum, ſubſidentia & reuiuiſcentia. Si corallia aliique lapides, & margaritæ, oculi cancri, argentum viuum &c. aqua forti ſoluta ſint, & ſal aliquod alcalicum iniiciatur, particulæ antea inuiſibiles, ſtatim ſub pulueris forma ſubſident. Ita ſulphurea, vt ſuccinum, lacca, reſina &c. ſpiritu vini ſoluta, ab infuſa aqua præcipitabuntur. G. Niederſchlagung, Präcipitation.

PRÆCORDIA, Gr. φρένες, ſunt viſcera omnia in thorace contenta. G. Das Obereingeweide, die Gegend der Hertzgrube.

PRÆFOCATIO VTERINA, vide *hyſterica paſſio.*

PRÆPARANTIA VASA, ſed melius *teſticularia*, ſunt venæ & arteriæ ad teſtes & epididymides euntes, ſic a veteribus appellantur, ex præiudicio putantibus in iis ſemen præparari.

Vena plurimis ramificationibus & anaſtomoſibus: arteria vero recto ductu, duabus aut ad ſummum tribus bifurcationibus incedit, & anaſtomoſibus lateralibus in venam hiat. G. Die Samengefäſſe.

PRÆPARATA, in pharmacia hoc nomen denotat medicamenta ſimplicia, videlicet ſolida, ſubtiliſſimum in pulverem, linguæ tactum fugientem, accedente aqua conuenienti, ſupra porphyritem læuigata, denuoque ſub paſtillorum forma exſiccata: ſic proſtant corallia, cornu cerui &c. Nec non alia ſimplicia medicamenta, quæ interdum aceto, vino, vel alio liquore, per aliquot dies immerguntur, rurſumque exſiccantur, correctionis nimirum, vt creditur, gratia: ſic præparatorum numero habentur radices aſari, ari, &c.

PRÆPVTIVM, Gr. ἀκροβυστία & πόσθη, eſt glandis penis virilis inuolucrum, eſtque tantum continuatio epidermidis, cutis, & membranæ celluloſæ: a putando dictum. Ab Hebræis enim & Turcis reſecatur, vnde apellæ & recutiti appellantur. Item clitoridis proiectura, eſtque præputiolum in fæminis præter exilitatem a virili diuerſum in eo, quod partem glandis tantummodo ſuperiorem tegit. G. Die Vorhaut.

PRÆSEPIA, ſeu PRÆSEPIOLA, ſunt foraminula illa vtriusque maxillæ, quibus dentes continentur. Gr. φάτναι & φάτνια *Galeno.* G. Zahnhölen.

PRÆSERVATORIA INDICATIO, eſt modus quo per victus rationem & remedia conuenientia, a morbis futuris præſeruamur.

PRÆSIDIVM, idem quod *auxilium*, *remedium*, aut *indicatum.*

PRÆT. NAT. vel P. N. ſignificat præter naturam.

PRASSINA BILIS, vide *bilis.*

PRASVM, eſt *porrum*, a πράω incendo; quia porrum comeſtum ſanguinem accendit, linguamque mordet. Vide *porrum.*

PRASSIVM, penult. corripit:

Nauis ramentum, & quæ nomine praſſion herba eſt. Seren. tit. mamm. ſan.

Nicandro in Alexipharm. Πράσιον vocatur:

Καὶ χλοεροῦ πρασίοιο τὸ δὴ μελίφυλλον ὑδεῦσι. Et

Δικτάμνου τε κλῶνας ἰδὲ χλοεροῦ πρασίοιο. *Andromachus ſenior apud Galenum libr. de Theriaca ad Piſonem.*

Praſſium & Praſium vocatur *marrubium* ſeu *ballote.* Nomen impoſitum a cauliculis quadrangularibus videtur: πρασιαὶ enim dicun-

dicuntur diſpoſitiones quadrangulares: vel quod ἐν τοῖς πρασιαῖς coleretur: adeo vt cum porro, vt viri docti voluere, nullam ſimilitudinem habeat. Vide *marrubium*.

PREHENSIO, vide *catalepſis*.

PRESBYTIA, eſt obſcuritas viſus in rebus propinquis, cum tamen in diſtantibus aliqua ſit perſpicacitas, ſenibus familiaris, ex oculorum planiori figura oriunda, ex πρέσβυς ſenex.

PRIAPISMVS, eſt *tentigo*, ſiue pudendi diutina ſine libidine erectio. Gr. etiam vocatur Σατυρίασις, a πρίαπος *Priapo*, *Veneris* & *Liberi* filio. Vide *Satyriaſis*.

PRIAPVS tauri, balænæ, penult. prod.

Helleſpontiaci ſeruet tutela Priapi. Virg. 4. Georg.

Priapus, idem quod *penis*.

PRIMORES DENTES, ſiue ANTERIORES, ab officio in cibis incidendis dicuntur *inciſorii*. Item Γελάσινοι quia inter ridendum primi denudantur, *tomici* Celſo, τομεῖς διχαστῆρες, κτένες. τομεῖται &c. numero quatuor ſunt ſuperius, totidemque inferius. G. Die vörderſte Zähne.

PRIMVLA VERIS, penult. corr. quia a primus, diminutiuum eſt primulus, vt ſcrupulus, lupulus, lentulus, fraterculus. Accedit & *Plauti*, & *Terentii* penultimam corripientis authoritas. Primula veris, ſiue BETONICA ALBA aut HERBA PARALYSEOS, eſt planta, quæ habet folia ampla, oblonga, aſpera, rugoſa, repentia; ex his erumpunt caules lanuginoſi, rotundi, nudi: flos eſt monopetalus, hypocrateriformis, & multifidus, ex cuius calice (qui tubulatus eſt) ſurgit piſtillum, infimæ floris parti ad inſtar claui infixum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam oblongam, in ipſo calice ferme reconditam: apice dehiſcentem, & ſeminibus fœtam minimis, obrotundis, nigris, placentæ affixis: radix eſt ſatis craſſa, ſquammoſa, rubicunda, fibroſa, ſaporis adſtringentis, odoris grati & aromatici; hæc planta creſcit in pratis & ſyluis, ſic dicitur quod incipiente vere & ante illud tempus flores ſuos emittit. G. Schlüſſelblum, Himmelsſchlüſſel.

PRINCIPES DIES, vide *critici dies*.

PRINCIPIA, idem quod *elementa*.

PROBOLE, idem quod *apophyſis*.

PROCATARCTICA, eſt cauſa morborum præexiſtens, vel principiens, vna cum aliis agens, vnde primo morbus producitur; ſiue illa ſit externa ſiue interna, vt ira vel æſtus aeris,

 occa-

cacochymiam mouens, febrimque inducens, a προκατάρχομαι antegredior.

PROCATARXIS, idem quod *procatarctica.*

PROCESSVS, idem quod *apophyſis.*

PROCESSVS CILIARES, ſunt quædam fibræ in oculo muſculares, quibus oculi pupilla dilatatur & contrahitur. Ab oculi pupilla, velut radii a corpore luminoſo profecti, in orbem diſponuntur; fibræ iſtæ ſerie denſa ordinatæ, anterius, vbi corneæ tunicæ cohærent, colore variegato inſigniuntur; interim vbi cryſtallini humoris margini, ac etiam tunicæ retinæ cræ contiguæ ſunt, ſemper nigræ apparent: iſte proceſſus ciliaris ex minuſculis muſculorum faſciculis ſubalbidis componitur, numerum octogenarium excurrentibus, ligamento cuidam ex totidem nigricantibus extructo, alligatis. Harum vtriusque ordinis fibrarum quædam, ligamenti latitudinis margines ambos tangunt, quædam ad medium pertingunt. Muſculoſa hæc contextura cum tota vuea membrana mobilis eſt. Vbi cryſtallini humoris limbum, vt & retinæ expanſionem tangit, nigra plane eſt. Non tantum oculi pupillam dilatant, aut contrahunt, quin & humorem cryſtallinum protrudunt, ac retrahunt, inque obiectorum aſpectus huc illuc deflectunt.

PROCESSVS CHYMICI, nihil aliud ſunt quam operationes chymicæ integræ; quando nempe in rei examine procedunt, & tandem ad ſcopum quæſitum perueniunt. G. Chymiſche Proceſſe.

PROCESSVS PERITONÆI, deſcribuntur, quod ſint veluti fiſtulæ duæ oblongæ, vel canales laxiores viris in ſcrotum deſcendentes, per foramina tendinum muſculorum obliquorum & transuerſorum, in quibus productionibus, vaſa ſeminaria deſcendunt & recurrunt, atque prope teſtes proceſſus hi magis explicantur, fiuntque teſtium tunicæ. Verum illud magis locum habet in brutis quam hominibus: quia vaſa ad teſtes euntia per peritonæi duplicatam membranam excurrunt: nam ſi hominibus contingerent, nemo ab herniis eſſet liber.

PROCIDENTIA ANI, eſt inteſtini recti, propter nimiam laxitatem, per anum delapſus. Vocatur item *procidentia ſedis*, procidua ſedes, προπίπτων ἀρχὸς, quando ſedes prolabitur. Gr. Πρόπτωσις ἀρχοῦ ἢ ἕδρας. G. Das Vorgehen, Ausfallen des Affter⸗ oder Maſtdarms.

PROCIDENTIA VTERI, eſt relaxatio tunicæ internæ vaginæ, qua per pudendum prolabitur, & a medicis ſæpe reſecata

reſecata fuit; olim & adhuc quidam vterum prolabi poſſe putant; licet rariſſime fiat; & ſi fiat, per imprudentiam obſtetricum ſit, quæ putantes ſe attrahere placentam, ipſum arripiunt vterum. G. Das Herausfallen, Vorhergehen der Bårmutter.

PRODROMVS, eſt morbus, ex ſuo genio alium ſuperuenturum indicans: vt anguſtia pectoris, phthiſin vel rachitim præſagit, ex πρὸ pro, & δρόμος, curſus. G. ein Vorlåuffer, Vorbott.

PRODVCTIO, vide *apophyſis*.

PROEGVMENA, eſt cauſa morbi antecedens interna, in corpore ex alia remota ortum habens, & ita morbum producens, vt ea ſublata, morbus poſſit perſeuerare, quemadmodum cacochymia, a vitiata victus ratione producta, vnde obſtructio vaſorum & meatuum vel conſtipatio viſcerum producitur, à προηγοῦμαι antecedo. G. Vorgehende Urſach.

PROFLVVIVM, multiplex eſt, nempe ſanguinis ex naribus, vulneribus, ex pudendo muliebri, vt in expurgationibus, & menſtruis nimiis. Sic dicitur de ſemine vt in gonorrhœa, ſic de excrementis, vt in dyſenteria, diarrhœa, lienteria; cœliaca paſſione: ſic de lacte, nimia quantitate profluente, ita de capillis decidentibus &c. G. ein Fluß.

PROFVNDVS MVSCVLVS, idem quod *perforans muſculus*.

PROGNOSIS, & PROGNOSTICA SIGNA, ſunt quibus futura, quæ ægro accidunt, præcognoſcimus. Quæ imprimis petuntur ex obſeruationibus in ſimili morbo notatis ac præſens hic adeſt. 2. ex viribus vitæ præſentibus cognitis, & comparatis cum cauſis morbi, quibus trutinatis num morbus diu, num breui regnaturus ſit, ſatis bene tutoque præuideri poteſt. 3. ex ægri prægreſſa vitæ ratione, corporis habitu firmo vel debili, ætate, ſexu, climate, ſub quo viuit, anni tempore, & prægreſſis in eodem corpore morbis. Si hæc omnia ſollicite perpenuit medicus, ſingulaque exacte trutinat, tuto ex arte concludere poteſt, quid in morbo ſecuturum ſit, ſi nihil noui, quod mutet ægri ſtatum, accedat; a προγινώσκω prægnoſco. G. Das Vorſagen.

PROIECTVRA, idem quod *apophyſis*.

PROLABIA, Gr. πρόχειλα, ſunt extremæ labiorum partes prominentes. G. Die Vorlippen.

PROLAPSVS VTERI, vide *procidentia vteri*.

PROLEPTICVS, eſt morbus ſemper anticipans; vt ſi febris hodie horâ quarta aduenіat, cras vero hora tertia vel ſecunda, a προλαμβάνω anticipo. G. Vorrückend Fieber.

PRONATORES MVSCVLI, alter eſt *rotundus*, alter vero *quadratus*, & ambo radium mouent. *Primus* a forma & munere dictus *pronator rotundus*, interiori humeri tuberculo alligatus, hinc ad radii medium, cui valido adhæret tendine, excurrit. *Secundus* dicitur *quadratus*, ab interna vlnæ oſſis parte tranſuerſim productus, interno itidem radii lateri annectitur. G. Der herum führende Muſcul.

PROPAGO, dicitur vitis vetula depreſſa, atque in terram per inflexos arcus ſubmerſa, vt ex vna plures emergant. G. Das Einſencken, Fortpflantzen.

PROPHASIS, eſt prænotio in morbis. Item, occaſio & cauſa antecedens, a προφαίνω prælucco.

PROPHYLACTICA, eſt pars hygieinæ, quæ morbos futuros & imminentes auertit, a προφυλάσσω præſeruo.

PROPHYLAXIS, idem quod *prophylactica*.

PROPOLIS, eſt craſſior apum materia, flaua, odorata, ſtyracem, vt ſcribunt, ſed potius reſinam odore referens, ceræ finitima; gluten in alueorum foribus repertum. Quidam *ceram ſacram* vocarunt. Nihil aliud eſt quam rudis quædam reſina, nullam habens nec odore, nec ſapore, nec conſiſtentia cum cera ſimilitudinem: ſapor ſubamarus eſt, igni ſi imponatur, lignum aloes redolet, & conſiſtentia ſpiſſior eſt, imo & colore ſubnigra. Illa materia lateribus aluei non tantum adhæret, ne aeris iniuriæ apum generi nocuæ ſint, ſed hyemali tempore circa introitum ſiue aluei portam ob eandem cauſam, vnde & ei nomen; maxime adhæret. G. Der Vorſtoß, das Nebenwachs.

PROPOMA, eſt potus ex vino & melle vel ſacchаro paratus, a προπίνω præbibo.

PROPOTISMA, eſt medicamenti propinatio, προπίνω præbibo.

PROPTOSIS, eſt partis alicuius procidentia: vt oculi, omenti, vuulæ &c. a προπίπτω procido.

PRORÆ OS, vide *baſilare os*.

PROSERPINACA, vide *polygonum*.

PROSPHEROMENA, ſunt cibi, vel medicamenta, quæ intra corpus ſumuntur, a προσφέρω offero, adhibeo.

PRO-

PROSPHYSIS, eſt agnaſcentia, cohærentia & coalitio, cum ſcil. digiti ſibi inuicem connexi ſunt & coaleſcunt, a προσφύω agnaſci facio. G. Zuſammenwachſung.

PROSTATÆ, ADSTANTES, ſiue CORPORA GLANDVLOSA, eſt vna, continua conica glandula, quæ adnaſcitur vrethræ parti, quæ flaccida eſt ad veſicæ vrinariæ collum, antequam bulbus ſiue corpus cauernoſum ad vrethram accedit, circumcincta eſt fibris muſcularibus, & compoſita duodecim diſtinctis aggregatis glandularum ita, vt glandulæ cuiusque aggregati per emiſſaria ſua deſinant in vnum ſacculum, cui infundunt ſuum humorem; hinc ſacculi duodecim diſtincti totidem diſtinctis notabilibus emiſſariis hiantes in cauum vrethræ, ita, vt vndique cingant exitum illum veſicularum: vnde accurate hic miſcentur ſemen & humor proſtatæ: dum veſiculæ & proſtatæ eadem membrana muſculari cinguntur: humor hic factus, eſt blandus, pinguis candidus, copioſus: poſt abſtinentiam ab opere venereo diuturnam actione deponendæ alui aut reddendi lotii, ſæpe expreſſus animalcula, quæ in ſemine adſunt, non continens, ablata teſtium, & veſicularum ſeminalium, actione, ſuperſtes, nec tamen tunc prolifer. Videtur hinc ſemen craſſius & cineritium diluere, vehere, & forte in primis a coitu momentis nutrire animalcula in vero ſemine contenta, vnde vna cum ſemine eiicitur; forte & vrethræ lubricationi inſeruit, titillationi anſam dare etiam perhibetur: ſimile quid in fœmininis reperitur a προΐστημι, præſum, præſto.

PROSTETHIS, eſt pectus, ſiue thoracis anterior facies: Item, pars carnoſa in manuum & pedum cauitate, nec non inter digitos naſcens, ex πρὸ pro, & στῆθος pectus.

PROSTHESIS, eſt pars chirurgiæ, quæ quod deficit, reſtituit. Exemplum habemus in ſolutione continui, vt patet in vlceribus cauis & fiſtuloſis, quæ arte chirurgica carne ſupplentur, a προστίθημι appono.

PROTOPATHIA, eſt morbus primarius, ſiue idiopathia, quæ ab alio morbo non eſt orta, ex πρῶτος primus, & πάσχω patior.

PROTVBERANTIA, vide *apophyſis*.

PROVOCATORII DIES, vide *critici dies* & *intercalares*.

PRVNA, idem quod *anthrax*.

PRVNELLA, ſumitur aliquando pro *aphthis* vel albicantibus, nigris vel puniceis, aliquando pro *angina* vel *febre Hungarica*. G. Die Bräune.

PRVNELLA, ſiue brunella, planta hæc ſic videtur dici, quod conueniat in febribus ardentibus, quando os & lingua prunæ inſtar ardent, recens planta veteribus incognita plane, quæ nomen traxiſſe videtur a vocabula Germanico, die Bräune, quæ eſt ſpecies anginæ, quæ intra paucos dies in gangrænam abit, eſtque morbus caſtrenſis, & dicitur exercitus quidam hoc morbo fere totus laboraſſe, multaque remedia eſſe adhibita, tandem hac planta inuenta, omnes ægros hoc morbo laborantes fuiſſe curatos. Succum huius plantæ in gargariſmate aſſumpſerunt, & foliis pro cataplaſmate vſi ſunt, inde perfecte curati fuerunt. G. Brunellenkraut.

PRVNVS SYLVESTRIS, eſt arbor cuius cortex eſt griſeus, fere purpureus: folia prunum ſatiuum referunt, ſed minora, ſaporis ſunt ſubadſtringentis: calix eſt monopyllus, quinquifidus; flos eſt albus, roſaceus, pentapetalus, ſtaminibus triginta vel vltra præditus: ouarium in fundo calicis fit fructus niger, ſubcæruleus, ouatus, vel globoſus ſub tenui, glabra tunica pulpam mollem condens, in ſuo medio continentem oſſiculum oblongum vel ouale, compreſſum, vtrimque acuminatum, vnico intus nucleo fœtum: pediculus ſatis longus fructui ſuppoſitus: fructus caro eſt dura, virideſcens, ſaporis ſtiptici: radix lignoſa, nigra, ſe vndique extendens: hæc arbor creſcit in locis incultis: Gr. πρέκνη. G. Schlehenbaum.

PRVRITVS, habet aliquid ex titillatione, dolore & voluptate: ſed illud proprium eſt, vt ad ſcalpendum incitentur. Definitur quod ſit cutis inæqualitas ſicca, cum difficultate pruriginoſa, ortum habens a particulis ſalino fixis acriter pungentibus, in cutis glanduloſis acinis & poris ab aliis tenacioribus retentis, quæ circuitum abſoluere, vel per diaphoreſin emanare non poſſunt. Gr. κνισμὸς, κνησμὸς, ξυσμὸς. G. Das Jucken der Haut.

PSAMMISMVS, eſt balneum ex arena ſicca & calida, quo hydropicorum pedes exſiccantur, a ψάμμος arena. G. ein Sandbad.

PSAMMODEA, ſunt vrinarum contenta arenoſa & ſabuloſa, ex ψάμμος arena, & εἶδος forma. G. Harn mit Grieß.

PSAMMOS, eſt arena in corpore humano genita, quæ in paſſione nephritica ſæpe emingitur. G. Grieß, Sandkörnlein.

PSEVDOBVNIVM, eſt napus ſylueſtris Cretica cuius vires in ſtranguria celebres.

PSEVDODICTAMNVM, eſt dictamnum falſum, a ψεῦδος falſum, & dictamnum.

PSEVDOSELINVM, eſt caucalidis minoris ſpecies, cuius vſus culinarius.

PSILOTHRON, ſeu DEPILATORIVM, eſt medicamentum, quo pili vel e corpore auferuntur vel propter hirſutiem attenuantur, a ψιλόω deglubo, denudo.

PSOAS, ſunt muſculi lumborum, circa duas inferiores thoracis & tres lumborum vetebras ſuperiores, initium aſſecuti, obliquo deſcenſu in rotatorem femoris minorem deferuntur, a quibus femur flectitur. Eſt genitiuus caſus, a ψόα, ψοῖα, quo nomine a Græcis dicitur caro illa muſcularis, quæ in lumborum regione renibus ſubiacet. Germani venatores vocant den Lendenbraten, das Jägerſtück. G. Der Lenden-muſcul.

PSORA, eſt ſcabies fera, cutim in furfures mutans, cum pruritu magno, a ψωριάω ſcabie laboro. Gr. ψώρα ἀγρία. G. Die Räudigkeit, eine Abſcheuliche Krätze.

PSORIASIS, eſt ſcabies ſcroti ſicca, pruriginoſa, quæ ſæpe cum exulceratione moleſtat.

PSORICA, ſunt medicamenta aduerſus ſcabiem.

PSOROPHTHALMIA, eſt pruriginoſa oculorum vel potius palpebrarum ſcabies, ex ψώρα ſcabies, & ὀφθαλμία oculorum dolor. G. Die Räudigkeit der Augen.

PSYCTICA, ſunt medicamenta refrigerantia, a ψύχος frigus.

PSYDRACIA, vt definiuerunt *Paulus* & *Alexander*, ſunt exigua cutis capitis vlcuſcula ſimilia eis, quæ cutem incendere ſolent. *Celſus* paulo diuerſius definiuit, quod ſit paulo durior puſtula ſubalbida, acuta, ex qua quod exprimitur, humidum eſt. Verum *Pollux* ex medicis ipſis definiuit pſydracia eſſe igneas effloreſcentias vlceratas ſponte in capitis cute apparentes. *Pſydraces* aliis ſunt paruæ puſtulæ, tanquam bullæ ſupra cutim, a frigore hyemali effloreſcentes, a ψυχρός frigus.

PSYLLIVM, *Dioſcoridi l. 4. c. 70.* ψύλλιον; penult. corr. ob vocalem ante vocalem, ſine diphthongi ſuſpicione. Pſyllium, eſt planta, quæ habet caules folioſos, ſarmentoſos, ramoſos, repentes: folia oblonga anguſta, acuta, villoſa, inciſa,

nerao-

nervoſa, & parum laciniata inſtar coronopi: cætera ſunt vt in plantagine & coronopo: ſemina ſunt parua, oblonga, pulici-formia, lubrica, lucida, ex fuſco punicea, ſaporis primum mucilaginoſi, poſtmodum acris & nauſeoſi: hæc planta creſcit in Italia & Germania: ſemen pulici apprime ſimile eſt, a ψύλλα, vel ψύλλος pulex. Hinc *pulicaris herba* appellatur. G. Flohkraut.

PTARMICA, *Dioſcoridi l.* 2. *c.* 192. πταρμική, a πταίρω, ſternuto, penult. corripit, vt ictrica, Logica, Grammatica, Dominica. Ptarmica, ſeu STERNVTATORIA, ſunt, quæ maiori, quam errhina, prædita acrimonia, irritando, & corrugando neruos olfactorios & membtanam pituitariam in naſo, pituitam circa nares exprimunt, vt magna copia tum expellatur, tum erumpat. G. Nieſen machende Mittel.

PTARMICA, eſt planta, quæ habet caulem vnicum, tenuem, rotundum, fiſtuloſum, ſatis firmum, vndequaque inſtructum foliis draconis eſculenti foliis ſimilibus, argutis, aperiuſculisque denticulis circumquaque ſerratis, atro virore ſplendentibus, ſapore acri & feruido pyrethri mitiore: flos eſt radiatus, cuius ſcilicet diſcus ex plurimis floſculis, corona vero ex ſemifloſculis conſtat, embryonibus inſidentibus, & calice ſqammoſo comprehenſis: embryones autem deinde abeunt in ſemina parua: radix eſt longa & filamentoſa: creſcit hæc planta in locis incultis & arenoſis. Eſt herba ſternutationem promouens. G. Bertram.

PTERIS, idem quod *filix.*

PTERNA, idem quod *calx.*

PTERYGIVM, eſt *ala* ſeu *pinna* naſi vel oculi aut proceſſus aliformis oſſis ſphenoidis. Item, excreſcentia membranoſa, *vnguis* & *vngula* dicta, ſupra corneam oculi tunicam, ab angulo vt plurimum interno, verſus oculi pupillam excreſcens, eamque ſæpe obſcurans, a πτέρον ala. G. ein Fell über dem Auge.

PTERYGIVM, idem quod *ala.*

PTERYGOIDES, dicuntur proceſſus eſt muſculi oſſis cuneiformis, duo tales oſſei ſunt proceſſus in oſſe cuneiforme; verum duo ſunt paria muſculorum, quorum vnum eſt *externum*, ortum ab externa parte alæ exterioris pterygoidis, progreſſum retro inſeritur forti tendine in ſpatio ſimilunari ſito inter condyloidem & coronoidem maxillæ inferioris proceſſum: alterum eſt *internum*, ortum carneum, & tendinoſum ex tota inter-

interna ſuperficie lamellæ externæ pterygoidis, progrediens deſcendit, ac lato & robuſto tendine affigitur foſſulæ paulo ſupra angulum internum maxillæ inferioris ſub magnis apophyſibus; & hæc ambo maxillam inferiorem attollunt, ex πτέρυξ ala, & εἶδος forma. Item, cui ſcoptulæ opertæ alarum in modum extant, quod genus hominum, teſte *Galeno* & *Aretæo*, tabi obnoxium eſt, *πτερυγώδης Hippocrati* & *Aretæo*, *φθινώδης Hippocr.* G. Dem die Schultern heraus ſtehen.

PTERYGOSTAPHYLINI, ſunt muſculi gargareonis ſiue vuulæ, qui a proceſſibus aliformibus originem trahunt, & in vuulæ lateribus finem conſequuntur; ſunt duo internus & externus. Pterygoſtaphylinus internus ſiue ſpheno ſtaphylinus, oritur prope ſupremam proceſſus pterygoidis partem ex oſſe ſphenoide, & finitur in parte poſteriori ac ſuperiori vuulæ; hic ſalpingo-ſtaphylinus a Valſalua vocatur; quia e parte tubæ Euſtachianæ prouenit. Pterygoſtaphylinus externus oritur iuxta latus externum præcedentis, deſcendit inter vtramque lamellam proceſſus pterygoidis, tendinemque ſuper apophyſi tenui lamellæ interioris, quaſi per trochleam, ad anteriorem vuulæ partem reflectit, vnde ab hoc pari ſurſum & antrorſum, a reliquis retrorſum, & ad latera videtur moueri. Hic muſculus a Valſalua muſculus nouus tubæ vocatur, quia tubam Euſtachii, vt & nares ab eo dilatari exiſtimat: a πτέρυξ ala, & σταφύλη vuule. G. Des Zäpfleins Muſcul.

PTILOSIS, eſt oculorum vitium, vt incraſſatis palpebrarum marginibus, ciliorum pili excidant.

PTISANA, (nonnunquam *ptiſſana*, hinc *Galeni* liber extat περί πτισσάνης) penult. corripit.

Frumentum, milium, ptiſanamque, fabamque ſolebas. Martial. l. 12. ep. 73.

Quid ceſſas? agedum, ſume hoc ptiſanarium oryzæ. Horat. 2. Sat. 3.

Ptiſana, eſt decoctio ex hordeo decorticato, paſſulis mundatis, glycyrrhiza &c. parata, a πτίσσω pinſo, decortico. G. Gerſtentranck.

PTYALISMVS, eſt maior, quam naturaliter ſolet, ſaliuæ ex ore ſecretio, a πτύω ſpuo. G. Speichelfluß.

PTYALON, eſt *ſputum* ſiue illa materia quæ tuſſiendo ex pulmonibus eiicitur: *ſalua* namque proprie ſignificat liquorem per ductus ſaliuales effuſum, *humorem* e naribus & ſupra palatum, pituitam cerebri vocant; at *mucus*, tonſillarum, eſt

materia viſcida, quæ per tonſillas excernitur, a πτύω ſpuo. Vide *ſaliua.*

PTYSMA, idem quod *ptyalon.*

PVBES, eſt illa pars abdominis, quæ pudendo proxima lanugine ſeu pilis tegitur, vnde iudicatur an quis maturuerit nec ne: ideoque qui huiusmodi pilis non adornati ſunt *impuberes* dicuntur. Maribus decimo quarto accreſcit, fœminis vero duodecimo. G. Das Schaamhaar.

PVBIS OS, ſiue PECTINIS OS, eſt pars oſſis innominati, quæ in iunioribus cartilagine ab iſchio & ilio ſeparata, in adultis cum iis concreuit: eſt vero præcedentibus duobus minus, ſitum in parte anteriori vbi duo oſſa vtriusque lateris ſe inuicem contingunt. In hoc oſſe, vbi cum iſchio coniungitur, relinquitur foramen magnum, fere ouale: ſic vocatur ob pudendorum viciniam. G. Das Schaambein.

PVDENDAGRA, idem quod *lues venerea.*

PVERPERA, fœmina eſt, quæ iam iam peperit, & quamdiu ex incommodis puerperium ſequentibus decumbit. Gr. παιδοτόκος. G. eine Kindbetterin.

PVGILLVS, Gr. δεσμίδιον, eſt menſura medicorum, qua herbæ menſurantur; continet pugillus, quantum manu modica capi poteſt: aliis tamen quantum tribus digitis prehenditur. G. eine kleine Hand voll.

PVLEGIVM, penult. corr.

Pulegiumue potens, & agreſte iugatur anethum. *Seren. tit. lumbr. purg.*

Pulegiumue potens vna ſuper aure locabis. *Seren. tit. cap. med.*

Pulegium, eſt planta, quæ plures habet caules longos, quadratos, villoſos, quosdam elatos, alios repentes: folia ſunt obrotunda inſtar maioranæ, ſed tactui molliora, & nigriora, ex horum alis ramuſculi oriuntur vel parua foliola valde tenuia: flores ſunt verticillati, coloris cærulei vel purpurei, aliquando rubicundi, raro albi, labiati, labium ſuperius bifidum: flori ſuccedunt ſemina minima: radix eſt fibroſa. Gr. βλήχων ſeu γλήχων, quod guſtatum a pecore, cum floret, balatum concitet. G. Poley.

PVLICARIA, ſeu PVLICARIS, idem quod *pſyllium.*

PVLMONARIA, idem quod *peripneumonia.*

PVLMONARIA, penult. corr. ob vocalem ante vocalem. Pulmonaria, eſt planta quæ habet caulem anguloſum, villoſum, coloris purpurei, bugloſſum referentem: folia quædam ex radice

dice erumpunt diſperſa & repentia, alia ſtipiti adhærent ſine caulibus; ſunt oblonga, acuta, ampla, in medio neruum habentia, lanuginoſa, & plerumque maculata, ſemina obrotunda in capſula incluſa: radix eſt fibroſa, ſaporis viſcoſi: creſcit hæc planta, in ſyluis, pulmonum morbis medetur, vel a ſimilitudine cum pulmonibus denominatur. G. Lungenkraut.

PVLMONES, Gr. πνεύμονα, & πλεύμονα dicunt. Eſt illud organum reſpiratorium, in thoracis vtraque cauitate poſitum, eamque ſua bifida loborum diuiſione replens, conſtans vaſis 1) ſanguini ſolo vehendo, & mutando, vt arteria & vena pulmonali 2) aliis ſuo ſanguine tantum nutriendæ ſubſtantiæ deſtinatis, vt arteria bronchiali, 3) aliis ſolo aeri excipiendo, vt arteria aſpera cum ſuis diuiſionibus dicatis; atque innumeris neruis a pari vago, & lymphaticorum copioſorum omni genere & magnitudine variis &c. Quatenus aerem accipit per aſperam arteriam, poſt eius varias diuiſiones continuo decreſcentes, tandem abit in ſubſtantiam ex veſiculis ſphæroidis figuræ conflatam, membranaceam, ſubtiliſſimam, vltimo cæcam, expanſilem ab aere inflato, contractilem propria vi vt & thoracis compreſſu. Hæ veſiculæ vndique vaſis traiectoriis ſanguineis & nutrientibus cinguntur &c. de quibus cunctis *Malpighius* inuentor optime diſſeruit. G. Die Lunge.

PVLPA, eſt caro fructuum, radicum, aliorumue corporum, quæ infuſione, vel coctione extrahitur, eam per ſetaceum traiiciendo: vt pulpa tamarindorum, caſſiæ, althææ, dactylorum &c. vel contundendo, vt in cucumeris, melonumue ſemine; vel eligendo, vt pulpa colocynthidis &c. G. Das Marck.

PVLSATILLA, eſt planta, quæ habet folia paſtinacæ ſylueſtris ſatis ſimilia, ſed minora, odoris acris & admodum nares ferientis dum digitis conteruntur, guſtus acerrimi: ex horum medio producitur cauliculus rotundus, cauus, lanugine ſpiſſa obductus: flos eſt roſaceus, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtans, ex cuius meditullio ſurgit piſtillum ſtaminibus plerumque obſitum, quod deinde abit in fructum, in quo, velut in capitulum, colliguntur ſemina in tenue capillamentum deſinentia: Folia etiam quædam caulem infra florem cingunt, non ſecus ac in anemone, a qua differt ſemine nudo in caudam tenuato. Radix eſt craſſa, longa, nigra, in plura capita interdum diuiſa. Anemones ſpecies. G. Küchenſchelle.

PVL-

PVLSVS, ſiue PVLSATIO CORDIS & ARTERIARVM, eſt alterna cordis & arteriarum dilatatio & contractio, facta ex ſanguine influente & dilatante tum cor tum arterias; & ex harum fibrarum muſculoſarum vi contrahente in ſanguinem dilatantem agente; eumque propellente; hæc actio in corde dicitur *diaſtole* & *ſyſtole*, in arteriis dicitur *pulſus*. Hæ viciſſitudines in corde fiunt tempore contrario, quam in arteriis. Dum enim cor conſtringitur, arteriæ a ſanguine replente ex corde emiſſo dilatantur, prout igitur cor vel arteriæ frequentius vel lentius agunt in ſanguinem, pulſus variant. G. Der Puls.

PVLVERISATIO, eſt quando contundendo res duræ in puluerem rediguntur. G. Das Pulveriſiren.

PVLVILLI, idem quod *ſplenia*.

PVLVIS, vide *ſpecies*.

PVMEX, lapis eſt eroſus, poroſus, ſpongioſus, exiguisque cauernulis, ſeu foraminibus plenus. Ad Confluentiam Germaniæ inuenitur. Probatur, qui candore, minimoque pondere, vt & qui quam maxime ſpongioſi, aridique ſunt, trituque faciles, nec fricandi arenoſi &c. G. Bimbſtein.

PVNCTVM AVREVM, vox eſt chirurgorum, hernias curantium, atque illud fit, quando peritonæum ab hernia in ſacculum formatum, reducto inteſtino, aureo filo conſtringitur, ne rurſus inteſtina in eundem incidant locum. Sed vſu pridem excidit.

PVNCTVM LACHRYMALE, vide *collicia*.

PVNCTVM SALIENS, dum ouum grandeſcit, in interiori eius tunica, amnios dicta, nubecula quædam comparet, quæ ſenſim craſſior euadens, mucoſam materiam acquirit, in cuius medio primo punctum ſaliens, deinde rude embryonis corpuſculum conſpicitur: quod indies augeſcendo maiorem perfectionem nanciſcitur.

PVNCTVRA NERVORVM, eſt quando neruus, tendo aut membrana, acu, ſpina, aut alia re acuta compungitur, vnde ſæpe ſymptomata lethalia orta fuerunt. G. Sennaden-ſtich.

PVNICVM MALVM, rami huius arboris ſunt exigui, anguloſi, ſpinoſi; eius cortex eſt rubicundus: folia exigua, myrtum referentia ſed minus acuta, caules rubicundos habentia, contuſa odorem ſatis fortem præbentia: flores ſunt magni, rubicundi, roſacei, polypetali, ouario intra calicem innati, ſtaminibus numeroſiſſimis præditi: ouarium excuſſo flore, emar-

cidis

cidis ſtaminibus, calicem in vmbilicum contrahens, fit fructus pomiformis, cuius cortex coriaceus, ſaporis amaricantis adſtringentis, auſteri; fructus eſt fere globoſus, coronatus, in plura loculamenta diuiſus, acinis ſucci plenis fœta, membranis tenuiſſimis diſtincta, & ſemine turgentibus vt plurimum oblongo: punica mala triplicia ſunt ratione ſaporis, dulcia, acido dulcia, ſeu vinoſa, acida. Hæc arbor creſcit in hortis præſertim in regionibus calidis, vt in Hiſpania; dici volunt a Pœnis, quod in Punica regione abunde inveniatur. Idem quod *granatum*. G. Granatenbaum.

PVPILLA, ſeu PVPVLA, eſt chorioidis ſiue vueæ tunicæ apertio, in homine rotunda, quæ pro influxu ſpirituum animalium in fibras radiantes longitudinales, & orbiculares limbum internum conſtituentes, muſculi in modum contrahi vel dilatari ſolet. Gr. κόρη & γλήνη. G. Der Stern in dem Auge, der Augapfel.

PVPPIS OS, idem quod *frontis os*.

PVRGANTIA, ſunt medicamenta, quæ externe vel interne corpori viuo applicata, irritando fibras muſculares œſophagi, ventriculi, inteſtinorum, ita agunt, vt hæc omnia in ſua cauitate vel glandulis vicinis hærentia determinent ſua contractione verſus inferiora, & excernant per inteſtinum rectum extra corpus. Gr. καθαρτικά. G. Purgirende Artzeney.

PVRGATIO, ſeu CATHARSIS, & COPROPHORIA, eſt ipſa excretio materiæ contentæ in ventriculo & inteſtinis per anum, producta vel ab ipſa ſe exonerante natura, vel medicamentis purgantibus. G. eine Purgation.

PVRPVREA FEBRIS, eſt in qua corpus externe maculis purpureis coloratur. G. Purpurfieber.

PVS, eſt materia alba, viſcida, tenax, æqualis coloris, in vulneribus & vlceribus bonis hærens, facta ex affuſa lympha ex vaſculis ruptis, vna cum partibus vaſculorum emortuorum miſta, cuius pars tenuior auolauit vel abſorpta eſt intra corpus, vnde non niſi aliquo tempore poſt collectionem in vulnere dictis characteribus donatur. G. Eiter.

PVSCA, idem quod *poſca*.

PVSTVLÆ, ſunt ſanguinis vitioſi efflorescentiæ in cute excitatæ, quæ vel propter diaphoreſin impeditam, vel propter puſtularum materiam nimis viſcidam, eo loco hærent & inæqualitatem quandam excitant. G. ein Blätterlein, Blatter.

PVTREFACTIO CHYMICA, eſt corporis concreti, per putredinem ordinariam, in calore humido ſubſtantiam ipſam corrumpente, eiusque penetralia reſerante, diſſolutio. G. Das Verfaulen.

PVTRIDA FEBRIS, ſic olim vocabatur, ſed talis non datur, nec dari poteſt, corruptis enim ſanguine & ſuccis, cætera non viuunt. Vide *ſynochus*.

PYCNOTICA, idem quod *incraſſantia*.

PYLORVS, ſiue IANITOR, eſt dextrum ventriculi orificium, inteſtino duodeno annexum, per quod cibi ex ventriculo expellendi in inteſtina transeunt: a πύλη ianua, & ὠρέω cuſtodio. G. Der Pförtner, Thürhüter.

PYON, vide *pus*.

PYOSIS, eſt puris in qualibet parte collectio, a πύον pus.

PYRAMIDALES MVSCVLI, in abdomine locantur, & rectorum infimis tendinibus incumbunt, nec ſunt rectorum partes, vt putant *Veſalius* & *Columbus*, ſed diſtincti muſculi, vt probat *Fallopius*: membrana peculiaris, qua inueſtiuntur, & fibrarum curſus, diuerſos a rectis eſſe muſculos oſtendit. Ortum ab externo pubis oſſe ſortiuntur, & quanto longius aſcendunt, tanto fiunt anguſtiores, circa vmbilicum in alba linea terminum conſequuntur. Aliquando deſunt, vel ſiniſter dextro minor eſt, vel dexter ſiniſtro. G. Die Pyramidgleiche Muſculn.

PYRAMIDALIA CORPORA, ſunt vaſa ſemen præparantia dicta, de quibus ſuo loco. Item muſculi narium & abdominis pyramidales dicti, item duæ chordæ medullares circa baſin medullæ oblongatæ: videatur *Willis* de cerebro cap. 3. a πυραμὶς corpus in ſuperficie acuminatum.

PYRENOIDES PROCESSVS, eſt dens ſecundæ vertebræ; hinc *dentiformis* dictus. Gr. πυρήνη nucleus.

PYROENVS, eſt alcohol vini, ex πῦρ ignis, quia ignis ope deſtillatur, & οἶνος vinum.

PYRETHRVM, Latinis *ſaliuaris*: hæc planta nominatur a feruido, ac ignis ſimili, qui in eius radice eſt, ſapore, vnde plurimum ſaliuæ elicitur, a πῦρ ignis. G. Bertram, Speichelwurtzel.

PYRETICA, idem quod *antipyretica*, & *febrifuga*.

PYRETOLOGIA, eſt febrium deſcriptio: continens eorum ſymptomata, effecta, cauſas, & ſanandi rationem &c. ex πυρετὸς febris, & λέγω enarro.

PYRI-

PYRIFORMIS MVSCVLVS, vide *quadrigeminus*.

PYROLA dicta, quod pyri folium ſimilitudine externa imitetur; diminutiuum ergo cum ſit, penult. oportet corripi, vt areola, bracteola, faſciola, taleola. Pyrola eſt planta, quæ habet caulem anguloſum, multa folia acuta habentem; folia ex radice erumpentia, quæ ſunt ſatis carnoſa, polita, tota hyeme virentia, caulibus longis adhærentia: flos in ſpicam congeſtus, eſt polypetalus vel pentapetalus, quaſi galeatus, coloris albi; piſtillum floris fit fructus anguloſus, in quinque loculos dehiſcens, qui loculi continent ſemina exigua: radix flexilis, fibroſa repens: tota planta habet ſaporem amarum & adſtringentem. G. Wintergrün, Waldmangolt.

PYROS, vide *triticum*.

PYROSIS, eſt ardens faciei rubor, qui illis præſertim contingit, qui feruidis diebus iter faciunt; a πυρόω accendo. G. Hitze im Angeſicht.

PYROTECHNIA, idem quod *chymia*, ex πῦρ ignis, & τέχνη ars.

PYROTICA, ſiue VRENTIA, ſunt medicamenta potentia calida, quæ corpori humano adhibita valde incaleſcunt, propterea quod particulas & poros ita habeant diſpoſitos, vt vaporibus vel humoribus in eos ſe inſinuantibus, ſubtilis materia tales ibi inueniat meatus, vt ipſa ibi vehementius mota, terreſtres quasdam particulas duras & acutas, in iis natantes, impetuoſius in vicinas partes agitet, atque ita calorem magis vel minus vehementem & diuerſimode corrumpentem, vel immutantem, pro ratione ſui motus & particularum mouendarum diuerſitate, excitet. Hæc ſunt *rubefacientia, veſicantia, cathæretica, ſeptica, eſcharotica*, & *pſilothra*, a πυρόω incendo. G. Brennende Mittel.

PYRVM, PYRVS, arbor & fructus omnibus noti. Infinitæ occurrunt differentiæ, multo plures quam malorum, a fructus ſcilicet magnitudine, figura, colore, odore, ſapore, conſiſtentia, cortice, pediculis, tempore quo maturantur, regione in qua proueniunt, duratione &c. deſumptæ. Gr. ἄπιος. G. Birnbaum.

PYVLCON, eſt inſtrumentum chirurgicum, quo pus vel ſanies, e profundis ſinubus trahitur, ex πύον pus, & ἕλκω traho. G. ein Eiterzieher. Eſt cannula argentea rotunda, oblonga, vulneri vel vlceri proportione reſpondens, cuius extremitas, quæ vulneri immittitur, variis perforata eſt punctis, altera quæ

extra vulnus eminet, lamellam orbicularem circum poſitam habet, ne vulnus intret, & vt alligari hinc parti poſſit.

PYXACANTHA, eſt buxea ſpina: nomen accepit, quod planta ſit ſpinoſa foliis buxeis, πύξος enim eſt buxus, & ἄκανθα ſpina. G. Buchsdorn.

PYXIS, capſula eſt pharmaceutica & chirurgica; in qua nempe medicamenta aſſeruantur: hinc vnguentum quoddam olim, emolliens & inflammationes depellens, quia commodiſſime in theca ſeu pyxide aſſeruabatur, *pyxidis* nomen ſortitum eſt. Sinus item oſſis coxæ quoque & *pyxis* & *acetabulum* & *cotyla* appellatur. G. eine Büchſe

PYXIDIS OS, vide *baſilare os*.

Q.

Q. PL. in formulis medicorum ſcriptum ſignificat, *quantum placet*.

Q. V. eſt quantum vis, quantum volueris.

Q. S. hoc eſt, quantum ſatis, quantum ſufficit.

QVADRANS, apud medicos eſt pondus trium vnciarum, id eſt libræ romanæ quarta pars. G. ein Viertheil.

QVADRATVS MVSCVLVS, ſic vocatur *muſculus abductor femoris*, qui oritur a parte poſteriore & exteriore tuberoſitatis oſſis iſchii & inſeritur oſſi femoris in cauitate inter vtrumque trochanterem: hoc nomine quoque gaudet *muſculus depreſſor labii inferioris*, qui oritur a labio exteriore baſeos maxillæ inferioris, circa locum ſynchodroſeos, eius, & recte adſcendens ab vtroque latere iunctus, inſeritur toti muſculo orbiculari inferiori. Item ſic vocatur *flexor lumbi*, qui oritur principio lato & carnoſo ab interna coſta oſſis ilii & ab oſſe ſacro, & deſinit in transuerſis proceſſibus vertebrarum lumbarium, & vltimæ dorſi. Vide porro in *quadrigeminus*, & *pronator*. G. Der vierſchrötige Muſcul.

QVADRIGEMINVS MVSCVLVS, eſt vnus ex iis qui femur mouent quadrifariam, poſterius ſupra femoris articulum collocati quatuor eique exigui ſunt. Huius cœtus primus titulo dignoſcitur a ſitu aſſumpto, vocaturque *pyriformis* ſeu *iliacus externus*: externo oſſis ſacri margini, vt qui ſequuntur *ſecundus* & *tertius*, iſchii oſſis tuberculo adnati, trochanteris cauitatis integumento affiguntur. Eiusdem ordinis *quartus* nomen *quadrati* obtinuit, iſchii internæ tuberis ſedi exteriorique inſeritur femoris proceſſui maiori. G. Der vierfache Muſcul.

QVA-

QVALITAS, eſt particularum minimarum diſpoſitio ſeu contextus, vnde corpus noſtrum, quacunque ratione, quale denominari poteſt. Hæc eſt manifeſta, occulta, venenata, contagioſa, peſtilens &c. G. Beſchaffenheit.

QVARTANA FEBRIS INTERMITTENS, quam *Saturni filiam* nominauit antiquitas, *Octauio Horatiano* teſte. Hodie *opprobrium medicorum*, quia difficulter, a medicis curatur. *Quadrimi circuitus febris*, Plinio. Gr. τεταρταῖος; eſtque præterordinaria ſanguinis commotio cum ſuis ſymptomatibus; quarto quouis die hominem inuadens, eumque deſerens plane per duos intermedios dies. G. Das viertägige Fieber.

QVARTARIVM, idem quod *quadrans*, item menſura eſt vini vnciarum quinque, & olei vnciarum quatuor cum ſemiſſe.

QVARTIO, dicitur *talus*, ſiue aſtragalus, a quatuor nempe lateribus. Vide ſuo loco.

QVERCERA, QVERQVERA, idem quod *phricodes*, & *epiala*.

QVERCVS, eſt arbor notiſſima, cuius flos mas amentaceus, conſtans apiculis maſculinis, tenui capillamento longo per denſa agmina affixis, fructus, loco a flore in eadem planta remoto, tribus tubis inſtructus, natus in calice foliolis angulosis conſtante, tandem ſqammoſo, fit glans calice inferius excepta, ſub putamine coriaceo integro, tegens nucleum bifariam fiſſilem. Creſcit in ſyluis, & montoſis locis; in vſum trahuntur, lignum, cortex, folia, glandes, earumque capſulæ, gallæ, viſcus, fungus, & nucamenta. Gr. δρῦς, licet priſci Græci omne genus arboris ſub δρυὸς nomine intellexerunt, a δρύω erumpo, pullulo. G. Eichbaum.

QVID PRO QVO, *ſuccedaneum* dicitur & *antiballomenon*. Eſt quando medicamentum vnius indolis & qualitatis pro altero ſubſtituitur a pharmacopœis, hoc tamen, non niſi medicorum conſenſu, faciendum. Gr. ἀντιβαλλόμενον.

QVINQVENERVIA, vide *pentapleuron*.

QVINQVINA, vide *cina cina*.

QVINTA ESSENTIA, vide *eſſentia*.

QVOTIDIANA FEBRIS INTERMITTENS, eſt febris quæ omni die inuadere ſolet & remittere, duratque ordinarie per 12. horas, & per totidem deſinit. Gr. πυρετὸς ἀμφημερινός. G. Das tägliche Fieber.

R.

R. & Rec. in formularum initio idem eſt ac ſi diceres *recipe*.

RACEMVS, pro vua accipitur, neque tantum ipſius vitis eſt, ſed etiam hederæ & aliarum herbarum, aut fruticum vuas quasdam producentium. Dicitur etiam ramoſum id, e quo acini dependent.

RACHITIS, vide *Rachitis*.

RADICVLA, vide *Raphanus*.

RADIX CAVA, eſt ar ſtolochiæ ſpecies.

RADIÆVS, eſt carpi muſculus; *externus* eſt vel *internus*. Poſterior ab eodem fere cum cubitæo protuberculo deſcendens radioque incumbens, primi metacarpi oſſis inuolucro, ſub indice affigitur. Alter *externus*, ab externo brachii proceſſu latus erumpens, radio impoſitus, circa prima metacarpi oſſa duplici vt plurimum ſeparatoque deſinit tendine; hic corpus flectit, ille vero extendit. Notandum tamen, quod deriuatiua huiusmodi in *æus* terminata & a Latinis vocabulis venientia, vt radiæas, cubitæus, ad ſtribliginem barbaricam pertineant. A Græcis nominibus primæ & ſecundæ declinationis venientia, vt peronæus, vitio carent. G. Der Elnbogenmuſcul.

RADIVS, eſt os cubiti minus, *focile minus* dictum, obliquius eſt vlna, & ab ea in medio nonnihil diſtat, vbi tenue intereſt ligamentum: ſupra vero vlna radium excipit; infra hic illam. Superior eius pars cum externo brachii proceſſu articulatur per diarthroſin, vnde motus pronus & ſupinus. Inferior per appendicem cum carpi oſſe ad maximum digitum. Huius ſuperior pars tenuior, inferior vero craſſior. Gr. Στήριγξ, κερκὶς, παραπήχιον. Item, os tibiæ minus. G. Armſchiene, die Spindel im Arm.

RADIX, eſt infima pars plantæ, terræ infixa, per quam nutrimentum capiens creſcit, ſiue id, quo alimentum attrahitur. Gr. ῥίζα. G. die Wurtzel.

RAMEX, uide *hernia*, aut *cirſos*.

RAMI, dicuntur brachia vaſorum maiorum: ſed & plantæ, a trunco abeuntes diuiſiones. G. Aeſte, Zweige.

RANINÆ VENÆ, ſunt eæ, quæ ſub lingua manifeſte viſuntur. G. Die Fröſchadern.

RANVLA, ſiue RANA, vide *batrachium*.

RANVNCVLVS, flammula, *Dioſcoridi l.* 2. *c.* 206. βατράχιον penult. corripit, quia a rana deſcendit ſpecie diminutiui,

ui, vt furunculus, pectunculus, homunculus, auunculus. Ranunculus habet calicem pentaphyllum herbacei coloris, ante floris perfectionem plerumque fugacem: flos eſt perfecte roſaceus, pentapetalus ſeu polypetalus: radix nonnunquam fibroſa, vel granuloſa & digitata, nunc tuberoſa, aliquando plane intorta, foliatura eſt lata vel anguſta, ſecta vel minus ſecta, hinc nil characteris dat, folia quoque varia ſunt, ſed habet calicem pentaphyllum, & ſtamina innumerabilia, quæ circumcreſcunt capiti frugifero, exceptis nonnullis: G. Schmaltzblum. Hanenfuß.

RAPA, & RAPVM, eſt planta, quæ habet folia ampla, repentia, profunde inciſa, aſpera: flores ſunt quadrifidi, cruciformes, flaui; flori ſuccedit ſiliqua cornu fungoſum referens, ſepto medio diuiſum, ſemine ſubrotundo & rubicundo prægnans: radix eſt craſſa, carnoſa, oblonga, aut rotunda, ſaporis aliquando dulcis, aliquando acris: Gr. Γογγύλη, Γογγυλίς. G. Rüben.

RAPHANVS *Dioſcoridi l. 2. c. 137.* ῥαφανὶς, penult. corr.

Percurrent raphanique, mugilesque. Phalæc. *Catull. 15.*

Semine vel raphani permiſto dulcia melle. *Seren. tit. tuſſ. med.*

Ὀυ τρώγω ῥαφάνας, ὂ κράμβας, ὂ κολοκύνθας. *Hom. Batr.*

Raphanus duplex celebratur, *ruſticanus*, qui & *Armoracia* dicitur; de quo ſupra: & *orbicularis*, rapæ ſimilis, quem & radiculam, aut radicem per eminentiam vocant. Eſt planta *hortenſis*, inque obſoniis pro deliciis habetur, nomen ſibi arrogauit, quod cæteras amplitudine corporis ſuperet, vel quam pauciſſimis magnitudine cedat. Etenim plerumque in tantam molem coaleſcit, vt in frigidis locis, quibus gaudet, ſicut in Germaniæ agro Erfurtenſi, infantium puerorum magnitudinem æquet: folia habet magna, ampla, aſpera, viridia, profunde inciſa, rapam referentia, ſed magis ſinuoſa: flores quadrifidos, purpureos, & cruciformes: ſuccedit fructus ſeu ſiliqua corniformis, craſſa, ſpongioſa, duobus ſeminum ſubrotundorum ordinibus fœta, mediaſtino tenui diſcretis: radix eſt longa, craſſa, carnoſa, alba, rubicunda aut nigra, ſaporis acris aut penetrantis, ſed grati. Aliqua ſpecies minor præcipue delectat vera, tenera, ſucculenta, fragilis, & eſculenta. G. Rettig, Radiſchen.

RAPHE, vide *ſutura.*

RAPISTRVM monoſpermon, eſt rapa ſylueſtris, planta, quæ habet caules tenues, rotundos, ramoſos, aliquantulum villoſos; folia repentia, craſſa, rapam referentia ad principium laciniata,

ciniata, dein ſubrotunda, leuiter ſinuata & ſubhirſuta: flos cruciformis, quatuor ſcilicet petalis conſtans, ex cuius calice ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ſeu teſtam fere globoſam, vnicapſularem, ſemine fœtam vt plurimum ſingulari, radix longa, fibroſa, & albeſcens. G. Hederich.

RAPVM TERRÆ, vide *cyclamen.*

RAPVNCVLVS ſpicatus, eſt planta quæ habet folia ex radice erumpentia violam referentia, punctis nigris aliquando inſtructa, pedunculis longis adhærentia; caulis eſt anguloſus, excauatus, ſuccum lacteum præbens, folia oblonga, anguſta habens: flores in ſummitate in ſpicam ſunt congeſti, coloris cærulei, purpurei vel albi; poſt florem ſequitur fructus diuiſus in tria loculamenta, ſemina exigua, ſplendentia, & rubicunda continentia: radix alba rapum referens. Rapunculus eſculentus eſt campanula radice eſculenta flore cæruleo: eſt diminutiuum a rapa.

RAREFACIENTIA, ſunt remedia, quæ moderato calore; vapores humoresque difflando, poros partium maiores faciunt. Gr. ἀραιωτικά.

RASETTA, idem eſt quod *carpus.*

RASORIVM, eſt cultelli ſpecies, quo vtuntur chirurgi in abradendis capillis, & oſſibus carioſis, a radendo vocatum. G. ein Scheermeſſer, Radirmeſſer.

RASPATORIVM, ſeu SCALPRVM RASORIVM, eſt inſtrumentum chirurgicum, oſſibus carioſis & ſquammoſis abradendis, confectum. Gr. Ξυςῆρα vocant. G. Das Schroteiſen, Schrotmeiſel.

RASPATORIVM, ſeu RADVLA, a radendo, eſt inſtrumentum ex lamina ferrea pertuſa & aſſeri paruo affixa, cuius inæqualitate & ſcabritie, radices, ligna &c. raduntur. Gr. Ξύςρα. τυροκνῆςις. G. Raſpel, Reibeiſen.

RAVCEDO, Gr. βράγχος, eſt vox rauca, acutie ſtrepens, absque vlla ſoni glabritie vel claritate, & exilis, ſic vt ſæpe non audiatur, niſi a prope adſtantibus: orta a ſiccitate vel aſperitate inſtrumentorum formandæ voci inſeruientium, hinc conſequitur vel tuſſim, vel ſuſceptum frigus, vel crapulam, vel nimios clamores, vel puluerem in fauces illapſum, vel conſumptionem inſtrumentorum vocalium a lue venerea: vel denique abuſum ciborum aut medicamentorum acrium. G. Heiſcherkeit.

RAVED SENI, eſt rhabarbarum orientale.

RECE-

RECEPTACVLVM CHYLI, idem quod *ſacculus chyliferus*.

RECEPTACVLVM CHYMICVM, eſt vas amplum, in quo guttæ & vapores deſtillantes ex roſtro vaſis, in quo corpus deſtillandum habetur, excipiuntur: vocatur & *recipiens*, & *excipulum*. G. Vorlegeglaß, ein Recipient.

RECEPTVM, idem quod *formula*.

RECIDIVVS MORBVS, eſt, quando materia a priore morbo relicta, vel corporis morboſa diatheſi non ſatis mutata in ſanitati requiſitam conditionem, denuo recrudeſcit & eundem ſimilemue morbum reſuſcitat.

RECRVDESCENTIA, eſt, quando morbus iam deſinens, aut mitis factus, denuo ad eundem vigorem redit.

RECTIFICATIO, eſt deſtillatio repetita liquorum iam antea deſtillationi ſubiectorum, ad eos magis purificandos & exaltandos. G. das Rectificiren.

RECTI MVSCVLI, habentur inter externos abdominis muſculos: in quibus arteriæ & venæ epigaſtricæ ab interna parte aſcendunt, tum a mammariis interius prope mamillam deſcendunt. Circa medium abdominis in latitudinem maiores inſcriptionibus binis, ternis, interdum & quaternis, in plures veluti muſculos dirimuntur. Ad mucronatam pectoris cartilaginem, coſtarumque trium vel quatuor cartilagines, exortu carnoſi ſunt, in oſſe vero pubis, valido tendinoſoque corpore defixi. Duo porro paria dicuntur *muſculi recti maiores* & *minores capitis*. Par rectum maius, paruum eſt carnoſum & gracile. Oritur a ſecunda colli vertebra, & deſinit in medium occiput, *minus rectum* ſub priori latet, venit a prima colli vertebra, & in medium occiput terminum aſſequitur. Caput ambo retrorſum leuiter ducunt & ad latus.

RECTVM INTESTINVM, eſt omnium & præcipue craſſorum inteſtinorum vltimum, incipit a coli fine, & deſinit in anum, gaudet muſculis ſphinctere, & duobus dilatatoribus. G. Maſtdarm, Afftérdarm.

RECVTITVS, ſiue APELLA, eſt cui portio præputii reſecta fuit, vt in Iudæis & Mahometanis. G. Beſchnitten.

REDVCTIO, eſt metallorum ab acido aliquo corroſorum, vel quocunque modo calcinatorum, mediante alcali quopiam aut quocunque inflammabili, in priſtinam denuo formam fuſio.

REDVVIA, eſt leuis quædam cuticulæ ad vnguium radices fiſſura. Nonnulli ſic quoque paronychiam vocant. G. Nietnagel.

REFECTIVA, REFICIENTIA, vide *analeptica.*

REFRIGERATORIVM, eſt vas ligneum, aqua plenum, cui fiſtula recta vel ſpiralis ex ſtanno vel plumbo ineſt, qua aqua deſtillata, refrigerandi gratia perfluit. G. ein Kühlfaß.

REGENERATIO, ſiue PALINGENESIA, chemicis vocatur quando res quædam operationibus in aliam formam redactæ, ope aliarum operationum, vel peregrinorum additorum, in eandem naturam, qua prius gaudebant, reducuntur.

REGIMEN, vox recepta eſt in arte medica, denotans certam & a medico imperatam diætæ rationem, tam in ſtatu ſano quam morboſo. Chymici etiam de regimine ignis loquuntur, atque in eo ſuos habent gradus. Vide *gradus.* G. Regel der Diät.

REGINA PRATI, eſt *vlmaria*: ſic dicitur, quod læte caput in pratis præ cæteris plantis erigit. Vide *vlmaria.*

REGISTRA, ſeu VENTILÆ, ſpiracula furni ſunt, quæ aer ingreditur ſub venti ſpecie, vel quibus ſuperne exit, & quibus hinc pro operatoris intento dirigitur ignis, iis enim clauſis, ignis debilior fit, verum apertis intenſior. G. ἐπιςόμια. G. Lufftloch.

REGIVS MORBVS, vide *icterus.*

REGNVM, eſt certa quædam reductio rerum in tellure noſtra reperiundarum ad aliquam claſſem generalem, quæ omnes in quibusdam proprietatibus conueniunt. Tale in medicina conſtitutum fuit triplex. 1. *Vegetabilium*, continens ſub ſe omnium plantarum genera. 2. *Mineralium*, continens omnia, quæ ex terra effodiuntur, neque tam manifeſtam ex ſuo ſemine ac vegetabilia originem habent. 3. *Animalium*, complectens omnia animantium genera in quouis medio vitam ſuam degentia.

REGVLVS, chymicis vſitatiſſima vox eſt, qui in probatione aut fuſione alicuius mineræ, illud, quod manet in crucibuli fundo, *regem* vel *regulum* appellarunt, forte quia erat totius nobiliſſima eſſentia. G. Der König.

RELAXANTIA, vide *chalaſtica.*

RELAXATIO, eſt quarundam partium, vti muſculorum, vaſorum vt & membranarum dilatatio vltra elaſticitatis ſuæ,

ſuæ, h. e. virtutis contractoriæ, tonum, qua partes in functionibus ſuis ſanis impediuntur; vti in ſtrabismo, varice, aneuryſmate, hernia &c. Gr. χαλασμὸς, ἄνεσις, χαύνωσις. G. Die Schlaffigkeit.

REMEDIVM, idem quod *medicamentum*, ſeu *auxilium*.

REMISSIO FEBRIVM, eſt incaleſcentiæ ſupra modum ſanguinis ceſſatio, quæ in febribus intermittentibus abſolui integre ſolet, in continuis vero partialis.

REMORA, eſt inſtrumentum chirurgicum apud Hildanum, quo os femoris reſtituitur.

RENES, Gr. νεφροὶ bini ſunt in abdomine, ſub peritonæi duplicatura poſiti, prope diaphragma, multa pinguedine inuoluti, ad eandem fere altitudinem quam hepar & lien, quæ illos quoque tegunt; dexter in homine inferior eſt quam ſiniſter, accipiunt arteriam ab aorta perpendiculariter emiſſam, quæ diuiditur in plurimos ramos vermiculari reptatu currentes, & in ſe hiantes, ex quibus fiſtulæ laterales minimæ oriuntur, quæ in corpora papillaria duodecim terminantur, & vrinam a ſanguine ſecretam euehunt in peluim renis; in qua pariter ſimiles fiſtulæ ab innumeris glandulis oriundæ in eundem vſum deſinunt: vterque ren emittit vnam venam, *emulgentem* dictam, in *cauam* ſtatim terminatam; neruisque quamplurimis & lymphaticis vaſis gaudet. G. Die Nieren.

RENES SVCCENTVRIATI, vide *capſulæ atrabilariæ*.

REPELLENTIA, ſunt, quæ, vt dicunt veteres, ſua frigiditate, vel adſtringendi vi, feruorem & affluxum humorum reprimendo, ac poros & meatus partium claudendo, intumeſcentiam partis imminuunt, & allabentes humores alio pellunt. Hæc horum medicamentorum actio a nonnullis medicis circulationi ſanguinis & humorum repugnare aſſeritur: tamen experientia multiplex, & ſolida ratio pro his medicinis militare videntur. Gr. ἀποκρουστικά. G. Zurücktreibende Mittel.

REPERCVTIENTIA, idem quod *repellentia*.

PEPOSITIO, eſt operatio chirurgica, qua membrum aliquod, quod loco ſuo debito exeidit, cum violentia & artificioſe, in priſtinum locum reponitur. G. Herſtellung, wieder einrichten.

RESEDA, eſt planta, quæ habet caulem excauatum, ſtriatum, villoſum, ramoſum, curuum: folia alternatim diſpoſita, profun-

profunde inciſa, criſpata: flores ſunt anomali, in ſummitate caulium creſcentes, coloris flaui, flori ſuccedit capſula membranacea, triangularis, oblonga, continens ſemina exigua, obrotunda, nigra: radix eſt longa, tenuis, lignoſa, alba, acris: hæc planta creſcit in pratis: dici videtur, a reſedandis doloribus, collectionibus, inflammationibusque, habet ſuccum molliſſimum: hinc credibile eſt eum dolores ſedare.

RESIDENTIA, ſunt craſſamentum ſeu feces, quæ in liquoribus turbidis ad fundum ſubſident.

RES NATVRALES, ſeptem ab inſtitutioniſtis antiquis enumerantur, vt elementa, temperamenta, partes, humores, ſpiritus facultates, actiones: ſed elementa & temperamenta pertinent ad phyſicam: humores, ſpiritus & partes, ſanitatis cauſis annumerantur, quæ conſtant ex bona temperie & apta conformatione; facultates & actiones, ſub ſanitatis effectis conſtituuntur. G. Natürliche Sachen.

RES NON NATVRALES, ſunt ſex, aer, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & vigiliæ, animi pathemata, excreta & retenta. Hiſce merito a Sennerto aliisque adiunguntur *applicata* corpori externa, vti ſunt balnea, fomenta, emplaſtra &c.; omnia enim hæc bono vſu adhibita, corpori proſunt, & ipſi naturalia fiunt; verum abuſu, nocent. Denominatio hæc olim tantum prioribus, ſcilicet aeri, cibo & potui eſt impoſita, quæ dicta ſunt, quia non ſunt de natura animalis aut ex illo veniunt, ὀυ πεφύκασι ἐν ἡμῖν. Poſtea adiecerunt diætologi & pathologi reliqua, quibus nomen non æque conuenit. G. Unnatürliche Sachen.

RES PRÆTER NATVRAM, ſunt morbus, morbi cauſæ, & ſymptomata ſiue morbi effecta, quorum præſentia, illa quæ in corpore ſano fieri debebant, nunc impediuntur, adeoque abundant in corpore, quibus opponuntur totidem *res ſecundum naturam*: Sanitas, cauſa ſanitatis & accidentia ſanitatis. G. Widernatürliche Sachen.

RESINA, *Dioſcoridi l. 1. c. 92.* ῥητίνη; penult. producit:

Quid facient vngues? nam certe non potes illos
Reſina, Veneto nec reſecare luto. Martial. l. 3. ep. 74.
Reſinata bibis vina, falerna fugis. Martial. l. 3. ep. 77.
Deſpicias merito quid reſinata iuuentus. Iuuenal. Sat. 8.
Nec non reſinas ex oricia terebintho. Seren. tit. veſic. purg.
Reſina ex facili cera, viſcoque coacta. Seren. tit. capill. ting.
Reſinam miſces, & ſaxis hordea fracta. Seren. tit. furunc. med.
Simplice reſina miſcebimus hordea tuſa. Seren. tit. pan. dep.

Eodem

Eodem modo penult. ſproducit *Vindicianus*. Quod ſi *Mantuanus* & *Fracaſtorius* penultimam corripuerint, fecerint id invitis omnibus antiquis ſcriptoribus. Videatur *Gruterus*, *Lipſius*, *Scaliger*, *Ramireſius*, *Raderus*, *Farnabius*, *Labbeus*, *Glonerus*, *Cavallus*. Quin & ῥητίνη Græcorum, penult. prod.

καὶ δ' ἀπὸ ῥητίνην τερμινθίδα πολλάκι πεύκης. *Nicand. Ale- lexipharm.*

Reſina eſt corpus in certo frigoris gradu durum, fragile, pellucidum, ad calorem liqueſcens, & diffluens, in aqua non ſoluendum, in oleo, & in alcohole diluendum, in igne ardens inſtar olei. Gr. ῥητίνη, ſunt arborum aut herbarum concretæ lachrymæ, vt *maſtiche*, *thus*, *ammoniacum*, *terebinthina* &c. quæ tempore & ſolari calore indurantur, ſubſtantiæ pinguis, inflammabiles & in oleo ſolubiles ſunt. G. Hartz.

RESOLVENTIA, ſunt medicamenta, quæ liquidorum animalium moleculas, quæ præternaturaliter coiuerant in ſe, in naturales iterum diſcerpunt, adeoque eas vel circulantes attenuant, vel hærentes in loco diuidunt, & circulationi reſtituunt. G. Auflöſende Mittel.

RESOLVTIO, idem quod *paralyſis*.

RESPIRATIO, eſt thoracis alterna dilatatio & collapſus; qua priori aer per os, nares, aſperam arteriam in veſicularem pulmonum ſubſtantiam intrat, eam ſua grauitate & elaſticitate expandit, ſanguinis fluxum per arterias venasque adiuuat, & in ſanguinem agit ob thoracem ampliatum per contractionem muſculorum intercoſtalium, & diaphragma planius redditum: & quo poſteriori aer ex pulmonis compreſſi veſiculis, aſpera arteria, ore & naribus expellitur, ob thoracem collapſum vi cartilaginum coſtarum agentium, ceſſante ſcilicet cauſa actionis muſculorum intercoſtalium, ſed preſſione muſculorum ab dominalium agente in viſcera, adeoque diaphragma intus in thoracem intrudente, & ſimul iuuantibus contractionem thoracis muſculo triangulari aliisque &c. Binæ hæ actiones ſunt maxime neceſſariæ ad vitam in animali perfecto, iis enim impeditis vita ceſſat, quia humorum circulatio per vaſa ſua ceſſat. G. Das Athemholen.

RESVMPTIVA, a *reſumere*, ſeu *reſtaurantia* a *reſtaure*, dicuntur alimentoſa, ad ægros extenuatos reſtaurandos idonea.

RETE MIRABILE, ſic dicitur ob mirabilem ſtructuram, conſtat ex plurimis arteriolis & venulis, ſubiicitur cerebri baſi & glandulam pituitariam in ambitu ſuo complectitur, a lateribus oſſis ſphenoidis. Vſus eſt ne ſanguis ſubito nimis ad

ad cerebrum ruendo, aliquo modo ſupprimatur; in homine & equo, qui generoſos effectus edunt, non ita inuenitur. G. Das Wundernetz.

RETICVLARIS PLEXVS, idem quod *chorioides*.

RETICVLVM, vide *epiploon* & *omentum*.

RETIFORMIS PLEXVS, vide *plexus retiformis*.

RETIFORMIS TVNICA, eſt quædam interioris ſubſtantiæ nerui optici in oculo expanſio, inſtar texti ſericei villos formans eminentes, tenerrimos, poſtice & lateraliter humorem vitreum ambiens, quæ ſe habet vt paries albatus in camera obſcura, qui ſpecies viſibiles, per foramen cameræ atratæ admiſſas, excipit repræſentatque. Vide *amphibleſtroides*. G. Das Netzhäutlein.

RETINA TVNICA, vide *retiformis* & *amphibleſtroides*.

RETORTA, ſiue CORNVTA, eſt vas chymicum, ex vitro, lapide, ferroue conflatum; figura rotunda, ad cuius latus roſtrum eſt flexum, retortum & cauum, quo deſtillanda ingeruntur & egeruntur. G. eine Retorte.

REVERBERATIO CHYMICA, eſt ignitio, qua corpora igne viuo, in furno reuerberii, calcinantur. Vide *ignis actualis*.

REVERBERIVM, eſt fornax chymica, qua corpora ignienda vel deſtillanda, per ignem vndique a parietibus reflexum in ipſa corpora vel vaſa continentia, calcinantur vel reuerberantur. G. ein Reverberirofen.

REVIFICATIO, eſt, quando ex gr. mercurius ex cinnabari, additione ſalis alicuius, de nouo ſuſcitatur.

REVVLSORIA V. S. eſt operatio, qua ſanguis in partem aliquam irruendo nimis agens, in contrariam, per venam, in parte ſatis remota oppoſita inciſam, auertitur; vt ex parte affecta id quod hæret expellatur, vel ſi vaſa rupta ſint, minori vi nunc preſſa tempus ſe conſtringendi adipiſcantur: quod ex legibus hydraulicis vere demonſtratur. G. Das Ableiten.

REVVLSIO, vide *antiſpaſis*.

RHA, idem quod *rheum*, & ita per excellentiam vocatur *rhaponticum*, ab amne R*ha* nominatur, qui ſuas aquas per Tanaim fluuium tandem in Pontum Euxinum euomit. Eſt radix purgans, flaua, longior rhabarbaro, ſed eiusdem plantæ. Nam tuberoſa ſuperior portio nomine rhabarbari venit. Sed inde propendentes propagines, craſſæ, longius demiſſæ, nec ita compactæ, ſunt illud quod rheum, aut rhaponticum hodie dicunt.

RHABARBARVM, pen. corr. vt barbarus.

Barbarus hic ego ſum, quia non intelligor vlli. Ouid. 5. Triſt. el. 11.

Rhabarbarum eſt lapathi ſpecies: quæ habet folia ex radice erumpentia valde magna, ampla, lata, fere rotunda, craſſa, caulibus longis, craſſis, & nigricantibus adhærentia, coloris ſunt ſaturate viridantis, guſtus acidi ſatis grati, in medio horum foliorum ſecundo aut tertio anno protruditur caulis craſſus & robuſtus, non tam altus quam lapathi hortenſis, patientia dicti caulis, quem amplectuntur folia minora, ſed etiam rotunda: in ſummitate caulis ſpicatim proueniunt flores herbacei, albidi, hexapetaloides, in limbo exteriori muſcoſi, herbacei in medio; floribus deciduis ſuccedunt ſemina triangularia, ſplendentia, ſubflaua, vel rufa, tribus foliolis vice capſulæ aliorum lapathorum more incluſa: temporis lapſu radix grandeſcit, multis propaginibus hinc inde propendentibus, oblonga, tuberoſa, circularibus zonis rugoſa, tuberibusque inæqualis, communiter ponderoſa, foris eſt coloris rubentis vel fuſci, intus crocei; ablato cortice exteriori, radix apparet ſublutea, multis venis rubicundis ipſam percurrentibus; ſaporis eſt amaricantis, & lenta viſcedine ſubadſtringentis, nauſeoſi odoris pontici debilis: idem fere, ac *rheum*: ſed melior radix eſt flaui coloris, quæque rara exiſtit, & minorem ſtipticitatem habet, & quæ in mandendo glutinoſa eſt cum leui tamen adſtrictione, & croceæ tincturæ, cum varietate coloris dilute ex carneo colore rubens, & intus variegata inſtar nucis moſchatæ diffractæ: commendatur etiam quæ eſt grauis cum raritate ſua, & in qua etiam confractis fruſtis inuenitur digregatio ex ruffo & glauco: fruſtis maioribus, cum difficilius ſiccentur, & ſæpius intus putreſcant, non fidendum, quandoque enim ſuperficies exterior elegans, interior vero putrida exiſtit atque carioſa, adeoque ſæpius fruſta mediocria ſunt meliora: rhabarbarum quod itinere terreſtri aduehitur, præfertur illi, tanquam citius corruptibili quod nauibus adfertur; mitiſſime purgat, & adſtringit. Volunt nomen componi ex *rha* radice & barbarum, ac ſi eſſet barbarorum radix. Duplex perhibetur, *verum de Leuantes*, quod flauum & melius: alterum *Muſcouiticum*, deterioris notæ dicitur: Sed puto eſſe hoc commentum mercatorium. Parum enim medicinæ refert ſiue Batauorum ope per naues, ſiue a Ruſſis terreſtri itinere allatum ſit: modo eadem radix ſit, ex Tartaria vtique petenda, vsque ad Sinarum regnum. De fa-

cilo

ſto hodie plurimum per commercia Ruſſorum procuratur. Dicitur Arabibus *Raued.*

RHABDOIDES SVTVRA, idem quod *ſagittalis.*

RHACHIS, idem quod *ſpina dorſi.*

RHACHITÆ, vocantur muſculi dorſales, qui vniuerſis coſtarum commiſſuris, in toto thorace, ſuperiniecti ſunt, a poſteriore parte, nihil relinquentes, quod non contegant, ſed omnes coſtarum radices, & vertebrarum proceſſus, qui a lateribus ſunt, adhæc, quod inter ipſas radices eſt, complectuntur. G. Die Muſculn des Rückgrades.

RHACHITIS, eſt morbus ex Anglia oriundus, ad Batauos, Germanos &c. diſperſus, infantes iuniores anno ætatis plerumque ſecundo inuadens, qui eſt inæqualis nutritio cum partium laxitate, mollitie, debilitate, languore, ignauia, torpore, capite iuſto maiore, infra caput macie, protuberantiis circa articulos, incuruatione oſſium, anguſtia pectoris, tumida abdominis impletione, hypochondriorum tenſione, ſiti, tuſſi &c. nomen ab Anglis inditum eſt, *the Rickets:* ſed quia dorſi ſpina in progreſſu morbi quandoque afficitur, ſemper fere verſus dextrum latus ſe incuruando, haud incongrue a Gliſſonio rhachitidis nomine indigitatur. G. Die Engliſche Kranckheit.

RHACOS, a ῥήγνυμι rumpo, eſt linteamentum lacerum & detritum, & exinde vlcera quædam hoc modo nominantur, quæ lacera ſunt & detrita. Dicitur & *rhacoſis.*

RHAGADES, Latinis *ſciſſurae. fiſſurae, rimae*, vt in aliis corporis partibus accidunt, vt manibus, pedibus, labiis, vteri oſtio: ita etiam in ano, ac recti inteſtini extremitate, ac in ſphinctere ſeu muſculo anum claudente accidere poſſunt. Suntque rhagades ſeu ſciſſuræ ani, oblonga quædam vlcuſcula ſine tumore, iis ſimilia, quæ interdum in manibus a magno frigore excitantur. Suntque alia ſuperficialia alia profundiora: alia ſine duritie & callo, alia calloſa latera habentia: alia humida & ſaniem fundentia, alia ſicca & cancroſa, a ῥήγνυμι, rumpo. G. Die Schrunden an Händen und Füſſen.

RHAGOIDES, eſt *vuea tunica* oculi, quæ & *perforata* a ſtructura vocatur, alias & *chorioides.* G. Das ſchwartze Häutlein des Augs.

RHAMNVS, eſt arbuſcula ſpinoſa creſcens aliquando ad altitudinem arboris, corticem ſimilem ceraſo habens: lignum eſt ſubflauum: rami ſpinas quaſdam pyrum ſylueſtrem referentes habent: folia ſunt ampla, viridia, mali foliis minora, in margine leuiter denticulata: flos paruus, monopetalus, in-

fund-

fundibuliformis, quadripartitus, in cuius fundo ſtamina ſurgunt cum piſtillo, quod deinde abit in baccam mollem, ſucco virente plenam, frangulæ parem, magnitudine piſi, per maturitatem nigram; in qua grana vt plurimum quaterna, pyrorum granis pene ſimilia, figura fere triangulari, cortice nigricante, calloſa, hinc gibba, inde vero plana; ſapor baccarum amarus & ſubadſtringens, & qui facile guſtanti nauſeam mouet; habet & ſuccus peculiarem ſibi odorem. G. Kreutzbeer, Wegedorn.

RHANTERES, dicuntur oculorum anguli interiores, naſo proximi: qui & πηγαὶ vocantur, ſeu *fontes lacbrymarum*, Vide *canthus*.

RHAPHE, SVTVRA, quando vulnera conſuuntur vel acubus & filo, vel mediante emplaſtro conglutinante. Item ſuturæ cranii ita vocantur, de quibus ſuo loco. Vide *ſutura*.

RHAPONTICVM, *Celſo* radix Pontica, penult. corr.

A ſtyge non longe Pontica diſtat humus. Ouid. 3. *de Pont. el.* 5.

Rhaponticum, eadem omnino radix eſt ac *rhabarbarum*, ſed magis oblonga; imo & vires eædem. Suprema nempe & craſſa radicis pars eſt *rhabarbarum*, inferior & oblonga. *Rhaponticum*, vt cenſet Cl. *Comelinus* cum *Hermanno*; quibus αὐτόπται illarum terrarum peruestigatores fidem adiiciunt. Credit autem Cl. *Tournefortius* peculiarem eſſe plantam, quæ etiam nunc in hortis colitur, & a Proſpero Alpino deſcripta reperitur. Aliqui tanquam ſingularem ſpeciem laudant *rhabarbarum monachorum*, ſcilicet eorum, qui in Meſuen commentati ſunt. Sed illi verum vtique rhabarbarum deſcripſerunt, in multis ſapientiores ſuis cenſoribus.

RHEGMA, Gr. ῥῆγμα, eſt partis alicuius ruptio: vt oſſis, peritonæi, oculi &c. a ῥήγνυμι rumpo.

RHEVM, idem quod *Rha*

RHEVMA, dicitur vulgo humoris e naribus in ſubiectas partes fluxio; verum eſt obſtructio vaſorum minimorum lympham vehentium, vnde tumor cum dolore partis, ſed non veluti in inflammatione ſanguinea, non enim ſuppuratur, & contingit in partibus plerumque tenerioribus & membranoſis, vt in membrana narium, faucium, œſophagi, &c. a ῥέω fluo. G. ein Fluß.

RHEVMATISMVS, eſt dolor atrociſſimus, dilacerans, & minimo motu ſummopere excitatus, vagus, obſidens articulos nunc hos, nunc illos, ſæpe fixiſſimus in parte, cum tumore & rubedine loci quem occupat, & cum febre continua incipiens, quæ poſtea lenitur & ex interuallis longis quandoque redit; cuius cauſa eſt inflammatio in arteriis lymphaticis membranarum iuncturas ambientium ob materiæ inflammantis naturam non ſuppuranda, eſtque hic morbus arthritidi & podagræ affinis, a ῥέω fluo, vnde Rheumatici dicti. G. ein hitziger, ſcharffer Fluß.

RHINENCHYTES, eſt ſiphunculus, quo medicamenta naribus immittuntur, ex ῥὶς naſus, & ἐγχέω immitto. G. Naſenſprütze.

RHIZOTOMVM MEDICAMENTVM, eſt quod morbum funditus & radicitus euellit, ex ῥίζα radix, & τέμνω ſeco. R*hizotomus* etiam Græco ſermone denotat virum, qui plantas & radices in vſum medicinæ iuſto tempore fodit & colligit. Talis fuit Crateuas. G. ein Kräutermann, Wurtzelmann.

RHODELÆON, eſt oleum roſarum, ex ῥόδον roſa & ἔλαιον oleum. G. Roſenoel.

RHODIA RADIX, eſt telephii ſpecies, ſic dicitur quod eius radix contrita roſas oleat; ῥόδον enim eſt roſa. G. Roſenwurtzel.

RHODINVM, eſt acetum roſaceum, aut aliud quid ex *roſis* paratum, a ῥόδον roſa.

RHODIVM LIGNVM, aſpalathorum quatuor innotuerunt ſpecies; cortice cinereo, ligno purpureo ſeu Dioſcoridis. Secunda, colore buxi. Tertia, albicans torulo citreo. Quarta rubens. Verum officinæ noſtrates non niſi ſecundam & tertiam ſuppeditant. Prior eſt aſpalathi ſpecies Lobelii. Poſterior dicitur *rhodium lignum*, quibusdam *agallochum, oleaque æthiopica*. *Rhodium lignum* vulgare roſeum habet odorem, durum eſt, in Inſula Rhodo inſulisque fortunatis, altitudine vnius hominis creſcens, craſſitie ceraſi, colore fere macis. G. Rodiſerholtz, Roſenholtz.

RHODODAPHNE, eſt nereon ſeu oleander, ſonat Laurum roſeam: ſic nuncupatur a flore, roſæ ſimili & foliis Laurinis, ῥόδον eſt roſa, & δάφνη Laurus. Dicitur etiam rhododendrum. vide *Nerion*.

RHODON, ſiue ROSA. Gr. Ῥόδον dicitur. G. eine Roſe.

RHO-

RHODOMELI, eſt mel roſarum, ex ῥόδον roſa, & μέλι mel. G. Roſenhonig.

RHODOSACCHARVM, eſt ſaccharum roſaceum. G. Roſenzucker.

RHODOSTAGMA, eſt aqua roſarum, ex ῥόδον roſa, & ϛάζω ſtillo.

RHOE, vide *Rhus*.

RHOEAS, forte a ῥέω fluo, quia floſculi ſtatim decidunt, cui origini Plinius fauere videtur: aut potius a ῥοιὰ, quod granatum ſignificat, cuius flores cum hoc valde conueniunt. Sic vocatur papauer rhœas, ſiue papauer erraticum rubrum, quod inter frumenta ſæpe reperitur. Contra affectus pleuriticos eius ſyrupus & decoctio valde prædicatur. G. Clapperroſen & Kornroſen.

RHOMBOIDES, eſt par muſculorum, initium habens a tribus inferioribus vertebrarum colli, totidemque ſuperioribus vertebrarum dorſi ſpinoſis proceſſibus: mox oblique deſcendens, principio, fineque carnoſum, ad ſcapulæ baſin fertur: quam retrorſum, ſed & oblique ſurſum agit, ex ῥόμβος figura quadrata, & εἶδος forma. G. Der Rauten gleiche Muſcul. Eſt etiam faſciarum ſpecies rhombi figuram repræſentans.

RHOMBVS, eſt ſpecies deligationis chirurgicæ, figura rhombum referens, hoc eſt quadrangulum æquilaterum, ſed non rectangulum: huius deligationis variæ deſcribuntur ſpecies. Dicitur & alia *ſemirhombus* quæ vulneribus circa auris loca aduenientibus inſeruit.

RHVS, RHVS CVLINARIVM, OBSONIORVM, SVMACH, eſt arbuſcula, quæ aliquando creſcit ad altitudinem arboris; folia ſunt pinnata, lata, oblonga, in margine inciſa. rubicunda, fraxini foliis fere ſimilia: flores in racemos ſunt congeſti, albi; his in terram delapſis ſuccedit capſula quædam compreſſa, fere oualis, membranoſa, rubicunda, ſemen eiusdemque figuræ habens incluſum, coloris rubri; ſapor foliorum, florum, & fructuum eſt adſtringentiſſimus; creſcit in locis lapidoſis, eius fructus olim ſolebat cibis aſpergi & in culinis adhibebatur ad carnem condiendam, & quia vſurpatur etiam a coriariis, *Rhus coriariorum* dicebatur. Tinctores etiam illam plantam adhibent. Semen, quod officinis in vſu eſt, botri in modum creſcit. Prouenit in Hiſpania, Italia, Ponto, & quod ſumach Virginianum vocatur, creſcit in Virginia. G. Färberbaum, Gerberrinden, Schmack.

RHYPTICA, ſunt medicamenta detergentia & ſordes abluentia. Quidam ſumunt pro *ruptoriis*; a ῥύπτω ſordes abluo.

RHYTHMVS, eſt certa pulſuum, temporum, vitæ, ætatum &c. proportio, a ῥυθμίζω ad numeros aptos refero.

RIBES, ſiue RIBESIVM, nobis hodie dicitur frutex, qui habet folia ſubrotunda, viridia, dentata; flores ſunt in racemos congeſti, pentapetali; poſt flores ſuccedunt baccæ rotundæ, albæ, vel rubræ, politæ molles, ſuccum rubicundum vel album continentes, ſaporis acidiuſculi & grati, quæ baccæ multa parua ſemina includunt: vox Mauritanica. G. Johannesbeer.

RICINVS, penult. corr. vt ricinus animal, nam de ricino veſte aliter ſe res habet:

Sanguine ſeu ricini, quem bos geſtauerit ante. Seren. tit. *obſc. med.*

Ricinus eſt planta, ad arboris altitudinem ſæpe excreſcens, eiusque formam habens, habet caules craſſos, excauatos, lignoſos, in ſuperiori parte ramoſos, coloris purpurei, puluerem album farinam referentem habentes: folia in initio rotunda, ſed poſtea anguloſa, profundiſſime inciſa, mollia, ampla: flores apetali, ſteriles, exigui: fructus a flore remotus in eadem planta, trigonus, plerumque membranula inuolutus, tres loculos conficiens, in quibus ſingulis ſemen inſtar teſtudinis oblongum, ſat craſſum, coloris liuidi, ſaporis ſubdulcis, acris, nauſeoſi, medullam albam & teneram continens, hæret: hic fructus bene maturus, ſemina cum magno impetu eiicit. Vulgo *Cataputia* maior, item mirabilis arbor ob proceritatem, foliorum amplitudinem, florum ſuauitatem, ſeminum picturam, & exſilitionem. Gr. κίκι, & κρότων. Ricinus & Croton a ſimilitudine animalis, quod ſemen eius referre videtur, nominata eſt. G. Wunderbaum, Creutzbaum.

RIGOR, Gr. ῥῖγος a ῥιγέω rigeo, eſt conuulſio ſubito incidens in cute, & quibusdam muſculis artuum, lumborum ac colli, ita vt, qui corripitur rigore, primum ſentiat concuſſionem, ex ſubita & improuiſa contractione, deinde aliquam diu ita contractus rigidusque manet: vnde in hoc differt ab opiſthotono & emproſthotono, quod in rigore nullum membrum diſtorqueatur ab ordinaria, quæ in motu corporis eſſe ſolet, figura. Dicitur vero etiam rigor, de ſummo gradu frigoris, in initio febrium intermittentium: tribuitur etiam fere omnibus qui mori incipiunt. G. Das Erſtarren vom Froſt.

RIMA PVDENDI, ſiue FISSVRA MAGNA, eſt pudendi muliebris oculo apparens rima, quæ ſic dicitur quia ab oſſium pubis inferiore parte ad anum vsque fere pertingit; ita vt inter illam & anum ſpatium, quod perinæum ſiue interfœmineum appellatur, vix pollicis transuerſi latitudinem excedat. Hæc repetito coitu dilatatur: vſus eſt eius canalis modo penem tanquam in foſſam dirigere, vrinæ & menſtruis exitum præbere, & fœtus excluſioni inſeruire.

RIMA, eſt oſſis fiſſura, quando os aut cranium fere ruptum fuerit. G. eine Spalte, Riß.

RIMVLA LARYNGIS, eſt ea, quæ a cartilaginibus duabus arytænoidibus efformatur, & quæ ab epiglottidis cartilagine clauditur, ne quid cibi aut potus in laryngem incidat; nam ſi quid caſu illabatur, illico tuſſis oritur, & non raro ſuffocatio. G. Die Oeffnung der Luftröhre.

RISIGALLVM, vide *arſenicum*.

RISVS APIVM, eſt ranunculi ſpecies; nomen accepit, quod in cibo ſumptum mentis alienationem cum labiorum contractione, eas conuulſiones faciat, quæ riſus ſpeciem videntibus præbent, vocatur illa conuulſio *ſpaſmus cynicus* & *riſus ſardonius*.

RISVS SARDONIVS, eſt ſpaſmus vtriusque maxillæ, ſiue faciei contractura riſum ſimulans, in quo riſu, nec voluntas, nec intellectus, vt cauſæ vllo modo concurrunt, ſed illud ſenſitiuum omni animali commune: hinc oritur a quacunque cauſa partes faciei contrahente, quæ in riſu vero agunt: nomen Sardonii traxiſſe videtur ab herba Sardonia, ita dicta, a ſolo natiuo Sardinia, vbi primo inuenta fuit, quæ vocatur riſus apium.

ROB, ROHOB, idem quod *apochyliſma*, ſuccus inſpiſſatus.

ROBERTIANA, ſeu ROBERTI HERBA, eſt geranii ſpecies haud dubie a ſuperſtitione aliqua diui, qua ſuperior ætas mirifice imbuta fuit, appellatur.

ROBORANTIA, idem quod *cordialia*.

ROBVB, idem quod *apochyliſma*.

ROCHVM ALVMEN, ſiue RVPEVM, orta a Gallica voce *Roc*, quod *rupem* denotat, vulgo *alumen Rochæ* vocatur. G. Steinalaun.

RORIFERVS DVCTVS, idem quod *ductus chyliferus*.

ROS, ſecundum *Galenum*, tertia humiditatis ſpecies vnde partes corporis noſtri nutriuntur, quæ continetur in omnibus animalibus partibus, ceu ros quidam per earum ſubſtantiam ſparſus.

ROSA, eſt planta, quæ habet ramos duros, lignoſos, ſpinoſos, folia oblonga, dentata, aſpera, pinnata, in impar extremum exeuntia, finis pedunculi format ouarium ſphæricum, coronatum in faſtigio ſuo corona profunde quinquefida, radiata, cuius ſegmenta longa, atque laciniata calicem referunt: flos eſt pentapetalus, cuius petali oriuntur ex margine interno calicis, vnde & ſtamina numeroſiſſima: ouarium emittit ex centro apicis capitulum tubis multis, fimbriatis ornatum, quod fit fructus vnicapſularis, fœtus ſeminibus plurimis, anguloſis, villoſis, inſtructus apice foliaceo. Gr. *ῥόδον*. G. Roſen.

ROSA, idem quod *eryſipelas*.

ROSMARINVS, penult. prod.

Ex pipere, & calida florem de rore marino.
Ebibe. - - - - - Seren. tit ſtom. med.
Siue myrica potens, ſeu ros cum pane marinus. Seren. tit. ſplen. cur.

Roſmarinum eſt arbuſcula, quæ habet caulem longum, tenuem, cineritium, habentem folia anguſta, dura, in parte ſuperiori viridia, in inferiori alba, odoris penetrantis, aromatici, ſaporis acris: flos eſt monopetalus, labiatus, cuius labium ſuperius bifidum, & ſurſum verſus poſteriora reuolutum eſt cum ſtaminibus aduncis, inferius vero in tres partes diuiſum, media cochlearis inſtar excauata: ex calice autem bidentato vel tridentato ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti adinſtar claui infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina ſubrotunda, in capſula, quæ floris calix fuit, incluſa, & ad ſe inuicem iuncta. Gr. *λιβανωτὶς*, quod odorem thuris ſeu olibani reddat. G. Roſmarin.

ROSSALIA & ROSSANIA, ſunt nomina Neapolitana, ab aliis *purpuræ* vocantur & *rubores*, ac Gr. *ἐρυθρήματα*. Sunt maculæ rubræ & quaſi ignitæ, cum vix effatu digno tumore, per vniuerſum corpus, quaſi quædam eryſipelata parua, in principio morbi ſeu die quarto vel quinto morbi erumpentia. Progreſſu morbi totum corpus occupant, vt id quaſi ignitum appareat, ac ſi eryſipelate laboret; qui color in declinatione iterum, vt in principio, in maculas mutatur, quæ tandem ſeptimo vel nono die euaneſcunt, epidermide ſquammarum inſtar decidente.

ROS SOLIS, RORELLA, nomen habet, quod eius folia, ſemper quaſi rorida ſint. Eſt planta, quæ habet caulicu-los exiguos, longos, inferius lanuginoſos, folia obrotunda, con-caua, pallide viridia, tenuium rubeſcentiumque ſtaminum veluti cilio circumquaque fimbriata, aſpergine rorida guttularum, et-iam per feruentiſſimos æſtus pilis adhæreſcentibus, madida: flos eſt roſaceus, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis con-ſtans, ex cuius calice tubulato ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum ouatum vel acuminatum, apice dehiſcentem, ſemi-nibusque fœtum ſubrotundis, vel oblongis: radix fibroſa, & tenuis inſtar capillorum. G. Sonnenthau. Etiam chymici ſubinde de rore ſolis loquuntur: incertum autem eſt, quid quisque ſcriptor hoc nomine velit: aliqui videntur ipſi neſci-uiſſe; ſollemne enim eſt vulgaribus alchymiſtis fingere & ficta transſcribere.

ROSTRIFORMIS PROCESSVS, vide *coracoides.*

ROSTRVM PORCINVM, vide *dens leonis.*

ROSTRVM, dicitur fiſtula illa, quæ galeis ſeu capitellis deſtillatoriis continua eſt, per quam ex galea liquor de-ſtillatus in receptaculum ſuppoſitum deſtillatur. G. ein Schnabel.

ROSTRVM, eſt forceps exciſoria, & dicitur, pro varia figura, *pſittacea* & *vulturina*, valet ad oſſis aliquod fruſtulum, in curatione vulnerum capitis, partim rumpendo, partim inci-dendo, auferendum.

ROTATOR MAIOR, & MINOR, ſunt duæ apo-phyſes in ſuperiore oſſis femoris parte, trochanteres dictæ, qua-rum maior externa, minor interna; in quibus plurium muſcu-lorum tendines terminantur. G. Des Obenſchenckels Um-dreher.

ROTVLA, idem quod *mola genu.*

ROTVLÆ, vide *tabellæ.*

ROTVNDVS MVSCVLVS MAIOR brachii, qui brachium retro deorſum trahit, & deltoidi muſculo contraria-tur. Ab inferiore ſcapulæ margine & extimo angulo, vnde transuerſas quasdam complectitur fibras radioſas, pronatus, bre-ui latoque tendine, brachii oſſis infra ceruicem deſinit. Alter *rotundus minor* ſeu *breuior*, totus carnoſus eſt, qui initio acuto ex infimo ſcapulæ angulo pullulat; poſtea magis magisque craſſeſcit ad medium vsque ventrem, inde ſenſim gracileſcens, acuto fine finitur in ligamentum, quo humeri caput veſtitum eſt, oblique ſitus eſt, aliisque *transuerſus muſculus breuior* ap-

pellatur. Videtur non ſine ratione, partem eſſe præcedentis rotundi maioris. Tertius *rotundus* radii eſt *pronator* dictus, vide *pronator*. G. Der runde Muſcul.

RVBEFACIENTIA, ſunt medicamenta, quæ externe cuti applicata, titillationem, ruboremque illi inducunt, adeoque inflammationem leuem, ſuntque hæc varii gradus. Gr. φοινίζοντα, & conueniunt vbi humores in locum allici-endi ſunt.

RVBEOLA, eſt planta, quæ habet caules plurimos, tenues, quadratos, repentes: folia caulem ambientia, anguſta, ſplendentia: flores in ſummitate ramorum creſcunt, parui, in quatuor partes diuiſi, coloris rubri, aliquando albi, odoris grati, iaſminum redolentes: ſuccedunt floribus ſemina bina ſibi mutuo adhærentia, aſpera, oblonga, lignoſa, craſſa, nigra. Rubeola dicitur quaſi rubia parua; vocatur etiam cynanchica, quia anginam curare dicitur.

RVBEOLA, eſt ſpecies variolarum vel morbillorum, ſunt enim exanthemata ſeu tubercula rubra, cum calore ac tuſſi inuadentia, morbillis minus periculoſa. Inuadunt autem quandoque ſola, quandoque inter variolas inſperguntur, quandoque iis ſanatis ſuperueniunt. G. Die Rötheln.

RVBIA tinctorum, *Plin. l 19. c. 3. Rubia tingendis lanis, & coriis neceſſaria.* Vnde promptum fuerit colligere penult. corripi, ob vocalem ante vocalem, & *rubiam* dici quaſi *rubeam.*

Sumere conueniet, rubiam quoque ducere potu. Seren. tit. iſch.

Huic rubia ex multa fertur conducere lympha. Seren. tit. morb. Reg.

Rubia eſt planta, quæ habet caules longos, ſarmentoſos, quadrangulares, nodoſos, aſperos: folia oblonga, anguſta, caulem in formam ſtellæ ambientia, numero incerta, aſpera: flos eſt monopetalus, campaniformis & multifidus; calice abeunte in fructum ex gemellis baccis conſtantem, ſemine vt plurimum fœtis vmbilicato; baccæ ſunt nigræ, ſibi inuicem adhærentes, ſucco plenæ; radix oblonga, tenuis, ſucculenta, extus & intus rubicunda, ſaporis ex dulci amaricantis & adſtringentis; odoris nullius. Gr. ἐρυθρόδανον, officinæ *rubiam tinctorum* appellant: a radicis rubro colore nomen accepit, quo lanæ & lintea tinguntur. G. Röthe, Färberröthe.

RVBIGO, ROBIGO, VSTILAGO, Gr. ἐρυσίβη, eſt frumentum vitioſum, cuius ſpica quaſi aduſta conſpicitur. G. Brand

Brand im Korn. Eſt quoque flos ferri vel cupri, aere vel acri liquore exeſi & verſi in calceam materiam. G. Roſt.

RVBINVS, eſt gemma diaphana rutilans, rubensque ac limam reſpuens. Rubedo ipſius eſt inſtar ſanguinis, laccæ Indicæ coloris coccinei. Nobiliores rubini in inſula Zeilan naſcuntur, alii minores in Coria, Calecut, Cambaia, & Biſnagara; optimi in flumine Pegu. Naſcuntur in lapidea matrice roſei coloris, primumque candicant, deinde paulatim rubeſcentes ruborem contrahunt. Hinc albi immaturi. Gr. ἄνθραξ. Lat. Carbunculus. G. ein Rubin.

RVBRICA, penult. prod.

Excepto ſi quid Maſuri rubrica notauit. Perſ. ſat. 5.

Rubrica ferri quædam minera bolo durior, hæmatite mollior. G. Röthelſtein.

RVBVS, eſt arbuſcula, quæ habet ramos longos, flexiles, ſpinis acutis inſtructos: folia oblonga, dentata, aſpera, trifoliata: calix eſt quinquefidus: flores ſunt roſacei, pentapetali, in ſummitate ramorum creſcentes, exigui, pedunculis breuibus adhærentes, numeroſis ſtaminibus ſtipati in centro calicis, cui adnaſcitur fructus globoſus, ex pluribus acinis ſucculentis compoſitus, placentæ affixis, in initio rubicundis, ſed poſt maturitatem nigris, ſaporem dulcem habentibus, fœtis ſeminibus oblongis ſingulis inſtructis ſua tuba: creſcit inter dumeta & ſecus margines agrorum. Gr. βάτος. Aliquibus *mora vaticana*, corrupta voce, eius fructus dicuntur, cum dicendum eſſet *mora vatinia*. Nam in hodiernum vsque diem Græci mora illa a βάτου, βάτινα & βατίνια cognominant. Virgilius in bucolicis vnius literæ immutatione *vaccinia* vocauit. Vocatur etiam *Chamæbatos*, quaſi humilis rubus. G. Brombeer.

RVBVS IDÆVS, eſt frutex, ſic a monte idæo appellatus, producens fructus moris fere ſimiles, rubros vel albos. G. Hinbeeren.

RVCTATIO, ſiue RVCTVS, BOMBVS, aut ERVCTATIO, eſt flatuum ex ventriculo per œſophagum adſcenſus, & ex ore egreſſus cum ſonitu maiore vel minore, qui oriuntur ex quacunque materia elaſtica in ventriculo rarefacta & aliquandiu retenta, ſed ſubito exploſa ſurſum. Gr. ἐρευγμὸς, ἐρευγὴ, ἐρυγμὸς. G. Das Auffſtoſſen.

RVGITVS, eſt aeris in inteſtinorum circumgyrationibus contenti ob eorum motum perpetuum, de loco in locum migratio, ſiue ob leues ſpaſmos inteſtinorum diutius quam par

 eſt

eſt hæſitet & rarefactus fuerit, ſiue ob cibos aeris magna copia ſcatentes aſſumtos oriatur. G. Gemurmel, ein Getöſe.

RVMEX, eſt lapathi ſpecies: hunc proprie Romani appellarunt rumicem, forſitan quod ab ea ſuccus non aliter atque ex mamma, quam *rumen* veteres dixerunt, ſitientibus exugi ſoleat. Rumo antiquis erat lacto.

RVPTIO, vide *rhegma.*

RVPTORIVM, eſt medicamentum cauſticum, quod cuti applicatum exedit, & quo abſceſſus ſæpe aperiri ſolent, paratur vulgo ex lixiuiis, vel ex cryſtallis lunæ aliisque rebus.

RVSCVM, RVSCVS, eſt arbuſcula duos vel tres pedes alta, quæ habet ramos multos, flexiles, fractu difficiles: folia myrti, ſed rigidiora, acuta, inodora, ſine caule, ſaporis amari & adſtringentis. Calyx monophyllus, multifidus; intra hunc flores monopetali, campaniformes, globoſi, exigui, lutei: flori ſuccedit bacca rotunda, mollis, rubens, aſparagi baccis maior, continens ſub tenui pellicula modo bina ſemina duriſſima, flaua, ſaporis ſubdulcis: radix craſſa, oblonga, implexa, repens alba, fibras craſſas demittens: creſcit in locis incultis, vt in ſyluis. Ex Italia & Gallia huc adfertur, & colitur in hortis. Officinæ litteram addunt, appellantque *bruſcum.* Gr. *ὀξυμυρσίνη, κεντρομυρσίνη* & *μυακάνθα.* Vocatur etiam laurus Alexandrina, quia in Alexandria creſcit. Annon Myrſine Dioſcoridis? G. Mäuſedorn, Bruſch.

RVTA, creſcit in formam arbuſculæ, caules habet craſſos, lignoſos, ramoſos, cortice albeſcente obductos; folia ſunt in ſegmenta diuiſa, exigua, oblonga, carnoſa, polita, bina: flores tetrapetali, roſacei, coloris flaui: poſt florem ſequitur fructus in quatuor loculos per diaphragma diuiſus; continens ſemina parua, recurua, ſemilunata, coloris modo flaui, modo nigricantis, ſaporis ingrati, odoris grauis. In capſulis ſeminalibus eſt omnis vis, ex illis enim plus olei extrahitur, quam ex integris ſeminibus & caulibus. Tota planta habet odorem ingratum, ſaporem amarum & acrem, creſcit in hortis vbique. Gr. *πήγανον, ῥύτη.* G. Raute, Weinraute.

RVTABVLVM, eſt inſtrumentum ligneum vel ferreum, quo materia igni impoſita, vel coquenda ſæpe agitatur. G. Rührhacke.

RYAS, eſt nimia lachrymarum fluxio.

S.

S. N. idem quod *ſecundum naturam.* Latinum S. notæ characteriſticæ ponderis vel menſuræ additum, denotat dimidium vel *ſemis.*

SABINA, *Plinio libr. 17. c. 13. & l. 24. c. 11.* herba ſabina dicta, a Sabinis populis, apud quos frequentiſſima fuit, ſi credimus *Bauhino* in *Dioſcoridem.* Penult. prod.

Stipite quæ diro virgas mentita Sabinas. Lucan. l. 9.

Et crepat ad veteres herba ſabina focos. Prop.

Sabina, ſeu SAVINA, eſt frutex, qui perpetuo viret, folia habet foliis tamariſci ſimilia, ſed duriora & magis ſpinoſa, odoris fortis, ſaporis acris & vrentis: flos eſt amentaceus extremitati ramorum innaſcens, ſed ſterilis; embryones autem ſeu baccæ baccis iuniperi ſimiles, nucleis turgent anguloſis, & aſperis. Datur & aliqua ſabinæ ſpecies, quæ eſt arbor inſtar amygdali magna. Gr. βράθυς, & βάρυθρον, dicitur Romanis a regione, in qua multum naſcebatur. G. Sadebaum.

SABVLVM, ſiue arena, ſunt granula ſolida, parua, arenæ terreſtri ſimilia, ſed naturæ eiusdem ac calculus humanus, quæ in vrina reperiuntur, eminguntur, in renibus vel veſica nata. Gr. ἄμμος & ψάμμος. G. Sand, Grieß.

SACCHARVM, *Plinio* ſaccaron, penult. corr.

Siue ſaporis erit, qui ſacchara dulcia vincat. Sammart. l. 2. Pæd.

Meminit inter antiquos ſacchari *Arrianus in peripl.* μέλι, inquit, τὸ καλάμινον, τὸ λεγόμενον σάκχαρι. *Dioſcoridi l. 2 c. 104.* σάκχαρον *Plinio l. 12. c. 8. Saccaron & Arabia fert, ſed laudatius India. Avicennæ* tandem multis poſt ſeculis in *can. Med.* vocatur tſukkar, ut noſtratibus. Saccharum, ZVCCHARVM, MEL ARVNDINACEVM, MEL CANNÆ, arundo in India orientali & occidentali, & in Africæ locis, imo & in quibusdam Europæ regionibus creſcit. Exhibet autem ſaccharum, partim inciſione cannæ vnde inſtar lachrymæ exſtillat, quod candidum eſt & rarum; partim elixatione potiſſimum medullæ ac radicis, donec in fundo inſtar ſalis concreuerit. Vulgare ſaccharum eſt ſuccus ex arundinibus expreſſus, dulciſſimus, concretus, & in ſalis formam redactus: ideoque *ſal eſſentiale* iure vocari poteſt. Pro varia præparatione varia ſortitur nomina. G. Zucker. Ex plumbo etiam paratur cum aceto deſtillato *ſal*, quod ob dulcedinem *ſaccharum Saturni* appellatur.

SACCVS, quibusdam eſt inteſtinum cœcum, quod ſacci inſtar propendet. G. ein Sack.

SACCVLI, ſeu DVCTVS ADIPOSI, ſeu VESICVLÆ ADIPOSÆ aut LOBVLI, obſeruamus, vbicunque pinguedo eſt, præcipue circa cutim & in muſculorum interſtitiis, ibi inueniri multiplices membranas ſacculorum adinſtar, & lobulorum excauatorum, quæ ſubſtratæ cuidam membranæ craſſiori adhærent. Per hanc propagari venas & arterias, quarum trunco a lateribus pinguedinis moles, veluti milii aceruus, cumulatur. Vaſa ſanguinea expandi in ramos, arborum inſtar, quorum extremitatibus appenduntur membranoſi ſacculi ſeu lobuli, pinguedinoſis globulis referti, qui veluti folia arboris adnata, arboris exactam figuram complent. Nectuntur ad inuicem membranis, quibus efformantur, & vaſorum reti. G. Die Fettſäcke.

SACCVLVS CHYLIFERVS ſiue RORIFERVS, eſt receptaculum chyli (ſaccus lacteus D. *van Horne*, ciſterna lumbaris aliis) eſt inferior pars ductus chyliferi, in canibus admodum magnus & conſpicuus: vnde aliqui male homini etiam tribuerunt. Videatur Ruyſchius, & poſt eum alii recentiſſimi anatomici.

SACCVLVS CORDIS, vide *pericarpium.*

SACCVLI MEDICINALES, componuntur ex variis ſimplicibus, ſcopo medici conuenientibus; eaque, ſi opus fuerit, conteruntur, ſacculoque, cuius figura parti affectæ quadrat, excipiuntur, qui ſæpe, ne materia in vnum locum coaceruetur, acu, in quibusdam locis interſuitur. G. Säcklein, Beutel.

SACER IGNIS, vide *herpes exedens.*

SACER MORBVS, vide *epilepſia.*

SACRA FISTVLA, idem quod *medulla ſpinalis.*

SACRVM OS, Gr. πλατὺ, ἢ ἱερὸν ὀςῦν, ὑποσπόνδυλος, eſt os triangularis figuræ, vertebris lumborum ſuppoſitum, a lateribus oſſibus innominatis coniunctum, conſtat, ex vertebris inferioribus ſex, cui oſſa coccygis annectuntur, in abdomine a parte poſteriori conſtituit peluim. G. Das groſſe Rückbein.

SAGAPENVM, penult. prod. *quia Dioſcoridi l. 3. c. 95.* σαγάπηνον, vnde & *Vindiciano*, & *Andromacho* apud *Galenum* penult. recte producitur. Sagapenum, lachryma ſeu gummi eſt ferulæ, eiusdem cum ſucco nominis, ex qua ſauciata educitur. Naſcitur in Media regione, vnde Alexandriam, ac hinc

Venetias

Venetias atque in alia Europæ loca transportatur. Optimum debet eſſe translucidum, foris colore fuluo vel ruffo, intus albido, guſtu acre, odore graui, porrumque æmulans. Appellatur & *Serapinum*: G. Serapinſafft.

SAGITTA, paluſtris planta eſt, & ſpecies ranunculi, quæ habet folia aquis innatantia, alatæ ſagittæ mucronem æmulantia. Flores ſunt tetrapetali, roſacei, albi, plura ſtamina habentes in medio rubra; ſuccedunt fructus parui, rotundi, fragorum magnitudinis, aſperi, coloris ex viridi rubri; qui ſinguli continent plura ſemina, tenuia, acuta, in capitulum vnum congeſta; & figuram vnguis auis habentia. G. Pfeilkraut.

SAGITTALIS SVTVRA, Gr. ὀϐελιαῖα, eſt illa quæ à coronali incipit, & in lambdoidem deſinit, inter duo oſſa bregmatis decurrens. G. Die Pfeilnath.

SAGMINALIS, vide *periſtereon*.

SAL, eſt materia in aqua ſolubilis, igne liqueſcens, adeo ſimplex, vt quælibet eius particula eandem toti naturam referat, linguæ ſaporem inprimat, eſtque *fixum*, vel *volatile*: *acidum* vel *alcalinum*: vel *ſal compoſitum*, ſeu *neutrum*. *Fixum* eſt quod magna ignis vi non auolat, ſed eius torturam ſecure patitur, vt ſal tartari; cardui benedicti &c. *Volatile* eſt quod ſponte, vel minimo ignis calore ſurſum euehitur & in auras euaneſcit, vti omnia ſalia volatilia arte facta. *Acidum* eſt quod ſapore tali ſe prodit, vel ſolutum cum alcalicis efferueſcit, vti vitriola. *Alcalinum* eſt quod ignei vel vrinoſi ſaporis, cum acidis ſolutis ebullit, vt ſal tartari. *Neutrum* eſt, quod nec ebullit cum acidis, nec cum alcalinis, vt ſal marinum, gemmæ &c. Omnia ſalia naturalia cognita ſunt, ſal maris, ſal gemmæ, ſal de fontibus ſalinis, nitrum, borax, ſal ammoniacum ſpontaneum, alumen, acidum vagum fodinarum. Sal foſſile, cuius purior pars, ſal gemmæ appellatur, ex fodinis variis, perfectum eruitur. Sal fontanum, aqua dilutum, hinc inſpiſſatum, ſimillimum eſt ſali marino. Sal maris, in eo diffuſum, ſola exhalatione, & defæcatione in cryſtallos reducitur. Hæ tres ab ortu diuerſæ ſalis ſpecies, eiusdem naturæ, eadem aquæ copia ſoluuntur, ſcilicet in $3\frac{1}{4}$; cryſtallos formant fere ſimiles, cubicas, parallelepipedæas, vel pyramidales lentiore vel celeriore coactu; affuſæ ad aquam fortem aurum ſoluunt, vi ignis deſtillant in ſpiritus acidos eiusdem naturæ; ſolutæ in aere humido multum terræ deponunt; liquorem pinguem, acrem auſterum, relinquunt;

linquunt; crepitant in igne; fluunt in igne magno; diu in illo fixi manent, ſi puri funduntur; nec tum mutantur; nec ſpiritus fundunt, & parum modo aquæ; alcali non dant; nec putreſcendo mutantur: reliqua ſalia vide ſuis locis: deriuatur a Gr. ἅλς ſal. G. Salʒ.

SALICARIA, vide *lyſimachia.*

SALICIS IVLI in hæmorrhagia vtiles, pen. corr.

Amnicolæque ſimul ſalices, & aquatica lotos. Ouid. 10. Met.

SALICORNIA, eſt kali marini ſpecies, plurima cornua ſalſi ſaporis habens. Vide *kali.*

SALIVA, quibusdam *ſputum*, Gr. πτυελὸν & σίαλ⊗, eſt liquor inſipidus pellucidus, igne non concreſcens ſed auolans, albus, ſpumans, imprimis ſi conquaſſatur, in ore reperiundus, cui infunditur ex glandulis parotidibus & ſubmaxillaribus per ductus patentes a glandulis maxillaribus emiſſos; vt os & œſophagum madefaciat, maſticationi, ſolutioni, dilutioni, & miſcelæ probæ ciborum inſeruiat, eosque in ventriculo aliquomodo digerat & fermentet. G. Speichel.

SALIVANTIA, ſunt medicamenta quæ ſaliuam copioſe eliciunt, inter quæ mercurialia principem locum obtinent. Gr. σιαλαγῶγα. Geiffertreibende Mittel.

SALIVATIO, eſt ſputi vel ſaliuæ per medicamenta ſaliuantia euacuatio, vt ſunt mercurialia; quandoque tamen in morbido ſtatu pro ptyaliſmo ſumitur. G. Salivation.

SALIVNCA, ſignificatur *ſpica celtica vera*, quam in pharmacopoliis, *ſpicam Romanam* appellant. Vide *ſpica celtica.* Germani plerique eandem herbam adhuc proprio veterique nomine Seljunck, quaſi animam iuuenilem reddens, appellant.

SAL NITRVM, ſiue HALINITRVM, idem quod *nitrum* ſeu *ſalpetræ.*

SALIX, arbor eſt ſatis magna & notiſſima: flos eſt amentaceus, plurimis nempe ſtaminibus in ſpicam congeſtis conſtans, ſed ſterilis; embryones autem iis ſalicis ſpeciebus innaſci ſolent, quæ floribus carent, ſpicati pariter, abeuntque deinde in fructum ſeu capſulam corniformem bifariam dehiſcentem, ſeminibusque fœtam pappis inſtructam. Gr. ἰτέα ab ἰέναι, quia it creſcendo celeriter. G. Weide, Weidenbaum.

SALPETRA, idem quod *nitrum.*

SALVATELLA, eſt vena quæ a brachii ramis tendit ad digitum minimum. G. Die Milʒader.

SAL-

SALVIA, *Plin. l. 22. c. 25. Noſtri qui nunc ſunt herbarii, elelisphacon Græce, Latine ſaluiam vocant.* Idem repetit *Apuleius c. 101.* Dicitur ita, quod ſaluos homines præſtet, maxime fœminas. Penult. ob vocalem ante vocalem neceſſe eſt corripi, ut non male veteri iactetur verbo,

Cur moriatur homo, cui ſaluia creſcit in horto?

Saluia eſt planta, quæ habet folia oblonga, ampla, obtuſa aſpera, lanuginoſa, parum ſucculenta, diuerſi coloris, odoris penetrantis, fortis & grati, ſaporis aromatici, amari & acris, flores ſunt verticillati, galea falcata vel fornicata, barba trifida, ſegmentum medium vix excauatum: ſemina obrotunda, nigricantia, in capſula, quæ flori tanquam calix inſeruiuit, incluſa: Gr. ἐλελίσφακον. G. Salbey.

SAMBVCVS, *Sereno* ſemper *ſabucus*, forſan metri gratia: penult. prod.

Conueniet teneræ radix decocta ſabuci. Seren. tit. hydr. dep.

Aut edis in patinis teneræ decocta ſabuci. Seren. tit. ventr. moll.

Prodeſt ex parvis acinos potare ſabucis. Seren. tit. veſic. purg.

Sambucus arbor eſt cuius rami ſunt longi, rotundi, medulla multa, alba repleti, lignum rarum habentes, initio virides, deinde gryſei. Sub exteriori cortice latet alter virideſcens, cuius in medicina vſus eſt cognitus: eius folia quinque vel ſex ad vnam coſtam inſtar nucis iuglandis, ſed minora, in margine dentata, & odoris fortis: rami in ſummitate habent vmbellas amplas & latas, quibus adhærent flores parui, monopetali, rotati, multifidi, albi, odoriferi, quorum meditullium a mucrone calicis tanquam a clauo perfoditur: calix autem deinde abit in baccam inſtar grani iuniperi craſſam, rotundam, per maturitatem nigram, ſucco valde rubro repletam, ſeminibus vt plurimum tribus oblongis fœtam: Vocantur baccæ grana actes, creſcit hæc arbor, iuxta ſepes & muros; cortex medianus vi purgante famoſus in vſu eſt. Gr. ἀκτὶς & ἀκτῆ. G. Holderbaum, Flieder.

SAMPSVCHVM, penult. prod.

Nataque iam veniant hilari ſampſucha Canopo. Columell. l. 10.

Σαμψύχῳ, κνύζοντι, καὶ ἐγλαγέας θυμαλῶας. Nicand. in Theriac.

Sampſu-

Sampſuchum & SAMPSVCHVS, dicitur maiorana, vel amaracum.

SANDARACHA, penult. corripit; *Dioſcoridi l. 5. c. 122.* σανδαράχη.

Galbana, ſardaracham, ſampſuchum, pſoricum, alumen. Vindicianus v. 56.

SANDARACHA ARABVM, vulgo vernix, eſt gummi iuniperinum, colore maſtichem referens, ſed globulos habet longiores, eſt friabile, ſaporis reſinoſi, & odoris cum accenditur fragrantis. G. Sandarach, Verniß.

SANDARACHA GRÆCORVM, eſt arſenicum rubrum, ſed in puluerem redactum, color mutatur in intenſe croceum ſeu flammeum, inſtar corticis mali aurantii. G. Rauſchgelb.

SANCTI VITI CHOREA, vide *chorea ſancti viti.*

SANGVIFICATIO, vide *hæmatoſis.*

SANGINALIS & SANGVINARIA, vide *coronopus.*

SANGVIS, eſt liquor rubicundus, venis, arteriis, aliisque ſinubus corporis contentus; compoſitus ex cibis potibusque per lactea vaſa in venas infuſis, & circulatione diuturna, actione cordis, pulmonum, aliorumque viſcerum & arteriarum mutatus in animalem indolem, & colore adſcititio inde rubro gaudens; inſeruiens nutritioni & vitæ ſuſtentaculo. Ex eo omnia reliqua liquida animalia ſecernuntur; detexitque microſcopium quod ſanguis ruber ex globulis componatur, qui ſinguli ex ſex minoribus pellucidis, albis, in vnum compreſſis, & rubrum globum formantibus, conſtant, vocatur etiam *cruor*, αἷμα, ἔαρ *Poet.* G. Blut, Geblüt.

SANGVIS DRACONIS, eſt reſina rubra, penitus in ſpiritu vini alcoholiſato ſolubilis, ſaporis adſtringentis, profluens ex arbore *draco* dicta, diebus canicularibus partim ſponte, partim vulnere cortici illato, quæ ſolis æſtu tum exſiccatur. Adfertur nobis in folliculis ex foliis huius arboris conuolutis. Arbor iſta creſcit in inſula porto ſancto, truncus eſt admodum durus, ſuperius diuiditur in octo & plures ramos, qui iterum ſubdiuiduntur, in cuius extremitate folia ſe erigunt inſtar pancratii, vel iuccæ Americanæ. Fructus ceraſis ſimiles ſunt, colore ſubflauo, guſtu ſubacido. Sunt qui *Dioſcoridis* cinnabarim eſſe velint. Accuratiſſimus *Kæmpferus* notat duplicem nobis exhibere ſanguinem pharmacopolia, haud quaquam ſola puritate, quod creditur, ſed ipſo genere arborum, ex quibus colli-

colligitur, differentem. Sed longior eſt ſermo, quam vt locum hic habeat; quare apud ipſum legatur. Gr. αἷμα δρακόντιον. Gr. Drachenblut.

SANGVISORBA, eſt herba pimpinellæ ſimilis, ſic dicta, quod ei in ſiſtendo ſanguine, vndecunque emanarit, mira admodum inſit efficacia; adeo vt hunc ipſum abſorbere videatur.

SANGVISVGA, idem quod *hirudo.*

SANICVLA, *Officinarum* vox (ne quis *vocem* pro *vocabulo* barbariſmi, iure poſtulet, cauit iam ante *Quintilianus*) a ſanandis vulneribus ſic dicta *recentioribus*, penult. corripit, ob ſpeciem diminutivi, vt apicula, acicula, ſecuricula. Sanicula planta officinalis, quæ plurima folia habet ex radice erumpentia lata obrotunda, dura, in quinque partes diuiſa, denticulata, polita & interdum in margine rubra, pediculis longis adhærentia; caules ex his enaſcuntur, inferius rubicundi; & in ſummitate habentes flores roſaceos & vmbellatos in capitulum conglobatos; plurimis petalis conſtantes in orbem poſitis, ad centrum floris plerumque reflexis, & calici inſidentibus: is autem abit in fructum ex duobus ſeminibus compoſitum, hinc gibbis & echinatis, inde vero planis: ex floribus nonnulli ſteriles ſunt: dicitur & *diapenſia*; a vulneribus ſanandis nomen traxiſſe vulgo conſtat. G. Sanikel.

SANIES, eſt in vulneribus vel vlceribus materia pure tenuior, acrior, ſanguinolenta, omnia vaſcula quæ in ſinu vlcerato attingit, erodens cum dolore. G. Blutig Eiter, dünner Eiter.

SANTALVM, Antiquis, vti apparet, ignotum, *Avicennæ* dſandal, qui tamen cum dſantal rubrum *Galeno* cognitum ſcribit, memoria labi videtur; nobis non incommode enunciabitur, vt σάνδαλον Græcorum, hoc eſt, penult. correpta:

Ἄνσα, μηδὲ πόδεσσι τεοῖς ὑπὸ σάνδαλα θάης. *Theocr. in Heraclisco.*

SANTONICI SEMEN, (aliis ſemen *Zedoariæ*, ſemen *Cinæ*) penult. corr.

Tempora Santonico velas adoperta cucullo. Juuen. Sat. 8.
Gallia Santonico veſtit te bardocucullo. Mart. l. 14. ep. 128.

Santonicum ſeu SEMENTINA: dici putatur a Santonibus Galliæ Aquitaniæ populis, apud quos copioſiſſime prouenit. Sed ipſi Galli profitentur ſe hoc ſemen, quod vulgo *contra* vocant, ex oriente accipere. G. Zitwerſamen, Wurmſamen.

SAPA, vide *apochyliſma* & *defrutum*.

SAPHÆNA, eſt venæ cruralis ramus internus, qui per interius cruris latus ſub cute fertur ad malleolum internum, vbi cum aliorum ramulis varie inoſculatur: hanc antiqui in vteri affectibus frequentiſſime ſecabant. G. Die Frauen = oder Roſenader.

SAPHATVM, eſt exulceratio cruſtoſa in capite, non abſimilis achori. Vide *achor*.

SAPHIRVS gemma, penult. prod. quia *Dioſcoridi l. 5. c. 157.* σάπφειρος. Sapphirus eſt gemma cæruleo colore, pellucida & diaphana. Sunt aliquæ colore cæruleo albidæ, aliæ cæruleo ſaturo: hæ mares, illæ fœminæ appellantur; aliæ omni colore carent, albæque vocantur. Orientales inueniuntur in Calecut, Cananor, Biſnagar, Zeilan, & præſtantiſſimæ in regno Pegu. Occidentales, variis in locis reperiuntur. Confinia Bohemiæ, & Sileſiæ ſatis præſtantes ferunt. Præſtantiores tamen ſunt orientales. Color in igne facile aufertur. G. ein Saphir.

SAPIENTIÆ DENTES, vide *dentes*.

SAPINVS, eſt abies, ſiue ipſius arboris infima pars, quæ enodis eſt.

SAPONARIA, planta officinalis, lychnidis ſpecies: quæ plures habet caules tenues, rotundos, nodoſos, rubicundos, valde teneros: folia ſunt ampla, neruoſa, plantaginis foliis ſimilia, ſed minora: flores creſcunt in ſummitate ramorum pentapetali, vt plurimum coloris pulchre purpurei, interdum roſei, aliquando albi, odoriferi; floribus ſuccedunt fructus plurimis ſeminibus tenuibus, obrotundis, rubris, fœti; radix eſt longa, rubra, nodoſa, oblique repens in terra: ſic dicitur, quod ſaponis loco ſubſtitui poteſt ob ſuccum ei inſidentem vere ſaponaceum. Gr. στρούθιον, *lanaria*. Vide *ſtruthium*. G. Waſch=kraut, Seiffenkraut.

SAPO, onis, penult. prod.

Attrito ſapone genas purgare memento. Seren. tit. cut. vit.

Sapo eſt compoſitum ex ſale alcalino & oleo expreſſo vel deſtillato, coctione vnitis, & redactis ad materiam conſiſtentem vel plane ſolidam, virtutis miſcendi oleoſa aquoſis, & abſtergendi quasuis ſordes: qui cum oleo expreſſo fiunt *vulgares* ſunt; qui cum deſtillatis oleis, ſapones philoſophorum nuncupantur. G. Seiffe.

SARA-

* SARACENICA SOLIDAGO, dicitur etiam *herba fortis*, vel vt quibuſdam placet *fortis*, forte a Saracenis reperta fuit. G. Heidniſch Wundkraut.

SARCITES, idem quod *anaſarca* & *leucophlegmatia.*

SARCOCELE, eſt hernia carnoſa teſticulorum, quando proceſſus peritonæi, vaſa ſpermatica in ſe continens, intumeſcit, & increſcit in carneam ſubſtantiam, figuræ farciminalis, cumque eodem, ac herniæ, loco fiat, κήλη vocata fuit, quamuis hic hernia proprie non adſit, ex σάρξ caro, & κήλη tumor. G. Carnüſſel, Fleiſchbruch.

SARCOCOLLA, eſt lachryma gummea in granulis, mannæ ſeu pollini thuris ſimilis, colore ſubruffo vel flauo, ſapore amaro, dulcedinemque glycyrrhizæ æmulantem poſt ſe relinquente, profluit ex arbore quadam exotica, ſpinoſa & nodoſa, eiusdem cum lachryma nominis, quæ tum ſponte, tum ſauciata lachrymam illam profundit. Adfertur nobis ex Perſia; ex σάρξ caro, & κόλλα gluten, quia dicitur carnes conglutinare. G. Fleiſchleim.

SARCOEPIPLOCELE, eſt *hernia carnoſa omentalis*, quando omentum in carneam ſubſtantiam accreſcit, & induratur, ſiue circa vmbilicum, ſiue in ſcroto fiat, ex σάρξ caro, ἐπίπλοον omentum, & κήλη tumor. G. Des Nabels Fleiſchbruch.

SARCOMA, eſt carnis in naribus, vel alio corporis loco p. n. excreſcentia. Item molarum in vtero productio, a σαρκόω, carnem produco. G. ein fleiſchern Auswachs.

SARCOMPHALVM, eſt carnoſa in vmbilico excreſcentia, a σάρξ caro, & ὀμφαλὸς vmbilicus.

SARCOPHAGVM, idem quod *cathæreticum.*

SARCOSIS, vide *ſarcoma.*

SARCOTICA, ſiue carnem generantia ſunt, quæ moderato calore & vi deterſoria, ſordes e vulneribus & vlceribus tollendo, auferunt ſimul impedimentum illud, cuius virtute impediebatur efficacia illius cauſæ, per quam omnia in nobis nutriuntur, a σαρκόω incarno. G. Fleiſchmachende Mittel.

SARDIVS LAPIS, ſeu SARDA, eſt gemma ſemidiaphana, loturæ carnis, ſeu carni ſanguinolentæ ſimilis, vnde *carneolus*, vel corrupte *corneolus* vocatur. Non omnes vniusmodi inueniuntur coloris, alii enim ſunt rubri, alii exigua ſanguinis rubedine. Laudatiſſimus carneolus in Sardinia inuenitur, hinc in Epiro & Ægypto; Babylonius cæteris præfertur; ſed nec contemnendi ſunt Europæi. Nam in Bohemia, Sileſia,

aliisque regionibus præſtantes inueniuntur. G. ein Carneol.

SARDONIVS RISVS, vide *riſus Sardonius.*

SARE, idem quod *eſſere.*

SARMENTA, prælongæ ſunt vitium virgulæ, in quas vitis luxurians ſpargitur, hoc eſt, vitis ipſius, brachiorum & caulium ligna, tam dum ſunt in ipſa vite, quam dum exſecta vel exempta ſunt.

SARSA PARILLA, radix eſt fere inſipida, lignoſa, fibroſa & vniformis. Color externus obſcure griſeus, vel aliquantulum flaueſcens. Adfertur ex noua Hiſpania, Peru, aliisque locis Americanis, quam maxime ſmilacem aſperam referre aſſerunt. Præſcribitur in podagricis doloribus, lue venerea, aliisque morbis. G. Sarſa Parille.

SARTORIVS MVSCVLVS, ſiue FASCIALIS LONGVS, eſt inter eos qui tibiam flectunt. Hinc interiori ilii oſſis tuberculo affixus, decuſſatim cæteris ſuperſtratus muſculis anteriori ſub genu tibiæ oſſis acutæ eminentiæ implantatur. G. Der Windemuſcul.

SASSAFRAS, arbor eſt prægrandis, naſcens in Florida, folio ficulneo, cortice ex fuluo nigricante aliquantum acri ſapore ſed aromatico, odore fere fœniculi & cinamomi mixto redolente. Dicitur & *Paname.* Cortex & lignum in morbis podagricis & lue venerea in maximo vſu ſunt, præſertim ſi ex radice ſit, quippe radix reliquis partibus præualet, adeoque & eius cortex. G. Fenchelholtz.

SATVRANTIA, ſunt quæ acidum e corpore noſtro abſorbent. Vide *abſorbentia*

SATVRATVS, terminus eſt chemicus, vſurpatur quando ſalia duo inuicem efferueſcentia, affunduntur ſibi pedetentim ea copia, donec vnum alterum ſal non magis prædominetur, vel efferueſcentia inter ambo obſeruetur: quod punctum ſaturationis vocari ſolet.

SATVREIA, ſiue CVNVLA, eſt herba aromatica, quæ habet folia anguſta, parua, oblonga, hyſſopum referentia, aliquantulum lanuginoſa, multis foraminibus pertuſa, quæ non penetrant, odoris thymi, ſed debilioris & minus penetrantis, ſaporis, acuti, grati: flores ſunt parui, in alis foliorum ſparſi, non in capita congeſti, nec verticillatim diſpoſiti, in pedunculis ramoſis creſcentes, galea erecta, bifida, barba trifida, ſegmento medio crenulato: ſemina minima, fere rotunda, in capſula, quæ floris calix fuit, incluſa: radix minima, ſimplex, lignoſa:

lignoſa: hæc planta in hortis colitur; putatur à ſaturando nomen habere; ſed alii a ſatyris nomen traxiſſe putant, quod ſcil. marceſcentes ad coitus ſtimulet. Gr. θύμβρον forte ἀπὸ τοῦ θύειν ob fragrantiam. G. Gartenyſop, Saturey.

SATVRNVS, per eum intelligunt chymici *plumbum*. Vnde *ſaturnina*, quæ ex plumbo parantur.

SATYRIASIS, SATYRIASMVS, PRIAPISMVS, vel SALACITAS, eſt nimia in venerem propenſio, dicta, quod Satyri tales eſſe creduntur. Eſt virilis membri inuita erectio, etiam absque appetitu congreſſus, conuulſo & tetano diu affecto pene, quod non ſine dolore fieri ſolet, ita vt tenſio a coitu peracto aut non remittat, aut mox noua erectio, eaque ſæpius ſubſequatur; vnde partim conuulſio, partim motus conuulſiuus eſt. Reperiuntur vero hi affectus complicati cum aliis morbis, & quidem ſatyriaſis cum elephantiaſi, & gonorrhœa. Salacitas fere eſt in iis, qui multi roboris ſunt. In hernia, colica cum multis flatibus, calculo, epilepſia, & cæteris aliquando incidit priapiſmus, ſubſequente pollutione, id quod etiam in animi deliquio & iis euenit, qui laqueo ſuſpenduntur. Huc quoque ſpectat *pollutio* dicta *nocturna*, quæ etiam diuturna eſt, ac verius diceretur ſomnoſa, id eſt, in ſomno & inſomnio contingens. Dicitur & *tentigo veretri*, a σάτυρος, ſimius ſilueſtris hominem referens; & venerem ſummopere appetens, vel a σάθη membrum virile.

SATYRION, *Dioſcoridi l. 3. c. 143.* σατύριον, ἴα penult. corr. ob vocalem ante vocalem ſine ſuſpicione dipthongi. Satyrion huius plantæ ſunt variæ ſpecies, variaque nomina, a Satyris nomen ſibi inueniſſe putatur, qui primi ſylueſtres Dii colludentes nymphis per ſyluas & antra ad firmiorem venerem herbam hanc inuenerunt, vel dicitur παρὰ τὴν σάθην, τὸ αἰδοῖον. Gr. σάθη enim eſt pudendum virile. Vide *orchis*.

SAVRE, Gr. σαύρη, putatur eſſe naſturtium, quod inſtar lacertæ mordeat ſua acrimonia.

SAXIFRAGA, penult. corr.

Saxifragam, ſeu fontigenam ſuccurrere credunt. Seren tit. veſic. purg.

Saxifraga eſt herba, quæ habet folia hederam terreſtrem fere referentia, ſed ſucculentiora & magis alba, pediculis mediocriter longis & villoſis adhærentia: flos eſt roſaceus, pentapetalus, calici quinquefido innatus; poſt florem apparet fructus obrotundus, qui in duo loculamenta per maturitatem dehiſcit,

 fun-

fundens ſemina minima, rubicunda, longiuſcula: radix eſt fibroſa, cui adhærent tubercula inſtar ſeminum coriandri craſſa, coloris partim purpurei, vel rubicundi, partim albi, ſaporis amari; hæc tubercula vocantur vt plurimum ſemina ſaxifragæ. G. Weiſſer Steinbrech.

SAXIFRAGA, ſeu LITHONTRIPTICA, ſunt ea medicamenta, quæ valent calculum in renibus vel veſica hærentem frangere, & expellere ex corpore. G. Steinbrechende Mittel.

SCABIES, Gr. ψώρα, vel potius ξυσμός: ſcabies eſt humida vel ſicca; humida eſt cutis inæqualitas ab obſtructione vaſculorum lymphaticorum, cum puſtulis humidis & purulentis cum prurigine quadam coniuncta. Sicca eſt quadruplex, pruritus, impetigo, pſora & lepra; de quibus ſuo loco. G. Die Räudigkeit, Grind, Krätze.

SCABIOSA, penult. prod. vt ſcabioſus.

Impello, expungam; namque eſt ſcabioſus, & acri
Bile tumet. - - - - - *Perſ. Sat.* 2.

Scabioſa eſt planta, quæ folia habet ex radice erumpentia oblonga, ampla, villoſa, forma valerianæ maioris, profundius ſubinde laciniata, alias minus, ſapore ſubacri: flos eſt floſculoſus, plurimis ſcilicet floſculis inæqualibus conſtans, calice communi comprehenſis: horum autem alii, qui meditullium occupant, quadrifidi, aut quinquefidi, cæteri ad oram poſiti, bilabiati ſunt, ſinguli embryonis ſupremæ parti coronatæ inſident, & calice proprio comprehenduntur, qui deinde abit in capſulam vel ſimplicem vel infundibuliformem, ſemine fœtam coronato, quod prius embryo fuit: radix eſt longa. G. Apoſtemkraut.

SCALA, eſt inſtrumnntum chirurgicum, quo articuli diſlocati reſtituuntur, dicitur quoque *ambe.* Gr. κλίμαξ. G. eine Leiter. Item ſic vocatur lamella partim oſſea partim membranacea, quæ cochleam auris internæ diuidit bifariam, ita vt eius dimidia cauitas cum altera non communicet. Vide *cochlea.*

SCALENVM, eſt par muſculorum ceruicem extendentium; oritur a prima thoracis coſta, vertebrarumque ceruicalium proceſſibus transuerſis, anteriori tamen parte fibris obliquis adhærentes in ipſis finem ſuum conſequuntur. Perforati ſunt vt neruis ceruicalibus ad brachium tendentibus, venis & arteriis viam præbeant.

SCAL-

SCALPELLVM, SCALPRVM, eſt cœlum, quo non tantum digitorum, verum etiam cubiti & radii capita amputantur. G. ein Meiſſel.

SCALPRVM CHIRVRGICVM, Celſo, *ſcalpellus*, *phlebotomum*, φλεβότομον, μαχαιρὶς, μαχαιρὶς ὀξυβελής. Vide *lancetta*. G. Laßeiſen, Lanzet.

SCAMMONIVM, *Dioſcoridi lib. 4. c. 171.* ὀπὸς σκαμμωνίας. Planta ipſa *Theophraſto* quoque vocatur σκαμμωνία, *lib. 9. c. 10.* Succus, ſiue lacryma inſpiſſata *Plinio l. 26. c. 8.* dicitur ſcammonium. Penult. recte corripit *Nicander*, *Vindicianus*, & *Piſidas*, ob vocalem ante vocalem ſine ſuſpicione diphthongi:

Θάλπε βαλὼν χύτρῳ σκαμμώνιον οἷσι κορέσκων. *Nicander in Alexipharm.*

Scammonium & SCAMMONEA eſt ſuccus inſpiſſatus ex lacteſcente radice alicuius conuoluuli, ſcammonea dicti. Extrahitur ſuccus vel radicem adhuc creſcentem incidendo, vel eandem prælo ſubmittendo. Planta ſmilax eſt, & floſculos producit albos. Eſtque planta Syriaca, Monſpeliaca, Valentina &c. Optimum eſt quod ex Antiochia adfertur, dein Armenium, Europæum omnino paruum eſt. Probatur quod nitidum, ſplendidum; inſtar gummi, cito liqueſcens, friabile, colore, cum frangitur, fuluo, non valde ponderoſum, tactu linguæ lacteſcens, nec vehementer eam calefaciens. Purgans eſt egregium. Scammonium cum cydoniis præparatum dicitur *Diagrydium*, quaſi diceres δακρύδιον, ſiue lachrymulam.

SCAMNVM HIPPOCRATIS, eſt inſtrumentum longitudine ſex vlnarum ſeu cubitorum, membris luxatis & fractis reſtituendis, accommodatum.

SCANDIX, vide *pecten veneris.*

SCAPHA, eſt faſciarum ſpecies capiti propria, inſeruiens venæſectioni in fronte inſtitutæ. G. Schiffleinwindel. Sic etiam dicitur cauitas, quæ inter bina anthelicis cornua excauata eſt, & verſus anteriora, helicis portione, terminata.

SCAPHOIDES, eſt tertium os tarſi in pede, *nauiculare* dictum, a ſcaphæ ſeu cimbæ ſimilitudine: connectitur cum talo, & tribus oſſibus poſterioribus.

SCAPVS, eſt caulis qui in ſtyli modum ſurſum proreptat, aut in altum fertur, dicta a columnaribus ſcapis, quibus ſimilis eſt.

SCAPVLA, vide *homoplata.*

SCARIFATIO, SCARIFICATIO, eſt inciſio cutis ſcalpello vel phlebotomo, quæ fit cum vel ſine cucurbitulis; fit in membris & partibus gangræna corruptis, vt viua pars a mortua ſeparetur, & liquores ſtagnantes inferius, atque perpetuo putreſcentes, liberius exhalare queant. Cum cucurbitulis autem fit, vt extrahatur ſanguis ex vaſculis cutaneis, inſeruitque loco venæſectionis. Gr. ἐγχάραξις, καταχασμὸς, ἀπόσκηψις. G. Das Schröpffen.

SCARIFICATORIVM, eſt inſtrumentum, quo ſcarificatio ſiue inciſio fit. G. Das Schröpffeiſen.

SCARIOLA, vox *Arabum Interpretibus* vſurpata, pro endiuia vulgari; penult corr. quia ſpecie diminutiui ſeſe infert, vt Tulliola, areola, filiola, palliolum, &c. Idem imitatur lauendula, pruneola, calendula, paſſulæ, cocculi, &c. vide *ſeriola.*

SCARLATINA FEBRIS, hæc a Sydenhamo deſcripta, inuadere ſolet tempore æſtiuo imprimis infantes maculis paruis rubris, crebrioribus & multo latioribus magisque rubentibus, ſed non tam vniformibus quam in morbillis, cutis vniuerſa inficitur, quæ ad 2 vel 3 dies perſiſtunt, poſtea euaneſcunt, cuticula ſquammatim decidit, quod bis vel ter abit reditque.

SCARLEA, idem quod *ſclarea.*

SCAVRVS, eſt is cui tali ſunt extantes.

SCELETVM, eſt oſſium totius corporis compages, arte anatomica articulis ſuis coniuncta, & locis debitis repoſita, a σκέλλω arefacio. G. ein Beincörper, ein Scelet.

SCELOTYRBE, eſt cruris perturbatio, nunc ad hanc, nunc ad illam partem inclinans, ſæpe ex ſcorbuto proueniens, ex σκέλ☉ crus, & τύρβη tumultus. G. Der Scharbock.

SCHESIS, eſt corporis diſpoſitio: vnde ſchetica febris, quæ in diſpoſitione eſt, non in habitu, a σχηματίζω diſpono, effingo. Ei opponitur hectica, in ipſa ἕξει ſiue partibus ſolidis ita altius radicata, vt non niſi difficulter medicamentis curetur.

SCHIDACEDON, Gr. σχιδακηδὸν. Eſt aduerbium, quo deſcribimus fracturæ ſpeciem, per oſſis longitudinem, non per transuerſum factam, quæ καυληδὸν. vocatur. Vide *cauledon.*

SCHISMA, eſt ſciſſura in dura vel molli parte, a σχίζω findo: ſtricte de pudendo muliebri dicitur.

SCHIA-

SCHIATICA, vide *arthritis.*

SCIRRHOSIS, SCIRRHVS, & SCIRROMA, eſt tumor durus, liuidus, renitens, & doloris expers, in parte glanduloſa, oriundus a quacunque cauſa materiam in folliculo glanduloſo hærentem inſpiſſante vel comprimente, vt exire nequeat, inflammationem prægreſſam plerumque habens, a σκιῤῥόω induro. G. Härte, ein verhärteter Geſchwulſt.

SCHOENANTHVM, iuncus eſt arabicus, qui & fœnum camelorum appellatur, eſt valde aromaticum, & fere roſeo ſapore altitudine vnius pedis; floſculos etiam aromaticos in ſummitate gerit, creſcit in Arabia, vti hic loci graminum ſpecies. G. Camelsheu, Camelſtroh. ex χοῖνος fœnum, & ἄνθος flos. Barbari ſcribunt *ſquinanthum.*

SCHOENOPRASVM, eſt porrum iunceum, ex χοῖνος iuncus, & πράσον porrum. G. Schnittlauch.

SCILLA, eſt planta quæ habet folia longa, ampla, lata, carnoſa; viridia ſuccum viſcoſum & amarum habentia: flores ornithogalo vel hyacintho ſtellari ſimiles: in ſpica creſcentes, antequam folia apparent: fructus eſt rotundus, trigonus, fœtus ſeminibus nigris: radix bulboſa, maxima, pugnum craſſa, cepacea, ex plurimis tunicis vel lamellis compacta, inferius multis craſſis fibris prædita, ſaporis acris, amari, odoris nullius. Hæc planta creſcit in Hiſpania, Luſitania, & Sicilia circa mare; Barbare *ſquilla.* G. Meerzwiebel.

SCINCVS, animal eſt quadrupes, ouiparum, magnitudine & figura lacerti viridis, ſquammis exiguis & frequentibus tectum, coloris ſubiutei, in Arabia, & circa mare rubrum reperiundum; ingreditur mithridatium ob vires alexipharmacas.

SCLAREA, ſeu SCARLEA, callitrichum. Vide *horminum.*

SCLERIASIS, eſt alicuius partis induratio, a σκληρόω induro: proprie de palpebrarum interiore duritie dicitur.

SCLEROMA, idem quod *ſcleriaſis.*

SCLEROPHTHALMIA, eſt lippitudo dura, cum dolore, motu oculorum tardo, rubedine & ſiccitate, a σκληρὸς durus, & ὀφθαλμία dolor oculorum.

SCLEROSARCOMA, eſt abſceſſus progerminans plerumque in gingiuis, carneus, durus, interdum galli criſtam, interdum oſtracodermi carnem referens, differens aliquantum ab epulide.

SCLEROTICA, vide *cornea*, a σκληρόω induro.

SCLEROTICA, ſiue indurantia ſunt, quæ partes firmius inter ſe coniungunt: idque vel tenues & molles diſſipando, vel eas interdum retinendo. Illud fit, vbi per nimis calefacientia ſcirrhus induratur; hoc, vbi per ſemperuiuum, ſolanum, portulacam, vel lentem paluſtrem, aliaue refrigerantia & adſtringentia, pars ex. gr. œdematoſa duritiem acquirit. Ideoque horum materia, in calefacientibus, & refrigerantibus, ac adſtringentibus eſt quærenda, a σκληρόω induro.

SCOLIASIS, eſt ſpinæ dorſi, in hoc aut illud latus diſtorſio, a σκολιόω intorqueo.

SCOLOPENDRIA, SCOLOPENDRIVM, *Theophraſto l. 9. c. 19.* σκολοπένδριον, penult. corr. ob vocalem ante vocalem ſine diphthongi ſuſpicione. Scolopendria ſiue ASPLENIVM, planta officinalis eſt, dici putatur, quod eius folia ſcolopendræ animalis ſimilia ſint. G. Hirſchzunge.

SCOLYMVS, penult. corr.

> Ἥκται σκολύμῳ, τροχιήν δ' ἀπεχεύατο χαίτην. *Nicand. in Theriacis.*

Scolymus eſt *cinara*, ſeu *articocalus*. Vide *articocalus*.

SCOPTVLA, idem quod *ſcapula*.

SCORBVTS, eſt morbus omnibus accolis maris ſeptentrionalis frequentiſſimus, & endemius, quo manus, pedesque maculis ſæpe liuidis conſpurcantur, accedit crurum debilitas, & tumor eorum accedens & recedens, oris fœtor, dentes vacillantes, ſanguinem manantes gingiuæ, ſpaſmi, dolores, arthritidesque vagæ, colica & ſexcenta alia; prædominantem acrimoniam in toto corpore habens acidam, alcalinam, vel muriaticam, & ſanguinem ita afficiens, vt partim ſit acer & ſeroſus, partim craſſus, ita vt V. S. eductus ſcateat muco flauo-viridi &c. Antiquitati hunc morbum non fuiſſe incognitum liquet ex *Hippocrate*, qui ſcorbuti ſymptomata enarrat euolitque, vt & ex aliis auctoribus. G. Scharbock.

SCORBVTICA, ſunt medicamenta acrimoniam ſcorbuti emendantia, & cauſam mali ex corpore eliminantia, quæ proin pro varia acrimonia variant.

SCORDIVM, *Dioſcoridi l. 3. c. 125.* σκόρδιον, penult. prod.

> Σκόρδιον, καὶ κεῖνον ὀπὸν μίσγηο θυώδη. *Andromachus* apud *Gal. l. de Theriac.*

> Διπλάσιον δ' ἔσω σκορδίω γογγλίδος τε. *Galen. l. 1. de Antid.*

Scor-

Scordium eſt planta, quæ habet caulem ramoſum, quadratum, repentem, villoſum; folia mollia, villoſa, in margine inciſa, oblonga, albeſcentia: flores ſunt parui, labiati, quinquefidi, in alis foliorum creſcentes, coloris rubri: flori ſuccedunt quatuor ſemina tenuia, rotunda, in capſula, quæ floris calix fuit, incluſa: radix fibroſa, oblique repens in terra: eſt herba allium olens: a Σκόροδον, allium. G. Lachenknoblauch.

SCORIÆ, ſunt recrementa metallica, ſiue partes metallorum, quæ in fuſione, vel in cudendo, vi ignis corroduntur in maſſam mortuam, non ſolubilem amplius; & quæ a viuis partibus ſponte ſeparantur. G. Schlacken, Metallenſchaum.

SCORODON, vide *allium*.

SCORODOPRASVM, eſt planta inter allium & porrum media. Σκόροδον, eſt allium, & πράσον porrum. G. Ackerknoblauch.

SCORPIO, SCORPIVS, ſiue DORONICVM, eſt aconiti ſpecies, cuius radix ſcorpii caudæ ſimilis eſt. Eſt etiam venenatum animalculum, quod oleo ſubmergitur inde denominato.

SCORPIOIDES, eſt paruula planta, quæ habet caules tenues, anguloſos, aliquantulum villoſos, in latitudinem ſe extendentes, repentes: folia oblonga bupleurum vel perfoliatam referentia, ſed pinguiora & magis neruoſa, ſaporis acidiuſculi: flores ſunt exigui, leguminoſi, flaui: poſt florem ſequitur ſiliqua villoſa, longa, hiſpida, articuloſa, cochleæ aut erucæ ad inſtar eleganter in ſe conuoluta, continens in ſingulis articulis ſemen ouatum: radix eſt exigua: hæc planta creſcit in regionibus calidis, præſertim in locis aridis: eſt legumen, cuius ſiliquæ ſcorpii ſimilitudinem habent, ex σκορπίος ſcorpio, & εἶδος forma.

SCORPIVRVS, eſt heliotropii ſpecies, cuius ſummitates caudæ ſcorpionis ſimilitudinem habent, ex σκορπίος ſcorpio, & οὐρὰ cauda.

SCORSONERA vel SCORZONERA, penult. prod. ad imitationem Latinorum in era & ira. Ita panthera *Horatio* penult. prod. Abdera *Ouidio*, Deianira itidem *Ouidio*. Scorzonera eſt planta, quæ habet caulem rotundum, ſtriatum, cauum, in plures ramos longos diuiſum, leui lanugine obductos: folia ſunt longa, ſatis ampla, tragopogoni foliis ſimilia, polita, baſi caulem amplectentia, aliquando parum criſpata & ſinuoſa, neruoſa, in acumen ſatis longum deſinentia, coloris virido-obſcuri;

ſcuri: flores in ſummitate ramorum naſcuntur, ſemifloſculoſi, calice oblongo, tenero, ſquammoſo comprehenſi: his ſuccedunt ſemina longa, tenuia, alba, pappis inſtructa: radix longa, digiti vel pollicis craſſitie, ſimplex, foris nigra, intus alba, tenera, fragilis, carnoſa, ſucculenta, lactea, ſubdulcis ac grati ſaporis, odoris nullius. Ab Hiſpanica voce *ſcorzo*, quod eſt vipera, vel *ſcorzone* ſerpente: hinc dicitur *viperina*, *viperaria* vel *ſerpentaria*: ita dicta quod huius plantæ radix habeat eximias vires contra viperarum morſum. G. Schlangenmord, Scorzonere.

SCOTODINOS, SCOTOMIA, VERTIGO, Gr. Δῖνος, Ἴλιγγος, σκότωμα, σκοτόδινος, σκοτοδινία, eſt illa oculorum conditio mala, qua obiecta externa videntur circumrotari, orta a quauis cauſa ſanguinem vehementius determinante ad caput; vel ſpirituum animalium fluxum in neruos opticos tumultuarium excitante, vnde retinæ villi neruoſi nimis concutiuntur, & imagines per radios lucis depingendæ, non placide per aliquot puncta temporis ſuper eosdem villos retinæ pinguntur, ſed omni momento ſuper alios vicinos, quare mens hos motus percipiens, iudicat imagines moueri, veluti olim per ſimiles motus factum vere cognouerat, a σκοτόω obſcuro. G. Der Schwindel.

SCRIPTVLVS, vide *ſcrupulus*.

SCROBICVLVS CORDIS, idem quod *anticardium*.

SCROFVLA, ſeu STRVMA, Gr. Χοιράδες, quia porcas infeſtare ſolent, ſunt tumores p. n. glandularum colli, vel aurium, renitentes, propria tunica contenti, oriundi a materia ſecreta in folliculis glanduloſis, ſtagnante in cauo ob frigus, ductus emittentes conſtringens, & partes indurans, vel quia materia exitui inepta, orbatur tenuiſſimo ſuo vehiculo. G. Ein Kropf, oder Schlier am Halſe.

SCROPHVLARIA, ſeu SCROFVLARIA, dicta a radice nodoſa, & ſcrophulis ſanandis accommodata, penult. corr. ob vocalem ante vocalem in Latinis vocibus. Scrophularia planta officinalis, quæ habet caulem rectum, quadratum, coloris purpurei nigricantis, intus excauatum, in ſummitate in ramos, in alas ſe extendentes, diuiſum: folia oblonga, acuta, ampla, in margine inciſa, vrticam vrentem referentia, ſed ampliora, obſcuriora, non vrentia, caulium nodis ſibi inuicem oppoſita: flos eſt anomalus, monopetalus, vtrinque patens,

fere

fere globoſus, quaſi ollam rotundam repræſentans, parte anteriori bilabiatus, ſuperiori binis folliculis conſtans, tecto inferiori trifido: poſt florem ſuccedit fructus, vel capſula ſemirotunda ſepto medio diſtincta, continens ſemina exigua: radix eſt craſſa, inæqualis & nodoſa: tota planta habet odorem ingratum, & ſaporem amarum. G. Braunwürtz, Feigwartzenkraut.

SCROTVM vt & BVRSA, Gr. Ὄσχεος, ſunt duo ſacculi diſtincti, in medio vbi ſutura decurrit, ad inuicem accreti, qui ſinguli teſticulum virilem vaginis ſuis incluſum poſſident, conſtantes cuticula, cute, tunica celluloſa, tunica dartos, quæ muſculoſa ſcrotum corrugat, & ab interiori parte iuxta Malpighium eſt glanduloſa, facit hæc membrana quaſi duo ſcrota, & ex hac duplicatura oritur ſeptum medium ſcroti. G. Der Hodenſack.

SCRVPVLVS, pro Medico pondere, penult. corr.

Gramma vocant, ſcrupulum noſtri dixere priores. Fannius de pond.

Scrupulus eſt tertia pars drachmæ: continet ſcrupulus grana viginti ſeu obolos duos, vocatur item *Scriptulus* & *Scripulus*. G. Ein Scrupel.

SCVTALIS CARTILAGO, idem quod *enſiformis*, item *thyreoides*.

SCVTIFORME OS, idem quod *mola genu*.

SCVTIFORMIS CARTILAGO, vide *enſiformis* & *thyreoides*.

SCVTVM, eſt emplaſtrum *ſcutum* referens, quod ſtomacho, cordi, aliisue locis applicatur. G. Ein Schildpflaſter. *Scutum* quoque ſignificat patellam ſeu molam genu; ideoque *os ſcutiforme* appellatur.

SCYBALA, ſunt excrementa aluina in globulos formata, velut ab ouibus aut capris excernuntur.

SCYTALIDES, vocantur oſſicula digitorum ſingulorum terna, excepto pollice qui duo habet, mutuo inter ſe colligata, & ordine ſuccedentia, veluti in acie, turma equitum, quæ σκυτάλη vocatur. Latine *internodia*.

SCYTICA RADIX, vide *glycyrrhiza*.

SEBEL, idem quod *pannus oculorum*.

SEBESTEN, prunorum ſpecies eſt, dicuntur & *myxæ* & *myxaria*. Creſcunt in Ægypto pruni inſtar, folia obrotunda, in margine dentata; flores parui albi pentapetali, roſacei in racemos congeſti, & geranio proximi, a quibus fructus creſcunt paruis rotundisque prunis ſimiles, quorum nuclei tricoſtati cernuntur, viſcoſi ſunt admodum maſticati, exterius ſiccati nigri: pro tuſſi aſſumuntur. G. Bruſtbeerlein. SE-

SECACVL, vox *Arabum* & *Officinarum*, penult. prod. quia *Avicennæ can. med. l.* 2. *tract.* 2*do* vocatur ſiekhakhul, accentu penultimæ impreſſo, quem, quia ex Latio, Graioque fonte nihil ſuppetit, merito hic ſequimur. Secacul dicitur ſigillum Salomonis.

SECALE, *Plin. l.* 18. *c.* 16. *ſecale occari tantum deſiderat*, dicitur quaſi ſecabile, vnde & penult. producitur:

Sed ſolidum in paruis, nullique ſecabile ſegmen. *Auſon. Eid* 11

Secale eſt planta, quæ habet caules valde altos, hominis altitudinem ſuperantes, rectos, firmos, folia gerentes pauca, longa, ſed tritici foliis anguſtiora: flos apetalus, per faſciculos in ſpicam diſpoſitus, ſinguli nempe flores plurimis ſtaminibus conſtant ex calice ſurgentibus; piſtillum autem abit dein in ſemen oblongum, tenue farinaceum, gluma, quæ floris calix fuit, obuolutum; hanc tamen facile deponit: ſinguli faſciculi axi dentatæ affixi ſpicam, tritici ſpica magis compreſſam, conſtituunt: grana ſunt triticeis longiora, ſtrigoſiora, tenuiora, & intenſius flaueſcentia, aut fuſca, ſaporis farinacei, ſubdulcis: eſt frumenti ſpecies, a ſecando dici videtur, quod meſſis tempore falce ſecari ſolet; dicitur & *rogga*, *ſiligo*, *briza*. G. Rocken, Korn.

SECTIO CÆSAREA, vide *hyſterotomotocia*.

SECVNDÆ, idem quod *ſecundina*.

SECVNDINÆ, ſunt tres membranæ, chorion, allantoides & amnion, quæ vna cum placenta vterina & lochiis ex vtero poſt partum excluduntur. G. Nachgeburt, Afftergeburt.

SECVNDVM NATVRAM, res ſic fieri dicuntur in corpore animali viuo, quando ſeſe debito modo habent, vt in ſtatu ſanitatis. Cui opponitur *præter naturam*.

SECVRIDACA, eſt planta, quæ habet folia oblonga, plura vni coſtæ adnaſcentia: flores ſunt leguminoſi, flaui, in vmbellam radiatim diſpoſiti: poſt florem ſequitur ſiliqua longa, plana, recta, anguſta, articuloſa, annulata, carinata, in ſingulis articulis continetur ſemen rhomboides introrſum emarginatum, coloris rubicundi, ſaporis amari; ſiliquæ ſecurim militarem exhibent, vt veterum Dacorum, vel gladium Hungarorum. Eſt hedyſari ſpecies. G. Beilkraut.

SEDIMENTVM VRINARIVM, ſunt particulæ, quæ in vrina natantes, tandem ſua grauitate præponderante ſubſi-

ſubſident; ſuntque pro vario morbo, eiusque ſtatu diuerſo variæ formæ, grauitatis, coloris, & naturæ. Gr. ὑπόστασις. G. Der Bodenſatz.

SEDVM MAIVS, vide *barba iouis.*

SELENITIS, vide *lunaria.*

SELIBRA, eſt libræ dimidia pars, ſiue venciæ ſex. G. ein halb Pfund.

SELINVM, vide *apium.*

SELLA EQINA, ſeu TVRCICA, eſt cauitas oſſi ſphenoidi inſculpta, interius intra cranium conſpicua, quatuor protuberantiis ad angulos eminentibus gaudens, quæ continet glandulam pituitariam, & rete mirabile in brutis. G. Das Sattelbein.

SEMEIOSIS, idem quod *diagnoſis.*

SEMEN VIRILE, eſt humor albus, calidus & ſpirituoſus, craſſus, viſcidus, ſubſalſus, ex ſanguine tenuiſſimo & liquido neruoſo mixtis, in teſtibus & epididymidibus elaboratus, qui ad generationem fœtus, per vias proprias in vterum muliebrem eiaculatur, conſtatque infinitis numero anguillulis viuentibus, rapidiſſime in alio liquido natantibus, capite grandiore cauda tenuiori donatis, per microſcopium facile conſpicuis: & in ſemine omnium animalium hactenus obſeruato talia animalia inſunt; in nullis vero aliis humoribus totius corporis ſimile quid reperitur. Eſt & in *fœminis* materia, ſemen impropria appellata, ea enim ex lacunis, proſtatis glanduloſæ vaginæ ſubſtantiæ inſertis, prouenit, quod non raro in laſciuientibus prorumpit & foris emittitur; facit plurimum ad titillationem, vt concupiſcibilis eſſet coitus. Vocatur item genitura *Plin.* ſemen genitale, vrina genitalis. Gr. σπορά, σπέρμα, γονή, θορός, θορή, *Aretæo.* In vegetabilibus ſemen eſt plantæ embryo cum placenta vterina ſeu cotyledone ſimplici, duplici vel multiplici, cui fune vmbilicali nectitur embryo. G. Samen.

SEMICONGIVS, eſt dimidium congii, eſt nomen menſuræ liquidorum, continens aquæ libras quinque olei libras quatuor cum dimidia.

SEMICOTYLE, eſt dimidium cotylæ. Vide *cotyla.*

SEMIMEMBRANEVS, ſeu SEMIMEMBRANOSVS MVSCVLVS, eſt inter tibiæ motores: ab eadem, cum bicipiti meta prouectus, in tibiæ vsque oſſis inuolucrum tendinis

lati

lati productione extenditur; hic a diſſimili tendinum, ſupra carneam ſuperficiem, inflexione tendinis reſpectu, membranæ præ ſe fert ſpeciem. G. Der Hautgleiche Muſcul.

SEMINALIS, vide *polygonum.*

SEMINERVOSVS MVSCVLVS, eandem hic cum ſemimembranoſo ſortitur alligationem, præterquam quod poſterius paulo atque inferius, tibiæ affigitur, vsque etiam ad oſſis medium prouehitur, antequam tendinis arripit occaſionem: huius tendines ſeparatas cum teneant carneas claſſes, muſculum conſtituunt, intuitu primo, in duos diuiſum, cum reuera vnus idemque maneat. G. Der halbſehnige Muſcul.

SEMIOBOLVS, eſt oboli dimidium, ſeu quinque grana.

SEMIOTICA, eſt pars medicinæ, ſanitatis & morborum ſigna tradens, a σημειόω ſignifico, vel ſigna exhibeo.

SEMIS vel SEMISSIS, eſt dimidia pars, & ſcribitur S. ß.

SEMISIDERATVS, idem quod *hemiplegia.*

SEMISPECVLVM, eſt inſtrumentum chirurgicum ad dilatandum vulnus in collo veſicæ, vt lithotomus forcipem facilius inducere valeat, quæ cum ſit magna dilatationis ope, tamen per paruam inciſuram ingredi poteſt.

SEMISSIS, vide *ſemis.*

SEMISPINATVS MVSCVLVS, eſt dorſi muſculus, oritur a ſpinis oſſis ſacri & lumborum, omnibus apophyſibus lumborum transuerſis, ſpinisque vertebrarum thoracis omnibus affigitur, easque amplectitur, donec in ſpina thoracis prima ſibi ponit terminum, dorſo mouendo vna cum aliis muſculis & extendendo deſtinatus. G. Der halbe Rückgradsmuſcul.

SEMIVNCIA, ſeu SEMVNCIA, eſt vncia dimidia, vide *ſemis.* G. ein Loth.

SEMPERVIVVM, Gr. ἀείζωον, id nominis ſibi vendicat, quoniam eius folia ſemper virent. Vide *barba iouis.*

SENECIO, penult. corr. vt ſenecio vir:

Tu ſenecionem hunc ſatis eſt, ſi ſeruas anus. *Afranius* in Iambic.

Senecio, ERIGERON, eſt planta, quæ habet caulem rotundum excauatum, ſtriatum, aliquando rubicundum, ramoſum, habentem folia vncialia & longiora, pediculo vidua, hirſuta, circumroſa,

cumroſa, ſapore aliqualiter acidulo, colore obſcure viridicante: calix admodum oblongus, ſimplici petalorum vallo conſtans: flores floſculoſi ſunt in ſummitate ramorum, ſinguli vmbellam habentes, radiati: floribus ſuccedunt ſemina pappis inſtructa: radix fibroſa: naſcitur paſſim in hortis, in agris ſecus vias, ſiluoſisque gaudet & arenoſis locis, ſic appellatur, quod flores capillorum ritu vere caneſcant, ſiue ſenectutem induant. Gr. ἠρίγερων, ex ἦρι, valde, γέρων, ſenex. Kreutzwurtz.

SENTIS, eſt *rubus*: dicitur quod a tangentibus quamprimum ſentiatur. Vide *rubus*.

SENNA, eſt duplex: Alexandrina, quæ & orientalis, Ægyptiaca & Syriaca dicitur, quæ habet folia acuta, & ea eſt præſtantiſſima: vel Italica, foliis magis obtuſis, quæ priori ſubſtituitur. Eſt planta, quæ habet caules lignoſos, ex quibus erumpunt folia oblonga, acuta, coloris ſubflaueſcentis: flores ſunt roſacei, pentapetali: flori ſuccedit ſiliqua plana, craſſa, carnoſa, valde ſucculenta, incurua, biualuis, membranoſa, coloris obſcuri, continens ſemina inſtar gigartorum, renem figura referentia, a ſe mutuo diſtincta paruis ſepimentis, nigra aut alba: hæc arbuſcula ereſcit in regionibus calidis, præſertim in Indiis orientalibus, in Alexandria, Ægypto & Arabia, vt & in Italia; virtute purgante folia ſunt celebria. G. Senneblätter.

SENSORIVM COMMVNE, vide *æſtheterium*.

SENSVS, vide *æſtheſis*.

SEPARATIO, chirurgis eſt, quando caro emortua, a ſana, & caries oſſis ab integro oſſe, arte ſeparatur. G. Abſonderung, das Scheiden.

SEPARATORIVM, ſeu HYPOCLEPTICVM, eſt vas chymicum vitreum oleis ab aqua ſeparandis deſtinatum. Eſt vas transmittens quodammodo vniforme, oblongum, orificio ad capacitatem auricularis digiti aperto, cui materia infunditur, & fundo, in modum acus acuto materiam rurſus emittendi gratia, præditum: in medio ventricoſum eſt, ad capiendam materiæ ſufficientem quantitatem. G. Der Scheidtrichter.

SEPIA, vnde *os ſepiæ* in pharmacopoliis aſſeruatur: penult. corr.

Nigra quod infuſa vaneſcat ſepia lympha. Perſ. ſat. 3.

Vide *os ſepiæ*.

SEPLASIARIVS, Feſto teſte, a foro Capuæ in Italia nomen habet, *ſeplaſia* dicto; erant ii, qui odoramenta & vn-

guenta aromatica diuendebant. Tunc temporis circumforanei ita vocabantur, adeoque pharmacopœis illud nomen ſatis improprie attribuitur.

SEPTA, idem quod *ſeptica.*

SEPTANA, potius ſeptimana, dicitur de febre, quæ ſeptem dierum ſpatio periodum abſoluit. An detur dubitant: nouiſſime ſe talem obſeruaſſe teſtatus eſt *Bœrhaauius* aphor. 746.

SEPTICA, ſiue PVTREFACIENTIA, ſunt, quæ calore & acrimonia maligna, carnem tenuem colliquant, putrefaciunt, & corrumpunt, σήπω putrefacio.

SEPTVM AVRIS, eſt membrana tympani. Vide *tympani membrana.*

SEPTVM CORDIS, eſt carnoſum interſtitium ventriculum dextrum a ſiniſtro diuidens: ſic apparet inſpicientibus; verum concipiendum eſt cor ſiniſtrum, quaſi vnum corpus cauum, rotundum; cui externe accreſcit ſemiſacculus, qui eſt cor dextrum; vnde ſeptum cordis proprie eſt paries ipſe cordis ſiniſtri, nec quidquam diſtinctum inter ſiniſtrum & dextrum cor.

SEPTVM LVCIDVM, eſt ſepimentum, propter tenuitatem diaphanum, cerebri ventriculos diſtinguens.

SEPTVM NARIVM, eſt ſepimentum illud partim cartilagineum, partim oſſeum, membrana glanduloſa obductum, quo nares ab inuicem in duo foramina diuiduntur. G. Die Mittelwand der Naſe.

SEPTVM TRANSVERSVM, vide *diaphragma.*

SEPTVNX, eſt pondus vnciarum ſeptem.

SERAPIAS ORCHIS, eſt Satyrionis ſpecies: dicitur quod huius flores inſecta quædam referant laſciua & fœcunda, tanquam a Serapide Ægyptiorum idolo nomen habentia, cuius in Canopo, Ægypti vrbe, magnificum templum erat, vbi laſciuis & impudicis cantibus, & ſaltationibus colebatur.

SERAPINVM, *Officinis* quandoque dicitur pro ſagapeno, ſed perperam, & corrupta voce.

SERAPIVM, idem quod *ſyrupus.*

SERICVM, pen. corr.

Rubra ſed aurato criſpentur ſerica dorſo. Claud. 6. Hon.

Sericum, eſt tegmen bombycinum. Illud crudum & integrum folliculi ſerici dicuntur, qui hyacinthorum confectionem ingrediuntur. G. Seiden.

SERIO

SERIOLA, vulgo ſcariola: idem quod *ſeris*. Hoc nomine hodie dicitur intybi quædam ſpecies, nigra ſemina ferens.

SERIPHIVM ABSINTHIVM, dicitur marinum abſinthium: a Seripho inſula nomen habet, in qua copioſiſſime creſcit.

SERIS, SERIOLA, eſt *intubus*, ſiue *endiuia*; nomen Græcum eſt & in genere complectitur herbas edules lacteſcentes, vt intybum, taraxacon, lactucam, cichoreum.

SERPENTARIA, dicitur ſcorzonera, quod ſerpentum morſibus venenatis medeatur. Item ſic biſtorta appellatur, ſed quare, neſcio. Ita quoque ari ſpecies maxima vocatur, ob nigras & purpureas, quas habet caulis, maculas. Vide *dracontia*.

SERPENTARIVM LIGNVM, vide *colubrinum*.

SERPIGO, vide *lichen*.

SERPILLVM, SERPYLLVM, thymus ſylueſtris, eſt planta, quæ habet plures caules quadratos, duros, lignoſos, rubicundos, humiles, parum villoſos, quoſdam rectos, alios repentes, folia thymi latiora, cetera cum thymo plane conueniunt. Gr. ἕρπυλλον, a ſerpendo tam Græcis quam Latinis dictum: quoniam ſi qua eius particula terram attingit, inibi radices demittit. Ab ἕρπω ſerpo. G. Quendel, wild Poley.

SERRA, eſt inſtrumentum chirurgicum lamella dentata conſtans, qua oſſa ſerrando auferuntur. Gr. πρίων. G. eine Säge.

SERRA VERSATILIS, eſt inſtrumentum chirurgicum, tympanis duobus, iisque dentatis, præditum; vtile maxime ad intercidenda duorum vel trium, modiolis factorum, interſtitia.

SERRATA, vide *chamædrys*.

SERRATVLA, eſt planta, quæ habet folia oblonga, ampla, betonica maiora, inciſa: caulis ad altitudinem duorum pedum creſcit, rectus, ſtriatus, rubeſcens, in parte ſuperiori in multos ramos diuiſus, folia gerentes inſtar ſcabioſæ inciſa, & ab inferioribus diuerſa: flores vt in iacea; his ſuccedunt ſemina pappis inſtructa: radix eſt fibroſa, ſaporis aliquantulum amari: hæc planta creſcit in ſyluis, in pratis, & in locis tenebricoſis & humidis. Planta ſic vocatur a foliis ſerram æmulantibus. Vide *chamædrys*.

SERRATVS MVSCVLVS, quadruplex eſt, *poſtici*, habentur duo & totidem *antici*. *Poſticus primus ſuperior*, tenui ac membranoſo principio, a tribus inferioribus vertebrarum colli poſticis proceſſibus, primaque ſpinæ productus, poſt in deſcenſu carnoſus ad tres quatuorue ſuperiores coſtas fertur, prout duobus aut tribus dentatis productionibus præditus fuerit, coſtas ſurſum trahere videtur. Alter, *poſticus inferior*, non minus dorſo quam lumbis adhæret. Ab ilii oſſis margine, ſacri poſteriore ſede, ſpinoſisque lumborum proceſſibus ortus, a coſtis, quibus omnibus inferius duplici tendinea inſertione, trium circiter digitorum a ſpinis ſpatio alligatur, maximum fibrarum accipit aceruum. Alterum par *anticum* eſt. Iſtius inferior muſculus maior eſt, latus & vndique carnoſus, cum abdominis obliquo deſcendente ſerratam compagem efficit. Oritur carnoſus ex baſi interna ſcapulæ, alii a coſtis duabus ſupernis vsque ad clauiculam, quæ coſtæ videntur immobiles. Porrigitur tendineis quinque inæqualibus extremis ad coſtas quinque ſuperiores, nonnunquam & ad inferiores ſeu breuiores duas, quas attolit. Alterum par *ſuperius anticum minus* ſub pectorali muſculo latens. Coſtis ſuperioribus quatuor, prima excepta, totidem extremitatibus adnaſcitur, hinc ad ſcapulæ proceſſum coracoidem implantatur. Antrorſum ad thoracem ſcapulam adducit. G. Der Sägengleiche Muſcul.

SERTVLA CAMPANA, vide *melilotus*.

SERVM, Gr. ὀῤῥός, eſt ſanguinis humor aqueus, tenuis, ſubflauus, & ſubſalſus, conſtans ex plurima aqua, mediocri ſale & pauco ſulphure; vſus eſt vt ſit vehiculum ſanguinis rubri, ſeu alimenti, deinde vt ſanguinem diluat, vt per vaſa minima fluat, ea nutriat, & ex illo tenuiſſimi corporis liquores ſegregentur. Apud Hippocratem vocatur ὄχημα τῆς τροφῆς. G. Das Wäſſerige im Blute, Molcken.

SESAMOIDEA OSSA, ſunt oſſicula, a figura ſeſami ſeminis dicta, quæ in internodiis manuum & pedum reperiuntur, vt oſſium tendines hæc ſuperſcandentes maiorem vim in eleuanda parte acquirant.

SESAMVM, planta hæc nomen accepit ab Ægyptiis quibus *ſempſem* dicitur. Eius oleo veteres tam in culina quam medicina multum vtebantur. G. Leindotter, Flachsdotter.

SESCVNCIA ſiue SESQVIVNCIA, continet vnciam vnam & ſemiſſem, ſiue drachmas duodecim.

SESELI,

SESELI, tum Maſſilienſe, tum Æthiopicum, tum Peloponneſiacum, penult. corr. quia *Dioſcoridi l. 3. c. 60. 61. 62.* & *Galeno l. 8. de ſimpl. med. fac.* σέσελι, εως:

Abrotanum, ſeſeli, mox & cynogloſſa ſequuntur. Hont. 4.

Seſeli & SESELIS, planta eſt officinalis, quæ, ut videtur, manauit ex *ſili.* *Silatum* antiqui dicebant, quod nunc ientaculum dicimus, eo quod ieiuni, vinum ſili herba conditum, abſorbebant. Veteres *ſil, ſile, ſili* vocabant: dicitur & fœniculum tortuoſum, quod eſt planta, quæ habet caulem ſtriatum, medulla alba repletum, qui ſtatim vbi ex radice erupit, diuiditur in plures ramos, firmos, tortuoſos, nodoſos, ſatis craſſos, diſperſos: folia fœniculi foliis ſimilia, ſed aliquantulum craſſiora, breuiora, duriora, & magis a ſe inuicem remota, coloris ſimilis fere anethi foliis: flos eſt roſaceus & vmbellatus, pentapetalus, coloris albi, interdum purpurei: fiore deciduo calix fit fructus compoſitus ex duobus ſeminibus oblongis, ab vna parte gibbis, ſulcatis, planis, ab altera parte figura ad fœniculi ſemina accedentibus, coloris griſei albi vel pallidi, odoris valde aromatici, ſaporis acerrimi: radix eſt longa, digiti interdum craſſitie, alba: tota planta odorem habet fortem, & gratum, creſcit in locis arenoſis & in regionibus calidis.

SESQVI, vocabulum cum aliqua menſura vel modi, vel numeri vel temporis collocatum, non integrum modo id cui iungitur explicat, ſed integrum & ſemis. Sic ſesquilibra libram vnam & ſemiſſem ſignificat. Sesquimenſis integrum menſem & ſemiſſem.

SETACEVM, a ſeta dictum, pertinet ad operationes chirurgicas, eſt, cum ceruicis cutis perforante vtrimque acu compungitur, vulnusque per ſetas aut ligulam apertum ſeruatur, vt per id vitioſi humores euacuentur. G. ein Haarſeil.

SEVTLOMALACHE, vel SEVTLOMALACHIVM, quidam betam, alii ſpinachiam eſſe tradunt. Gr. σεῦτλον enim vel τεῦτλον beta eſt, & μαλάχη malua.

SEVVM, eſt pinguedo duriuſcula, ſumiturque a ſolis quadrupedibus.

SEXTANS, eſt libræ ſexta pars, vncias duas continens.

SEXTARIVS, menſuræ Romanæ genus eſt, quod ſi melle repleatur, pendet vncias triginta; ſi oleo, vncias octodecim; ſi vero aqua repleatur, pendet aquæ vncias viginti. Capit (vt alii dicunt) menſurales vncias viginti olei: pondere vero habet

vncias ſedecim, drachmas quinque & ſcrupulum vnum, continet duas heminas vulgo, ſeu vncias decem & octo. Dicitur ſexta pars congii. Aliis eſt vini libra cum vnciis octo, & olei libra vna cum ſemiſſe. G. ein Nöſel.

SEXTVLA, pendet ſcrupulos quatuor.

SEXVS, eſt differentia inter marem & fœminam.

SIAGONAGRA, eſt arthritis maxillarum, a σιαγὼν maxilla, & ἀγρεύω capio.

SIALAGOGA, ſunt medicamenta, quæ ſaliuam mouent.

SIALISMVS, SIALOCHVS, idem quod *ptyaliſmus*.

SIALON, ſeu SIELOS, idem quod *ſaliua*, ſunt vocabula Græca.

SICILICVS, ponderis nomen veterinariis vſitatum, pendens vnciam dimidiam ſiue drachmas quatuor; alii putant eſſe quartam vnciæ partem.

SICYS & SICYOS, eſt *cucumer*: hinc σικύα *cucurbita*. Vide *cucumer*.

SIDA, malum punicam eiusque fructum denotat.

SIDERATIO, idem puod *ſphacelus*, & *apoplexia*.

SIDERITIS, penult. prod. quia *Dioſcoridi l. 4. c. 33. 34. 35.* σιδηρῖτις. Genitiv. ſideritidis penult. corr. vt colocynthidis, cantharidis, oceanitidis. Sic ononidis, hypociſtidis, &c. Sideritis eſt planta, quæ habet caulem lanuginoſum, quadratum, flauum; folia ſibi inuicem oppoſita, oblonga, in margine inciſa, lanuginoſa, rugoſa, ſaporis adſtringentis, aliquantulum acris: flores verticillati, in alis foliorum plerumque inciſorum congeſti, coloris albi, ſubflaueſcentis, punctis rubris notati; ſingula pars horum florum ſuſtinetur a duobus foliis ſubrotundis, inſtar criſtæ galli inciſis, quæ folia multum ab aliis foliis in parte infima creſcentibus differunt: ſemina ſunt oblonga, nigricantia, in capſula, quæ floris calix fuit, recondita: radix lignoſa: hæc planta odore lamium refert; creſcit in montibus, locis ſiccis & incultis. Latinis *ferraria*, quia vulnera ferro icta firmiter conglutinat. Σίδηρος eſt ferrum, enſis. G. Eiſenkraut.

SIEF ALBVM, eſt collyrium ſiccum. Vide *collyrium*.

SIELISMVS, idem quod *ſaliuatio*.

SIELOCINETICA, idem quod *ſaliuantia*, ex σίελον ſputum, & κινέω moueo.

SIGIL-

SIGILLVM SALOMONIS, vide *polygonatum.*

SIGMOIDES, ſunt apophyſes oſſium ſemilunares; vt proceſſus ancyroides ſcapulæ, & ſinus oſſis radii, Græcorum antiquorum C. referentes.

SIGMOIDES, ſunt valuulæ tres arteriæ magnæ, circa cor foris ſpectantes, ſanguinem ex ventriculo ſiniſtro in aortam quidem admittentes, ſed illi regurgitare conanti ſuo explicatu & immediata clauſura reſiſtentes, dictæ a littera C. ſeu ſigma & εἶδος forma. Vide *valuula.*

SIGNVM MORBI, Gr. σημεῖον, eſt, quidquid ſenſibus noſtris eſt obuium, vel aliquid ad ipſum pertinens, quod poteſt indicare, quare id quod ad curationem neceſſariam pertinet, indicatur. Signum eſt morbi cauſa vel ſymptoma: eſt proprium vel commune: hoc ſeparabile; proprium inſeparabile ſiue pathognomonicum, ſynedreuon, epiphænomenon, bonum, malum, certum, incertum, ſalutare, lethale &c. *Signa ſanitatis* ſunt, actiones integræ, qualitates conuenientes, excreta & retenta bene conuenientia. G. Die Zeichen der Kranckheiten.

SILER, eſt liguſtici ſpecies, & dicitur *montanum*, hinc corrupta voce, *ſermontaine* appellatur: eſt planta, quæ habet caulem valde altum ad hominis quidem altitudinem, ramoſum, pedunculos longos proiicientem, qui habent folia ampla, magna in alas extenſa in plures partes diuiſas, quibus tria adhærent foliola vt in meliloto, ſed anguſtiora & molliora, aliquantulum odora, vbi contunduntur: flos eſt roſaceus & vmbellatus, pluribus ſcilicet petalis conſtans in orbem poſitis, & calici inſidentibus: is autem abit in fructum compoſitum ex duobus ſeminibus ſibi inuicem adhærentibus oblongis, hinc gibbis & ſulcatis cum liris veluti foliaceis: inde vero planis, odoris ingrati: radix craſſa, longa, rugoſa, alba, odora, paſtinacæ ſimilis: creſcit inprimis in iocis calidis in montibus.

SILIGO, eſt tritici albiſſimi ſpecies. Gr. ὄλωρα, & σίλιγνις vel σέλιγνις.

SILIQVA, penult. corr.

Nec non & lini tunſum, ſiliquæque legumen. Seren. tit. *præcord. ſan.*

Decoctis potantur aquis, ſiliquæque madentes. Seren. tit. *digeſt. med.*

Siliqua, Gr. κεράτιον, Arab. *Kirat*, eſt dimidium lupini, & ſiliquæ ſex pendent ſcrupulum. Semen autem in ſiliqua contentum, non tota ſiliqua, intelligitur, & id mediocre, non

enorme & habitius: neque ſtrigoſum & emaciatum; nonnullis eſt pondus quatuor granorum.

SILIQVA, eſt folliculus ſiue integumentum, cui grana, leguminum vel herbarum ſemina concluduntur. Nam non modo legumina, ſed & complures quoque herbæ & frutices ſiliquas proferunt.

SILIQVA, eſt etiam *folliculus* ſiue integumentum, cui grana leguminum includuntur.

SILIQVÆ DVLCES, quarum arbor *ceratonia* appellatur; quæ eſt mediocris magnitudinis, habens plurimos ramos, magnos, duros, in latum ſe extendentes: folia pinnata, oblonga, carnoſa, neruoſa, dura ad coſtam communem cum impari extremo: flores ſunt apetali; numeroſis ſtaminibus conſtantes, ortis ex calicis fiſſura; in calicis centro fit ſiliqua oblonga, compreſſa, paulukum intorta, craſſa; digito longior, pollice latior, fuſca, ſplendens, coloris obſcuri, rubicundi, dorſo elatiore includens pulpam carnoſam, rufam, dulcem, ſub qua intra membranaceos loculos latitant ſemina plana, ſubrotunda, compreſſa, fuſca, lucida: dulcedo maior in pulpa quam in cortice. Creſcunt in regno Neapolitano, inſula Creta, Syria, Hiſpania &c. Fructus ſunt ſiliquæ inſtar oblongi & plani, extus colore caſtanei; intus ſemina fere continent, vt caſſia fiſtula; fructus ipſi dulces ſunt, ideoque in morbis pneumonicis vſui veniunt. G. St. Johannisbrodt.

SILIQVASTRVM, ſeu piper Braſilianum, eſt capſici ſpecies, a ſiliquis ſiliquaſtrum dictum: eſt arbuſcula, quæ habet ramos a ſe inuicem diſtantes, corticem purpureum, nigricantem habentes: flores ſunt papilionacei, ante folia vere erumpentes, leguminoſi, purpurei, plures ſimul iuncti, pedunculis breuibus & nigris adhærentes, quinquefidi, ex quibus duo in inferiori parte poſiti ſuperiores exſuperant magnitudine; poſt florem ſequitur ſiliqua longa, plana, membranacea, purpurea, ſeminibus reniformibus & duris fœta: folia ſola & alterna naſcuntur rotunda, aſarum referentia, ſed maiora, neruoſa, in parte ſuperiori viridia, in inferiori albeſcentia, alæ vexillo ſupereminent: creſcit hæc arbuſcula in regionibus calidis circa flumina.

SILPHIVM, eſt ex genere ferulacearum. Cyrenenſibus σίρφι, aut σίλφι, item σίςφυ, vnde Gr. σίλφιον, Lat. *ſirpe, ſilpe* & *ſerpe*, atque porro *lac ſerpitium*, vnde *laſerpicium.* Vide *laſerpicium.*

SIMI-

SIMILARES PARTES, ſunt, quæ ſibi vbique per totum ſimiles ſunt, nec variationem aliquam vllibi obtinent, tales autem partes ſolæ ſunt fibrillæ vltimæ, ſolidæ, non amplius vaſculoſæ, omnium partium firmarum corporis animalis, hæ enim ſunt meræ expanſiones longitudinales, & firmæ; ac vbique in tota longitudine eædem, oriundæ & compoſitæ ex meris particulis elementaribus, antea fluidis nunc conſolidatis; fibræ hæ erunt proin ſibi ſimiles; verum omnes partes, de quibus anatomici tam ſollicite agunt ſuis diuiſionibus in *ſimilares* & *diſſimilares*, non vbique ſunt ſimilares, ſed ex plurimis componuntur: veluti *os*, conſtat ſubſtantia duriſſima, ſed vbique habet vaſa ſanguinea, membranas in cancellulis ſuis, glandulas, medullam, ductus medullares &c. vnde id minime pars ſimilaris dicenda erit. G. Theile die einander gleich ſeyn.

SIMPLICES PARTES, vide *ſimilares*.

SIMPLICIA, ſunt medicamenta vnius generis & nominis, ex quibus ſeorſim collectis componitur materia medica, vt ſunt radices, herbæ, ſemina, flores, gummi, ſucci, partes animalium &c.

SINAPI, penult. prod. quia *Dioſcoridi l. 2. c. 184.* σίνηπι:

Seque laceſſenti fletum factura ſinapis. Columell. l. 10.

Vindicianus verſ. 37. perperam penult. corripuit.

Sinapi & SINAPIS, eſt planta, quæ habet folia rapæ, ſed minora & magis aſpera: caulis quatuor vel quinque pedes altus eſt, rotundus, villoſus, in multos ramos diuiſus: flores quadrifidi, cruciformes, flaui, poſt florem ſequitur ſiliqua oblonga, breuis, anguloſa, acuta ſepto intermedio (cui valuæ vtrinque adhæreſcunt) in duo loculamenta diuiſa, ſeminibus fœta vt plurimum ſubrotundis, rubicundis, aut nigricantibus, paruis, ſaporis acris feruidi; ſiliqua in cornu quoddam fungoſum ſimili ſemine prægnans plerumque deſinit: radix eſt lignoſa, fragilis, alba, fibroſa. Gr. νάπυ vel σίνηπι, eius nomen venit e Græcia in Latium. G. Senff.

SINAPISMVS, eſt medicamentum, ardorem, ruborem, doloremque cuti, cui applicatur, inducens; forma eius eſt ſimilis cataplaſmati, vel maſſæ duriori. Paraturque, ex *ſinapi*, *raphano ſilu. ſale* & *fermento* a σίνηπι, ſinapi ſemen. G. ein Senffumſchlag.

SINCIPVT, Gr. βρέγμα, eſt pars anterior cranii, a fronte vsque ad ſuturam coronalem excurrens. G. Der fördere Theil des Haupts.

SINGVLTVS, Gr. λυγμὸς & λύγξ a λύζω ſingultio. Eſt conuulſio fibrarum muſcularium œſophagi, qua diaphragma, cui annectitur inter tranſeundum, & ipſum ventriculum, vbi deſinit, ſurſum trahit valida vi; dum ſimul eodem tempore ipſum diaphragma deorſum conuellitur, vnde ex compreſſione ventriculi, aer ſurſum pulſus ſonitum aliquem edit, & ſi diu durat malum, partes quibus diaphragma annectitur, vti cartilagines ſunt enſiformis & coſtarum ſpuriarum dolent, quod tam valide intus trahantur. G. Das Schlucken, der Hetſch.

SINVS, eſt, cum abſceſſus & vlceris initium ſatis anguſtum apparet, profunditas vero ſe in latitudinem diffundit. Gr. κόλπος, ὑπόνομον ἕλκος. G. ein Geſchwär, ſo ſich in die Krümme zieht.

SINVS MENINGIS, ſunt cauitates, quas Galenus ventriculos craſſæ membranæ vocat; non enim ſunt arteriæ, vel venæ, ſed inter ambas iacent intermediæ, quare merito alio nomine donantur: primus & ſecundus ſiue laterales inter cerebrum & cerebellum ſitum habent, & deſinunt in ſinubus vertebralibus; tertius ab oſſe cribriformi incipit, & in medio priorum ſinuum ſinem conſequitur; quartus a glandula pineali oritur & in medio lateralium ſinuum deſinit: quorum inſertio vocatur *torcular Herophili:* cranio egreſſi partim venis iugularibus continuantur, partim per totam medullæ ſpinalis partem ad os ſacrum vsque deſcendunt. Vſus eſt venarum vicem agere.

SINVS OSSIVM, ſunt cauitates, quæ capita aliorum oſſium admittunt.

SION, & SIVM, eſt planta, quæ habet caules craſſos, anguloſos, ſtriatos, excauatos, in ramos diuiſos, quatuor vel quinque pedes altos; folia coniugatim adnata vni coſtæ, in margine inciſa, craſſa, oblonga: flores in vmbellas creſcunt, ex quinque petalis albis conſtantes, in orbem poſitis; floribus ſuccedit fructus ex duobus ſeminibus compoſitus ſubrotundis, minimis, hinc gibbis & ſtriatis, inde vero planis; habitus reliquus huius plantæ eſt inſtar paſtinacæ: radix eſt parua, fibroſa, nigra: tota planta odorem bituminis habet, eſt becabunga ſeu anagallis aquatica & lauer quibusdam, aliis vero phellandrion, vel naſturtium aquaticum &c. Vide *lauer*.

SIRIASIS, eſt cerebri & meningum, ab ardore ſolari, inflammatio, ſeu (rectius) incaleſcentia; pueris propter tenuitatem cranii, vel fontanellam tenuiſſimam frequens. G. Das Blatſchieſſen.

SIRONES ſeu CHIRONES, ſunt puſtulæ, quæ in vola manus & pedum plantis oriuntur, in quibus minutiſſimum quoddam vermiculorum genus ſub cuticula latet. G. Reitläuſe.

SISARVM, & SISER, eſt planta, quæ creſcit ad altitudinem duorum circiter pedum: folia plura vni coſtæ adhærent, vt in paſtinaca, ſed minora, viridiora, & molliora, leuiter in margine inciſa: flos eſt roſaceus, & vmbellatus, paruus, quinque petalis vt plurimum conſtans albis, in orbem poſitis, odorus: hunc ſequitur fructus paruus ex duobus ſeminibus compoſitus, oblongis, paululum petroſelini ſeminibus maioribus, anguſtis, hinc gibbis & ſtriatis, inde vero planis, coloris obſcuri: radices ex vno capite plures pendulæ, glanduloſæ, teneræ & fragiles, rugoſæ, cortice tenui, pallidoque obductæ, pulpa candida, digitali craſſitudine, pedales quædam, quædam breuiores multo, dulci & grato ſapore nonnihil aromatico. G. Zuckerwurtzel, Zuckerrüblein.

SISYMBRIVM, eſt planta aquatica, quæ habet caules tres pedes altos, ſtriatos, aliquando rubicundos, excauatos: folia oblonga, acuta, profunde laciniata, dentata, alternatim caulibus adhærentia: flores in ſummitate ramorum creſcentes, pedunculis longis & tenuibus adhærentes, quadrifidi, flaui, cruciformes: flori ſuccedit ſiliqua exigua, breuis, diuiſa in duos loculos continentes ſemina obrotunda fere: radix oblonga, alba, acris, minimi digiti craſſitiei: creſcit in paludibus, & locis aquoſis, eſt cardamine, vt & mentha aquatica: dicitur a Siſymbrio, quæ fuit veteribus in comœdiis meretricula, appellatur etiam *corona veneris:* forte quod caulis articulum per internodia verticillato florum ambitu concinne coronatur.

SITIS, eſt defectus humoris (ſaliuæ nempe) ad irrigationem oris, linguæ, labiorum, faucium, dein partium internarum, neceſſarii; quo ſenſus inde excitatus imaginatur potum eſſe in auxilium vocandum, vt id incommodi, quod corpus ex defectu humoris patitur, tollatur. Sitis etiam eſt ordinaria, quæ homini ſano obtingit; vel præterordinaria, & nonnunquam deprauata quæ ægris Gr. δίψα. G. Der Durſt.

SIVM,

SIVM, vide *Sion.*

SMILAX ASPERA, eſt planta, quæ habet caules longos, flexiles ſcandentes, ſpinis inſtructos, arbuſculas vicinas & arbores apprehendentes: folia, rigida, neruoſa, ſpinis non tantum per margines horrentia, ſed & ſecundum neruos, nunc ampla & viridia, modo anguſtiora, & albis maculis conſperſa, acrimoniam aliquam habentia: flores hexapetali, nudi, albi, exigui, in ſpicas digeſti, inodori. Ouarium in fundo floris ſphæricum, breui tuba inſtructum fit bacca ſphærica, mollis, poſt maturitatem rubicunda, ſub tenui pellicula recondens ſemina ſphærica, læuia, mollia, exterius coloris rubri obſcuri, intus albi; ſaporis ingrati: radix parua, perennis, repens, fibroſa, alba, ſaporis ſubdulcis: hæc planta creſcit in ſyluis, Gr. σμίλαξ. Lat. *conuoluulus.* G. Windekraut.

SMILE, eſt *ſcalpellum*, ſiue inſtrumentum chirurgicum, quod vtrinque aciem habet, & lineas vtrasque, vtrinque curuas; ſed alteram concauam, alteram vero illi oppoſitam, gibbam. Cuſpis autem acuta eſt; diuerſi generis ſunt; aliud magnum, aliud paruum, aliud mediocre.

SMYRNA, idem quod *myrrha.*

SMYRNIVM, eſt planta, quæ habet caules tres pedes altos, ramoſos, ſtriatos, aliquantulum rubicundos: folia apii foliis ſimilia, ſed maiora, inciſa in partes magis rotundas, odoris aromatici, ſaporis petroſelinum referentis: flores roſacei & vmbellati, parui, albi, pentapetali: his ſuccedit fructus fere globoſus compoſitus ex duobus ſeminibus ſibi inuicem iunctis craſſiuſculis, obrotundis, ſtriatis, nigris, ſaporis amari, odoris myrrhati: radix mediocriter magna, circularis, alba, ſuccum amarum guſtui præbens, & ſaporem & odorem myrrhæ habens vnde nomen accepit. σμύρνη enim eſt myrrha. Vulgo vocatur *leuiſticum.*

SOCOTORINA ALOE, vide *ſuccotrina.*

SODA, idem quod *cephalalgia*, & *ardor ventriculi:* item ſunt cineres ex herba kali vſti, quibus vitra conficiuntur. G. Spaniſche Sode.

SOL, a chymicis ſumitur pro *auro*; medicamenta ſolaria ſunt ex auro parata.

SOLANVM, *Plinio l.* 27. *c.* 13. ſolanum, *Officinis* etiam *ſolatrum*, dicitur & *vua lupina*, *vua vulpis* & *morella.* penult. producetur:

Eſula cum betis, ſolanum, ſtrychnus, oryza. *Hont. 4.*
Sed de Eſulæ quantitate conſulatur litera E. Solanum, vulgare ſiue hortenſe, eſt planta, quæ habet caulem ſesquipedem circiter altum, ramoſum: folia oblonga, acuta, ſatis ampla, mollia, nigricantia, aut ex viridi obſcura, quædam anguloſa, altera crenata, quædam integra, ſaporis herbacei, inſipidi, ſuccum viridem habentia; flores ſunt monopetali, quinquefidi, ſtellæ inſtar expanſi, coloris albi, in medio pluribus ſtaminibus donati: calix eſt monophyllus, quinquefidus, ſtellatus non veſicarius: flori ſuccedit bacca initio viridis, per maturitatem fit mollis, ſucculenta, ouata, vel globoſa, nigricans, fœta ſeminibus planis, exiguis, flauis: radix longa, fibroſa, albeſcens. Hæc planta creſcit iuxta vias, eius variæ ſunt ſpecies, plerumque ſomnum conciliantes. Gr. στρύχνος, forte a ſolamine dictum; quod dolores intenſos ſopiendo ſiſtat. G. Nachtſchatten.

SOLDANELLA, alias *conuoluulum marinum*, eſt *braſſica marina*, habens caules tenues, flexiles, ſarmentoſos, rubicundos, repentes: folia obrotunda, polita, ſplendentia, chelidonium minus referentia, ſed craſſiora, ſucco lacteo repleta, caulibus longis adhærentia: flores ſunt vtplurimum campaniformes, monopetali, ora repanda; his floribus ſuccedit fructus obrotundus, membranoſus, includens ſemina anguloſa, nigra aut alba: radix minima, fibroſa: tota planta habet ſaporem amarum, & ſalſum; creſcit circa mare. G. Meerwinde.

SOLEN, chirurgis eſt inſtrumentum oblongum, intus cauum, in quod membrum fractum, crus aut femur, imponitur, aut continetur. G. eine Röhre.

SOLEVS MVSCVLVS, eſt latus & tibiæ fibulæque oſſis commiſſuræ poſterius inſertus, robuſtiſſimus exiſtit, ſuræque maximam conſtituit molis partem. Variam ob tendinum connexionem, varios fingit, vt gaſtrocnemius, muſculos. G. Der Sohlenmuſcul.

SOLIDAGO SARACENICA, vide *Saracenica ſolidago.*

SOLIDAGO, eſt herba vulnera conſolidans: deriuatur a ſolido, ſano. Gr. σύμφυτον.

SOLIDVS, eſt antiquorum pondus, pendens ſcrupulos quatuor.

SOLVTIO

SOLVTIO CHYMICA, eſt operatio qua corpus quodcunque vel naturaliter, vel arte variis aliis heterogeneis partibus conſtans, in ſua principia, ex quibus omnia miſta conflata ſunt, reſoluitur & reducitur. G. Auflöſung, Aufſchlieſſung.

SOLVTIO CONTINVI, eſt ſeparatio partium antea cohærentium in vnione, a quacunque cauſa facta, in vulneribus, vlceribus, fracturis &c.

SOLVTIVA, a ſoluendo, quia humores inteſtinales ſoluunt, idem quod *laxantia*.

SOMNAMBVLO, vide *noctambulo*.

SOMNIFERA, Gr. ὑνωτικά, ſunt, medicamenta quæ valent ſomnum producere, 1. per cauſas naturales tollendo impedimenta ſomni naturalis, qualia plerumque ſunt obiecta externa, dolores, calores, ſudor, animi curæ, & quæcunque ſanguinis circuitum augent, his igitur ſublatis per varia varii generis medicamenta, quæ tamen omnia vocari ſolent ὑπνωτικά, ſequetur ſomnus: 2. per cauſas nonnaturales, opprimendo ſcilicet cauſas naturales vigiliarum, & impediendo fluxum ſpirituum animalium per neruos; quare hoc medicamentorum genus maxime in cerebrum & neruos agit. G. Schlafbringende Mittel.

SOMNIVM, Gr. ἐνύπνιον, *inſomnium*, eſt quando dormiendo nobis varia videntur occurrere, eodem modo ac ſi eſſemus vigiles, eſtque regulare, quando apparentiæ ſeu phantaſmata connexionem quandam habent; vel irregulare, quando contrarium euenit. G. ein Traum.

SOMNOLENTIA CONTINVA, eſt aſſidua in ſomnum procidentia & inclinatio; oritur, quod pori extremi corticalis ſubſtantiæ cerebri viſcoſitate quadam obliterantur, vel clauduntur quacunque ex cauſa comprimente, ita vt liber tranſitus ſpiritibus animalibus denegetur in muſculos voluntariis actionibus inſeruientes. G. Schläfrigkeit.

SOMNVS, eſt ille ſtatus corporis viui, ſub quo ſenſus externi ab operationibus externis deſiſtunt. Somnus dicitur *naturalis* vel *præternaturalis*. Gr. ὕπνος. G. Der Schlaf.

SONCHVS, duæ dantur ſpecies generales, vna quæ eſt læuis, altera aſpera; prior eſt planta, quæ habet caulem ſesquipedem altum, intus excauatum, tenerum, purpuraſcentem: folia longa, læuia, fere glauca, dentis leonis inſtar, inciſa vel laciniata, alternatim diſpoſita, alia pediculo longo, alia nullo gaudentia,

gaudentia, ſed latiore baſi caulem amplectentia, in circuitu quaſi dentata, in quibus vel nullæ ſpinæ vel molles, lacte prægnantia, ſalſa, amara: flores ſemifloſculoſi, plurimis ſcilicet ſemifloſculis conſtant embryoni inſidentibus, & calice craſſo comprehenſis, qui per maturitatem conicus fere euadit: embryo autem abit deinde in ſemen pappis inſtructum, thalamoque affixum, oblongum, rubicundum: radix minima, fibroſa, alba. Sonchus vero aſper habet folia ſonchi leuis craſſiora, obſcurius viridia, in crebras lacinias diuiſa, ad endiuiæ folia accedentia, baſi ſua caulem inanem amplectentia, ſpinulis longioribus, & rigidioribus aſpera, (quin etiam folia extrema & laciniæ in anguſtiores & acutiores mucrones deſinunt) lac fundentia ſalſum & amarum: cetera quæ de ſoncho læui dicta fuerunt, huic conueniunt, dicitur παρὰ τὸ σῶον χέαν, quod ſalubrem ſuccum de ſe fundat; Lat. *cicerbita*, *lactuca leporina*, *lactucella* quia lac fundit, & nutricibus lactis copiam præbet. G. Haſenkohl.

SOPHIA CHIRVRGORVM, eſt naſturtium ſylueſtre, quia forte ad illam plantam, ob ſalubres effectus, ſolebant confugere, ac ſi illorum tota ſapientia in iſtius herbæ vſu conſiſteret.

SOPHRONISTERES, ſunt ſapientiæ dentes. Vide *dentes*.

SOPORARIÆ ARTERIÆ, idem quod *carotides*.

SORBITIO, eſt ea actio, qua clauſis naribus interius velo palatino, ore anterius arctato, vt fiat paruum foramen, vacuum excitatur Boylianum in ore, dum lingua aerem in eo contentum ſuo applicatu ad palati fornicem verſus poſteriora pellit, & genæ gingiuis appoſitæ omne liquidum prohibent, qua fit, vt applicata ori liquida, vna cum aere intrantia, ſpeciem ſoni excitent. G. Das Schlurffen, Saugen.

SORBVS, SORBVM, plurali SORBA, ſunt fructus ſorbi ſatiuæ, pyrum moſchatellinum paruum æquans, turbinati, vmbilicati, magis minusue rubentes, pro vt ſolem ſenſere, carne flaueſcente, & ante maturitatem adeo auſtero ſucco, vt ſtrangulet, colore in rutilum transeunte, at vbi velut fermentatione quadam emolliti fuere, vix mutato interno colore, dulci ſatis & veſca carne non ſine adſtrictione: huius arbor eſt magna, ramoſa, truncum habens rectum, cortice aſpero & pallido obductum: folia ſunt oblonga, inſtar fraxini, in margine dentata, villoſa mollia, inferius alba, ſaporis ſtyptici:

flores

flores ſunt parui, albi, plures ſibi inuicem iuncti, pediculo ex foliis enato adhærentes; quinque foliis in orbem poſitis conſtantes: his deciduis ſuccedit fructus ſupra dictus. Gr. ὄη, vel οὔα, & fructus ὄον, & οὖον ab oui forma. G. Spierbaum, Speiren, Spörápfel.

SORGVM, eſt frumenti ſeu milii ſpecies: ab Italica voce *ſorgi* nomen habet: vocatur etiam *melica*. G. Sorgſaamen.

SORY, eſt minerale lapidoſius & vehementius compactum quam *chalcitis* aut *miſy*, ſed & craſſiſſimum, fricatum ſcintillas emittens: *chalcitis*, *miſy* & *ſory* mineralia ſunt, inter ſe origine & viribus coniunctiſſima. Antiquis ſunt celebria nomina: noſtratium fere quisque aliam de iis habet ſententiam.

SPAGYRICA MEDICINA, quam vocem nonnulli ἀπὸ τοῦ σπᾶν & ἀγείρειν, a ſegregando, & coniungendo, quod heterogenea ſeparet, & homogenea iterum coniungat, deductam putant, idem quod *hermetica medicina*, quæ nimirum fundamenta ſua medica, & mutationes corporis animalis, humorum, ſtatum morbi, & actiones medicamentorum ponit & explicat ex mutationibus, quæ inducuntur corporibus aliis ope vulgaris ignis, adeoque analogice vbique & in quocunque corpore ſic fieri ſtatuuntur. Chymici Paracelſici multa habent nomina ſine ratione excogitata, vnde etiam toti arti decebat tale imponi.

SPARADRAPVM, eſt linteum vtrinque vngento ſpiſſo vel emplaſtro tinctum. Nempe poſt liquationem vnguentorum vel emplaſtrorum, linteum penitus immergitur, quod ductum extrahitur, extenditur & in vſum medicum aſſeruatur, dicitur etiam tela Gualteri, ſeu emplaſtrum ad fonticulos.

SPARGANIVM, vide *platanaria*.

SPARGANOSIS, eſt mammarum, a nimia copia lactis, diſtenſio, a σπαργανόω faſciis diſtendo.

SPARSI MORBI, vide *ſporadici morbi*.

SPARTIVM, eſt geniſtæ ſpecies; ita dicitur quod funiculi ac vinculi vſum in alligandis vitibus præbeat. A Græco σπάρτον, funis.

SPASMODICA, ſunt medicamenta ſpaſmum pellentia, influxuum ſpirituum vel ſanguinis inordinatum vel corrigendo, vel acre quodcunque ſtimulans & in muſculo hærens tollendo,

lendo, vel ſenſum partis neruorum compreſſu hebetando. G. Krampfſtillende Mittel.

SPASMVS, & SPASMA, denotat quemlibet motum conuulſiuum in genere: quem diſtinguunt in tetanum & ſpaſmum; per illum contractionem conſtantem, qua membrum rigidum & inflexile euadat; per hunc vero motus celeres & concuſſiones, quæ interiecta quiete alternatim ceſſent redeantque, intelligunt. Spaſmus fit cum acri dolore in artubus, crure, ſura, pede, & aut momento vno vel altero, aut aliquot horis perſeuerat; accidit vero ægris & iis qui vtcumque ſani ſunt; in febribus, ſcorbuto, crapula, & ſæpe in ſomno: ac cui ſemel euenit, ei ſolet ſæpe contingere, ita vt ſomnus interrumpatur. Huius ſpecies ſunt, ſpaſmus in vulneribus, ſpaſmus cynicus, ſtrabiſinus, riſus ſardonius &c. a σπάω contraho. G. Der Krampf.

SPASMVS CYNICVS, ſiue CANINA CONVVLSIO, eſt conuulſio muſculorum oris. Hoc eſt, quando muſculi maxillares conuelluntur, & os, naſus, oculus, atque adeo dimidia faciei pars, in obliquum & rugas torquetur, imo & irati canis effigiem repræſentant, ita vt qui correpti, efflare aerem, aut humorem expuere nequeant, ſaliua ex ore fluente. G. Hundskrampf.

SPATHA, eſt inſtrumentum oblongum, ex argento, chalybe, cupro aut ligno confectum: inferius latum, quo electuaria vel conſeruæ & emplaſtra absque manuum inquinatione commode tractantur, chirurgis & pharmacopœis familiare. Vide *ſpatula*. G. ein Spatel.

SPATHOMELA, ſiue SPECILLVM LATVM, vide *ſpatha*.

SPATVLA, vel SPATHVLA, eſt inſtrumentum minori forma, quam *ſpatha*. Barbaris ſignificat quoque *ſcapulam*. G. ein Spatel.

SPECIES, dicuntur in officinis ſemper paratæ mixtiones pro magis compoſitis illico conficiendis coordinatæ. Sic dicuntur ſpecies decoctorum vſualium, quæ in promtu habentur, vt absque mora poſſint parari. Præ reliquis tamen hoc nomen ſibi vindicant pulueres nonnulli, tam aromatici, tum cathartici, qui ordinati fuerunt olim, vt inde conficerentur electuaria, morſuli vel rotulæ, pro eo ac vel medico vel ægrotanti commodius videretur. Tales ſunt ſpecies aromatic. rotatæ, Species diaturbith cum rhabarbaro, &c. G. Species.

SPECIFICA MEDICAMENTA, ſunt, quæ vi ſpecifica tantum in eam cauſam agunt, quæ morbum in corpore producit, partem affectam tantum mouendo, & mutando, nihil vero in reliquas corporis partes efficiendo; ſic oleum viperinum applicatum morſui viperæ; cortex peruuianus in febribus intermittentibus; opium in conciliando ſomno & quamplurima alia ſunt: ſolet tamen plus de talibus ſubinde iactari, quam quidem ſana ratio, & genuinus candor concedunt. Vtinam dentur multa.

SPECILLVM, eſt inſtrumentum chirurgicum, ſpithamæ longitudine, tenue ex argento, vel chalybe, ab vna extremitate latum, rotundum & nonnihil incuruatum; ab altera vero rotundum nodulum habet; ſpecillis vulnerariis, vulnerum, fiſtularumque altitudo pertentatur. Videtur eſſe diminutiuum a *ſpecium*, quo vſus eſt *Pacuuius*, *μήλη*, *τραυματικὴ μήλη*. G. Ein Sucheiſen.

SPECVLVM ANI, *matricis, oris*, eſt inſtrumentum chalybeum, quo chirurgi has partes dilatant, vt ſpinas aliaque inhærentia extrahant, vel innata abſumant.

SPELTA, Gr. Ζέα: nonnullis *far*. G. Dinckel, Dünckelkorn.

SPERMA, idem quod *ſemen*.

SPERMA CETI, veteres balænæ ſemen putabant, & mari inſtar ſpumæ ſupernatare ſcribebant. Primus in Germania quid ſit, & quo modo paretur, docuit beat. Etmullerus, ipſe edoctus ab aliquo Noruego. His conſona ſunt quæ abbas Bourdelotius inter Gallos primus, teſte Lemerio, publicauit. Scilicet paratur ex illa pinguedine, quæ cerebra cetorum quorundam circumdat. In Hiſpaniæ ora boreali & Noruegia conficitur & ad nos apportatur. Eſt pingue, molle, recens verum olei ſaporem habet, ſed vbi diu aſſeruatur,ranceſcit inſtar olei, & flaueſcit; fluit & ardet in igne; aquæ non miſcetur, ſed cum oui vitello diſſoluitur. G. Walrath.

SPERMATICÆ PARTES, ſunt venæ & arteriæ, ſanguinem a teſticulis abducentes & adducentes. *Item*, vaſa ſeminis excretoria. *Item*, partes albidæ, quæ olim propter albedinem cenſebantur ex ſemine duntaxat generari, vt neruus, membrana, os, cartilago &c. Verum omnes partes ex ſemine ſucceſſiue generantur, quia ex ouo, quod totius fœtus rudimentum continet, generantur: imo & omnes partes, quot-

quot

quot habentur, ſi ſanguis aliique ſucci eluantur, albidæ apparent. Hinc omnibus illud nomen ex æquo competit. Ex σπέρμα ſemen.

SPERMATOPOEA, medicamenta ſunt, quæ liquidi proſtatarum, veſicularum ſeminalium, & teſtium generationem & elaborationem augent in maribus, ita vt deficiens ex ægritudine ſemen reſtituatur, & quæ in fœminis humores ad concipiendum requiſitos elaborant.

SPERNIOLA, ſeu SPERNIOLVM, vocatur *ſperma ranarum*. G. Froſchleich.

SPHACELODES, eſt quid ſphacelo ſimile, ex σφάκελος ſphacelus, & εἶδος forma.

SPHACELVS, eſt ſideratio, ſiue ſenſus & vitalitatis in quacunque parte extinctio, ad oſſa vsque plerumque penetrans: Gr. σφακελὸς, σφακελισμὸς, τελεία νέκρωσις. G. Der kalte Brand, die völlige Erſterbung.

SPHÆROCEPHALVS, eſt cardui ſpecies, capitula habens rotunda, a σφαῖρα globus, & κεφαλὴ caput.

SPHAGITIDES, ſunt venæ iugulares in collo, a σφαγιάζομαι iugulo, macto.

SPHENDAMNOS, ſic vocatur acer. Gr. σφένδαμνος. G. Ahorn.

SPHENOIDEA OSSA, ſunt tarſi quintum, ſextum & ſeptimum a figura cunei *cuneiformia* recte dicta. Græcis enim σφὴν eſt cuneus, & εἶδος forma.

SPHENOIDES OS, eſt cranii, quod & baſilare, & a varia figura πολύμορφον vocant. Hoc ſatis incommode *cuneiforme* dicitur; videturque potius vocandum *veſpiforme*, vtpote ſatis bene refert figuram inſecti volantis. Vide figuram apud Veſalium. σφὴξ, σφὴν, apud Græcos & *veſpam* & *cuneum* ſignificat. Contra analogiam eſt nomen, quod aliqui ponunt, *ſphenois*.

SPHENOPHARYNGÆVS, eſt par muſculorum, a ſinu alæ internæ oſſis cuneiformis ortum ducens, atque oblique deorſum inclinans, in œſophagi latera extenditur; gulam dilatat, ex σφὴν cuneus, & φάρυγξ œſophagi caput ſiue fauces.

SPHINCTER, hoc nomine in variis partibus muſculi gaudent qui hanc proprietatem habent, vt circulariter ambientes partem rotundam mollem, vim hanc plane conſtringendi

gendi poſſideant, vti eſt muſculus conſtrictor œſophagi, ani, veſicæ &c. a σφίγγω conſtringo. G. Der Schlieſsmuſcul.

SPHYGMICA, eſt pars ſemiologiæ, agens de pulſibus, a σφύζω pulſo.

SPHYGMVS, vide *pulſus*.

SPICA, in frumento dicitur totum illud, quo granum continetur, & ad horum ſimilitudinem plantæ quædam ſpicatæ nominantur, vt lauendula, ſpica celtica, indica &c. Tria vero continet, granum, glumam, & ariſtam. Spica mutica eſt, quæ non habet ariſtam, & *mutica* quaſi mutila nominatur. Gr. στάχυς. G. Aehren.

SPICA CELTICA, ſiue NARDVS CELTICA, creſcit in Liguria, Carinthia, Styria, in alpibus Tyrolis, montibusque Pyrenæis, ad ſpithamæ altitudinem: folia fere ſalici ſimilia habet, vnde *ſaliunca* forte dicitur, ſed minora, erigit ſpicam. Huc mittuntur folia cum radice fibroſa, quæ aromaticum ſpirant odorem. G. Celtiſcher Narden.

SPICA INDICA, vide *nardus Indica*.

SPICA, deligationis ſpecies eſt vnius vel vtriusque humeri luxati, alia eſt, cuius faſcia ab vna extremitate voluta eſt; alia quæ ab vtraque.

SPINA DORSI, vocatur columna illa oſſea, a capite ad anum vsque extenſa, ſpinalem medullam continens.

SPINA VENTOSA, barbaris vocatur *flatus*, ſeu *ventus ſpinæ*, *ventoſitas ſpinæ*. Eſt exulceratio circa articulos cum oſſis ſphaceliſmo, cum doloribus in initio magnis, ab inflammatione membranæ medullam in cancellis oſſium continentis, ſubſequente tumore molli, indolente, ex quo aperto ichor acris, ſeroſusque cum corrupto oſſe exit, quod malum imprimis corripit infantes. Vocatur & *caries oſſis*, *teredo*, *pædarthrocace*, quæ vide ſuo loco. G. Beinfreſſer, Beinfäule.

SPINA ALBA, Gr. ἄκανθα λευκή, nomen herba hæc ab albis foliis ſeu lacteis maculis, quibus folia conſperſa ſunt, accepit.

SPINA CHRISTI, ſiue SPINA IVDAICA, eſt paliurus, ſic dicta, quia creditur coronam, qua Chriſtus a Iudæis coronabatur, ex paliuro fuiſſe contextam.

SPINA

SPINACHIA, penult. corr.

Si forſan leuiore placet ſpinachia bruma. Fier. cœn. 133.

Spinachia eſt planta, quæ habet folia ampla, acuta, inciſa, anguloſa, tenera, mollia, ſucculenta, pediculis longis adhærentia, coloris viridis, obſcuri: caules rotundos, fiſtuloſos, ramoſos: flores ſunt apetali, plurimis ſcilicet ſtaminibus conſtantes calici quadrifido inſidentibus, ſed ſteriles; embryones enim innaſcuntur ſpeciebus ſpinachiæ, quæ flore carent, & deinde abeunt in ſemen turbinatum, in capſula nunc eiusdem formæ, nunc cornuta, vel angulata, reconditum: radix eſt ſimplex, tenuis, alba, paruis fibris inſtructa: hæc planta colitur in hortis; eſt olus vulgo notum. Arabicæ factionis Principes *Hiſpanach*, hoc eſt *Hiſpanicum olus* nominauerunt. G. Spinat.

SPINALIS MEDVLLA, vide *medullæ ſpinalis.*

SPINATI MVSCVLI, duo habentur in ceruice, inter ſpinas totam ceruicem occupant, ſuntque longi & ampli. Oriuntur a quinque ſpinis vertebrarum colli, ſeptemque thoracis. In totam inferiorem ſpinæ ſecundæ vertebræ partem valide implantatur. Vſus eſt, extendere vel in poſteriora flectere, & oblique mouere.

SPIRITVS, dicuntur triplices; *animalis* in cerebro; *vitalis* in corde; *naturalis* in hepate; qui dichotomiam amant, *animales* in cerebro, ſed *vitales* & *naturales*, qui idem ſunt, in maſſa ſanguinea collocant. Alii vnicum tantum genus agnoſcunt, iisque hoc nomine venit ſuccus cerebralis. Cui notus eſt ſanguinis circuitus, etiam non ignarus erit, per arterias carotides ſanguinem in cerebri corticalem ſubſtantiam vehi, ibique ſuccum tenuiſſimum ex ſanguine in medullarem ſeu fibroſam ſubſtantiam transcolari; qui latex tandem ad neruos penetrans totum corpus irradiat. Hinc ſatis liquet, vnicum tantum eſſe ſpiritum, vel potius ſuccum *cerebralem*, qui & *neruoſus ſuccus* dicitur: ſpiritus enim dici non meretur. Ille ſuccus, qui iam in omnes partes influxit, partim exhalat, partim iterum per vaſa lymphatica in ductum thoracicum reuehitur. Sunt igitur hi ſpiritus, tenuiſſima, elaboratiſſima, agiliſſima ſanguinis pars, nam in neruis vel celebro vix deprehenditur, niſi mador aliquis albus pellucidus, ſubitiſſime exhalans, nullo modo igne concreſcens: vnde ſunt multo ſubtiliores quam lympha, neque ignem alunt, vti facerent ſpiritus fermentati vegetabilium, neque acres ſunt, eroderent enim neruos illico, quare optime comparari poſſent cum aqua ſubtiliſſima; licet tamen id

id non ſint, vti origo eorum euincit. Vſus iſtius ſucci eſt ſenſibus non tantum inſeruire, ſed & actionibus, ſiue motibus tam voluntariis, quam inuoluntariis, imo & nutritioni. Ceterum notandum eſt multam eſſe æquiuocationem huius nominis in ſchola medica. Hippocraticis ſpiritus ſunt aer vel flatus; quos Eraſiſtratei potiſſimum in arteriis collocabunt: Galenici iam apertius ſanguinem arterioſum nomine ſpirituum deſignabant. Carteſius ſibi finxit nouum genus ſpirituum, inter materiale & immateriale medium: quos impugnauerunt potiſſimum, qui exiſtentiam eorum negauerunt. Propter ambiguitatem nominis plerique hodie illo abſtinent, & potius *fluidum nerueum* id dicunt, quod a cerebro in omnes partes diffunditur. G. Die Lebensgeiſter, der Nervenſafft.

SPIRITVS CHYMICI, ſunt liquores, qui diſtillando non tantum tenuiſſimi ſunt redditi, ſed incorruptibiles & maioris efficaciæ. Sunt triplices, *ſulphurei*, *acidi* & *ſalſi*. *Sulphurei* ſunt, qui facile flammam concipiunt, atque poſt plenariam vegetabilium fermentationem producti ſunt, ac inter deſtillandum decurrunt ſtriatim iuxta latera capitelli; leuiores & mobiliores ſunt quam aqua, & conſtant ex particulis oleoſis, vt eſt ſpiritus vini & omnes ſpiritus ardentes ex baccis ribium, fragorum, ſambuci &c. *Acidi* ſunt, qui conſtant ex particulis acidis & aqua, vt ſunt ſpiritus vitrioli, ſulphuris, ſalis &c. Qui vero ſpiritus non ſunt. *Salſi* ſunt, qui ex ſale volatili & aqua conſtant, vt ſpiritus ſalis armoniaci, ſpiritus vrinæ &c. Alii ſunt ſimplices, vt iam recenſiti; alii *compoſiti ſulphurei*, vt ſpiritus aromatici, ſpiritus diuretici. *Acidi compoſiti*, vt aqua fortis, ſpiritus nitri dulcis, aqua regia &c. *Salini compoſiti*, vt ſal volatile oleoſum, ſpiritus ſalis armoniaci acidus &c. G. Subtile Geiſter, oder Spiritus.

SPLANCHNICA, ſunt medicamenta, aduerſus morbos viſcerum, a σπλάγχνον, viſcus.

SPLANCHNON, eſt viſcus, ſiue pars organica, in magna cauitate contenta.

SPLEN, ſiue LIEN, Gr. σπλὴν, eſt infimi ventris viſcus, a parte ſiniſtra ſitum, poſt ventriculum, rubrum ſeu ſanguinolentum quidem, ſed & ſæpe liuidum, adeo vt obſcure rubeat. Pars ventriculum ſpectans ſima eſt, vbi & vaſa ſanguinea cum neruis & vaſculis lymphaticis conſpiciuntur. Ab altera parte gibba, & lumbis & diaphragmati, & peritonæo adhæret. Interior ſubſtantia conſtat ex plurimis vaſculis intextis.

textis. De vſu eius ab omni æuo diſputant medici, & forte porro diſputabunt. Videantur phyſiologi. Antiquorum ſententias diligentiſſime collegit Lindenius in medicina phyſiologica. Cum lien non habeat emiſſarium, vt alia viſcera, per quod humorem ſingularem ſua fabrica factum emittat, ſed efferat omnia miſta ſimul per ingentem venam lienarem; apparet, quod omnis huius actionis fructus ipſi neutiquam inſeruiat: verum quum omnis ſic confectus humor eat in vnam venam portarum, & hepar; patet vſum ſplenis inſeruire hepati bilem paranti. G. Die Miltz.

SPLENETICA, SPLENICA, ſunt medicamenta, aduerſus ſplenum morbos.

SPLENIA, PLVMACEOLI, ſeu PLAGVLÆ, componuntur, ex linteo, ter quater & quinquies duplicato, quæ vulneribus, vlceribus & fracturis imponuntur. A ſplenis figura, ſplenia dicuntur. Item puluilli, quod puluinaris formam referunt. Differunt ratione figuræ, longitudinis, latitudinis & craſſitiei. Imponuntur interdum ſicca, vel liquore aliquo imbuuntur & madefiunt. G. Plumeſole, Compreſſen.

SPLENII MVSCVLI ſeu TRIANGVLARES, ſunt, qui origine gemina partim a quinque ſpinis vertebrarum colli inferiorum, partim a totidem apicibus vertebrarum thoracis ſuperiorum prodeunt: atque obliquatis nonnihil fibris inſeruntur; caput ad poſteriora trahunt: ſic a laterum figura nomen inditum eſt. G. Die länglichte Muſculn.

SPLENION, eſt ſcolopendriæ ſpecies, dicitur ſpleni, ſeu lieni mederi. Conſtatque ſic inuentum, cum exta ſuper eam proiecta eſſent, fertur adhæſiſſe lieni, eumque exinaniſſe. Ob id a quibusdam *ſplenium* vocatur. Narrant ſues, qui radicem eius edunt, ſine ſplene inueniri. Vide *aſplenium*. G. Miltzkraut.

SPLENITIS, eſt inflammatio, vel obſtructio arterias ſplenicas occupans, cum tumore, dolore ardente obtuſo, febre acuta: vel cum ſenſu ponderis in ſiniſtra hypochondriorum parte. G. Entzündung der Nieren.

SPODIVM, *Dioſcoridi l. 5. c. 85.* σπόδιον, penult. corr. vt ex *Andromachi ſenioris* verſibus *de Vipera* conſtat, de quo *Galenus l. de Theriaca ad Piſonem.* Spodium eſt fauilla eadem ac *pompholyx*, ob grauitatem in pauimentum decidens. Dicitur *ſpodium Græcorum* ad differentiam *ſpodii Arabum*, pro quo officinæ noſtrates *vſtum ebur* ſubſtituunt. *Spodium Græcorum*

vti ſpecie a pompholyge non differt, ita & viribus inter ſe conueniunt. Gr. σπόδιον & σπόδος, *Offic. Nil* vel *nihil gryſeum.* G. Grau Nichts.

SPONDYLIS, vel SPONDYLIVM, eſt panacis Heraclei ſpecies, nomen habet a vertebris vel verticillis netricum; ſed alii malunt ab odoris grauitate, a ſpondyle ſcil. inſecti ſpecie odoris grauis.

SPONDYLVS ſeu VERTEBRA, VERTICILLVS, ſunt oſſa triginta capiti ſubiecta, in medio excauata pro tranſitu medullæ ſpinalis, variis proceſſibus, pro inſertione muſculorum, & foraminibus, pro vaſorum & neruoſorum tranſitu, prædita. Septem collo; duodecim dorſo, quinque lumbis, & ſex oſſi ſacro tribuuntur. Connectuntur per ginglimum. Gr. σπόνδυλος, στροφεῖς, ἀστράγαλοι. G. Die Gelencke im Rückgrade.

SPONGIA, ſpongias inter vegetabilia antiqui olitores vocarunt radiculas illigatas & connexas. Hinc aſparagi ſatiui & altilis radices, multis irretitæ capillamentis coaleſcentes, & inter ſe implicatæ, ac quaſi in vnitatem coeuntes ſpongiolæ, & ſpongiæ, ſpongioſæque appellantur. Sic aliquando muſcus quidam comoſus eſt, in meditullio continens alueolos præduros, vermiculari ſobole inſtructus, ex variis fibrillis villoſis conſtans, vt in cynosbato fieri inquit *Hagedornius* in cynosbatologia.

SPONGIA, eſt muſci marini ſpecies rupibus adnaſcens, ſiue plantæ ſpecies mollis, leuis, poroſa, quæ fungum refert, in mari rupibus adhærens, coloris nunc albicantis, flaueſcentis & ſpadicei, odore & ſapore carens; omnes fere adferuntur ex mari mediterraneo. Huius natura fungis eſt proxima, de vegetabilium marinorum genere, combuſta tamen ad partes animalium accedit, & dat odorem cornu cerui calcinati; per deſtillationem dat ingentem copiam olei & ſalis volatilis. Vera radice firmantur in fundo maris, & quamdiu ibi hærent, habent motum quaſi ſyſtoles & diaſtoles, contrahuntur, & tunc difficulter auelli poſſunt: motum ineſſe negari non poteſt, ſi extracta ex mari, pars vna in aqua, altera vero ſit in aere, pars ſub aqua motum contractilem & diſtractilem retinet. Duo genera ſpongiarum conſtituit Dioſcorides marem atque fœminam, marem denſioribus atque minoribus foraminibus conſtare docet, fœminam maioribus & rotundis; alii tertium addunt, in quibus lapides naſcuntur duriores. Qui credebant ſpongiam

am eſſe animal, dicebant eſſe calculos in eius corpore generatos. G. Badeſchwamm.

SPONGIOSVM OS, idem quod *cribriforme os.*

SPORADICI MORBI, ſunt, qui ſpecie differentes plures homines ſimul vno tempore, & in vna regione infeſtant, a σπείρω ſero.

SPVRII MORBI, aut febres ſpuriæ, pleuritis & angina ſpuria &c. ſunt qui ordinarium typum non abſoluunt.

SPVTVM, eſt liquor ſaliua paulo craſſior, ab amygdalis &c. in os effuſus. Gr. πτύελον. G. Der Mundſchleim.

SQVAMMOSA SVTVRA, vide *lepidoides.*

SQVILLA vide *ſcilla.*

SQINANTHIA, barbaro vocabulo dicitur angina. Vide *angina.*

SQINANTHVM, idem quod *ſchœnanthum.*

SRINT, morbi apud Hungaros familiaris nomen, quo omnis tumor in ore, gutture vel ano inflammatorius indigitatur.

STACHYS, dicta quod verticillato florum ambitu, & orbibus ſpicarum caules cingentibus coronetur. Vide *ſpica.*

STACTE, ſiue gutta, a στάζω ſtillo, ſunt guttæ alicuius gummi, vt ſtyracis, myrrhæ &c. item ſignificat lixiuium per cineres guttatim deſtillans.

STAGMA, ſunt latices, qui deſtillatione impetrantur, a στάζω ſtillo.

STALAGMA, idem quod *ſtagma.*

STALTICA, idem quod *ſcartotica.*

STAMINA, in plantis ſunt qui in medio calycis erumpunt apices: ſic dicta, quod veluti filamenta ab intimo floris ſinu proſiliant. Stamina autem, vtpote nobiliſſimæ plantarum partes, (quamquam viliſſimas abiectiſſimasque Tournefortius habuerit) inter alia generationis organa non vltimum ſortiuntur locum: maſcula quippe in his & multiplicandæ proli idonea virtus eminet, haud ſecus ac in animalium maribus fieri obſeruatur, vbi ſimillimæ his partes ſimili quoque ſcopo inſeruiunt. Componuntur hæc ſtamina capitulis, quæ vulgo apices dicuntur, & caudis; quæ filamenta & columnæ vocantur.

STANNVM, eſt metallum, poſt plumbum molliſſimum, flexile, ductile, facillimo igne liqueſcens & auolans, fumos edens ſulphureos, a parte metallica facile ſeparandos, & fere combuſtiles, per ſe vix ſonorum, candidi coloris & metallorum leuiſſimum, nempe grauitatis, reſpectu aquæ; vt 7321. ad 1000. crudum proprio cum adhærente ſulphure a ſola aqua regia ſoluitur, calcinatione a ſulphure purius & aceto liqueſcit, minimumque ſoluentis requirit: plumbo & antimonio adeo reſiſtit in tigillo docimaſtico, vt quam difficillime inde ſeparari queat, & ne ſic quidem absque auxilio cupri. Chemicis vocatur Iupiter. G. Zinn.

STAPES, eſt oſſiculum paruum in aure interna poſitum, vltimum quatuor oſſiculorum auditus, ſi ſitus ſpectetur, a Veſalio Græcorum literæ Δ ac triangulo ob ſimilitudinem comparatur, ſtapedis nomen habet, quia ſtapedem equeſtrem exactiſſime refert: articulatur extremo apici conuexo roſtri incurui proceſſus longioris incudis, ſeu potius lateri poſteriori conuexo oualis oſſiculi Syluii, mediante parua cauitate capitulo ſtapedis inſculpta, cui os orbiculare ſuperpoſitum eſt: huius ſcilicet ſtapedis bina crura, ſeu latera, tenera, ad capitulum vnita, ſenſim magis a ſe inuicem recedentia, incurua, qua parte ſe inuicem reſpiciunt ſulcata, verſus interiora elongata, efficiunt, vt ſtapes quaſi horizontaliter introrſum procedat, & ad intima tympani pertingat, vbi baſios ſuæ ellipticæ, latæ, planæ, tenuis, teneræ, non foraminulentæ, ſed in pluribus iisque minimis locis præ tenuitate pellucentis, parte conuexa interiora ſpectante (cum altera capitulum reſpiciens concaua ſit) foramen a figura ouale dictum, in parte poſteriori & ſuperna conchæ internæ, e regione membranæ tympani poſitum, habens ſitum ipſi parallelum, & configurationem ſtapedis baſi reſpondentem; replet, & membranulæ tenuiſſimæ, tenerrimæ illud occludenti accreſcit, ſeruata interim mobilitate requiſita, cum hac membrana in adferendis ſonis contremiſcit.

STAPHIS AGRIA, *Dioſcoridi l. 4. c. 156.* *ςαφὶς, ἀγρία,* penultimam corripit:

Τῷ μὲν ἐγὼ πειρήσω αλαλκεῖν ἄγρια φῦλα. *Hom. il. τ.* *ςαφὶς* penult. Genitiui corripit:

Ἄμμιγα δ᾽ ἀγροτέρης ςαφίδος λέπος. ἶσα δὲ δάφνης. *Nicand. in Theriac.*

Staphis

Staphis Agria, delphinii ſpecies eſt, quæ habet caulem ſesquipedem vel duos pedes altum, rectum, rotundum, nigricantem, ramoſum: folia ſunt magna, ampla, in plures partes profunde inciſa, viridia, ricini vel platani folia referentia, pediculis longis adhærentia: flores ſunt polypetali, anomali, ex plurimis nempe petalis diſſimilibus conſtantes, quorum ſuperius in caudam tenuatur, excipitque aliud petalum bifidum, & pariter caudatum; piſtillum medium occupans abit in fructum, in quo veluti in capitulum colliguntur vaginæ ſecundum longitudinem dehiſcentes, ſeminibus fœtæ inſtar paruorum piſorum craſſis, triangularibus, rugoſis, aſperis, arcte ſibi inuicem iunctis & vnitis, extus nigris, intus albeſcentibus aut flaueſcentibus, ſaporis acris, vrentis, amari, valde ingrati; ſemen, quod piper murium aut glirium appellatur, in vſu eſt; ad pediculos arcendos & abigendos, puluis eius capiti & veſtibus inſpergitur: nomen a foliorum diuiſuris accepit, quibus vitem imitatur ſylueſtrem: vocatur & *pedicularis*, quia enecat pediculos: & *pituitaria*, quia manducando ſaliuam pituitoſam elicit. G. Läußkraut, Mäuſepfeffer.

STAPHYLE, idem quod *cion.*

STAPHYLEPARTES, eſt inſtrumentum chirurgicum, quo vuula laxior eleuatur, attollitur, dicitur & σαφυλάγρα. G. Eine Zäpfleinszange.

STAPHYLINOS, eſt *paſtinaca.*

STAPHYLODENDRON, arbor eſt vel arbuſcula denſa, cuius lignum flexile, medulla alba repletum; folia vt plurimum quinque, aliquando ſeptem vni coſtæ adnaſcuntur, ſambuci folia referunt, ſed aliquantulum minora ſunt, in margine dentata: flos eſt roſaceus, pentapetalus, erectus velut in campanam, ſtaminibus quinque fœtus: ouarium in fundo calicis tubis duabus præditum, fit fructus membranaceus, inflatus inſtar veſicæ, diuiſusque in loculamenta fœta ſeminibus nucibus auellanis ſimilibus, cortice ligneo obtectis, ſed tenui, coloris rubicundi, fragili; horum ſubſtantia eſt virideſcens, ſaporis ſubdulcis, inſipidi, & nauſeoſi: gaudet locis humidis præſertim in Heluetia: eſt nux veſicaria, ferens nuces in veſiculas eleuatas. G. Pimpernuß.

STAPHYLOMA, eſt oculi vitium, quando cornea rupta, & tunica vuea ei ſubiecta, acini inſtar excidit, a σαφὶς vua, Latinis *vuatio.*

STATER, eſt nomen ponderis vnciam ſemis pendentis.

STATVS MORBI, vide *acme.*

STEATOCELE, eſt tumor ſcroti ſebaceus, ex στέαρ ſebum, & κήλη tumor.

STEATOMA, eſt tumor propria tunica contentus, originem trahens a materia ſebo ſimili, eiusdem vbique coloris, mollis, ab exiguo principio augmentum paulatim ſumens, digitis difficulter cedens, ab iis remotis facile ad primam magnitudinem rediens, in folliculis panniculi adipoſi plerumque originem habens, ex στέαρ ſebum. G. Ein Speckgeſchwulſt.

STEGNOSIS, eſt pororum conſtrictio & conſtipatio, a στεγνόω conſtipo.

STEGNOTICA, idem quod *aſtringentia.*

STENOTHORACES, vocantur homines diſpoſiti ad phthiſin, qui ſunt anguſto & breuiori thorace, quia breuius eſt interuallum a clauiculis vsque ad extremum ſterni, vel quia pectus anterius eſt nimis planum, ac proinde capacitate anguſtius.

SERCVS, eſt excrementum craſſius, ab alimentis reſiduum, bile permixtum, & nutritioni inutile, quod per inteſtinum rectum & anum excernitur, vocatur item *excrementum alui*, *aluus, merda.* Gr. σκῶρ, κόπρος, ἀποπάτημα, ἀπόδευσις, πάτος, σκύβαλον, G. Koth, Dreck, Miſt.

STERILITAS, idem quod *agonia.*

STERNOHYOIDES, eſt muſculorum par oſſis hyoidis quod recto ductu deorſum mouet, a ſupremo ſterno exterius profectum, in baſin oſſis hyoidis aſcendit, a στέρνον pectus, & ὑοειδὲς os hyoides. G. Bruſtblatsmuſcul.

STERNOIDEI MVSCVLI, idem quod *triangulares muſculi.*

STERNOTHYREOIDES, eſt par muſculorum cartilaginis ſcutiformis, eamque deorſum trahens, a ſuperiore atque interna parte profectum, inferiori ſcutiformis cartilaginis lateri inſeritur, ex στέρνον pectus, & θυρεοειδὲς ſcutiformis.

STERNVM, Gr. στέρνον, eſt os quod in interiore thoracis parte coſtarum cartilaginibus adnatum eſt; conſtat fere ex quatuor oſſibus, in adultis ſæpe in vnum ſolidum os faceſcit; inferius ei cartilago enſiformis adhæret. G. Das Bruſtbein.

STER-

STERNVTAMENTVM, vide *ptarmica.*

STERNVTATIO, Gr. πταρμὸς, a πταίρω ſternuto. Eſt fortis ac ſubita aeris inſpirati & diu retenti efflatio per nares potius quam per os; ſed ita, vt in altum ſublatis viſceribus abdominis, imò altius quam ſolent, per conuulſionem muſculorum abdominalium, tum etiam & pulmonibus fortius conſtrictis, valida ac ſubita exſpiratio ſubſequatur, cum forti pene totius corporis concuſſione, atque ita fit ſternutatio, quæ raro vna vice, plerumque bis vel pluries ſucceſſiue contingit, ſed cum ſæpius repetit, admodum moleſta eſt non modo naribus, a quarum vellicatione incipit, ſed toti corpori & maxime ventri ex illa concuſſione, aliquando cum tuſſi illis in morbis reperitur. Sunt etiam ſani, nares humidas habentes, qui ſæpius de die ſternutant. Sic a ſternutatoriis frequens eſt ſternutatio. G. Das Nieſen.

STERNVTATORIVM, STERNVTAMENTVM, Gr. πταρμικὸν, eſt medicamentum quod naribus inditum, membranæ Schneiderianæ neruos in motus conuulſiuos concitando per ſternutationem quicquid in lacunaribus propinquis hæret, expurgat. G. Nieſpulver.

STERTOR, Gr. ῥόγχος a ῥέγχω ſterto, eſt ſonus inſolitus, qui inter reſpirandum auditur, maxime vexat quosdam moribundos, cum, viribus detritis, loquela abolita eſt. Sed etiam multi inter ſomniandum ſtertunt, ſic vt alios ſecum dormientes excitent; iisque moleſti ſint. In aſthmate vero, apoplexia & epilepſia frequens eſt ſtertor. Sed aſthma nunquam ſine ſtertore, aut ſi gradus minor ſit, ſine ſibilo, ſiue ſonitu paulo arctiore reſpirationem difficilem facit: cum tuſſi denique etiam, ſtertor ſæpe auditur, & tum aſthmatis initium; & in tuſſi etiam ſonus auditur, qui tamen non eſt ſtertor. G. Das Schnarchen.

STIBIALIA, ſunt ex ſtibio ſeu antimonio parata.

STIBIVM, *Dioſcoridi l. 5. c. 99.* ςίμμι, & ςίβι, penult. corr. ob vocalem ante vocalem ſine diphthongi ſuſpicione. Sic dentalia, balauſtia, coccognidium, ſaccharum penidium, ac diapenidium, & ſimilia. Stibium idem quod *antimonium.*

STICTICVM EMPLASTRVM, vox *Officinarum*; rectius ſtypticum, quomodo medicamenta ſtyptica (id eſt adſtringentia) laudantur *Plinio l. 24. c. 13.* Penult. corripit, vt hecticus, practicus, ictericus. Sic Vmbricus, vnde in *Officinis* terra Vmbrica. Sticticum emplaſtrum eſt vulnerarium, fortificans, deſiccatiuum, conſolidans.

STIGMA, eſt cicatrix vnde cutis deformatur, a ϛίζω pungo. G. Brandmal, Narbe.

STILLICIDIVM SVPRA PARTEM, vide *embroche.*

STILLICIDIVM VRINÆ, idem quod *ſtranguria.*

STIMVLANTIA, ſunt medicamenta, quæ motus oſcillatorios fibrarum motricium vaſorum augent, tum motu magno, tum frequentia hos accelerando, vnde per vaſorum crebriores & maiores contractiones liquida intus contenta velocius propelluntur; vnde ſtimulantia non mouent liquida, niſi per ſecundam cauſam.

STIPES, eſt pars plantæ inter radicem & ramos, idemque quod caulis.

STIPVLÆ, ſunt folia culmum ambientia.

STOEBE, eſt ſpecies ſcabioſæ, iaceæ &c. dici volunt a ϛοιϐάζειν inſtipando, cogendo: forte quia iuxta vias calcandas ſuccreſcat.

STOECHAS, adis, de qua ita *Dioſcorides l. 3. c. 31.* Στιχὰς γεννᾶται μὲν ἐν ταῖς κατὰ Γαλατίαν νήσοις ἀντικρὺ Μασσαλίας, καλȣμέναις δὲ Στιχάσιν, ὅθεν καὶ τὴν ἐπωνυμίαν ἔσχηκε. Igitur autem penult. corr. quia,

Stœchados arua tenens, nec non & Graia Iuuentus. Lucan. lib. 3.

Stoechas & Stichas eſt planta arabica ſpicata, arbuſculam referens, plures habens caules vel virgas ſesquipedem vel duos pedes altas, lignoſas, in ramos diuiſas: folia lauendulam referunt, ſed non tam magna, anguſta, ſpiſſa, craſſa, denſa: flos monopetalus eſt, labiatus, cuius labium ſuperius erectum eſt, bifidumque, inferius vero tripartitum, ſic tamen ſecantur ambo, vt primo aſpectu flos quinquepartitus videatur, flores varia ſerie diſponuntur in capitulis ſquamoſis, e quorum cacumine aliquot foliola eminent viſui grata, quæ Cluſius membranaceas ligulas vocat: ex calice autem ſurgit piſtillum, poſticæ floris parti ad inſtar claui infixum, ac quatuor veluti embryonibus ſtipatum, qui deinde abeunt in totidem ſemina fere rotunda, nigricantia, in capſula, quæ floris calix fuit, incluſa: radix lignoſa: tota planta eſt odoris aromatici, ſaporis acris ſubamari: colitur in hortis. Arabicæ factionis authores patriam ſtœchada reliquis omnibus prætulerunt, hinc Arabicam pro optima dicimus, quamquam & apud nos in hortis colitur, &

& paſſim in calidis regionibus prouenit. Sunt qui rectius *Stachyn*, quaſi ſpicam, dici exiſtiment.

STOLONES, vocatur coliculorum ſoboles, inutilisque e radicibus fruticatio, quibus euulſis plantantur coryli &c. Vide *nodus*.

STOMA OS, ſeu cauitas, lingua, dentibus, palato &c. præditum. Item, oſcula vaſorum dehiſcentia, dicuntur *ſtomata* & *ora*. G. Mund.

STOMACACE, eſt ſcorbuti ſymptoma, illud ob oris male olentis & putridi vitium cum gingiuarum eroſionibus, & ſpontaneis hæmorragiis ex vaſculis gingiuarum, tum & in illis gangræna, dicitur. G. Mundfäule.

STOMACHICA, ſunt medicamenta, aduerſus ſtomachi morbos.

STOMACHVS, quandoque ſumitur pro toto ſtomacho, verum ſtricte refertur ad ſiniſtrum & ſuperius ventriculi orificium, quod eſt œſophagi terminus in ventriculum, ſiue œſophagus continuatus; ſitum eſt magis ad vndecimam thoracis ſpinæ vertebram, quam cartilagini enſiformi propinquius, perpendiculari linea ventriculi medio fere incumbit; eſtque cibis recipiendis deſtinatum, & plurimis neruis ex ramo paris vagi & intercoſtalis intertextum. G. Der Magen.

STORAX, *acis*, & *ſtyrax*, *acis*, penult. genitiui corr.

Non ſtorace Idæo flagrantes picta capillos. *Virg. in Cir.*
Aut ſtyracem torres, aut diri vulturis alam. *Seren. tit. ſerp. morſ.*

Andromachus quoque apud *Galenum l. de Theriaca* penult. in *στύρακος* corripuit.

STRABISMVS, STRABILISMVS & STRABOSITAS, eſt oculi ſpaſmus, quo pupilla verſus nares, vel tempora, vel frontem, vel genas trahitur: ita vt obiecta cerni nequeant e directo, ſed in contrarium flexo oculo. Eſt vero hic ſpaſmus plerumque perpetuus, vel in vno tantum, vel in vtroque oculo, atque iis verſus vnam partem, vel altero verſus contrarium, contortis. Cauſa non tantum a ſpaſmo, ſed a relaxatione, paralyſi, nimia muſculorum oculos mouentium longitudine, aut breuitate &c. a *στραβίζω* ſum oculis diſtortis. G. Das Schielen.

STRAMONIA, *pomum ſpinoſum*, *malum ſpinoſum*, *nux methel*, *datura*, ſynonyma ſunt: eſt planta, quæ habet caulem duos circiter pedes altum, digiti craſſitiei, in ramos diuiſum:

folia

folia ampla, lata, anguloſa, acuta, ſolanum referentia, ſed maiora, mollia, pinguia, graueolentia, ſummam narcoſin ſpirantia: flores ſunt monopetali, pentagoni, infundibuliformes, oblongi: piſtillum fit capſula ſeminalis aculeis donata, quadrangularis, in quaterna loculamenta diuiſa ſepto cruciformi, in quorum ſingulis eſt placenta, cui ſemina adnaſcuntur plurima, reniformia: colitur in hortis. G. Stechapfel.

STRANGVRIA, ſiue VRINÆ STILLICIDIVM, eſt, quando vrina guttatim cum dolore & ardore ſtillat, cui adeſt indeſinens mingendi conatus, fit autem vel ex potu, &, vt paſſim creditur, diuerſo, vna vice hauſto; vel gonorrhœa, in dyſuria, veſicæ calculo, & cauſa eſt, quod materia mucoſa, quæ naturaliter oblinit interne veſicam, ne ab acrimonia vrinæ erodatur, abraſa ſit a tunica veſicæ, vel ſecerni impediatur ex ſanguine, vnde nuda hæc tunica ab acrimonia vrinæ exeditur, & ſenſum hunc excitat moleſtum, &c. ex στράγξ gutta, & οὖρον vrina. G. Kalte Piſſe, Harnwinde.

STRATIFICATIO, eſt corroſio per pulueres corroſiuos; fit cum crucibulum, metallo laminato & pulueribus corroſiuis repletur, faciendo S. S. S. hoc eſt *ſtratum ſuper ſtratum*: hoc fit ponendo aliquid de puluere corroſiuo in crucibulum, & huic ſuperſternendo tenuem laminam corporis metallici, & ſic pergendo, donec vas repleatur, poſtea ponuntur carbones per circuitum, vel datur ignis reuerberii paulatim augendo, vt res poſtulat.

STRATIOTES, vide *millefolium*, & *militaris*, a στρατεύω milito. στρατιώτης eſt miles.

STRATVM SVPRA STRATVM, vide *ſtratificatio.*

STRIAE, in plantis partes ſunt quædam quæ protuberant & eminent. Hinc ſtriatus caulis, qui huiusmodi ſtriis ſeu fibris longitudinalibus eminentibus eſt præditus, aut ſtriaturis eſt exaſperatus. *Strigiles* etiam, ſi Vitruuio credimus, appellantur.

STRICTOR ſeu CONSTRICTOR, idem quod *ſphincter.*

STROBILIVS, eſt articoealus ſeu ſcolymus: ſic dicitur quod eius capitulum ſtructili nucleorum ſerie pineam nucem referre videtur, a Στροβὸς vertex, turbo. Vide *articoealus.*

STRVMA, idem quod *ſcrophula.*

STRV-

STRVTHIVM, vide *ſaponaria.*

STRYCHNOS, STRYCHNON, Gr. Στρύχνος, vide *ſolanum.*

STRYPHNA, vide *aſtringentia.*

STVPEFACIENTIA, idem quod *narcotica.*

STVPHA, idem quod *laconicum balneum* vel *ſudatorium* aut *vaporarium.*

STVPA, STVPPA eſt linteolum, vel linum mollius crudum, cuius vſus eſt in deligationibus.

STVPOR, eſt ſenſus tactus obtuſus, inductus à neruorum compreſſione vel obſtructione, ita vt ſpiritus animales functionibus ſuis fungi non poſſint, vt in paralyſi. Vel quando quis ex caſu, lapſu aut alia plaga in caput ſtupet, & talis ſtupor vocatur Gr. ἔκπληξις. Idem fit in *hæmodia dentium.* Vel quando pes, brachium, diu in eodem ſitu retinentur, & muſculos premendo, influxus ſanguinis & ſpirituum in eos non bene proceſſerit; dicuntur dormire, & quando remittuntur, punctionis ſenſus ſubſequitur. G. Erſtarrung, Unempfindlichkeit.

STYLVS, vide *piſtillum.*

STYLOCERATOHYOIDES, ſunt muſculi oſſis hyoidis oblique ſurſum trahentes, oriuntur a ſtyliformis appendice externa, hincque in oſſis hyoidis cornua porriguntur, ex ςύλος ſtylus, & κέρας, & ὑοειδής.

STYLOGLOSSVM, eſt par muſculorum linguam attollens, a ſtyliformi appendice natum, quod circa linguæ medium inſeritur, ex ςύλος ſtylus, & γλῶσσα lingua.

STYLOHYOIDES, idem quod *ſtyloceratohyoides.*

STYLOIDES, ſeu BELENOIDES, ſunt proceſſus oſſei ſtyliformes, poſterius baſi ipſius cranii infixi, ex ςύλος ſtylus, & εἶδος forma.

STYLOPHARYNGÆVS, eſt par muſculorum gulam dilatans; ab appendice ſtyliformi deſcendens, in gulæ latera exporrigitur, ex ςύλος ſtylus, & φάρυγξ gula.

STYPTICA, idem quod *aſtringentia*, a ςύφω aſtringo.

STYRAX, ſiue STORAX, eſt *ſiccus* & *liquidus*, ſiccus dicitur *calamita*, a cannarum calamis ſic dicta, in quibus olim ex Pamphilia apportabatur. Eſt gummi alicuius arboris betulæ vel cydonio non abſimilis, ſed folia habet minora, oblonga, firma, ſuperius viridia, inferius alba, & lanuginoſa: flos eſt monopetalus, albus, parte inferiore tubulata, ſuperiore

multifida, inſtar ſtellæ expanſilibus laciniis: ouarium ex centro calicis dentati, multifidi, ampulloſi, fit fructus ſubrotundus, auellanæ nucis magnitudine, albus, cortice carnoſo obtectus, ſaporis aliquantulum amari, vno vel altero oſſiculo plerumque fœtus, in quo continetur nucleus medulloſus, oleoſus, ſaporis ingrati. Ex cortice ſtillat illud gummi ſeu reſina, quæ concreſcens odoris eſt ſuauiſſimi. Fertur ad nos non in cannis, vt olim, ſed in globulos concretus. Venit ex Syria, Cilicia, Phamphilia &c. Debet eſſe pinguis, lentus, fragmentis albicantibus ruffeſcens, vel flauus, odore perſeueranti, qui dum mollitur, melleum liquorem reddit. *Styrax* porro *liquidus*, inſtar terebinthinæ ſpiſſus eſt & graueolens. Vnde veniat necdum ita planum: quidam putant eſſe factitium quid, alii quod ex fructibus & corticibus eiusdem arboris exprimatur. Alii eſſe myrrham ſtacten. Gr. *Στύραξ*.

SVBACTIO, eſt, quando res quædam manibus tractatur; & dicitur de miſtione & emollitione emplaſtrorum ceræ & ſimilium maſſarum, manibus vel in mortario cum piſtillo facta. Vox hæc etiam vſurpatur, dum cibos in ventriculo ſolutos, & cum omnibus liquoribus tum ingeſtis externe, tum interius hoſpitantibus permiſtos tam bene conſpicimus, vt modo vna maſſa vniformis appareat: ſic etiam chylus in ſanguinem infuſus, integre cum eo miſtus, vocatur ſubactus. G. Durchkneten.

SVBCARTILAGINEVM, idem quod *hypochondrium*.

SVBCLAVIA VASA, ſunt venæ & arteriæ, quæ ſub clauicula tranſeunt, & maiores ſunt, qualis eſt illa vtrinque vena, in quam vnam hiat ductus thoracicus inferne & ſiniſtrorſum, modo & ſuperne vena iugularis; tum & omnes venæ brachiorum; & qualis eſt illa arteria vtrinque, quæ ex aorta oriunda proſpicit mammis & brachiis.

SVBCLAVIVS MVSCVLVS, ita dictus quod ſub clauicula ſitus ſit, ſpacium replet inter clauiculam & primam coſtam. Oritur carnoſus a parte interiore & inferiore clauiculæ; inſeritur carnoſus in partem ſuperiorem primæ coſtæ, quam ſurſum & extrorſum trahit. G. Der Schlüſſelbeinsmuſcul.

SVBER, eſt arbor mediocris magnitudinis quercui ſatis ſimilis, parum ramoſa, ſed truncus eſt craſſior, & corticem habet multo craſſiorem, valde leuem, ſpongioſum, coloris ex griſeo flaueſcentis, facile fiſſilem, & ab arbore ſeparabilem,

quia

quia a ſuppoſito nouo cortice propellitur foras: incolæ regionum, in quibus ſuber occurrit, circumſcindunt arborem, qua ſtipes, telluri committitur ad lignoſam vsque materiam, aut vsque ad nouum ſubtus naſcentem corticem, pariterque in ſummis humeris, antequam in brachia diuidat ſeſe arbor, mox a ſummo ad imum finditur & detrahitur cortex. Hic deinde in fruſta diſſectus diuerſæ magnitudinis, & craſſitiei aquæ committitur, lapidibusque oneratur, vt hoc mediante quaſi prælo denſior minusque poroſus euadat, & admodum planus reddatur. Quo facto exſiccatur, & per omnem fere terram diſtribuitur & diuenditur. Arbores interim non intereunt, ſed nouo cortice teguntur, qui in tantam craſſitiem excreſcit, vt vlnam & vltra, ſi fides authoribus eſt habenda, ſuperet. Gr. φελλός. G. Korckbaum, Pantoffelholtz.

SVBETH AVICENNÆ, idem quod *coma.*

SVBLIGACVLVM, idem quod *bracherium.* Vide *amma.*

SVBLIMAMENTVM, idem quod *enæorema.*

SVBLIMATIO, eſt ſicca ſubtiliorum partium per ignem in ſublime eleuatarum, & vaſi adhærentium deſtillatio. Vti ſunt mercurius dulcis &c. ſignificat quoque exaltationem alicuius rei, quando a debiliori ſtatu res in ſtatum maiorum virium eleuatur. G. Erhöhung, ſublimiren.

SVBLIMATORIVM, eſt inſtrumentum vitreum vel figulinum, inſtar cucurbitæ cum capitello non roſtrato, in quo res volatiles & ſiccæ in altum eleuantur, vti ſunt mercurius ſublimatus, cinnabaris, fl. ſalis armoniaci &c. nomen habet a ſublimando, inde *ſublimatum*, materia ignis ope eleuata; & *ſublimatorium*, inſtrumentum quo eleuatur. G. Ein Sublimier-gefäße.

SVBLIMATVM, eſt res eleuata per ignem, vti flores ſulphuris &c. G. Sublimat.

SVBLIMIS MVSCVLVS, idem quod *perforatus.*

SVBLINGVALES GLANDVLÆ, ſunt duæ ſub lingua poſitæ, a Bartholino inuentæ, quæ ad apicem linguæ ductum in os apertum emittunt, per quem ſaliuam in ſua fabrica ſecretam emittunt.

SVBLINGVALES PILVLÆ, ſiue hypoglottides, ſunt quæ ſub lingua collocantur, ad bonum halitum, ad tuſſim &c.

SVBLVXATIO, ſiue elongatio, eſt quando os paulu-lum tantum promouetur a ſinu: ita vt non omnino ex illo exciderit; vel eſt oſſis alicuius de loco ſuo aliqualis dimotio. G. Das Verrencken, Verrucken.

SVBSCAPVLARIS MVSCVLVS, vide *infraſcapularis.*

SVBSIDENTIA, idem quod *hypoſtaſis* & *ſedimentum.*

SVBTILISATIO, Chymicis dicitur diſſolutio, qua partes craſſiores a ſubtilioribus ſeparantur. Illa eſt quando corpora breui temporis ſpatio diſſoluuntur, eſtque iterum duplex, *eleuatio* vel *deſcenſio.* Hæc dicitur, qua tempore longiore res diſſoluit. Eſtque *exaltatio* & *digeſtio.*

SVBVOLA, idem quod *hypothenar.*

SVCCAGO, vide *apochyliſma.*

SVCCEDANEVM, idem quod *antiballomenon.*

SVCCENTVRIATI RENES, vide *capſulæ atrabilares.*

SVCCINVM, penult. corr.

Quid myrtus, quid meſſor Arabs, quid ſuccina trita?
Martial. l. 3. ep. 69.

Succina virginea quod religata manu. Mart. l. 11. ep. 9.

Succinum, a quibusdam inter mineralia recenſetur; quamquam alii ipſi vegetabilem originem adſcribunt. Colore differt, habetur enim *album, flauum, citrinum* & *nigrum*, quod omnium vilius eſt, ſed album omnibus eſt præferendum Chymica analyſis docet, *ſuccinum* ex multo oleo, pauca aciditate, & magna ſalis volatilis parte conſtare. Iuxta nonnullos ſuccinum ex arboribus ſtillat, & ratione originis eſt lacryma aut reſina arborum reſiniferarum pini, abietis, alni, populi, in mare defluens & ab eodem congelata & ad littora delata: ſed melius videntur iudicare illi, qui ſtatuunt ſuccinum eſſe bituminis ſubterranei ſpeciem ſcaturientem vel e fundo maris, vel in prope poſitis locis. Potiſſimum inuenitur in regionibus ad mare Balticum ſitis, Pruſſia præprimis, & Pomerania; in primo ortu ſuccinum liquidum eſt, quod teſtari videntur varia animalcula, quæ inuoluta in eo reperiuntur, vti muſcæ, culices, araneæ, feſtucæ &c. in rarioribus habetur etiam fruſtum, in cuius cauo liquidum, mobile, bituminoſum datur, vnde euidenter patet ſuccinum in ſua origine fuiſſe liquidum, & ſulphuris bituminoſi eſſe progeniem, nam in igne ardet & fluit. Docet inſuper analyſis chemica ſale acido liquido, imo & concreſcen-

te in glebas, adeoque forma ſolida, conſtare, tum & oleo foſſili, quod quam proxime petroleum refert. Dicitur *ambra*; *electrum*; *carabe*; *gleſſum*. G. Agſtein, Bernſtein.

SVCCISA, penult. prod. quod radix eius humano generi ſalutaris, vulgo exiſtimetur ab inuido Dæmone *ſuccisa* eſſe, vnde morſus Diaboli nomen quoque inuenit. Succiſa, vide *morſus diaboli.*

SVCCOLATA Inda, a faba, cui ſuccola nomen, ſic appellata; penult. producet, vt a creta cretatus, a, ab argento argentatus, a, a toga, togatus, a, a ſiſtro, ſiſtratus apud *Martialem*. Sic a Marmelos de Bengala (id eſt, cydonio exotico) eſt confectio *Marmelata*; a pomo eſt pomata *Officinarum*. Vide *chocolata*.

SVCCOTRINA ALOE, dicitur quibusdam quaſi conſtans ex ſucco citrino, quia puluerem præbet crocei coloris; vel denominatio venit ab inſula *Socotra* vbi copioſe creſcit. Vide *aloe*.

SVCCVBVS, vide *ephialtes*.

SVCCVS, ſucci in officinis vocantur expreſſi liquores, ſeu expreſſæ eſſentiæ ex radicibus, foliis, floribus, fructibus &c. ſucci aliquando in ſpiſſam condenſantur conſiſtentiam, euaporando nempe, vt ſuccus glycyrrhizæ, acaciæ, hypociſtidis, &c. item, qui ex arbore, vel frutice ſauciatis emanat, vt ſuccus vitis, betulæ &c. G. Safft.

SVCCVS CEREBRALIS, NERVOSVS, vide *ſpiritus*.

SVCCVS PANCREATICVS, vide in *callicreas* & *ductus pancreaticus*.

SVCCVS NVTRITIVS, idem quod *chylus*.

SVCTIO, eſt ea actio, quia infans, ore papillam vberis materni amplectens, velum pendulum palatinum per muſculos pterygoſtaphylinos applicat foramini narium interno, idque exacte claudit, tum genas gingiuis immediate apponit, lingua aerem in cauo palatino contentum deglutit, eam palato adducendo, tum os anterius vacuum habens, lac ex vberibus maternis in hunc locum minus reſiſtentem pulſum ab aere externo, recipit. G. Das Saugen.

SVDAMINA, Gr. ἱδρῶα, ſunt exanthemata in ſumma cute corporis hærentia, granis milii ſimillima, quæ ἑλκώδως cutem exaſperant, a *Plinio* papulæ ſudorum appellantur. Affectus familiaris eſt pueris & iuuenibus, præſertim temperamento calidioribus, qui æſtatis tempore nimis mouentur, & exercentur,

centur, in collo, ſcapulis, pectore, brachiis, & femoribus, frequentius tamen circa pudenda & anum accidens. G. Schweiß-blätterlein. Vide *hidroa*.

SVDATIO, eſt ſudoris eruptio, hoc eſt, materiæ fluidæ ex vaſculis quibusdam paruis extus in cuticula totius corporis terminatis, ſub ſpecie paruarum guttularum, quæ fit a morbo, ab exercitio, aut medicamentis diaphoreticis. Gr. ἵδρωσις. G. Das Schwitzen.

SVDOR, eſt humor aquoſus, ex plurima aqua, mediocri ſulphure & ſale conſtans, caloris & motus corporis vehementioris ope, interdum quoque & ſanguinis fluiditate & tenuitate per cutis poros, ſiue glandulas, aut tubulos lymphaticos, expulſus, qui in cute in guttas colligitur. Iſtum humorem, cutis glandulæ, ſi calor fuerit paulo intenſior, a ſanguine ſeparant, qui deinde per lymphatica vaſa, & tubulos foras erumpit. Gr. ἱδρώς. G. Schweiß.

SVDOR ANGLICVS, ſiue HYDRONOSOS, & HYDROPYRETOS, in Anglia febris eſt ſpecies, qua quis vnico die liberatur vel moritur, vagabunda eſt & contagioſa, finitur vt plurimum per ſudorem, vnde & febrem etiam *ſudorem* appellant incolæ. Quibus per ſudorem ſoluitur, fere omnes euadunt, ſin minus, maxima pars perit. G. Schweiß-fieber.

SVDORIFERA, vide *hidrotica*.

SVFFIMENTVM, SVFFITVS, eſt puluis craſſiuſculus, ex plurimis odoriferis paratus, qui ſuper carbones viuos iniectus, non ingratum odorem & fumum a ſe diffundit. Inſeruitque vel aerem inquinatum depurando vel morbos quosdam profligando; ſic per ſuffitum rerum adſtringentium curantur hæmorrhoides externæ, coryza narium, odontalgia, &c. nonnulli quoque per ſuffitum mercurii ſaliuationem excitare ſoliti fuerunt. Vocatur *Suffitio, Suffimen*. Gr. θυμίαμα, θυμίασις. G. Das Räuchern.

SVFFOCATIO VTERINA, vide *hyſterica paſſio*.

SVFFRVTICES, ſunt plantæ, quæ compluribus ramulis, ſurculisque lignoſis ſcatent, ſed minutis conſtant foliis.

SVFFVMIGABVLVM, eſt inſtrumentum, quo vtimur in ſuffimentis accendendis. G. Rauchfaß.

SVF-

SVFFVSIO, vide *hypochyma* & *catarracta*.

SVGILLATA, SVGILLATIO, vide *enchymoma*.

SVLPHVR, eſt reſina, ſiue terræ pinguedo vitriolica, aciditate grauida, igne liqueſcens & in aere aperto inflammabilis, totum deflagrans cum flamma cærulea, & vapore volatili, animalibus lethali: in vaſe clauſo totum & immutatum ab igne eleuatur ſulphur, aquæ non miſcibile, neutiquam malleabile, & in forma ſicca friabile. *Natiuum* ſeu *viuum* proſtat in officinis & *factitium*. *Natiuum* ex terra effoditur, purum, ſolidum, interdum impurum & mineris interſperſum. *Factitium* vel ex viuo ſulphure impuriori vi ignis educitur, vel ex aquis ſulphureis excoquitur. *Sulphur caballinum* fæces ſunt e coctione ſulphuris viui impurioris relictæ & in vrceos, admixtis nonnunquam ſquamnis martis, transfuſæ. Adhæreſcunt quoque interdum quædam ſtriæ ſulphureæ camino, vbi vitriolum ex ſua vena excoquitur, quæ nihil aliud ſunt, quam ſulphuris flores ex vitriolo, dum excoquitur, eleuati. Horum copiam exhibet Suecia ſat magnam. Exhibet chymia & artificialia ſulphura, ex antimonio, cinnabare &c. Elegatur colore optime flaueſcens, facile inflammabile, luculenter ardens, fumumque magis cæruleum halans. Gr. θεῖον. G. Schwefel. Omnia etiam olea, reſinæ, adipes & pinguedines chymicis ſub nomine ſulphuris veniunt, ſiue ex vegetabilibus, ſiue ex animalibus; imo omne, quidquid eſt inflammabile, ſulphur habet.

SVLPHVR COELESTE, eſt alcohol vini.

SVMACH, eſt vox Arabica: idem quod *rhus*.

SVMMITATES, ſeu COMÆ, aut CORYMBI, ſunt cacuminula herbarum, & dicuntur de herbis foliorum minutiorum, vt abſinthii, centaurii &c. G. Das oberſte an Kräutern.

SVPERBVS MVSCVLVS, eſt is, qui oculum attollit, ſuperius locatus & ex quatuor rectis vnus: oritur iuxta foramen vbi neruus opticus oculi orbitam intrat, venter ei carnoſus eſt & teres: finis tendo tenuiſſimus eſt, ad corneam porrectus. G. Der hoffärtige Muſcul.

SVPERCILIVM, dicitur quod *ſuper cilium* ſit. Gr. ἐπισκύνιον & ὀφρύς. *Supercilia* ſunt duo arcus circa oculi orbitam ſuperiorem, compoſiti ex pilis conicis, rigidiſſimis, radices habentibus verſus nares, apices verſus tempora: radices eorum inhærent glandulis ſub cute ſitis bulboſis, ex vltimis neruo-

rum finibus producuntur; excipiunt quæcunque corpora a capite defluunt, ne in oculos delabantur. G. Die Augenbrane, Augenwimper. Partes ad ſinuum orbem inſtar labrorum circa oſſa prominentes, & ſinus cauitatem augentes, *ſupercilia* quoque dicuntur & *labra.*

SVPERFOETATIO, ſeu EPICYEMA, eſt cum poſt conceptum fœtum, intercurrente aliquo tempore, ex congreſſu iterum nouus concipitur, vnde partus quoque non vno, ſed diuerſo tempore horum duorum euenit, cuius exempla apud *Sennertum* alioſque proſtant.

SVPERGEMINALIS, idem quod *epididymis.*

SVPERHVMERALIS, idem quod *epomis.*

SVPERIMPRÆGNATIO, idem quod *ſuperfœtatio.*

SVPERPVRGATIO, vide *hypercatharſis.*

SVPERSCAPVLARIS SVPERIOR, idem quod *Supraſpinatus.*

SVPERCAPSVLARIS INFERIOR, idem quod *infraſpinatus.*

SVPINATOR MVSCVLVS, eſt duplex, amboque mouent radium. Primus eſt *ſupinator longus*, ab extremo humeri oſſis tuberculo, ad radii apicem tendine membranaceo, funiculoſo ac valido deſcendit ad inferiorem. Alter *breuis* & *ſupinator*, ab extremo brachii proceſſu emergens, circa radii medium tendinens vt ſupra, deſinit. Hi ambo radium extrorſum mouent.

SVPPLANTALIA ſiue HYPOPEDIA, ſunt medicamenta externa, quæ in formam cataplaſmatis pedibus alligantur: componuntur vt plurimum, ex fermento acido, ſinapi, raphano ſilueſtri, ſale, ſapone, puluere pyrio &c. G. Fußumſchlag.

SVPPOSITORIVM, a *ſupponendo*, dicitur & *glans* & *balanus*, eſt medicamentum rotundum, longitudine digiti medii in adultis: in pueris digiti minimi aut paulo minus, ex melle, ſale, & ſpeciebus purgantibus, vt plurimum confectum, quod ano inſeritur. G. Stulzäpflein.

SVPPRESSIO MENSIVM, eſt, quando mulierum menſium expurgatio ceſſat, ſiue a morbo, ſiue ab impragnatione, aut lactatione. G. Stillſtand des Monatfluſſes.

SVPPRESSIO VRINÆ, idem quod *iſchuria.*

SVP-

SVPPRESSIONIS IGNIS, eſt terminus chemicus, quando vas deſtillatorium in arena poſitum, non tantum excipit ignem inferne, ſed maioris effectus ergo ponitur quoque ignis ſupra arenam.

SVPPVRANTIA, ſunt ea quæ alicuius loci vaſcula a ſuo liquido obſtructa, rumpunt, liquidum effundunt, idque cum ſolidis fractis miſcent, liquidiſſimum diſſipant, reliquum mouent & coquunt in materiam albam, craſſiuſculam, pus dictam. G. Eiter machende Mittel.

SVPPVRATIO, vide *abſceſſus*.

SVPRASPINATVS MVSCVLVS, ſiue SVPERSCAPVLARIS SVPERIOR, aliis *rotundus minor*, ſupra axillam carnoſus & oblongus implet cauitatem inter coſtam ſcapulæ ſuperiorem, & eiusdem ſpinam, e qua naſcitur. Inſeritur vero tendine lato & valido ceruici humeri ad articuli ligamentum, articulum primum ſuperuectus. Brachium ad exteriora circumagere retrorſum videtur.

SVRA, eſt poſterior, intra genu & pedem infimum, maxime carnoſa & extuberans pars. Gr. γαςροκνημία. G. Die Waden am Schenckel. Item *os* ſignificat *fibulæ*. Vide *fibulæ os*.

SVRCVLVS, eſt quod ex ramis ſimplex ac indiuiduum oritur, eſtque velut germen quoddam ex ipſo trunco vel ſcaudice productum.

SVRDITAS, idem quod *cophoſis*.

SVSPIRIVM, eſt cum magno nixu profunda reſpiratio fit, rurſumque cum ſonitu efflatur ſuſceptus aer. Hoc euenit triſtibus & iis, qui ſæpe contriſtantur, in conſuetudinem transeunt, vt etiam inſcii, & ſine triſtitia ſuſpirent in morbo quoque, melancholico, in cachexia, in debili valetudine, & maxime cum quis ab animi deliquio reuertitur: fœminæ quoque magis ſuſpiriis afficiuntur quam viri. Gr. στεναγμὸς & στεναχή. G. Seufftzer.

SVSVRRVS, idem quod *tinnitus*.

SVTORIVM ATRAMENTVM, idem quod *vitriolum*.

SVTVRA OSSIVM, eſt connexionis ſpecies, imitans compagem duarum ſerrarum, vel veſtium ex plurimis pannis laceris compoſitionem. In cranio ſuturæ ſunt coronalis, ſagittalis, lambdoides & mendoſa. Commiſſuræ etiam cranii vocantur. Gr. ῥαφαὶ, συμβολαὶ, γραμμαί. G. Eine Fuge, Nath.

SVTVRA, eſt connexio labiorum vulneris aut aliarum partium mollium, quæ duplex eſt; *actualis* quæ fit acu triangulari, cannula & filo cerato; & *potentialis*, ſiue emplaſtro firmiter conglutinante, quæ vocatur ſutura per glutinum. Suturæ hæ, circa corpora aut vulnera tenera adhibentur, quæ acum non ferunt: de modo & apparatu huc pertinente, videndi ſunt chirurgiæ ſcriptores. G. Eine Nath, Häfftung.

SYCAMINOS, & SYCAMINEA, vide *morus*.

SYCE, Gr. σύκη, συκέη, ficus arbor, σῦκον ficus fructus.

SYCOMA, idem quod *ſycoſis*.

SYCOMORVS, ſic dicitur, quod cum ficu & more ſimilitudinem habeat.

SYCOSIS, SYCOMA, MARISCA, ſeu FICVS, eſt carnis excreſcentia circa anum, a ficus ſimilitudine appellata. Eſt etiam vlcus, quod a fici ſimilitudine σύκωσις a Gr. nominatur, quia caro in eo excreſcit: & id quidem generale eſt. Sub eo vero duæ ſpecies ſunt. Altera vlcus durum & rotundum eſt: altera humidum & æquale. Ex duro exiguum quiddam & glutinoſum exit: ex humido plus & mali odoris. Fit vtrumque in iis partibus, quæ pilis conteguntur: ſed id, quod calloſum & rotundum eſt, maxime in barba; id vero quod humidum, præcipue in capillo, a συκῆ ficus. G. Feigwartzen.

SYDERATIO, vide *apoplexia*.

SYLVÆ MATER, vide *matriſylua*.

SYMMETRIA, eſt bona temperies, ſiue pars ſanitatis, in conueniente qualitatum conſtitutione conſiſtens, ex σύν cum, & μέτρον menſura. G. Mäßigkeit.

SYMPASMA, idem quod *catapaſma*.

SYMPATHIA, eſt morbus ab alio morbo dependens. Vt ſi quis nephritide laboret, per conſenſum ſæpe vomitus eſt. Sic a pleuritide, ſpirandi difficultas ſubſequitur, a συμπάσχω compatior. G. Mitleiden.

SYMPATHETICVS, dicitur de vitrioli puluere, quo vulnera ſanantur, modo ſanguinem attingat, de quo integrum librum ſcripſit *Kenelmus Digbæus*. G. Sympathetiſch Pulver.

SYMPEPSIS, eſt humorum in abſceſſum abeuntium coctio, a συμπέπτω concoquo.

SYMPHONIA, idem quod *harmonia*.

SYMPHYSIS, eſt oſſium coalitio, quæ fit abſque motu, & duo tamen oſſa ſe inuicem tangunt, vel ad ſe mutuo appropinquant; eſtque vel abſque medio, vt *rhaphe*, *harmonia*, *gomphoſis*: vel per medium, vt in cartilagine, ligamento, carne, a συμφύω concreſco. G. Anwachs.

SYMPHYTON, vide *emphyton*.

SYMPHITVM, (vnde Syrupus de ſymphyto) *Dioſcoridi l. 4. c. 9. & 10.* σύμφυτον, penult. corr. vt φυτόν:

Τὸν μὲν ἐγὼ τρέψασα φυτὸν ὥς, γουνῷ ἀλωῆς.

id eſt,

Hunc quidem educatum velut plantam in fertili terra.

Homer. Il. σ.

Πυροφόροι, πολλοὶ δὲ φυτῶν ἔσαν ὄρχατοι ἀμφίς.

id eſt,

Frugifera, multique plantarum erant horti circum.

Homer. Il. ξ.

Vide *conſolida*.

SYMPTOMA, ſiue ACCIDENS, eſt res contra ſanitatem in corpore noſtro a morbo profecta. Eſtque vel morbus a morbo ortus, vel morbi cauſa a morbo nata: vel ſymptoma ſimplex. Hoc poſtremum eſt actio læſa, excrementorum vitium, aut qualitas corporis immutata, a συμπίπτω accido. G. Ein Zufall.

SYNANCHE, eſt anginæ ſpecies, quæ dicitur a ſuſpendii ſimilitudine, quod non ſecus, quam laqueus præfocans enecet. Gr. Ἀγχόνη enim laqueus eſt; vide *Angina*, a συνάγχω coarcto. G. Bräune, Kälengeſchwär.

SYNARTHROSIS, eſt articulatio duorum oſſium cum inuicem, cum motu paruo & obſcuro, interueniente cartilagine, vti oſſium carpi & metacarpi &c. a συναρθρόω. Vide *articulatio*.

SYNCAMPE, eſt flexura, ſiue locus, vbi pars brachii inferior committitur cum ſuperiore, & ad hanc inflectitur.

SYNCAVSIS, eſt combuſtionis ſpecies, quando excrementa, æſtu quaſi febrili, indurata ſunt.

SYNCHONDROSIS, eſt oſſium interueniente cartilagine concretio vti in oſſibus pubis ad anteriora connexis obſeruatur, ex σὺν cum, & χόνδρος cartilago.

SYNCHYSIS, eſt ſanguinis aut humorum confuſio p. n. in oculo, a συγχεύω confundo.

SYN-

SYNCOMISTVS, vide *autopyrus*.

SYNCOPE, eſt magna omnium virium cum pulſu debili aut deficiente & motus ſenſusque priuatione coniuncta proſtratio, a συγκόπτω concido, *defectio animæ deliquium animi; præceps virium lapſus.* Vide *deliquium animi.* G. eine ſchnelle und groſſe Ohnmacht.

SYNCRITICA, ſunt medicamenta relaxantia.

SYNDESMVS, idem quod *ligamentum.*

SYNDROME, eſt congreſſus variorum ſymptomatum in vno morbo concurrentium. Gr. συνδρομή concurſus.

SYNEDREVONTA, ſunt ſigna communia, quæ vna cum morbo inuadunt: hæc cum morbis neceſſario non cohærent, nec fluunt ab eorum eſſentia, declarant tamen aliquid circa morbum: magnitudinem ſcilicet durationem, morem &c. a συνεδρεύω conſideo.

SYNNEVROSIS, eſt oſſium nexus ſeu alligatio, quæ fit interuentu ligamentorum ſc. vt os femoris cum tibia &c. ex σὺν cum, & νεῦρον neruus.

SYNOCHA, eſt febris continua, quæ continuo intenditur & remittitur, quæ ad plurimos dies extenditur, cum inſigni ardore & nonnunquam putredine coniuncta. Eſtque vel quotidiana, tertiana, vel quartana, à συνέχω, contineo.

SYNOCHOS, eſt febris continens, nullas remiſſiones habens, quæ ad plurimos dies quandoque extenditur, nec grauia ſecum fert ſymptomata: Eſtque *ſimplex* vel *putrida*, prout intenſius vel mitius ſæuit, a συνέχω contineo.

SYNOVIA, eſt liquor glutinoſus intra articulorum commiſſuras, maiori copia collectus hærens. Item, recenſetur inter ſpecies luis venereæ quando ille ſuccus acris factus, membranas & oſſa erodit. Eſt vocabulum recens & obſcuræ originis. G. Gliedwaſſer.

SYNTASIS, eſt partium, a tumore vel alias, diſtenſio, a συντείνω diſtendo.

SYNTENOSIS, idem quod *ſynneuroſis.*

SYNTERETICA, eſt pars *hygieinæ* quæ præſentem ſanitatem tuetur.

SYNTEXIS, eſt contabeſcentia & colliquatio corporis, qua mollis primum caro tabeſcit, mox etiam ſolidarum partium ſubſtantia, a συντήκω colliquo. Vide *maraſmus.*

SYN-

SYNTHESIS, eſt totius corporis ſtructura & compages: ſed ſtricte pro oſſium compoſitione anatomica accipitur, a συντίθημι, compono.

SYNVLOTICA, vide *cicatriſantia*, a συνυλόω cicatricem infero.

SYPHILIS, idem quod *lues venerea*. Eſt vocabulum, vt res ipſa, nouum. Primus forte id inuenit Hieron. Fracaſtorius, qui poema ſub hoc titulo ſcripſit.

SYRINGA, melius *ſyrinx*, eſt inſtrumentum, quo liquores in anum, vterum, & aures, &c. iniiciuntur. Item, vas fiſtuloſum, vt arteria aſpera. Gr. σύριγξ. G. Eine Sprütze.

SYRINGA, arbuſcula eſt pulchra, in latum ſe valde extendens, caules & rami ſunt nodoſi, & cortice rubicundo obtecti vel cinereo, medulla fungoſa alba, repleti: folia ſunt oblonga, lata, venoſa, in margine leuiter dentata, acuta, pyri foliis fere ſimilia, ſed aſperiora, ſibi mutuo oppoſita, ſaporis aliquantum acris: calix eſt monophyllus, quadrifidus, ſegmentis magnis expanſis: flos eſt roſaceus, pentapetalus, ſtaminibus plurimis fœtus: ouarium in fundo calicis inſtructum quatuor tubis erectis, apiculatis, fit fructus turbinatus, quadrilocularis niger, quadrifariam dehiſcens, fœtus ſeminibus exiguis, & oblongis: radix in multos ramos eſt diuiſa: colitur hæc arbuſcula in hortis. G. Spaniſcher Flieder.

SYRINGOTOMIA, eſt fiſtularum inciſio, ex σύριγξ fiſtula, & τέμνω ſeco.

SYRINGOTOMVS, eſt culter, quo fiſtula inciditur: ex σύριγξ fiſtula, & τέμνω ſeco.

SYRONES, vide in *phthiriaſis*.

SYRVPVS, *Actuario* σεράπιον, cuius primi natales traduntur eſſe vel ex Syriaco *Sareb*, quæ *Angeli Caninii* fuit ſententia; vel, quod credibilius, ab Arabico *Sirab*, id eſt, potione medica (vnde *ſirupus*, vel *ſirubus* rectius appellabitur.) vt perſuadet *in Clave ſanat: Simon Januenſis*. Quod ad quantitatem penultimæ, ſi *Actuarius* σεράπιον appellando, voluerit natales eius a Serapi, Deo Ægyptiorum deduxiſſe, penult. producet, iuxta illud *Martialis l. 9. ep. 30.*

Vincebant, nec quæ turba Serapin amat.

Cæterum videtur *Actuarius* reſpexiſſe potius Arabicum *Sirab*. *Golius in Lexic. Arab.* Syrupum Arabibus hodie *Scharabon* appellari monet, accentu penultimæ ob eliph quieſcens impreſſo; a radice *Scharaba*, id eſt, *bibendum dedit*. Quia ergo penultima Arabibus longa mora exprimitur, cum deſint in La-

tio

tio leges, leges Arabum hic opportune ſequemur, & penult. τῦ *Syrupus* producemus. Eſt medicamentum internum fluidum, ex decoctis, ſuccis, vel infuſione, cum addito ſaccharo vel melle, in eam conſiſtentiam coctum, vt gutta in marmore non diffluat: eſtque ſimplex vel compoſitum: item alterans, purgans, ad tuſſim, confortans, ſtomachicum, nephriticum, ſcorbuticum, &c. Gr. ὀρόσατον Nic. aliis Συρῦπος. G. Sirup.

SYSSARCOSIS, eſt connexus oſſium mediante carne, vt in hyoidis oſſe conſpicitur. Ex σὺν cum, & σαρκόω incarno.

SYSTEMA, idem quod *ſynthesis*, a συνίστημι conſtituo.

SYSTOLE, eſt cordis contractio, eiusque ventriculorum commiſſio, qua cruor in arteriam aortam expellitur, a συστέλλω committo. G. Das Zuſammendrucken des Hertzens.

SYZYGIA, eſt debita combinatio, ex σὺν cum, & ζεῦγος, ζυγὸς, iugum.

T.

TABACVM, penult. prod. quia Inſula, quæ ipſi nomen dedit, non tantum tabacum, tabaco, tubac, ſed & tubacka, & tabacca appellatur, quemadmodum ex Indicarum Occid. rerum Scriptoribus conſtat. Tabacum eſt petum, vide *Nicotiana*. G. Toback.

TABELLA, eſt medicamentum internum, ſolidum, ex puluere & triplo vel quadruplo ſacchari, in liquore accommodato ſoluti, ad ſpiſſam ſyrupi conſiſtentiam cocti & ſupra lapidem marmoreum in orbiculos effuſi, confectum. G. Küchlein, Morſell.

TABES, vide *atrophia*.

TABES DORSALIS, præcipue recentes ſponſos & libidinoſos corripit: hi ægri febris ſunt expertes, bene comedunt & colliquantur, quod ſi ita affectum percuncteris, aſſerent, ſibi videri ex ſuperioribus partibus a capite velut formicas in ſpinam demitti, cumque vrinam aut ſtercus reddunt, ſemen genitale copioſum & liquidum eis effluit, neque generatio fit, & inter dormiendum, cum vxore dormiant, aut non, veneris ludibria patiuntur. Cumque alias, tum præci-

præcipue cum per locum arduum iter fecerunt aut cucurrerunt, anheloſi, & imbecilles euadunt, caput grauatur, & aures ſonant. Sic temporis progreſſu vehementibus febribus correpti pereunt ex lipyria febre. G. Schwindſucht, Rückendarre.

TABVLA, vide *tabella* & *morſuli.*

TABVM, eſt ſanies tenuis varii ſæpe coloris, aliquando ſubſanguinei e malo vlcere exiens. G. wäſſerich Blut, Eyter.

TACAMAHACA, vox Indica, quæ quia iam ciuitate Latina pharmaceutica donata eſt, producet merito penultimam, vt Latina in aca, cloaca, lingulaca, paſtinaca, portulaca, proſerpinaca, ſecuridaca, verbenaca, &c. Tacamahaca, reſina eſt, ex Hiſpania noua huc allata. Colligitur ex vulnerata arbore inſtar populi procera, admodum odorata, cuius fructus rubet, pæoniæ ſemen æmulans. Reſina autem colore accedit ad galbanum, vnguibus eſt albis, vti ammoniacum, odorum ac ſaporem grauem refert, cutique tenaciter adhæreſcit.

TACTVS, eſt ſenſus, quo tactiles quorumuis corporum tactilium qualitates, ex diuerſo motu neruorum, per totum corpus diffuſorum, (& præcipue eorum, qui ad digitorum apices tum manus, & pedis, cutem transeuntes, retis in modum expanduntur, & ſuis villis prominentibus in thecculis cuticulæ defenduntur, qui vt ibi copioſiſſimi ob accuratiorem ſenſum, ſic alibi per totum corpus pauciores ſic diſpoſiti erunt) communi ſenſorio offeruntur, ibique percipiuntur; vel tactus eſt rei tactæ, mediante cute, per neruos ſenſorio communi oblatæ, ibique perceptæ, ſenſus. G. Das Fühlen.

TÆNIÆ, ſunt lumbrici lati, vide *lumbrici*, vbi *cucurbitini* vocantur.

TAGETES, planta eſt, cuius plures dantur ſpecies; habent caulem plus minusue altum, & craſſum, nodoſum, ramoſum, plurima medulla alba repletum: folia tenaceti foliis ſatis ſimilia, oblonga, acuta, in margine dentata, viridia, plura ſupra vnam coſtam diſpoſita terminatam per vnum foliolum; odoris nec valde grauis, nec grati: flores radiati, quorum ſcilicet diſcus ex plurimis floſculis multifariam inciſis, corona vero ex ſemifloſculis componitur, embryonibus inſidentibus & calice monophyllo & tubulato comprehenſis. Embyrones autem deinde abeunt in ſemina longa, angulata, nigra, capitulo foliato

foliato inſtructa, & thalamo affixa: radix ex multis fibris tenuibus, & mollibus conſtat.

TALPA, eſt tumor ita dictus, quod ſicut talpa ſub terra repit, hic ſub cute cranium depaſcit dum ſæpe materiam albam in ſe continet: referri poteſt ad ſpecies atheromatis. G. eine blinde Geſchwulſt.

TALPARIA, idem quod *talpa*.

TALVS, vide *aſtragalus*.

TAMARINDVS, eſt arbor fraxini aut iuglandis, caſtaneæue amplitudine. Folia ſunt ſolſequia, noctu ſe contrahentia, interdiu ſe explicantia, minutim inciſa, fere forma & virore ciceris arietini, palmi magnitudine: flores fert albos & odoratos mali aurantii floribus perquam ſimiles, e quorum medio exeunt quatuor fila alba & tenuiſſima, ex quibus ſiliquæ craſſæ producuntur; primo virides, tandem maturæ cineritiæ, quæ intus nonnulla ſemina craſſa, rubentia, dura & inæqualia, lupinorum magnitudine, pulpamque nigram guſtui acidam, continent, per totam Indiam orientalem fere. *Tamar* Arabibus & *tamar-Indi* idem vult ac *dactylus Indicus*, quamuis dactylum vel glandem non referat. Gr. ὀξυφοίνιξ palmula acida: fructus conditi ad nos vehuntur. G. Tamarinden.

TAMARISCVS, TAMARICE, TAMARIX, eſt arbor mediocriter alta; cortex eſt aſper, extus griſeus, intus rubicundus: lignum eſt album: folia ſunt parua, longa, rotunda, tenuiſſima, cupreſſi foliis fere ſimilia, coloris viridis palleſcentis: calix eſt exiguus: flores in ſummitate ramorum creſcentes, exigui roſacei, pentapetali, albi, & purpurei: ouarium eſt capſula oblonga, membranacea, biualuis, ſeminibus papposis & nigris plena: radix craſſa, lignoſa, in multos ramos diuiſa: creſcit hæc arbor in regionibus calidis circa flumina, cortices vſui medico adhibentur, vi adſtringendi maxime pollentes. G. Tamariscken.

TANACETVM, quod a Tanaco *Plinii* exiſtimat deriuari *Bauhinus*, penult. producit, vt acetum, coryletum, dumetum, equiſetum, fruticetum, ilicetum, myrtetum, moretum, olivetum, quercetum, ſalicetum, temetum, vepretum. Tanacetum eſt planta, quæ creſcit ad altitudinem duorum vel trium pedum; caules ſunt rotundi, radiati, medulloſi: folia magna, longa, inſtar alarum extenſa, & in margine dentata, coloris virido flaueſcentis: flores ſunt floſculoſi, in ſummitate caulium creſcentes & in capitulum quoddam congeſti; coloris aurei ſplendentis, raro albi, calice ſquammoſo & quaſi hemiſphærico comprehenſi:

henſi. his ſuccedunt ſemina parua, oblonga, per maturitatem nigræ: radix longa, lignoſa, diuiſa in multas fibras repentes: tota planta eſt odoris ingrati, & ſaporis amaricantis. G. Reinfarn, Wurmkraut.

TAPSVS BARBATVS, eſt *verbaſcum*: vide *phlomos*.

TARAXACVM, eſt *dens leonis*, ſiue cichoreum ſylueſtre: eſt planta humilis, quæ ex radice habet folia erumpentia longa, mediocriter ampla, repentia, vtroque margine profundis inciſuris, veluti per lacinias, diuiſas, cichorei ſylueſtris æmula, ſed læuiora, cuſpidata, ſaporis amaricantis: flos eſt ſemifloſculoſus, plurimis ſcilicet ſemifloſculis conſtans embryoni inſidentibus, & calyce comprehenſis; embryo autem abit deinde in ſemen pappis inſtructum, in capitulum globoſum collectum, & thalamo affixum: radix in plures ramos diuiſa, minimi digiti craſſitie, tenues, lacteo ſucco turgentes, amaricantes: hæc planta in omni parte habet ſuccum amarum & lacteum, ſed non tantum ac ipſum cichoreum: creſcit vbiuis in campis, pratis, hortis, agrorum marginibus. Origo eſt incerta. G. Münchskopff.

TARAXIS, eſt humorum oculi, ventriculi, aut alui perturbatio, a ταράσσω turbo.

TARSVS, eſt palpebrarum extremitas cartilaginoſa, ex qua pili erumpunt, eſt ſegmentum circuli cartilaginei poſitum in extremo margine palpebrarum, ab angulo minori ſeu temporali procedit vsque ad angulum maiorem, quem non abſoluit, finitur membrana tenuiſſima; a Latinis *cilium* dictum. Item octo oſſa pedis poſteriora cratium more ordinata. G. Die Fußbiege, der Rieß auf dem Fuß.

TARTARVS, *Homero in Hymn. ad Merc. & Apoll.* item *Iliad. θ.* τάρταρος, & *Virgilio 6. Æneid.* pro caliginoſo & impuro Inferorum loco ſumitur: hinc *Paracelſus* per ſimilitudinem quandam, pro impura vini fæce, lateribus doliorum adhærente, & impuro ſanguinis ſedimento, vnde calculi, & duri in corpore tumores naſcuntur, vſurpare cœpit, vnde penult. quoque *tartari Paracelſici* corripi oportet, vt *Tartari Rhadamanthei*.

Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit. Virg. Aen. 6.

Sæuior intus habet ſedem, tum Tartarus ipſe. Virg. Aen. 6.

Tartarus, & TARTARVM ſignificat illum ſalem, qui rubri vel albi coloris, vini doliis inſtar lapidis accreſcit; & verus ſal eſſentiális plantæ eſt: ſed & latius deducitur ad quoduis ſabulum in rebus fermentantibus, imo ad craſſamentum ſabuloſum in corpore humano. G. Weinſtein.

TATVRA, vide *datura.*

TAXIS, ſiue reductio, eſt vox familiaris iis, qui hernias reſtituunt.

TAXVS, eſt arbor, quæ abietem refert, lignum eſt valde durum, rubicundum; folia abietis foliis ſimilia, flos eſt amentaceus, plurimis nempe apicibus plerumque fungiformibus conſtans, ſed ſterilis; embryo autem deinde abit in baccam concauam ſeu campaniformem, ſucci plenam, & ſemine fœtam: occurrunt quandoque & fructus glandiformes, cupula ſcilicet donati, ſemen complectentes. G. Eibenbaum, Taxbaum.

TECMARSIS, eſt morborum coniectura, cum ob intricatas cauſas, mira & anomala ſymptomata, medicus morbi genium ignorat, adeoque de dignotione, prognoſi & cura coniecturas ſuas probabiliſſimas format, a τεκμαίρω coniicio.

TELEPHIVM, idem vlcus eſt cum *Chironio*, ita a *Telepho* dicitur, qui tali vlcere longo tempore afflictus fuit.

TELEPHIVM, penult. corr.

Φύλλά τε τηλεφίοιο, νέον τ' ἐν βότρυσι κλῆμα. Nicand. in Ther.

Telephium, ſiue CRASSVLA, aut FABARIA, eſt planta, quæ habet caules craſſos, rotundos, politos, in parte inferiori rubicundos: folia portulacæ foliis ſimilia, ſed maiora, carnoſa, ſucculenta, plurima in margine leuiter inciſa: flores in ſummitate caulium creſcunt in vmbellas, ſunt polypetali, roſacei, coloris flaui, pallidi: poſt florem ſequitur fructus triangularis, ſemina fere rotunda includens: radix in plurima tubercula alba diuiditur: hæc planta creſcit in locis arenoſis, & vocata ſic fuit, quod vlceribus malignis & deploratis, quibus Telephus ab Achille vulneratus conſenuit, auxilietur. G. Fette Henne.

TEMPERAMENTVM, eſt qualitas ex vnione & miſtione elementorum reſultans. Vide *craſis.*

TEMPERANTIA, ſunt ea, quæ acria prædominantia in corpore noſtro immutando, diluendo, vel obtundendo temperant. Vide *abſorbentia.*

TEMPERATA, ſunt, quæ nec nimis calida, nec nimis frigida ſunt, nec ſua acrimonia nocere poſſunt.

TEMPERIES, idem quod *craſis.*

TEM-

TEMPORALIS MVSCVLVS, Gr. κροταφίτης dictus. Nomen ſortitur a ſitu, nam temporum cauitatem occupat. Eius exortus circularis eſt e temporum regione, pericranio obductus, infra os iugale deſcendens, ſenſimque ſuis fibris, veluti radiis coeuntibus ad centrum, attenuatus in tendinem breuem atque validiſſimum, maxillæ inferioris acuto proceſſui inſeritur, cui eleuando eſt deſtinatus. Muſculus hic leuiſſimo negotio in varios ac multiplices ſecundùm longitudinem, id eſt, a circumſcriptione ad tendinum punctum vergentes, findi poteſt. Secundum latitudinem in duos, ſiue biuentralem; non ſolum reſpectu intermediæ tendinoſæ membranæ, ſed & carnearum fibrarum apparentiæ diuidendus eſt. Horum enim tendinoſæ & motrices fibræ membranoſo ſepto ab inuicem diſtinguuntur. G. Der Schlafmuſcul.

TEMPVS, Gr. κρόταφος, eſt pars cranii lateralis inter oculos & aures media, oſſis temporum magnitudine definita: in qua emplaſtra cephalica ad odontalgiam & cephalæam applicantur. G. Die Schläfe.

TENACVLVM, idem quod *forceps.*

TENDO, eſt muſculorum continuata pars, coloris, albi, durior, tenuior, parti mouendæ annexa, conſtans ex fibris muſcularibus hic tenuioribus & magis compactis redditis, ac proin liquidum tenuius tantum admittentibus: ſunt igitur fibrarum hic vltimi fines, quæ eum neruis originem ſuam debere videantur, dictæ fuerunt ἀπονεύρωσις id eſt, neruorum fineis. Gr. τένων a τένειν, tendere. G. Eine Senne, Haarwachs.

TENESMVS, Gr. τηνεσμὸς & τεινεσμὸς, eſt continua deſidendi cupiditas, qua tamen nihil præter pauca cruenta, mucoſa aut purulenta excernitur: aliquando vermes & præſertim aſcarides in cauſa ſunt. Hic morbus ſæpe diuturnus eſſe ſolet, & in grauidis non raro abortus eſt cauſa. *Teneſmus* dicitur ἀπὸ τοῦ τείνειν, id eſt contentione & niſu, qui tum fit cum vehementi cupiditate egerendi, vnde laſſi crebro exurgere coguntur. G. Der Stuhlzwang.

TENTA, idem quod *mela*, vel quod *turunda* aut *penicillus.*

TENTIGO, idem quod *priapiſmus.*

TEPHRION, eſt collyrii nomen.

TEREBELLVM, idem quod *modiolus.*

TEREBINTHINA, penult. corr. vide *Amaricinus, ſequ.* Terebinthina in officinis duplex eſt *Veneta* & *vulgaris*. Veneta quæ etiam dicitur *Chia*, & *Cypria*, eſt liquidiuſcula, referens balſamum, ſiue oleum craſſiuſculum, colore ex albo flaueſcens, ſapore acris, lenta, cutique tenaciter adhærens. Optima debet eſſe clara, pellucida, alba, vitrei coloris in cæruleum vergentis, acris & odorata. Venit ex Chio, Lybia, Cypro, Ponto, Syria, Iudæa, Arabia &c. Ipſius arbor non admodum procera eſt, multos emittit ramos, folia inſtar fraxini fere diuiſa ſunt, & ſinguli nerui habent ſeptem, nouem vel plura folia, vt in fraxino, roſis, ſambuco &c. videre eſt. *Terebinthina vulgaris* depromitur ex larice arbore, ideoque & *laricea* appellatur, & ex aliis plurimis arboribus reſiniferis, vt abiete, pinu &c. obtinetur; vulnerantur nempe hæ arbores terebra ad cor vsque, ſic exſtillat terebinthina. Hæc quanto priori ſimilior, tanto quoque præſtantior. Pollet viribus cum priori, aſt non eſt adeo pellucida. Gr. τερέβινθ@ & τέρμινθ@. G. Terpentin.

TEREBRVM, vide *modiolus*.

TEREDO ſiue CARIES oſſis, vocatur *pædarthrocace*, & ab Arabibus, *ſpina ventoſa*. Idem quod *caries oſſis*. G. Beinfreſſer.

TERENIABIN, vide *manna*.

TERES RADII MVSCVLVS, vide *pronator rotundus*.

TERGVM, vide *dorſum*.

TERMINTHVS, eſt tumor in cruribus, ſupra quem puſtula nigra eminet, fructus terebinthini magnitudine. G. Die braune Blatter, Hundsblattern.

TERRA DAMNATA, idem quod *terra mortua* & *caput mortuum*.

TERRA IAPONICA, vide *catechu*.

TERRA MORTVA, quæ poſt deſtillationem, vel combuſtionem ignis aperti, dein diutinam elixiuiationem reſidua, omnibus ſalibus, oleis, & facultatibus efficacibus deſtituta. G. Todte Erde.

TERTIANA FEBRIS INTERMITTENS, eſt febris, quæ tertio quouis die (id eſt, vno tantum die vacuo inter duas exacerbationes) ægrum inuadit, & detinet per 12. plerumque horas, tum plane remittit, & poſt diem liberum vnicum rurſus inuadit: diſtinguitur a medicis in *vernalem* & *autumnalem*: quod hæ diu durent & vix niſi arte curentur; illæ

breui & ſponte ceſſent; ſuntque vel *exquiſitæ*, quæ modo per 12. horas ægrum detinent, vel *nothæ*, quæ per plures horas excurrunt. Gr. τριταῖος. G. Dreitägiges Fieber.

TESSELLÆ, idem quod *rotulæ* aut *tabellæ*.

TESTES MVLIEBRES, dicuntur *ouaria*. Vide *orchis*.

TESTES VIRILES, ſunt duo oualia corpuſcula ſcroto incluſa, in quibus ſemen generatur: exterius variis tunicis obducuntur. Gr. ὄρχεις, δίδυμοι, vide *orchis*. G. Mänliche Hoden.

TESTES CEREBRI, ſunt prominentiæ duæ poſteriores cerebri ob ſimilitudinem teſtes dictæ, prope glandulam pinealem, & adhærentes duabus maioribus protuberantiis, quæ nates vocantur.

TESTICVLVS, idem quod *teſtes*.

TESTICVLVS VENEREVS, eſt, quando teſtis poſt contagioſam venerem valde intumeſcit, indureſcit, non ſine doloris ſenſu. G. Venushoden.

TESTVDO CEREBRI, vide *fornix*.

TESTVDO, eſt tumor magnus, mollis, vel non valde durus in capite, latiore forma in modum teſtudinis, a cuius ſimilitudine accepit nomen, in principio in caſtaneæ, poſtea vero in formam oui excreſcit, in quo mollis materia, tunica quadam obducta, continetur, (vnde ab authoribus ad melicerides refertur) quæ caluariæ ita inhæret, vt ipſam plerumque vitiet, ipſique cariem inducat. G. Ein Schildkrötgeſchwulſt.

TETANVS, eſt conuulſio ſiue tenſio ex emproſthotono & opiſthotono compoſita, contractis vtrimque muſculis extenſoribus, proin antagoniſtis in ceruice, ſpina & artubus: ita vt corpus rigidum efficiatur & inflexile: quo ipſo patet tetanum eſſe rigorem vehementem, qui a communi rigore vehementia differt & duratione, tum etiam quod alter ille febrilis rigor plus affligat fibras in cute, ſeu panniculo carnoſo. Tetanus vero muſculos vtrinque, ita tamen vt ſemper vel emproſthotonus, vel opiſthotonus, nonnihil excedat. Aliquando quoque *particularis* eſt, qui membrum quoddam, vel articulum priuatum reſpicit, a τείνω extendo. G. Die Halßſtarre.

TETRADRACHMON, ſunt quatuor drachmæ.

TETRAPHARMACVM, eſt medicamentum ex quatuor ingredientibus conſtans, vt eſt vnguentum baſilicum, eſt τέτρας quaternio, & φάρμακον medicamentum.

TETROBOLON, eſt pondus duorum ſcrupulorum.

TEVCRIVM, eſt arbuſcula vtplurimum ſatis parua & humilis, aliquando ad hominis altitudinem creſcens: caulis eſt minimi digiti craſſitie, cortice albo obtectus, & in ramos albos diuiſus, quorum duo ſibi inuicem oppoſiti: folia oblonga aut obrotunda, in margine inciſa, chamædryos foliis paulo maiora, quæ vero virgularum faſtigia ornant, ad hormini folia quodammodo accedunt, nequaquam per ambitum inciſa, & circa baſin latiora, in acumen deſinunt, ſaporis acriuſculi, cum amarore non ingrato: flores ſunt labiati, albi, calice albo comprehenſi; his ſuccedunt quatuor ſemina obrotunda: hæc planta ſemper eſt viridis, & creſcit in regionibus calidis, vt in Italia circa mare: aliis *chamædrys*: ita a Græcis pariter ac Latinis, quod Teucer, Aiacis frater, hanc herbam inuenerit; dum exta in ſacrificio ſuper eam proiecta fuiſſent, lieni adhæſit, eumque exinaniuit; proinde quod caſus oſtenderat, obſeruatumque a Teucro fuit, ad æternum humani beneficii decus & famam illa accreuit.

TEVTLON, Gr. Τεῦτλον, Σεῦτλον, vide *beta*.

THALAMI NERVORVM OPTICORVM, ſunt 2. protuberantiæ magnæ in cerebro, ſupra quas nerui optici decurrunt, & ab iis tanquam thalamis ſuſtinentur.

THALICTRVM, eſt planta, quæ habet caules ad hominis altitudinem creſcentes, rigidos, ſtriatos, ramoſos, quaſi anguloſos, intus excauatos, coloris vtplurimum rubicundi purpuraſcentis, & aliquando viridis: flos eſt roſaceus, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtans, ex cuius meditullio ſurgit numeroſa ſtaminum congeries piſtillum cingens, quod deinde abit in fructum, in quo velut in capitulum colliguntur, capſulæ modo alatæ, modo alis carentes, ſeminibus fœtæ ſingularibus, vt plurimum oblongis: radix fibroſa eſt, repens, coloris flaueſcentis, ſaporis amaricantis, ingrati. G. Wieſenraute.

THAMAR, Arabibus *dactylum*, palmæ arboris fructum ſignificat; vnde confectio quædam *diathamaron*, corrupte *diacameron*.

THAMARINDVS, vide *tamarindus*.

THAMNOS, *thamniſcos*, *thamnoides*, eſt *frutex*; videtur dici, quaſi creber ramis, a θαμινὸς, creber & quaſi denſus.

THA-

THAPSIA, eſt planta ferulæ ſimilis, foliis tenuiter diſſectis: flos eſt roſaceus & vmbellatus, plurimis ſcilicet petalis conſtans, in orbem poſitis, & calici inſidentibus: is autem abit in fructum, ex duobus ſeminibus compoſitum, longis, ſtriatis, ala cinctis ampliſſima, foliacea, vtrinque introrſum plerumque emarginata: in vſu medico adhibetur radix, quæ violenter purgat. Vocatur a Thapſo inſula, in qua primum creditur inuenta.

THAPSVS, vide *tapſus barbatus*

THEE, Frutex eſt Chinenſibus, Iaponenſibus, & Tartaris indigena; dicitur & *Cha* vel *Chia*. Folliculum amygdali foliis fere ſimilem, obſcure viridem profert. Eſtque virgultum quod in ramulos varios aut virgulas ſeſe diffundit. Flores fert ciſti fœminæ & goſſipii mediam faciem referentes, quinis foliolis albicantibus aut pallidis conſtantes, ſtaminulis multis medium florem occupantibus. His demum ſuccedunt fructus, dum adhuc vigent, vt ferunt, virides, reſiccati autem cortice magis rugoſo, ex ſpadiceo fuſco veſtiti; Figura ſæpe globoſa eſt, magnitudine globuli luſorii, ſemen tantum vnicum continentes: Alii contra geminati, ſiue in duos loculus ſeu ſcrotum caninum diſpertiti. Alii vero trigoni, & tria ſemina continent. Folia porro huius fruticis colligunt, & ignis calore in ſartaginibus reſiccant, quæ poſtea, vrgente ſiti, aquæ feruidæ iniiciuntur, quorum tinctura tunc ex vaſculis myrrhinis ſorbillando ebibitur. Folia maſticata leuiter aſtringunt, & non ingratum ſaporem relinquunt. G. Thee.

THELYGONOS, ſic dicuntur plantæ, quæ ſunt ex fœminino ſexu. Gr. θῆλυς eſt fœmineus, & γόνος ſoboles, generatio.

THENAR, eſt vnus ex muſculis pollicem abducentibus, qui oritur a ligamento annulari, & inſeritur in totam ſuperficiem primæ phalangis, & parti ſuperiori ſecundæ. *Thenar* quoque habetur pro cauitate omni interiore manuum & pedum, quæ dicitur *vola*: item pro *planta*: ſuntque carnoſæ portiones ſub digitis manuum & pedum, ſed ſtricte ſumitur pro *vola manus*, ſiue *palma*. G. Die flache Hand.

THEODORETOS, quod & διακαρδίων vocatur, eſt antidotus, ad frigidas capitis affectiones.

THEOPHILION, eſt collyrium quoddam.

THEOREMA, THEORETICA, vide *theoria*.

THEORIA, eſt pars medicinæ, quæ ratiocinando agit de fabrica partium corporis humani, tam ſolidarum, quam fluidarum; de earum naturali conſtitutione, vſibus vel publicis vel priuatis, effectibusque ſolidorum in fluida, horumque in illa, iuxta regulas quasdam in aliis ſcientiis demonſtratas, & huc aſſumtas; imprimis ſpectant huc mechanica, chemia, & anatomia, a θεωρῦμαι, contemplor, vnde theorema, quod eſt ſpeculatio: & theoretica, quæ ad medicinam ſpeculatiuam pertinent.

THERAPEVTICA, eſt pars medicinæ, quæ materiam medicam inſtruit ex variis medicinis, vario tempore & obſeruatione notatis, quarum quoque ritam præparandi methodum, vt ſcopo propoſito ſatisfaciant, edocet: diætæ obſeruandæ regulas tradit: tandemque veram medendi methodum, ſiue manuum operam, ſiue remedia pharmaceutica requirat, a θεραπεύω ſano.

THERENIABIN, ſiue tereniabin, eſt manna orientalis; quæ *droſomeli* & *aeromeli* Gr. dicitur.

THERIACA, *Galeno libr. ad Piſonem & Pamphilianum*, θηριακὴ ἀντίδοτος, a θὴρ fera, θηρὸς, quod nobiliſſimum eius ingrediens ſit beſtiola vipera: vel quia ferarum morſibus medetur. Penult. corripit *Poeta* apud *Galenum de Antid. l. 1.* Et ſuadet idem analogia, in maniacus, Iliacus, Ammoniacus, Olympiacus, κυριακὸς, φυσικὸς, πρακτικὸς. Theriaca eſt medicamentum venenum expellens. G. Theriac.

THERIOMA, eſt vlcus ferum, carcinomati ſimile, & θηριόω in ferinam indolem degenero.

THERMÆ, ſunt balnea, vide *balaneum.*

THERMANTICA, ſunt medicamenta calefacientia, a θερμαίνω calefacio.

THERMOMETRON, eſt fiſtula vitrea cum vitreo globo, vini ſpiritu plena, qui calore & frigore vel rarefactus vel condenſatus, gradus quoque eorum docet, hinc vtiliſſima eſt machina in calore febrium ardentium &c. dimetiendo. G. Ein Wetterglaß.

THLASPI, eſt planta, quæ habet caules rotundos, ramoſos, villoſos: folia habentes ſine pediculis, inſtar minimi digiti longa, ad baſin ampla, & ſenſim ad apicem acuta facta, dentata, coloris viridis, ſaporis acris: flores ſunt exigui, albi,

burſam

burſam paſtoris referentes, cruciformes, quatuor ſcilicet petalis conſtantes: poſt florem ſequitur fructus, ſeu capſula ſeminalis orbiculata, compreſſa, ora plerumque foliacea & ſuprema fiſſa, in duo loculamenta diuiſa ſepto intermedio, reſpectu valuarum, ad perpendiculum oblique poſito; ſeminibus fœta paruis, oblongis, compreſſis, rufis, ſaporis acris & feruidi: radix eſt ſatis craſſa, & fibroſa, lignoſa, alba, aliquantulum acris: hæc planta creſcit in locis deſertis. Gr. θλασπίδιον, σίνηπι ἄγριον. Proprie eſt naſturtii ſpecies. Græci a fructus forma dictum volunt, qui naſturtio ſimilis eſt, ſed latior velut infractus & contuſus. Θλᾶσθαι enim iis contundi eſt & infringi, infringendoque, quod globoſum tumidumue erat malleo, lapide, pedeue cum dilatatione exæquare.

THLIPSIS, eſt vaſorum compreſſio, a cauſa externa, qua eorum interna cauitas tollitur, proin liquidi transmittendi fluxus impeditur, a θλίβω comprimo.

THOLVS DIOCLIS, eſt faſciarum ſpecies, quæ vulneribus circa aurium regiones applicatur.

THORA, eſt napelli ſpecies: dicitur & phthora, vide *phthora.*

THORACICA, ſunt medicamenta aduerſus pectoris mala.

THORAX, ſiue medius venter, eſt totum id, quod circumſcribitur ſuperiore parte, a clauiculis; inferiore, a diaphragmate; parte antica, ſterno; poſtica, ab oſſibus dorſi; lateribus a coſtis; oualis figuræ eſt, continet cor, & pulmones, intus membrana pleura circumtenditur; ab *Hippocrate* & *Ariſtotele* pro thorace ſumebatur totum id, quod a clauiculis, ad pudenda vsque excurrit, hoc eſt, medius & infimus venter. G. Die Bruſt.

THOREXIS, eſt vini generoſioris potus, pectus calefaciens & quaſi loricis circumdans, a θωρήσσω, lorico.

THROMBVS, eſt ſanguinis, aut lactis in grumos coagulatio, a θρομβόω grumeſco. G. Geronnen Blut.

THRYALLIS, eſt verbaſci ſpecies, ex quo ellychnia ſolebant fieri, θρυαλλὶς, enim eſt ellychnion.

THVS, ſiue OLIBANVM, Gr. λίβανος & λιβανωτὸν, reſina eſt duriuſcula, obſcure pellucida, profluens ex arbore Arabica, quæ, vt aiunt, lentiſcum appoſite refert; quod tamen incertum. Genera thuris traduntur duo, *maſculinum* ſc. quod

 pro

proprie *olibanum* vocatur, ſeu *melax*, Arab. *melaſon*: & *fœmininum*. *Maſculinum* ex albo flaueſcit, & teſticulorum inſtar rotundum eſt, guttarumque formam referens, candidum intus & pingue: *Fœmininum* magis reſinoſum eſt ac molle, cito ardens & flauum. Præfertur *maſculinum*, vt quod ex arboribus montanis colligitur. *Cortex* etiam in vſu eſt, debet eſſe craſſus, pinguis, odoratus, recens, minime ſcaber. *Manna thuris*, ſunt micæ fragmenta, pollen ac farina thuris, quæ ex colliſione, dum in ſaccis vehitur, colliguntur. *Thus*, a græco verbo *Θύω*, ſacrifico, nomen habere videtur, quod veteres thure ſacrificabant & ſupplicabant. Gr. *λίβανος καὶ δενδρολίβανος*: quemadmodum lachryma *λιβανωτός*, quæ Hippocrati *λιβανωτοῦ καρπὸς* dicitur: *λίβανος* a *λείβω* ſtillo. G. Weyrauch.

THYMA, idem quod *ecthyma*.

THYMBRA, eſt herba aromatica, forte *ἀπὸ τοῦ θύειν odores accendere*, idque ob fragrantiam: vel a *thymus* ob ſimilem forte odorem.

THYMELÆA, eſt arbuſcula, cuius truncus ſæpe inſtar pollicis craſſus eſt, plures habens virgulas vel ramos ſesquipedem circiter longos, pulchros, rectos, foliis lini foliis fere ſimilibus inſtructos, ſed maioribus, latioribus, ſemper viridibus, viſcoſi quidquam, ſi dentibus atterantur, præbentibus: flos monopetalus, vtcunque infundibuliformis, quadrifidus: ouarium in centro floris fit fructus ouatus, ſucci plenus, fœtus ſemine oblongo, habente pelliculam nigram, ſplendentem, fragilem ſub qua inuenitur medulla alba feruidi ſaporis: radix longa, craſſa, dura lignoſa, externe griſea, aut rubicunda, interne alba; in initio dulcis, ſed poſtea acris & cauſtica: hæc planta creſcit in locis incultis: quibusdam *chamelæa*: dictam volunt quaſi tithymelæam, ex tithymali & oleæ mixta facie. G. Seidelbaſt, Kellershals.

THYMIAMA, penult. producit:

Πόλις δ' ὁμοῦ μὲν θυμιαμάτων γέμει. Jamb. *Sophocl. in Oedip. Tyranno*.

Thymiama, idem quod *ſuffitus*.

THYMION, eſt verruca minor ſuper corpus in cute eminens, vt *acrochordon*, tenuis, ſupra latior, ſubdura & in ſummo aſpera. Idque colorem thymi repræſentat floris, a quo denominatur, habet magnitudinem fabæ Ægyptiacæ. Modo vnum, modo plures naſcuntur in palmis, talis & plantis pedum: peſſima ſunt in obſcœnis locis, maxime vbi ſanguinem fundunt.

THYMVM, THYMVS, eſt planta, quæ habet caulem tenuem, lignoſum, album: folia parua, oppoſita, tenuia, anguſta, albeſcentia, vel viridia obſcura, ſaporis acris: flores ſunt in capitula collecti, minimi, purpurei, galea ſurrecta plerumque bifida, barba tripartita: ſemina quatuor obrotunda his ſuccedunt in capſula, quæ floris calix fuit, incluſa: ab odore etiam dici videtur, a θύω ſuffio: quod eo veteres primum vſi ſint in ſacris, quæ accenſo igne fiebant, vel a θυμὸς animus, quia eius odor corroborat: quodque iis adhibetur, qui animi deliquium patiuntur. G. Thymian.

THYMVS, eſt tuberculum p. n. carnoſum, quod ſupra corpus inſtar verrucæ eminet, florem thymi referens: vnde ei nomen impoſitum eſt. Item eſt glandula conglomerata, ſita in ſuperiori parte thoracis, anterius immediate ſub iugulo, & extenſa ſecundum longitudinem aortæ & venæ cauæ inferioris vsque ad pericardium, quæ, quo animal eſt magis iuuenile, eo maior eſt, ſecernit lympham a ſanguine quam per peculiares ductus pulmonum veſiculis pro obliniendo infundit. G. Bruſtdrüſen, Brieſe.

THYREOARYTÆNOIDES, eſt par muſculorum, ortum habens a cartilagine ſcutiformi, anterius in latera arytænoidis conſcendens, laryngis rimulam aſtringit, ex θυρεὸς ſcutum, ἀρυταῖνα, hauſtrum, & εἶδος forma.

THYREOIDEÆ GLANDVLÆ, ſunt numero duæ, ſubſtantiam habent viſcidam, ſolidam, ſanguineam, vaſis omnis generis communibus, membranaque duriore mire perfuſam, oui gallinacei fere magnitudinis atque figuræ, ſitæ circa laryngis ſedem humiliorem, ad latera cartilaginum, thoracis, cricoidis, primorumque aliquot annulorum aſperæ arteriæ, quibus partibus immediate incumbunt, ita tamen vt facillime ab iis ſeparentur, niſi, vbi pertinacius adhæreant circa principium & finem; per ductus peculiares intra aſperam arteriam ſuum oblinientem humectantemque liquorem effundentes.

THYREOIDES, eſt *ſcutiformis* ſeu *clypealis cartilago*, laryngis omnium maxima, & antice in collo prominens. Item foramen oſſis pubis, ex θυρεὸς ſcutum, & εἶδος forma. G. Das Schildgleiche Knorpelbein.

THYRSVS, eſt caulis, idque nomen ſibi vendicauit, quod virgulæ in modum, vel teli in rectitudinem aſſurgat.

TIBIÆ

TIBIÆ OS, Gr. κνήμη, eſt pars inter genu & talum: oſſibus duobus conſtat; vnum exterius, quod *focile minus*, alterum interius & maius, totius nomine donatur & *tibia* dicitur, κνήμη aliis *focile maius*, *canna maior &c.* ſuperius proceſſum habet a femoris cauitate exceptum, & ſinus binos oblongos, pro femoris capitibus, quorum ſinuum profunditatem auget annexa per ligamenta cartilago, mobilis, mollis, lubrica & humore vnctuoſo delibuta, in ambitu craſſa, centrum verſus attenuata, vnde lunata dicitur, anterius aſpera veniunt ligamenta, quæ cartilagines lunares augent. Anterior pars acuta & longa, ſpina dicitur, inferius adeſt proceſſus ex interno latere gibbus & prominens iuxta pedem, diciturque malleolus internus. Anterior pars *ocrea* quibusdam dicitur. G. Das Schienbein.

TIBIÆVS MVSCVLVS, idem quod *tibialis muſculus*.

TIBIALIS MVSCVLVS, *anticus* dicitur & *poſticus*. *Primus* flectit pedem antrorſum. Tibiæ fibulæque ex parte oſſis ſuperiori extremitati alligatus, tibiæque inuolucro lateris exterioris affixus, ſub annulari pedis ligamento prouectus, tarſi oſſis pollici ſubiecto ligamentaceo ligamento, vt plurimum adhæret, bifido namque nonnunquam tendine metatarſi, vt & innominato pedis oſſi affigitur; inferior hic tendo, vbi ſub extimo fibrarum faſciculo, oſſiculum abſcondit minuſculum, ſeſamoideum appellatum. Alter, ſiue *poſticus*, tibiæ fibulæque oſſa inter locatus horumque inuolucris, vbi dehiſcunt, penniformiter ſiue radiatim affixus, iuxta interioris malleoli poſteriora, tendinem tarſi oſſis, quod teſſeræ conterminum eſt, ligamentaceo integumento inſeritur: atque hic inter oblique mouentes & adductores & ab aliis inter extenſores numeratur. G. Der Schienmuſcul.

TIGILLVM, idem quod *crucibulum*.

TILIA, penult. corr.

Nec tiliæ molles, nec fagus, & innuba laurus. Ouid. Met. 10.

Nec tiliæ læues, aut torno raſile buxum. Virg. Georg. 2.

In append. *Smetii* ex *Sereno* adducitur hic verſus:

Fraxinea in flammis, quæ fundit tilia ſuccum.

Sed in *Sereno talea* legitur, non *tilia*.

TINCTVRA, ſeu ELIXIR, eſt coloris, qualitatis & virium alicuius rei, mediante conuenienti menſtruo, extractio. G. Eine Tinctur.

TINEA,

TINEA, eſt ſcabies capitis, cutem erodens cum ſquammis & cruſtis, pilorumque euulſione, colore cineritio; odore fœtido, orta ab acrimonia ſanguinis in glandulis ſubcutaneis hærente. Triplex eius datur ſpecies 1. ſquammoſa, dum enim ſcalpitur multas furfuraceas ſquammas de ſe remittit. 2. ficoſa dum hæc cruſta ſua flaua denudatur, apparent viuæ rubræque carnis grana ficuum interioribus granis ſimilia cruentam materiem ex ſe emittentia. 3. eſt achor, quem vide ſupra. Morbus hic infantes, ſed plerumque adultiores inuadit: dicitur *tinea* quia haud raro in eo latent vermiculi copioſi, vel pediculi, vel quia proſerpit erodendo vt tinea in veſtibus. G. Böſer Grind. Porro tineæ nomen ab antiquis etiam tribuitur lumbricorum inteſtinalium generi lato, quod, vbi inter ſe cohærent, longam tæniam format, a Græco ταινία faſcia. G. Bändelwürmer, Plattewürmer.

TINEARIA, dicitur etiam ageratum, & ſtichas citrina, ita vocatur, quod eius flores, veſtes ciſtis aſſeruatas, a tineis arceant, conſeruentque.

TINVS, TINNVS & TYNNVS, eſt arbuſcula, quæ habet virgas longas, quadratas, ramoſas: folia magna ampla, bina, iuxta ramos ſibi inuicem oppoſita, nigra, ſplendentia, aliquantulum lanuginoſa, ſemper virentia, inodora, ſaporis amari cum aliqua adſtrictione: caliculus eſt geminus, inferior trifidus, ſuperior quinquefidus, vterque monophyllus: flos eſt monopetalus, rotatus, quinquefidus, infra breuiter tubulatus, quinque ſtaminibus ex pariete interno tubuli floris ortis: ouarium in fundo calicis, tuba longa, triquetra, ſcabra inſtructum, fit fructus oliuæ ſimilis, vmbilicatus, fœtus ſemine vnico pyriformi: hæc arbuſcula creſcit in locis ſaxoſis. eſt laurus ſylueſtris: Gr. Δάφνη ἀγρία.

TINNITVS AVRIVM, ſiue SIBILVS, eſt ſuſurrus quidam aurium, ab obſtructione arteriarum membranam tympani perreptantium, vel re intus vel extus aurem irritante, qua aer in auris cauo ab arteriis pulſantibus continuo modetur & tympanum leuiter verberatur, vnde ſuſurrus & bombus producitur. G. Das Sauſen und Brauſen, das Klingen der Ohren.

TITHYMALVS, eſt planta, quæ habet vnum pluresue caules, ſesquipedem altos, rotundos, minimi digiti craſſitie; folia dura, oblonga, amygdali minora: ex ſummitate ramorum naſcuntur ramuſculi gerentes flores nigros, monopetalos,

talos, campaniformes, globoſos, multifidos, & duobus foliolis cinctos, quæ calicis vice fungi videntur: flori ſuccedit fructus exiguus, trigonus & in tria loculamenta, ſingula vnicum ſemen oblongum continentia, diuiſus: radix dura, lignoſa, lacte acri, mordicante turgidula; vbique fere ſat copioſe prouenit in locis aridis, incultis, ſterilibus, *lactaria*, *lactuca caprina*, a τιτθός mamma, quia lac fundit: vocatur etiam Characias Dioſcoridi id eſt vallaris a χάραξ vallis; dicitur & euphorbia, & eſula maior, vid. eſula. G. groſſe Wolffsmilch.

TITILLATIO, eſt in voluptatis ſenſu gradus, prope dolorem proximus: nam vt voluptatem percipimus, cum organum ſenſus ita concutitur, vires vt ſint ad reſiſtendum maiores: ita, ſi concuſſio fiat aliquantulum maior, minor vero vis, quæ reſiſtat, oritur *Titillationis Senſus*, qui cum habet aliquam coniunctam moleſtiam, proxime ad dolorem gradum ſtruit, quare ad morbos referri debet: ſolet autem maxime ſentiri in latere, & ſub planta pedum, vbi nudiſſimi iacent nerui, & in iis, quibus cutis tenera eſt, & non aſſueuere titillationi. Gr. γάργαλος. G. Das Kützeln.

TOMENTVM, Latinis omne id quod culcitræ ad molliorem & calidiorem quietem infarcitur, dicitur, ſiue id lana ſit ſiue pluma, ſiue quod voluerit aliquis, excipiendis molliter & fouendis calore corporibus noſtris aptum. Sic dictamni folia, quod mollia videntur eſſe, tomentitia & lanea dicuntur, hoc eſt γναφαλοειδῆ: ita ex graminis eriophori lanuginoſis ſummitatibus anaclinteria ſeu culcitræ fiunt.

TOMICI DENTES, vide *dentes*.

TOMOTOCIA, idem quod *hyſterotomia*, ex τέμνω ſeco, & τόκος partus.

TONICA, ſunt quæ membris foris illita, neruis & tendinibus robur conciliant, a τάνω porrigo, tendo.

TONICVS, idem quod *tetanus*.

TONOTICA, idem quod *tonica*.

TONSILLÆ, vide *pariſthmia* & *antias*.

TOPASIVS, idem quod *chryſolithus*.

TOPHVS, Gr. πῶρος, eſt concretio quædam lapidoſa, ſeu gypſea, calci non abſimilis, in quacunque parte, præſertim oſſibus, excitata.

TOPIARIVM, opus eſt, quod ex arbore, frutice vel herba ad decorem componitur in teſtudines aut cameras fornicatum

catum. Hinc *topiariæ* dici merentur arbores vel herbæ, quæ nimirum huic operi, quod flexiles ſunt, ac ſuo lentore ſequaces, accommodantur.

TOPICA, ſunt medicamenta externa, quæ medentur ſingulari corporis parti, actione quadam illi parti propria, v. gr. emplaſtra vulneribus; epicarpia febribus &c. a τόπος locus. G. Aeuſſerliche Mittel.

TOPINARIA, idem quod *talpa.*

TORCVLAR, vel TORCVLVM, eſt prælum, quo olea vel ſucci exprimuntur. G. eine Kelter, Preſſe. Item, eſt inſtrumentum, quo chorda duobus bacillis circumagitur, in extirpandis membris, vt vaſa ſanguinea conſtringantur. G. Ein Drehſtock.

TORCVLAR HEROPHILI, eſt ille locus, vbi quatuor ſinus craſſæ meningis cerebri coniunguntur.

TORI, ſunt in vegetabilibus prominentes partium calli & in ſe pulparum modo collecti; Gr. κονδύλους vocant. Hinc κονδυλώδης, id eſt, toroſus, quod idem Latinis eſt ac nodi formam præ ſe ferens.

TORMENTILLA, Gr. ἑπτάφυλλον, ſiue SEPTIFOLIVM, quia eius folia ex ſeptem conſtant inciſuris, ſic dictam volunt, quod tormentum cruciatumque dentium ſæuiſſimum placet, atque venenatarum quarundam rerum compeſcat furorem, & cruciatum. G. Birckwurtz, Ruhrwurtz, Tormentille.

TORMINA, vide *dyſenteria.*

TORMINA ALVI, idem quod *colica paſſio.*

TORMINA HYSTERICA, ſunt hyſtericæ *paſſiones*, vide *hyſterica paſſio.*

TORMINA INFANTIVM, ſunt dolores infantium ventris.

TORMINA POST PARTVM, ſunt dolores, quos puerperæ poſt partum patiuntur, quando nempe lochia rite non procedunt, qui torminibus partus ſunt nonnunquam plane ſimiles; poſt laborioſiſſimos partus etiam ſæpe dolores aliqui remanent. G. Nachwehe.

TORREFACTIO, idem quod *toſtio.*

TOSTIO, eſt actio qua medicamenta igne torrentur, vt vires mutentur, vti fit in toſtione rhabarbari, quod cum ante fuerit purgans, nunc ſit adſtringens: torrentur quoque turundæ

dæ nonnullæ; quæ orificiis vlcerum ad dilatandum intruduntur, vt ſic toſtione imminutæ, per alluentia vlceris liquida tumere eo plus poſſint.

TOXICA, ſunt medicamenta venenata, quibus barbarorum ſagittæ illiniebantur.

TRACHEA, idem quod *aſpera arteria.*

TRACHELAGRA, eſt arthritis ceruicis.

TRACHELIVM, eſt campanulæ ſpecies: Lat. *ceruicaria* forte dictum, quod ceruicis & colli malis medeatur. Gr. τράχηλος eſt collum. G. Halßkraut.

TRACHOMA, eſt, quando palpebræ inuertuntur, denſiores & inæquales factæ; vel cum aſperitate etiam rubent cum pruritu & puſtulis, inſtar milii granorum; vel cum inueterato malo, inſuper a parte interiore exulcerantur cum fiſſuris & callis, a τραχύνω aſpero, hinc trachomaticum eſt collyrii ſpecies, quod olim in vſu erat, ad hunc affectum.

TRAGACANTHA, ſeu TRAGACANTHVM, eſt gummi fruticis eiusdem nominis pellucidum, album, ſubdulce, leue ac ſincerum, in granis plerumque fragmentiſue contortis: eius frutex pumilus admodum eſt, habetque ramos lanuginoſos, ſpinisque inſtructos, rigidos, firmos; lentis fere folia pallida, pinnata, velut coniugata, coſtæ adhærentia, abeunti in mucronem albeſcentem: flos eſt papilionaceus, ex cuius calice ſurgit piſtillum, quod deinde abit in ſiliquam ſecundum longitudinem diuiſam, bicapſularem, breuem & quaſi ouatam, continentem ſemina reniformia. Frutex hirſutus eſt, vnde nomen, τράγος hircus, & ἄκανθα ſpina, quaſi *ſpina hirci.* Exudat hoc gummi radice inciſa, vel vt alii volunt, ſponte ſua. Præſtat pellucens, gracilis, leuis, ſincera & ſubdulcis. G. Tragant.

TRAGOPOGON, eſt planta, quæ habet caulem ſeſquipedem circiter altum, rotundum, ſolidum, in plures ramos diuiſum: folia longa, anguſta, acuta, croci folia referentia, ſed breuiora, & latiora: flos eſt ſemifloſculoſus, plurimis ſcilicet ſemifloſculis conſtans, embryoni inſidentibus, & calice comprehenſis multifido, ſed nequaquam ſquammoſo, in multas lacinias diuiſo, quæ ita longæ ſunt, vt ipſum florem recondant: embryo autem deinde abit in ſemen membrana ſeu inuolucro obuolutum, pappis inſtructum, thalamoque affixum: creſcit in paludibus & locis aquoſis; eſt *barba hirci;* ex τράγος hircus, & πώγων barba. Nomen ſibi adſciuit, quod e calycis

lycis ſummo, floribus euaneſcentibus, papppoſa prodeat cæſaries, ſeu comoſa lanugo, cui cum hirci barba nonnulla ſimilitudo. G. Bocksbart, Haberwurtzel.

TRAGEÆ, non differunt a pulueribus, niſi quod tenuiſſime adeo medicamenta, ex quibus parantur, haud terantur, & vel externe adhibentur corpori appoſitæ aut in fumum reſolutæ; vel ſacculo linteo incluſæ in vino aut alio liquore detinentur, vt vires ſuas liquori communicent. Aliquando tamen componuntur etiam ex ſpeciebus antidotorum, odoratisque aliis rebus & medicamentis ſimplicibus in puluerem redactis, ſaccharo addito. In his conficiendis communiter capitur vncia vna ſacchari, ad ſingulas drachmas ſpecierum, præſertim amariorum & minus gratarum. G. Pfaffenfutter, Triſenett.

TRAGEMA, idem quod *tragea*.

TRAGIVM, vocatur fraxinella: a τράγος hircus, quia hircum olet.

TRAGOCEROS, eſt *aloe*, ob folia cornuformia, hirci cornibus ſimilia, a τράγος hircus, & κέρας cornu.

TRAGOS, eſt *caprificus*; a τράγος caper. Vide *caprificus*.

TRAGOPYRVM, ſic aliquando vocatur *fagopyrum*: quaſi hirci frumentum, ex τράγος hircus, & πυρὸς frumentum. Vide *fagopyrum*.

TRAGORCHIS, eſt ſatyrion hircinum vel caprinum: ex τράγος hircus, caper, & ὄρχις teſticulus.

TRAGORIGANVM, eſt origanum hircinum. Non alia forſitan ratione ſic dictum, quam quod eius pabuli voluptate animal hoc caperetur, ex τράγος hircus, & origanum.

TRAGVS, ſeu hircus eſt auris eminentia, quæ tempora ſpectat, poſita ſub helicis exortu, erecta, formæ triangularis pilis aliquot hiſpida, in quibusdam denſam hirci barbulam exprimens. G. Der Bock.

TRANSFVSIO, eſt deductio ſanguinis viui & in vaſis animalis fluentis, ope tubulorum ſibi continuatorum in vaſa alterius animalis viui; in ſcopum vaſa inanita languentis animalis replendi, ſanguinem mutandi, morbos curandi, vitamque longiorem ducendi; quod in maioribus animalibus, & ipſis hominibus, poſtquam circulatio ſanguinis inuenta fuit,

ſæpe tentatum eſt; raro felici, ſæpe infortunato ſucceſſu; vaſa enim in vno animali ſuæ capacitati proportionatum liquidum continentia, non reſpondent robori, magnitudini &c. vaſorum in alio animali; liquida pariter vel ſunt nimis ſolida, craſſa, & alterius indolis, vel nimis fluida, facilius reſoluenda in vno quam alio animali, adeoque, quod vno animali conueniebat ſalubre liquidum, in alio eſt lethiferum, atque hæret in minimis, obſtructiones irreſolubiles excitat, vel ſi liquidum tenuius fuit, ex vaſculis omnibus excretoriis effluit, neque viribus vitæ ſuſtinendis par eſt; vnde hæc medendi methodus iure exoleuit.

TRANSPIRATIO, idem quod *diaphoreſis.*

TRANSVERSALES MVSCVLI, primum par exhibet ſeſe membranoſo principio, ab ipſis transuerſis lumbalium vertebrarum proceſſibus, oſſe item ilium cartilaginoſoque præterea coſtarum confinio interius profectum, peritonæo ſubiecto inhæret, & ad eandem cum cæteris abdominis metam fertur. Alterum par ceruici extendendo vel in poſteriora flectendo deſtinatum, oritur a ſex aut ſeptem primarum vertebrarum proceſſibus externis, & inſeruntur exterius in omnes vertebrarum ceruicis transuerſos proceſſus. G. Der Zwerchmuſcul.

TRANSVERSVS MVSCVLVS HVMERI, idem quod *rotundus minor.*

TRAPEZIVS MVSCVLVS, ſic dictus a figura Geometrica. Vide *cucullaris muſculus.*

TRAVLVS & TRAVLOTES, eſt blæſitas, ſiue vitium in L & R pronunciando, a τραυλίζω balbutio. G. Das Liſpeln.

TRAVMATICA, ſunt, medicamenta quæ in decoctis & potionibus aſſumpta, ſeroſos & acres humores ſeu ſuccos e corpore educunt, vel mitigant, ſanguinemque nimis torpidum mouent, vel nimis motum retardant, nimis fluidum inſpiſſant; nimis craſſum ita attenuant, vt in partes vulneratas, ruptas vel contuſas commode propelli poſſit; & quibusdam partibus adſtringunt, & detergunt; hinc videmus quod vulneraria medicamenta ſpecifica nulla ſint, quæ in omni conueniunt ægro, verum quod dato ægro accommodanda ſint pro ægri viribus, ſtatu, & liquidorum ac vulneris conditione: iſta lapſis, contuſis, & vulneratis conducentia, *vulneraria* nuncupantur, a τραῦμα vulnus. G. Wundartzney.

TRE-

TREMOR, Gr. τρόμ@, a τρέω tremo, eſt motus conuulſiuus minus vehemens, in quo contractiones & alternæ ſunt & crebriores, ſed non ita violentæ verſus principium, quare motus conuulſiuus plus habet de conuulſione, at tremor plus de motu ordinario. G. Das Zittern, Schaudern, Beben.

TREPANATIO, eſt operatio chirurgica, qua trepano ſiue modiolo hominis viuentis cranium perterebratur, cum vel fractum & intropreſſum fuerit cranium, vel ſpinæ oſſeæ abruptæ pungunt cerebrum, vel extrauaſatus ſanguis ex vaſis ruptis, qui comprimit cerebrum, &c. vt hæc cuncta ex foramine facto educi poſſint. G. Trepanirung.

TREPANVM, idem quod *modiolus*. Eſt corruptum vocabulum Græcum τρύπανον, *terebra*.

TRIANGVLARE OSSICVLVM, eſt illud os, quod in cranio inter ſuturam lambdoidem & ſagittalem ſitum eſt; quod ad epilepſiam quoque conducere ferunt. Vocatur etiam *triquetrum*, item *Wormianum*.

TRIANGVLARES MVSCVLI, eſt aliquando vnicus, ſed non ſemper, a ſummo cubiti ortus, & circa medium eiusdem carnoſo, anguſtoque fine deſinens. Verum *Caſſerius* putat ſe inueniſſe duos paruulos, circa articulum cubiti exiles, & oppoſito modo incedentes, atque inſtar trochleæ pronum & ſupinum radium mouentes. Sunt & alii triangulares muſculi, dicti ſternoidei, ſub ſterno oriuntur e medio ſternoidei muſculoſi faſciculi, pro parte triangulari linea circumſcripti, ſic oblique coſtarum extremis partibus vt & cartilaginibus quatuor, quinque & ſex ſuperioribus alligantur, cum intercoſtalibus tam indiſſolubili nexu ſæpe cohærent, vt alterutrorum faſcieuli ſine laceratione ſeparabiles non exiſtant: imo vero, nonnunquam radiata ſolummodo intercoſtalium muſculorum fibrarum veſtigia longe ab inuicem remota inueniuntur, atque hoc in caſu, pleura ſub ſterno ſolito craſſior reperitur. G. Der Bruſtbeinsmuſcul.

TRIBVLVS aquaticus, penult. corr. quia *Dioſcoridi l. 4. c. 11.* Τρίβολος ἔνυδρ@. Accedit illud Poetæ:

Semina iacta legunt, lolium, tribulique fatigant. Ouid. 5. Met.

Tribulus terreſtris eſt planta, quæ habet caules ſemipedem circiter longos, repentes, rotundos, nodoſos, villoſos, rubicundos, in ramos diuiſos; folia pinnata lenticulæ, incana, piloſa: flores ſunt roſacei, plurimis ſcilicet petalis in orbem poſitis conſtantes, lutei: ex horum calice ſurgit piſtillum, quod deinde abit

 in

in fructum, quodammodo cruciformem vel turbinatum, ex pluribus partibus plerumque compoſitum, muricatis, in capitulum collectis, & ſeminibus fœtis, vt plurimum oblongis, in loculis nidulantibus: radix fibroſa; hæc planta creſcit in pratis præſertim in regionibus calidis; dicitur παρὰ τὸ τρὶς βάλλειν, quod fructu ſuo tria vulnera infligat, vel quod cuſpidatum trifariam feriat. Malunt alii a ſeminis triquetra figura tribulo bellico inſtrumento ſimili. G. Waſſernuß, Stachelnuß.

TRICA INCVBORVM, eſt plicæ polonicæ ſpecies. G. Marenflechte, Judenzopf.

TRICHIASIS, eſt ciliorum introreflexio, ita vt pili oculum pungant; quod fit vel phalangoſi, vel cum alia pilorum ſuccreſcit ſeries. Item vrina piloſa, cui ab humoribus pituitoſis, pili innatare videntur, a θρὶξ pilus.

TRICHISMVS, eſt fracturæ oſſeæ quædam ſpecies tenuiſſima, & veluti pilaris, plerumque iuxta oſſis longitudinem excurrens, rimæ tenuis inſtar, ita vt ſenſum fere effugiat, hinc etiam mortis aliquando cauſa exiſtit, quia ſe non facile prodit, admodum dolorifica, & magnis cum ſymptomatibus: a θρὶξ pilus. G. Ein Spaltbruch.

TRICHOMANES, planta eſt, quæ plures paruos caules habet, rotundos, fragiles, nigricantes, quibus adhærent folia minima obrotunda, leuiter crenata, tenera, ordinatim diſpoſita, in dorſo habentia multa corpuſcula minima, quæ microſcopii ope apparent eſſe fructus huius plantæ, in quibus occurrunt capſulæ ſphæricæ funiculo vi elaſtica donata inſtructæ, qui contractione ſua has capſulas, ſemina minutiſſima includentes, aperit: radix eſt filamentoſa, & nigra: hæc planta creſcit in petris & muris, iuxta fontes & riuos; tota hyeme viret, *filicula*, *capillaris*, *polytrichum*, dici volunt, quod fluentem capillum expleat, & ſubnaſci faciat: μανὸν enim rarum vocant, & τρίχα, capillum: hinc quoque *Capillaris* vocatur. G. Wiedertodt, Frauenhaar.

TRICHOPHYLLA, ſunt plantæ cuius folia capillorum ſimilitudinem habent, vt fœniculum, corallina &c. ex θρὶξ capillus, & φύλλον folium.

TRICHOSIS, idem quod *trichiaſis*.

TRICOCCOS, eſt meſpili fructus, ſic vocatus a tribus nucleis quos continet, a τρεῖς, tres & κόκκος nux, bacca, granum.

TRI-

TRICONGIVS, eſt menſura octodecim ſextariorum.

TRICVSPIDES VALVVLÆ, ſic vocantur tres membranulæ, figura tricuſpides, variis lacertulis præditæ, ante oſtium venæ cauæ in corde locatæ, ſic ſitæ vt ſanguinem ex vena caua quidem admittant in cor, non vero remittant; ſed a ſanguine ex corde contracto egredi conante explicantur, viam omnem intercipiunt, vnde in arteriam pulmonalem ſolam impellitur.

TRIENS, eſt tertia pars libræ medicinalis, continens vncias quatuor. Continet quatuor cyathos.

TRIFOLIVM, eſt planta, quæ caules habet ſeſquipedem circiter altos, tenues, rotundos aliquando parum lanuginoſos, quosdam rectos, alios repentes; folia terna, raro quaterna aut quina, nunc rotunda, nunc oblonga, acuta, villoſa, interdum ſpiculatis lineis albis notata, nonnunquam obliquis candicantibus ſtriis virgata: flores ſunt exigui, albi, papilionacei, ſimul cum ouario vagina fimbriata obuoluti, in ſpicam congeſti: ouarium fit capſula calice recondita, & fœta ſemine vt plurimum reniformi, rubicundo, per maturitatem arcte adhærente capſulæ: radix parua, fibroſa, tortuoſa, lignoſa, alba: hæc planta creſcit in pratis. Gr. τρίφυλλον, planta vocatur a tribus, quæ habet, foliis. Eius ſunt in pratis variæ ſpecies. G. Klee.

TRIOBOLON, eſt pondus drachmæ dimidiæ, ſiue trium obolorum.

TRIORCHIS, eſt ſatyrii ſpecies, quæ non duabus, ſed tribus teſticulatis radicibus in terra nititur, ex τρεῖς tres, & ὄρχις teſticulus.

TRIPHYLLON, eſt trifolium.

TRIPLOIDES, eſt inſtrumentum chirurgicum, ſic ob triplicem baſin dictum: in vſu fuit ſi cranii depreſſio tam magna eſt, vt cæteri vectes, ob infirmitatem, non ſufficiant.

TRIPOLIS, penult. corr. quia Græcis eſt τρίπολις. Tripolis, vel terra Tripolitana, eſt ſubſtantia terrea, facile friabilis, coloris citrini intenſi, ſaporis adſtringentis, eruta ex fodinis. G, Tripel.

TRIPOLIVM, eſt aſteris ſpecies; dictum quod eius flos ter de die colorem mutare perhibetur: ita vt mane candidus.

meridie purpureus, veſperi puniceus aſpiciatur: idque forte, cum flores omnes non ſimul, ſed particulatim & ſenſim floreant, & perficiantur, facile contingit, tres florum colores conſpici incipientium, completorum & deficientium, ex τρὶς ter, & πολέω muto, verſo. Sed forte a Tripoli, vrbe maritima, nomen accepit. G. Meerſternkraut.

TRIPSIS, eſt contritio, ſiue contuſio, a τρίϐω tero.

TRISMVS, eſt dentium ſtridor: ſiue conuulſio violenta & inuita muſculi temporalis & maſſeteris, qua dentes tam valide contra ſe inuicem contrahuntur, vt ad minimum motum obliquum ſupra ſe inuicem exterius vel interius per muſculos pterygoideos factum, ſonus acutiſſimus oriatur & ingratus auribus, qui ſtridor vocatur, a τρίζω ſtrido. G. Das Knirſchen der Zähne.

TRISSAGO, & TRIXAGO, vocatur ſcordium, forte ob ſimilitudinem cum trixagine, ſiue chamædry.

TRITÆOPHYES, eſt febris continua remittens, quæ tertio quoque die exacerbatur, ex τριταῖος triduanus, & φύω creſco.

TRITÆVS, idem quod *febris tertiana intermittens.*

TRITICVM, eſt planta, quæ plures habet caules vel culmos quatuor vel quinque pedes altos, ſatis craſſos, rectos, per interualla nodoſos, excauatos, foliolis quibusdam longis, anguſtis inſtar graminis inſtructos: flores ſunt hermaphroditi, apetali, conſtantes ſtaminibus maſculinis, ſimplicibus, ferentibus ſuos teſticulos tenues, gracilesque; intra hos poſitum eſt ouarium, binis recuruis tubis inſtructum: vtraque hæc defenduntur binis foliis petaloidibus, ſæpe ariſtatis, per appendicem longam, acutam, gracilem, iam piloſam, alias glabram; cinguntur rurſum duobus foliolis cauis carinatis calicis vicem præſtantibus: ſuſtentantur hæc vno pedunculo, qui cum aliis accretis vni axi facit ſpicam denſam: ſemina ſunt magna, oblonga, gibba, vna parte ſvlcata, extus coloris flaueſcentis, intus albi, farinoſa, nutrimenti optimi: radix tenuis, filamentoſa: eſt frumentum, dictum, quod ex ſpicis fit tritum, vel, quod trituræ deſtinatur. Gr. πυρὸς & πυρόν. G. Weitzen.

TRITORIVM, idem quod *infundibulum.*

TRITVRATIO, eſt contuſio, qua medicamenta in puluerem rediguntur, vt eo aptius cum aliis miſceri, vel virtus eorum extrahi poſſit.

TROCHANTER, idem quod *rotator.*

TRO-

TROCHISCI, eſt medicamenti interni & ſicci genus, nempe ſunt rotulæ ſeu orbiculi ſignati, fiunt ex pulueribus cum mucilagine exceptis, & in paſtam redactis, ex qua orbiculi in vmbra ſiccandi formantur, a τρόχος rota, vocantur item *paſtilli*, ab ἀρτισκὸς, quod panem referat, κυκλισμὸς a circuli figura. G. Küchlein.

TROCHISCI *Moſchardini*, ab intrante moſcho ſic dicti, penult. prod. vt cætera adiect. in inus, ab animal. deſcendentia.

TROCHLEA, vide *bathmis*.

TROCHLEARIS MVSCVLVS, eſt muſculus oculi obliquus ſuperior, ſiue maior, & omnium tenuiſſimus, habens tendinem longiſſimum, oculum circumagit ad angulum internum; nam communi principio, cum primis quatuor ortus, ad internum angulum recta fertur, ibi per trochleam cartilagineam, intra anteriora orbitæ ſitam, tranſit, & recto angulo adſcendit ad eum locum, vbi quintus inſerebatur. Dicitur *trochlearis*, quia quaſi per trochleam circumrotatur, quæ trochlea cartilago eſt in oculo propendens, ſita ad os maxillæ ſuperioris iuxta internum oculi angulum. Hic cum altero obliquo, *amatorius* appellatur. *Trochlea* venit e τροχίζω torqueo. G. Der Rollenmuſcul.

TROGLODYTICA myrrha, penult. corr. vt cætera adiectiua in icus. Vide hyſtericus, nephryticus, &c. Troglodytica myrrha, eſt ea quæ optima eſt, & in Trogloditi patria nata. Vide *Myrrha*.

TROMA, eſt vulnus, a cauſa externa inflictum, a τιτρώσκω vulnero.

TROMBOSIS, eſt coagulatio lactis, vel ſanguinis in corpore humano. Vide *coagulatio*.

TROMOS, idem quod *tremor*.

TRVNCVS, dicitur illa pars arteriæ magnæ & venæ cauæ, quæ deſcendit a corde ad vaſa iliaca: ſpecialiter attribuitur ramulis maioribus, qui e trunco magno emittuntur ad viſcera ſpeciatim, vt truncus ſplenicus, hepaticus &c. G. Ein Stamm.

TRVNCVS, eſt totum animalis corpus, exceptis capite & artubus adhærentibus. G. Der Rumpf.

TRYPANVM, idem quod *modiolus*.

TRYPHERA, Perſica, Saracenica, Nicolai; penult. corripit, quia Græcis τρυφερός, ά, όν, delicatus, a, um, a τρυφή, delitiæ;

litiæ; Compoſitiones hæ ideo τρυφεραὶ, ſiue delicatæ appellantur, quod totius corporis, oriſque colorem, odoremque commendent, & natiuum membris ſuccum reſtituant.

TVBA EVSTACHIANA, eſt canalis amplus, tenuiorem calamum ſcriptorium admittens, apertus, ad palati extrema vel narium poſteriora tendens, ortus a tympani parte anteriori & inferiori, prope tympani membranam, principio ampliori, patente, elliptico, mox iterum ſenſim coarctatur perfecte tubæ inſtar, ſic conum ellipticam baſin habentem referens, oblique deorſum verſus interiora, inferiora, anteriora delatus, ante canalem oſſeum arteriam carotidem internam continentem ſitus, poſt trium circiter vel quatuor linearum progreſſum in plures partes inæquales, rupta quaſi ſpatia efficientes, deſinit, hactenus oſſeus eſt, & oſſi petroſo inſculptus, ſenſim interim in circulum mutata ellipſi. Huic apponitur dein canalis alius, priori continuatus & ſimilis, ſed eo duplo longior, anguſtus admodum in ſuo principio, multoque anguſtior quam eſt canalis oſſeus (tota enim tuba eo in loco quaſi arctiore ſulco excauata videtur) ſenſim dilatatus, hinc etiam conicus, inuerſus, tandem ad finem multo rurſus, quam eſt oſſea pars, amplior, conſtans partim ſubſtantia cartilaginea, reſpiciente occiput, & conſtituente partem ſuperiorem, lateralem, poſteriorem pro maiori, lateralem anteriorem pro minori parte, & maximam partem labrorum orificii, partim membranacea, reſpiciente foramen auris, conſtituente & abſoluente reliquam tubæ partem, ſic ſupplente cartilaginis defectum. Denique cartilaginea hæc pars, extremum tubæ finem præcipue vero ad poſteriora lateſcens, expanſa, incraſſata, reflexa, conſtituit marginem ſemilunarem, cartilagineum, robuſtum, extuberantem, cornua ſua in interiora narium procurrentia habentem, formantem labra orificii ampli, patuli, elliptici conniuentis, nunc aperti, nunc iterum valuula hac cartilaginea (quæ fini tubæ quaſi ianitor præfecta videtur) adducta claudendi, eaque ſemper muniti, quo tandem totus hic canalis deſinit ad latus internum alæ internæ pterygoidei proceſſus oſſis ſphenoidis, a latere foraminis poſtici narium, ſupra palatum mobile, velum pendulum palatinum vulgo dictum, vbi ſupra vuulæ baſin terminatur. Huius inuentor fuit Alcmæon Crotonienſis, ſed veteribus poſtea neglectus accuratiſſimo Euſtachio iterum deſcriptus, a *Stenone*, *du Verneyo*, multisque aliis, præſertim Gallis, Aquæ ductus vocatur; ſed ad euitandam confuſionem cum Aquæ ductu Fallopii, cum quo a multis, docente

cente *Schelhammero* paſſim confunditur, nomine a ſimilitudine inuentorisque cognomine deſumpto, & a *Valſalua* excogitato, Tuba Euſtachiana potius appellandus.

TVBA VTERI, TVBÆ FALLOPIANÆ, ſunt duo canales fere conici, tortuoſi, membranoſi, ex binis ſuperioribus foraminibus vteri exeuntes, vtrinque vnus, ex anguſtata capacitate circa matricem ſenſim dilatati, in hemicyclos celluloſos flexi, VI. VII. vel quandoque VIII. circiter digitos longi; horum amplitudo circa medium fere paruum digitum æquat: perui ſunt, ſi enim per tubulum in eorum principium immiſſum flatus verſus extremitatem propellatur, per eam illico erumpet, quod in omni animalium genere ſemper obſeruauit Graafius: extremitas vtero iuncta & in eius cauum hians minima eſt, ſetam enim tantum aut ſtylum tenuem transmittit; at in progreſſu ſenſim dilatatur, & circa medium latiſſima: altera vero extremitas in abdomine fluctuans quartam ſolummodo digiti auricularis craſſitiei partem admittit, fimbriisque multis muſcularibus ornata eſt, ouario, quando opus eſt, ſe applicantibus. Tubarum ſubſtantia membranacea eſt, duplicique conſtat membrana, quarum interna originem habet, aut ſaltem communis eſt cum illa, quæ internam ſubſtantiam vteri cingit, hæc glanduloſa eſt, intusque rugoſa, & lubrico humore imbuta: externa vero membrana communis eſt cum ea, quæ externam vteri ſubſtantiam obuelat, eſtque prope vterum craſſior: vaſa copioſiſſima corpus cauernoſum intra membranas earum efficientia, vt erigi ſiue rigidæ reddi queant, quando ouario applicandæ; a quibus etiam humectantur: ſi diligenter aperiantur & dilatentur, tubæ cuiusdam æneæ extremum orificium exprimunt. Vſus eſt, vt oua a teſtibus recipiant, & in vterum deferant. G. Mutterröhre, Muttertrompete.

TVBERCVLA, idem quod *phymata*.

TVBEROSA, eſt hyacinthus Indicus tuberoſus, flore hyacinthi orientalis: nomen a tuberoſa radice ab Italis datum. Tuberoſa etiam dicitur radix, quotiescunque veræ radici, quæ in medio eſt, multa vndique & magna ſatis adnaſcuntur tubera, quæ perperam vulgo pro radicis partibus habentur, quum potius gemmarum ſpecies dicendæ ſint, nouam enim (vt certis conſtat experimentis) plantam in ſe continent, imo propriis fibroſis, vnde nutriuntur, gaudent radicibus ab inferiori parte ſibi appoſitis, vt in aſphodelo & pæonia obſeruatum fuit:

hyeme vero perit omne plantæ capillitium, & remanent ſola cum craſſioribus radicibus tubera, quæ ſequenti anno germinant. Sic ratio in promptu eſt, quare radices officinales, quæ eo modo conſtructæ ſunt, hyeme, ſaltem antequam vigere incipiant, effodi & colligi debeant, quia tunc ſcilicet radix totam iam futuram plantam, omnesque eius vires concentratas & collectas continet, quæ radicem deinceps pro maxima parte deſtituunt, & per omnes plantes partes diſperguntur.

TVLIPA, eſt planta, quæ habet caulem vnicum, rotundum, medulloſum, duobus vel tribus foliis longis, latis, craſſis, duris, in margine vndoſis, acutis, inſtructum: flos eſt liliaceus, hexapetalus, forma quodammodo vrcei, nudus, in faſtigio caulis vnicus, erectus, ſex ſtaminibus præditus: ouarium, quod fit fructus oblongus, trifariam dehiſcens, in tria loculamenta diuiſus, ſeminibusque fœtus planis bino ordine ſibi incumbentibus. Radix eſt bulboſa interdum breuior, nonnunquam oblongior, craſſa, foris vel flaueſcente, vel magna ex parte, nigricante membrana obducta, quæ interna parte lanuginoſa eſt, caſtanearum corticis inſtar, aliquando autem adeo denſo tomento plena, vt molliſſime recubet bulbus, qui ſolidus eſt, firmus, & velut albumen oui coctum candidus, guſtanti dulcis, ſaltem non ingratus: nomen accepit a pilei ſimilitudine, qui Turcis dicitur *Tulipant, Dulpant*, quemque videtur hic flos forma exprimere. G. Tulipane, Tulpe.

TVMOR, Gr. ὄγκος, οἴδημα, eſt morbus, quo partes humani corporis præter ſolitum modum ampliantur, & extenduntur, per affluxum plurium liquidorum, vel concretionem ſolidorum, ita vt deſtinatam operationem perficere, vt par eſt, nequeant. G. Schwulſt, Geſchwulſt.

TVNETANVS FLOS, eſt Flos Africans aurei coloris, ſic dictus, quod in regione Africæ Tunetenſi creſcat. Nullius eſt in medicina vſus.

TVNICA, inter vegetabilia eſt tenuis cortex & veluti membranaceus, quo vel arbor, vel radix inueſtitur. Sic cæpa folliculis eſt tunicata.

TVNICA, eſt betonica, detractis duabus litteris prioribus: eo nomine veniunt flores caryophylli hodie. G. Nelckenblumen.

TVNICA, idem quod *membrana*.

TVNICA CORNEA, vide *cornea tunica*.

TVNI-

TVNICA RETIFORMIS, vide *retina* & *amphibleſtroides*.

TVRBITH, ſeu TVRPETVM, putatur eſſe radix alicuius conuoluuli Indici, quæ vario, longoque reptatu ad tres quatuorue cubitos aſcendit. Radix pollicem & amplius craſſa, lignoſa, in aliquot ramos diuiſa, craſſo fuſcoque cortice tecta, qui ruptus, ſtillat ſuccum lacteum, glutinoſum, & pallide flaueſcentem reſinam, illico concreſcentem. Folia habet althææ, floremque monopetalum conuoluuli vulgaris magnitudine, & forma candidum. Adfertur nobis ex Guzarata, Canara, Goa, Cambaia, Dio inſula, Bacia &c. in officinis eligitur non carioſa, intus alba, & reſinoſa. Forte ſpecies erit ſcammonii, cuius radix etiam reſinoſa, & eiusdem indolis: aliqui a turbando deducunt, quod propter magnam violentiam, purgando corpus turbet: ſed origo ex barbaris linguis potius quærenda eſt.

TVRBITH MINERALE, ſeu TVRPETHVM MINERALE, eſt puluis flauus ex Mercurio præparatus.

TVRBO, inter vegetabilia dicitur quidquid ex acumine tendens in amplius ſpaciatur. Hinc turbinatum, quod ex anguſto continenter in latius prodit. Sic turbinata conſpicitur pyrorum forma. Permulta etiam herbarum folia in mucronem turbinantur.

TVRGESCENTIA HVMORVM, idem quod *orgaſmus*.

TVRIONES, ſunt teneritates ſummitatum tam arborum quam fruticum, quæ ſingulis annis creſcunt.

TVRPETHVM, vide *turbith*.

TVRRITIS, TVRRITA, eſt naſturtii ſpecies; ſiue planta, quæ habet folia ex radice erumpentia, oblonga, villoſa, ſinuoſa, repentia; caulis ex his naſcitur ſolidus, rotundus, habens folia exigua, acuta, inſtar acetoſæ, ſine pediculis: flores in faſtigium turris inſtar aſſurgentes, exigui ſunt, albi, quadrifidi, cruciformes: flori ſuccedit ſiliqua compreſſa, continens ſemina exigua, rubicunda, ſaporis acris: radix eſt fibroſa, alba: hæc planta creſcit in pratis; ſic dicta, quod caulis eius ſe turris in modum erigat.

TVRVNDA, TVRVNDVLA, *Linamentum*, *Pannus*, μοτὸς, ἔμμοτον, eſt linteum concerptum, quod vnguento illitum, vlceribus imponitur. G. die Wiecken.

TVS,

TVS, idem quod *thus*.

TVSSEDO, idem quod *tuſſis*.

TVSSILAGO, *Dioſcoridi l. 3. c. 126.* βήχιον, *Plinio l. 26. c. 6.* & bechion & tuſſilago: penult. producit, vt cartilago, Carthago, imago, indago, propago, ſimilago, triſſago, virago, vorago. Tuſſilago, ſeu *farfara*, eſt planta, quæ plures habet caules tenues, qui in ſummitate habent florem radiatum, citiſſime caducum, cuius diſcus ex floſculis, corona ex ſemifloſculis componitur, embryonibus inſidentibus, & calice multifido comprehenſis: embryones poſtea abeunt in ſemina pappis inſtructa: flos ante folia menſe Martio vel Aprili erumpit: radix eſt ſaporis ſubacris cum leui lentore, odoris nullius: folia ex radice erumpunt magna, ampla, anguloſa, circularia fere, ſuperne viridia, interne alba: creſcit in locis humidis, quod hæc planta tuſſientibus medeatur, appellationem habet. G. Huſlattig.

TVSSIS, Gr. βήξ a βήττω, tuſſio. Eſt motus conuulſiuus muſculorum & motricium fibrarum, quibus reſpiratio peragitur, ita vt exſpiratio variis vicibus interrupta, iterumque repetens, aerem expellendo e pulmonibus, & repellendo contra latera ramorum aſperæ arteriæ, tandem poſt aliquot ictus, & niſus cum ſonitu grauiore, vel acutiore, non ſine vi, & ſæpe humoris vel phlegmatis excretione peragitur: hinc ex tuſſi, perinde vt in ſternutatione, concuſſio corporis fit, adeo vt in vehementiore tuſſi non leuis labor ſit, & motus ſuffocationis, ideoque facies & oculi rubore & liuore afficiuntur, atque a tuſſi aliquot horas durante, identidem repetente, vires admodum franguntur, & venter, pectus atque caput dolore affliguntur, præſertim in *ſicca tuſſi*; aliquando etiam vomitus ſubſequitur, aut ex illa concuſſione viſcerum, hernia in inguine, vel vmbilico fit. Verum tuſſis comitem agit in aſthmate, pleuritide, hydrope, empyemate, vulneribus pectoris, malo hypochondriaco, hæmoptoe, grauedine, phthiſi &c. Diuiditur in *tuſſim ſiccam* in qua nihil, vel parum excernitur, vti omnis tuſſis in principio eſt. In *humidam* in qua ſanguis, pus, pituita vel tenuis liquor excernitur, ſed ea ex accidenti fit. In *nocturnam* & *infantium conuulſiuam*, quæ etiam ex accidenti eſt. Dicitur quoque *Tuſſedo*. G. Der Huſten.

TVTIA, ſiue CADMIA FACTITIA, eſt corpus denſum, ex fuligine æris, dum in fornace conficitur, concretum, adhærens lateribus, cameriſque fornacum, vel & in partem

tem infimam delabens. Triplicis id fit generis, nominibus a re, quam repræſentare videtur, ſumptis. *Botrytem* appellant, quæ vuæ ſpeciem refert: *oſtracitem*, quæ teſtis ſimilis eſt: *placitem*, quæ cruſtis. *Botrytis* reperitur in fornacis parte media. *Oſtracitis* in infima; *Placitis* in editiore. Sunt qui *capnitem* & *calamitem* addunt. *Capnitem*, quæ in ipſo fornacum ore reperitur, tenuiſſima, exuſta & nimia tenuitate ſimilis fauillæ. Verum hæc a Pompholige vix vel parum differre videtur. *Calamitem* vocant, a figura calami, quam a pertica ferrea acquirit. Nimirum decutitur hæc a ferreis perticis, quibus cadmia, dum æs fuſum iis agitatur, adhæreſcit. Optima eſt *botrytis*, denſa, modice grauis & in leuitatem magis inclinans, racemoſa facie, quæ fracta cinerulenta eſt. Vulgo in officinis dicitur *tutia*, vel *cadmia Græcorum*. Gr. καδμεία. Arab. Climia. G. Hüttenrauch, grauer Tutz.

TYLOMA, idem quod *callus*.

TYMPANITES, TYMPANIAS, *aqua intercus ſicca*, eſt tumor abdominis fixus & conſtans, æquabilis, durus, renitens, & a pulſione ſonitum edens, plerumque in faſtigium aſſurgens, absque grauitatis multo ſenſu; oriundus ex paralyſi partis inteſtini, & a flatu intercepto ſummopere dilatati: vel ab humoribus in abdomen exhalantibus, non reſorptis, ſed putreſcentibus, & aerem ſic ex ſe veluti generantibus; vel a vermibus peredentibus inteſtinorum tunicas, vnde aer tum abdomen intrat, calore expanditur, & tumorem excitat; dicitur quoque *hydrops ſiccus*, a τυμπανίζω, tympani inſtar ſono. G. Truckene Waſſerſucht, Windſucht.

TYMPANI MEMBRANA, ita dicta, quia ſubiectæ cauitati tympani nomine inſignitæ ſuperinducta eſt, ſita ad finem meatus auditorii, quem terminat, claudit, a tympano ſeparat, & ſic aerem internum ab externo hic loci ſecludit, & corpuſcula quæcunque per aerem volitantia, inſecta, cæteras aeris externi iniurias, & ſimilia ab interioribus arcet, & ita tandem apprime defendit: ſitus eius non perpendicularis, ſed valde obliquus, ita vt ad ſuperiora meatus inclinet, ab inferioribus excurrat, hinc ad ſuperiora & poſteriora obtuſum, ad inferiora & anteriora acutum cum meatu angulum format, ſic auget ſuperficiem plus, quam ſi ad perpendiculum apponeretur, hinc locum facit ampliorem pluribus radiis ſonoris incurrentibus, inprimis autem efficit, vt incurrant radii præcipue

pue in medium huius membranæ centrum, vt ſic facilius & validius tremat. Eſt hæc membrana in omnibus iunioribus, adultis, ſenibus, etiam brutis quibuscunque, ſemper integra, nunquam foraminulenta, aut etiam quodam aperto & naturaliter patente foramine pertuſa; ſed ablato muſculo mallei externo, verum foraminulum ibi adeſt, oritur enim ille extra tympanum, vt illud intret, tranſit inter os & membranam tympani ad ſuperiora, vbi annulus in fœtu, in adultioribus meatus auditorius deficere obſeruatur, hinc dictam membranam ibi quaſi perforat, vnde hoc ablato foramen conſpici debet, & naturaliter muſculo tranſeunte, nullum adeſſe debet. Membrana hæc eſt tenuiſſima, hinc pellucida, etiam minime aſpera, vndique foris ac intus læuis, polita, interim tamen non ex vna ſimplici, ſed ex tribus diſtinctis lamellis, ſibi inuicem applicatis, vnitis, connexis, vt in fœtu optime patet, conſtans. Plura apud anatomicæ doctrinæ ſcriptores quærenda ſunt. G. Das Trummelhäutlein im Ohr.

TYMPANVM, eſt cauitas pone tympani membranam verſus interiora, temporalis oſſis parti petroſæ inſculpta, ampla, lata, cæteris cauitatibus, in eodem oſſe petroſo etiam reperiundis, maior; habens ſuperficiem aſperam & inæqualem admodum, cauernulis, eminentiis, ſinubus, foraminibusque maxime interruptam; hinc ſortita figuram valde irregularem, ad ellipticam tamen optime accedentem; parte ſua anteriori clauſa membrana tympani; per ſinuoſitatem maſtoidem, in parte poſteriori & ſuperiori tympani ſitam, communicans cum mammillaris oſſis temporum proceſſus cellulis multis, magnis, amplis, cauis, in ſe inuicem patulis, in infante recenter nato non inueniendis, ſenſim cum tempore formatis, tympani cauo vnitis, illudque quam maxime augentibus, ampliantibus, complentibus, hinc ab eo non diſtinguendis, præſertim cum in iis animalibus, in quibus hi cancelli non adſunt, ipſa tympani cauitas multo amplior obſeruetur. Huius autem caui interna facies tota obducta eſt membrana quadam tenui, tenera, a dura matre, per commiſſuram inter os temporale, & partem petroſam occurrentem tympanum ingrediente, ibique ſeſe expandente, ſuppeditata; hinc falſo a Veſalio, aliisque, pro nerui auditorii expanſione habita; cauernulas oſſis maſtoidis etiam ingrediente & inueſtiente, ſic verum perioſteum hic efficiente; ditata interim vaſculis arterioſis quam plurimis a carotide duram matrem perreptante oriundis, mirabili & prorſus ſingulari reptatu hic diſtributis, vt artificioſa horum vaſorum reple-

pletione detexit primo dexterrimus Ruyſchius: hæc vaſcula videntur ex vltimis ſuis ramulis per fiſtulas minimas laterales emiſſas, ibidem eructare liquidum tenuiſſimum, aqueum, ad membranam omnia inueſtientem irrigandum, humectandum obliniendum, laxandum. Tympanum dicitur hæc cauita, ob aliqualem cum bellico hoc inſtrumento ſimilitudinem. G. Die Trummel im Ohre.

TYPHA, Gr. τύφη, eſt planta paluſtris, quæ habet plerumque caulem vnicum, rectum, politum: folia longa, anguſta, craſſa, ſpongioſa, ſubdulcia, quædam ex radice, alia ex nodis caulium erumpentia: flos mas, ſolis ſtaminibus nudis, valde puluerulentis conſtans, flores in gracilem denſe compacti congeruntur ſpicam: ouaria in ſpicam denſiſſimam compoſita hærent ſub ſpica priori, ſunt tenuia, multisque inſtructa filamentis: vtræque ſpicæ in formam clauæ per eandem continuatam longitudinem porriguntur: radix repens, interne albiſſima, ſaporis inſulſi. G. Rohrkolben, Narrenkolben.

TYPHODES, eſt febris ſymptomatica continuata & ardens, in qua primo ſtatim die ægri copioſe ſudant, ſudore ipſo parum aut nihil alleuante; hinc ſudorifera vocatur; velut ab inflammatione viſcerum, ex τύφος fumus & εἶδος forma.

TYPHOMANIA, eſt delirium cum phreneſi, & lethargo, ex τύφω incendo, effero, & μανία furor. Vide *coma vigil.*

TYPHONIA, idem quod *typhomania.*

TYPVS, ſiue PERIODVS & CIRCVITVS, eſt ordo febrium, conſtans ex intenſione & remiſſione, a τύπτω verbero, tundo, τύπος, impreſſum veſtigium.

TYRIA, barbaris idem quod *Ophiaſis.*

TYRIASIS, idem quod *elephantiaſis* & *ſatyriaſis.* Eſt autem hoc & præcedens vocabulum corruptum ex Græco θήριος, θηριώδης, θηρίωμα, quæ ferinum, malignum, denotant. Scribebant enim barbaro æuo pro *theriaca* etiam *tyriaca*, docebantque ipſi nomen eſſe a ſerpente *tyrus* dicta.

TYROSIS, eſt quando lac comeſtum, in materiam caſeoſam coagulatur, a τυρὸς caſeus.

V.

V.

VACCARIA, eſt planta alias *perfoliata* dicta, forte nomen a vacca, quod a vaccis adametur. G. Durchwachs.

VACCINIA, VACCINIVM, vide *rubus* & *viola*.

VACVATIO, vide *euacuatio*.

VACVI DIES, ſunt, quibus rariſſima & imperfecta ac mala criſis plerumque contingit: iique ſunt 6. 8. 10. 12. 16. 18; quibus nonnulli addunt 22. 23. 25. 29. 30. 32. 33. 35. 38. 39. hi medicinales appellantur, quod in iis medicamenta exhiberi poſſint, verum illi dies hic loci non obſeruantur tam exacte.

VAGA ARTHRITIS, vide *arthritis vaga*.

VAGINA VTERI, dicitur & *matrix*, vteri oſtium, vteri ceruix, *αἰδοῖον γυναικεῖον*, *κόλπος γυναικεῖος*. Eſt meatus ille, cui virilis in coitu penis inditur, non aliter quam vaginæ gladius aut culter; ſita eſt in regione pubis, figura oblonga; magnitudo, pro ætate & veneris vſu variat. Craſſities eius in ſuperiori parte latitudinem ſtraminis adæquat, in inferiori vero propter accretionem, eandem duplo vel triplo ſuperat. Latitudo, qualis recti inteſtini, interne neruea & rugoſa. Perforatur plurimis porulis, præſertim in inferiori parte circa meatus vrinarii exitum, lacunæ, vt circa vrethram, ita & in tota vagina, vterique ceruice hinc inde reperiuntur, ſetas ſæpe admittentes, & liquidum mucoſum excernentes. G. Die Scheide der Mutter.

VAGINA PORTÆ, VAGINA HEPATICA, idem quod *capſula Gliſſonii*.

VAGINALIS TVNICA, vide *elythroides*.

VALERIANA, vox *Officinarum*, *Dioſcoridi l. 1. c. 10.* *φοῦ*, & *νάρδος ἀγρία*; *Recentioribus* valeriana appellata eſt, quod inſignibus valeat viribus ad morbos varios. Penult. prod. vt Valerianus Imper. ſecundanus, fontanus, oppidanus, ſyluanus, Claudianus, Thebanus, &c. Valeriana eſt planta, quæ habet caules tenues, rotundos, excauatos, ramoſos; folia coniugata, quædam integra, alia profunde laciniata: flores monopetali, infundibuliformes, multifidi, in ſummitate caulium, in vmbellas vel ſpicas congeſti ſunt: poſt ſingulum florem vnicum ſemen naſcitur, vt plurimum oblongum fere planum, pappis inſtructum: radix eſt oblonga, rugoſa, digitum craſſa, ſuperficie

ficie geniculata, foris ex cinericeo fuſca, intus pallida, numeroſis fibris dotata, ſaporis acris, aromatici, odoris fragrantis & grauis, qui ad nardum accedit. *Nardus dicitur* ab odore radicis. G. Katzenkraut, & Augenwurtzel, Baldrian.

VALERIANELLA, eſt planta, quæ habet caulem debilem, rotundum verſus terram repandum, rubicundum ſtriatum, excauatum, nodoſum, ad ſingulos nodos vtplurimum in duos ramos diuiſum, & hi rurſus in alios minores ramuſculos: folia ſunt oblonga, tenera, delicata, colore herbaceo, nullo pediculo appenſa, interdum ſerrata ſuperiora, ſapore ſubdulci & inſipido: flos eſt monopetalus, infundibuliformis, & calici inſidens: qui abit in fructum monoſpermon, ſemina continentem compreſſa parumper, in ſummo acuta, & per obliquum rugis quibusdam exornata, albicantia, ſatis magna pro plantulæ modo: radix parua, fibroſa, alba: creſcit hæc planta in regionibus calidis, eſt diminutiuum a *valeriana*.

VALETVDINARIVS, eſt is, qui optima ſanitate non fruitur, verum continuo morbis obnoxius eſt Gr. *νοσώδης, νοσηματικός*. G. Einer der immer kranckt

VALGVS, eſt is, cui pedes vel crura extrorſum verſa ſunt.

VALETVDO, eſt partium noſtri corporis qualiscunque ſiue bona ſiue mala agendi diſpoſitio. G. Geſundheit.

VALVVLÆ, ſunt membranulæ tenues in vaſis aut corde ſitæ, valuam referentes, a varia figuratione variam denominationem accepere, vt *ſigmoides*, *ſemilunares*, *tricuſpides*, *mitrales* &c. reperiuntur in venis, arteriis, vaſis lymphaticis, lacteis, & iuxta auctorem Blancardum in fibris muſculoſis, quas primo detexit; vſus eſt ſanguinem & alios liquores a regreſſu impedire G Fallhäutlein.

VALVVLÆ, etiam reperiuntur in inteſtinis, in tenuibus & craſſis, præſertim in ieiuno & circa initium inteſtini ilei, quæ a figura ſemicirculares vocantur. Hæ valuulæ, non vti priores in corde, integrum canalem claudunt, ſed ſunt modo eminentes plicæ, quæ, quo propius, accedunt ad ileum, paulatim incipiunt magis magisque obliquari, & in principio ilei minus obliquantur quam in progreſſu eiusdem. Similiter prope finem ieiuni, plicæ ſenſim longius ab inuicem diſtant: & in ileo ſimiliter quo vlterius deſcendit, adhuc longius. In principio & medio ieiuni vix ſemipollicem diſtant; in ileo, pollicem integrum & amplius. Digito impulſæ aliquantulum cedunt,

dunt, & huc atque illuc mobiles ſunt. In principio coli valuula carnoſa & circularis eſt, & præter hanc varias adhuc obtinet colon. *Vſus* eſt cibos nonnihil remorari, vt melius miſceantur cum ſucco pancreatico, bile, liquore gaſtrico, muco inteſtinali, itaque vt vlterius aſſimilentur humoribus noſtris, attenuentur, & quaſi fermententur, chylus in lactea diſtribuatur, adiacentes partes calore foueantur, poſtremo ne iterum adſcendant. G. Fallhäutlein.

VAPORARIVM, ſiue ÆSTVARIVM, eſt, cum non in liquore ſedet æger, ſed vapor ex ſella perforata adhibetur. Olla ſubdita, decocto calente ex rebus morbo curando conuenientibus, quantitate ſufficiente parato plena, quo frigido, aliud infunditur. G. Ein Dampfbad.

VARICIFORMES PARASTATÆ, epididymibus continuæ ſunt, ita nominata vaſa, quod varicum inſtar flexuoſa, contortaque ſpectentur, ad maiorem, vt putant ſeminis elaborationem. Præ cæteris neruoſa ſunt, atque tangenti duriuſcula deprehenduntur, hiſce continua ſunt vaſa ſemen ad veſiculas ſeminales deferentia.

VARICOSVM CORPVS, dicitur ille plexus vaſorum ſanguineorum, qui teſticulos ingreditur. Dicitur & *corpus pampiniforme*, vt & *corpus pyramidale*.

VARIOLÆ, ſunt morbus contagioſus, plerumque epidemicus, infantes imprimis corripiens, febre acuta continua incipiens, cum dolore capitis & lumborum, anxietate & inquietudine coniunctus: ſuccedentibus 3. vel 4. die punctis paruis rubris inſtar morſus pulicum, quæ faciem, manus & brachia, tum totum corpus deturpant, quæ ſuppurantur deinde poſt aliquot dies, & ſub epidermide cutem exedentes, non raro fœdiſſimas profundas foueas in facie relinquunt: oritur hic morbus ex contagio infecti communicato, vel ex aeris contagioſo & ignoto ſtatu, quo nunc mitius, nunc ferocius, ſæuit. Arab. *Bothor*. G. Die Kinderblattern, Pocken.

VARIX, vide *cirſos*.

VARVS, vide *ionthus*. *Varus* quoque ſumitur pro *arthritide vaga*; vide ſuo loco, item pro eo, cui pedes introrſum flexi ſunt, & valgis oppoſiti.

VASA, ſunt canales caui, ex conuolutis in ſe membranis compoſiti, conici, vel cylindrici, per quos liquores tranſeunt in noſtro corpore ad omnes partes; vt ſunt vena, arteria, va-

ſa lymphatica, ductus chyliferus, ductus ſaliuales &c. Gr. Ἀγγος, Ἀγγεῖον. G. Geſäß.

VAS BREVE, vide *breue vas.*

VASA CAPILLARIA, vide *capillaria vaſa.*

VASA DEFERENTIA, dicuntur, quæ ſemen ex teſticulis in veſiculas ſeminales deferunt, ex teſte ſingulo, emittitur vnum, quod coloris albi, inſtar nerui craſſioris, ſurſum fertur per proceſſum peritonæi cum vaſis ſpermaticis, quæ deſerit circa abdominis introitum, & reflectitur ad poſteriora veſicæ vrinariæ, tandemque veſiculis ſeminalibus inſeritur. G. Die Samenröhre.

VASA LACTEA, ſunt vaſa tenuia in meſenterio; ab inteſtinis præſertim tenuibus principio minimo orta, plura minora coeunt ad angulos acutos, creant maiorem fluuium, iterum a ſe mutuo recedunt, iterumque, facta inſula, coeunt in canalem vnum, qui mox cum ſimilibus eadem patitur, vt inde fiant maiores fiſtulæ, quæ omnes valuulis plurimis, vbique fere interſtinctæ, deinde, recta, obliqua, decuſſata, diuiſa, via, tendunt ad glandulas vagas, in meſenterio ſparſas, valde molles, eo concurrunt, has intrant, velant, cingunt, ſed iterum exeunt, minus ramoſæ, quæ ſunt primi generis; deinde quæ ſecundi generis, ſunt ab iſtis glandulis ad ſacculum chyliferum deducuntur. *Vſus* eſt chylum ab inteſtinis ad ſacculum chyliferum & ductum thoracicum vehere. Obſcurius viſa, ſed non ſatis cognita Herophili & Eraſiſtrati ætate: ſed noſtra ætate fuit inuentor primus *Aſellius*, in quibus poſtea dexterrimus *F. Ruyſchius* valuulas detexit, quæ ſunt vtriculares, geminatæ ſemper, ſua parte conuexa receptaculum chyli, parte concaua venam ſubclauiam reſpicientes: præter has valuulas etiam ſemilunarem, aperturæ ductus thoracici in venam ſubclauiam appoſitam, ita vt cornua eius venam ſubclauiam reſpiciant, admittentem liquidum ex ductu in venam ſubclauiam, ſed regreſſum ipſi negantem, pingit Lovver. G. Die Milchadern.

VASA LYMPHATICA, vide *venæ lymphaticæ.*

VASA PRÆPARANTIA, vide *præparantia vaſa.*

VASA SEMINARIA, dicuntur venæ & arteriæ ad teſticulos euntes. Vulgo *præparantia.* G. Saamengefäſſe.

VASA VMBILICALIA, ſunt duæ arteriæ & vna vena: arteriæ oriuntur ab hypogaſtricis, quarum primi rami ſunt; decurrunt primo per latera peluis; poſt a lateribus veſicæ vri-

 nariæ,

nariæ, ſub peritonæo: dein oblique vmbilicum verſus, inter peritonæum & transuerſos abdominis muſculos: toto hoc decurſu inhærent ſubſtantiæ celluloſæ, quæ exteriori parti peritonæi adhæret, cuiusque interuentu cum peritonæo partibusque vicinis cohærent: procedunt ad vmbilicum & ibi cum vena vmbilicali coeunt, & ſubſtantia celluloſa connectuntur inter ſe: vna dein exeunt vmbilico; & lineam albam quaſi perforant; immergunt ſe funiculo vmbilicali, & decurrunt ad placentam vsque, ſic vt eam ſibi circumfuſam habeant, & vndique adnexam. Non recta autem per funiculum decurrunt hæc vaſa, ſed ſe quaſi in ſpiræ modum contorquent; tanquam ſi triplex filum torqueretur, vt vnitas fieret; vnde per totum hunc decurſum arteriæ venam contingunt, iuuantque ſanguinis per venam fluxum: vbi funiculus ad membranas oui, Amnion & Chorion deſinit; arteriæ penetrant ſuperficiem Chorii, & ſtatim in ramos abeunt, qui vna cum venis placentam efficiunt, cuius interuentu ouum fœtus, atque adeo ipſe fœtus cohærent cum matre. Amplius de his videndi ſunt anatomici. G. Die Nabeladern.

VASTI MVSCVLI, extendunt tibiam, quorum *externus* a radice tota trochanteris magni, & eruris oſſe ſubiecto: *internus* a trochantere paruo, vtrinque paulo patellam infra ad latus recti inſeruntur. G. Der ſtarcke Muſcul.

VECTIS, eſt inſtrumentum chirurgicum, quo in fine perforationis cranii vtimur, nam labiis inciſi oſſis immittitur, ad oſſiculum hinc inde mouendum, vt vacillet, & volſellæ parte dentata auferri poſſit. Item inſtrumentum, quod in depreſſionibus cranii eleuandis vſurpamus. G. Ein Hebeiſen.

VEGETABILE aut VEGETANS, ita vocatur corpus hydraulicum, variis vaſis diuerſos humores gerens, quod parte quadam ſua externa alteri corpori adhæret, vnde per hanc partem haurit materiem nutrimenti & incrementi ſui. Vegetabilia proinde ſunt omnes plantæ molles, frutices, arbores, mucagines, lichenes &c.

VEHICVLVM, vide *ochema*.

VELAMENTVM BOMBICINVM, eſt lanuginoſa quædam ſubſtantia interiorem ventriculi, œſophagi, inteſtinorum partem, cruſtæ inſtar, aut muſci villoſi ſuccingens. Alii *vermicularem cruſtam* vocant; in inteſtinis ſi membrana villoſa cui in aqua tepida maceretur, & crebro abluatur, & lubrica

viſciditas

viſciditas concauæ inteſtinorum parti adhærens detergatur, & tunc inteſtinum inuertatur, & in liquore limpido ſuſpendatur, tota interior intimæ tunicæ facies nitidum quaſi holoſericum mentitur; dum ſcilicet microſcopio in ſole examinata, innumera quaſi filamenta pendula totam illam ſuperficiem obſidere videntur; ex iniectionibus & variis præparationibus liquet, maximam partem horum villorum eſſe tantum arteriolas & venulas minimas, ex vaſculis, quæ per celluloſam internam, ſiue iuxta alios neruoſam membranam decurrunt, & ad internam tunicam copioſe accedunt, oriundas, accepta ab illa vagina, productas intra cauum inteſtini, ibidemque pendulas; omnibus ſimul ad extremum finem abſciſſis quaſi & patulis: G. Das Sammetgleiche Darmhäutlein.

VENA ARTERIOSA, eſt arteria pulmonalis, cuius ope ſanguis ex dextro cordis thalamo in pulmones ducitur: tres obtinuit valuulas cuſpidales, ne ſanguis regurgitet, e dextro cordis ventriculo oritur, fere directe ſurſum aſcendit, & ad curuaturam aortæ in duos ramos laterales diuiditur, quorum vnus dexter vocatur arteria pulmonalis dextra, alter vero ſiniſtra dicitur, dextra ſub curuatura aortæ procedit, hinc maior eſt ſiniſtra: ambæ toti pulmoni impenduntur & mire ſe diuidunt.

VENA, Gr. φλέψ, ſpecies ſunt vena caua, portæ, lymphaticæ & lacteæ. Arteriæ aliquando pro venis ſumuntur. Conſtant ex quatuor tunicis, neruoſa ſc. glanduloſa, muſculari & membranoſa, & additur *celluloſa*. Vena caua proprie vocatur truncus ille magnus, in quem omnes venæ ſe exonerant ab Iliacis vsque ad ſinum venoſum cordis dextri, dein a venis iugularibus vsque ad locum eundem: eius rami ſuperiores vocantur venæ iugulares; quæ ad brachia tendunt *axillares*; in cor vaſa *coronaria*, in pulmones *pulmonaria*; ſic dicitur *phrenica* in diaphragmate; in cruribus *cruralis*; in renibus *emulgentes* ſeu *renales*, & ſic a varia ramificatione variam denominationem accepit, hæc format amplum, atque membrana arterioſæ ſimili obductum ſinum, qui in caua auris dextræ cordis, & in thalamum dextrum partim, deſinit. G. Die hohle Ader.

VENA AZYGOS, vel SINE PARI, vide *Azygos*.

VENA PORTÆ, eſt vena ex venis lienis, ventriculi, meſenterii, inteſtinorum, pancreatis, & omenti compoſita,

hepar tranſiens, ibique arteriæ formam induens, eiusque craſſitiem, & omnem ſanguinem a dictis viſceribus per hepar ferens, tandem in venam cauam deſinit. G. Die Pfortader.

VENA VMBILICALIS, eſt, quæ ſanguinem ex placenta vterina colligit, per funiculum vmbilicalem decurrit, abdomen fœtus intrat, ſurſumque reflexa ad hepar per ſingularem productionem peritonæi decurrit ad ſinum venæ portæ, a quo idem per canalem venoſum, fœtui proprium, ad cauam iter habet, ſic vt non opus ſit hepar omne traiicere per exiguos illos ductulos, quibus vena portæ ſuum ſanguinem cordi transmittit. Hæc vena in natis ſenſim aboletur, vt nullum eius veſtigium ſuperſit, & tantum theca illa ſeu vagina, per quam decurrebat, remaneat.

VENÆ vegetabilium ſunt coſtæ, quæ in plantarum foliis, imo & fructibus apparent, & ramulos & humorem habentes.

VENÆ, ſunt canales ſimiles fere arteriis figura & diſtributione; ſunt amplitudine maiores, numero forte plures, membranis omnibus longe tenuiores, interiores; valuulas habent, ſolitarias fere oblongas, digitabuli forma vtcunque, ad loca inſertorum in truncum maiorem ramorum, & binas vt plurimum iunctas in venarum maiorum truncis rectis, a corde remotioribus, atque perpendiculariter ſurſum vehentibus cruorem, quæ ſic factæ ſunt, & cauis canalium applicatæ, vt humorem ex minori ramo in maiorem truncum admittant, retrogreſſum caueant corde contracto, molemque ferant. Ea vero vaſa ipſa vitæ actione non micant, neque ſaliunt; habent extrema ſua varia, vt in arteriis obſeruatur, initia radicum venularum vel ex bibulis cuticulæ oſculis, vel a reſorbentibus in membrana omni interiore poſitis, vel ex arteriæ fine in venulam porrecto, vel ex ſimilibus quibusdam ſingularibus, vt in pene, clitoride, liene, vel ex pulpa forte glanduloſa. G. Blutadern.

VENÆ LACTEÆ, vide *vaſa lactea.*

VENÆ LYMPHATICÆ, vaſcula ſunt parua, pellucida, alba, nodoſa vbique ob binas valuulas eleuatiles, cauitatem exacte claudentes, quæ ſuam lympham a vaſculis arterioſis lymphaticis, vel a glandulis conglobatis accipiunt, hanc in venas ſanguineas, vel in chyli ciſternam exonerant. G. Waſſergefäße.

VENÆ SECTIO, eſt ſanguinis, qui in vaſis continetur, per venam arte ſectam, euacuatio. G. Das Aderlaſſen.

VENE-

VENENVM, Gr. φάρμακον, eſt omne illud quod corpori noſtro communicatum, illud deſtruendo, ſiue ſolida erodendo, ſiue fluida circulationi inepta reddendo, mortem adfert, vt ſunt arſenici genera, & pleraque mercurialia deleteria qualitate prædita. G. Gifft.

VENEREA LVES, vide *lues venerea.*

VENERIS OESTRVM, idem quod *clitoris.*

VENTER, dicitur triplex: *infimus* ſumitur pro abdomine. *Medius* pro thorace, & *ſupremus* pro capite. Vide *cauitates.* Sed ſtricte ſumitur pro abdomine. G. Bauch.

VENTER EQVINVS, chemicis dicitur fimus equinus, in quo, ob lenem calorem, ſuas tincturas & eſſentias collocant. G. Roßmiſt.

VENTER INFIMVS, vide *hypogaſtrium.*

VENTOSA, vide *cucurbitula.*

VENTRES, vide *cauitates.*

VENTRICVLVS, eſt viſcus membranoſum, ſitum in abdomine ſub diaphragmate inter hepar & lienem, hepar quidem a dextris ipſum ad vnguem complectitur, lien vero a ſiniſtris ſima ſua parte adiacet. Os ſuperius connectitur diaphragmati, mediante gula: quæ foramine facto ſuperiorem partem muſculi inferioris & ſiniſtri diaphragmatis penetrans ventriculo continuatur, tunicæ nerueæ ſuos infigens terminos: os inferius duodeno: fundo eius adhæret ala anterior omenti. Poſterior eſt aorta: ſubiacet Colon & pancreas; hic tanquam molli puluinari incumbit: tibiam vtricularem figura eleganter exprimit, præſertim œſophago inteſtinoque adhuc connexus; ab anguſto enim ore in latam capedinem ſinuatus, rurſus in anguſtum deſinit; in ſiniſtro tamen latere multo amplior, quam in dextro; vt & inferne quam ſuperne: diuiditur in dorſum, fundum, & orificia. Dorſum vocatur illa pars inter orificia ſuperior. Fundus illa inferior pars multo amplior & ſinuoſa. Orificiorum quidem alterum ſuperius, alterum inferius nuncupatur. Superius in ſiniſtro latere, non quod elatius ſitum, cum ambo ſint in ventriculi ſuperiore regione, ſed eo, quod cibum & potum prius admittat, quidam veterum καρδίαν, cor appellarunt: vocatur & ſtomachus: inferius alterum in dextro latere ſitum, ratione officii πυλωρὸς, ſiue ianitor vocatur, quoniam portæ in modum ea, quæ excreturi ſumus, emittit. Conſtat ex plurimis tunicis, prima eſt illa externe læuis membrana, quæ totum ambit ventriculum, pro ſobole peritonæi ab omnibus agnita anatomicis, vnde ipſi ventriculo

triculo non eſt propria, videtur hæc nata ad ventriculi robur, & firmitatem: ſecunda eſt carnoſa ſiue muſculoſa, plurimis fibris triplici ſerie diſtinctis conſtans, prima ſeries transuerſarum ſtatim auulſo peritonæo ſe prodit; hæ ſatis numeroſæ ac inuicem contentæ a ſummo orificio incipiunt, & in pylorum terminantur: altera ſeries eſt orbicularium; quæ itidem ab ore ſummo incipientes ad pylorum progreſſæ, orbiculariter vel ſpiraliter ventriculi cauum ambiunt; tertia ſeries conſtat ex duplici fibrarum ordine, oriuntur iuxta ſuperius orificium, idque ambiunt, & a ſiniſtra parte dorſi ipſius ventriculi, vnde aliquæ per idem dorſum recta feruntur ad inferius oſtium, quod & ambiunt, ſed pleræque ad fundum verſus idem oſtium inferius: hæc cingitur & tegitur celluloſa *Ruyſchiana*, quæ oleum ſuppeditat fibris muſculoſis laxandis, lubricandis, neceſſarium; tunc ſequitur neruea dicta a *Williſio*, ſiue potius vaſculoſa, & in non admodum diſtento ventriculo rugoſa, quæ in conuexa parte donatur mira textura vaſorum, cui adhærent glandulæ ſiue potius cryptulæ quam plurimæ, quarum excretoria in concaua parte ceu tot punctula atque meatus ſe produnt; præterea in hac concaua parte conſpiciuntur (præſertim ſi in aqua calida aliquantiſper demerſus fuerit ventriculus) innumeri villi penduli, qui videntur tantum eſſe extremitates arteriarum, venarum, & neruorum; qui vltimi famis ſenſum vacuo ventriculo excitare videntur. Officium in genere eſt cibos accipere & concoquere; vocatur item ſtomachus, aqualiculus. Gr. γαστήρ, ἡ ἄνω κοιλία, στόμα κοιλίας. G. Der Magen.

VENTRICVLI CEREBRI, ſunt quatuor caua in cerebri medulla; duo anteriora diſtinguuntur per fornicem, tertium verſus cerebellum a fornice bifurcato conſtituitur, quartum autem ſub cerebello medullæ oblongatæ inſculpitur, in his cauis colligitur continuo lympha, ea humectans, quæ per peluim deducitur partim ad glandulam pituitariam, partim per venas plexus chorioidis reſorbetur. G. Die Höhlen im Hirn

VENTRICVLI CORDIS, duo ſunt caua magna, circiter liquidi vncias 2. capientia, in medio corde reperiunda: ventriculus primus ſiue dexter ſanguinem e vena caua & auricula ſua dextra, dum contrahitur, recipit & pulmonibus tradit; alter ſiue ſiniſter a pulmonibus ſanguinem refluentem in ſaccum venoſum & auriculam ſiniſtram recipit, & per arteri-

am

am magnam in totum corpus propellit. In contractione ventriculorum ſiue ſyſtole apex cordis attollitur & accedit ad baſin eius latiorem, cor pallet, breuius fit & durius, fibræ muſculares ventriculorum caua ambientes ſpiraliter in ſe recedunt, caua imminuunt, & ſic in iis contentus ſanguis exprimitur: in diaſtole ſeu expanſione & dilatatione, ſanguis recipitur & admittitur. G. Die Höhle im Hertzen.

VENVS, vide *cuprum*, *æs*.

VERATRVM, eſt helleborus: dici volunt, quod mentem motam in ſanitatem conuertat. Vide *elleborus*.

VERBASCVM, ſiue tapſus barbatus, eſt planta, quæ habet caulem ſatis altum, ramoſum, durum, lignoſum, craſſum, lanuginoſum, rotundum: folia ſunt magna, longa, ampla, mollia, villoſa, lanuginoſa, alba, quædam repentia, alia caulibus alterne adhærentia, latiora, & hirſutiora ſunt blattariæ foliis: flores monopetali, multifidi, rotati, & tamen profunde inciſi, vt ex quinque petalis conſtare videantur, in arctiores ſpicas quam blattariæ flores congeſti: poſt florem ſuccedit capſula ouato acuminata, lanuginoſa, ſepto intermedio in duo loculamenta diuiſa, ſemina exigua, nigra, & anguloſa continentia: radix eſt oblonga, ſat craſſa, alba, lignoſa: hæc planta creſcit in locis arenoſis. G. Wollkraut, Königskertze.

VERBENA, *Dioſcoridi l. 4. c. 61.* ἱερὰ βοτάνη. *Plinio l. 25. c. 9.* hierabotane, penult. prod.

Lilia, verbenasque premens, veſcumque papauer. Virg. 4. Georg.

Has vbi verbenis, ſyluaque incinxit agreſti. Ouid. Met. 7.

Verbana, eſt planta, quæ habet caules anguloſos, duros, aliquantulum villoſos, interdum rubicundos, ramoſos: folia profunde inciſa, oblonga, rugoſa, ſaporis ingrati & amari: flos eſt monopetalus, labiatus, cuius labium ſuperius ſurrectum & plerumque bifidum eſt, inferius vero tripartitum, ſic tamen ſecantur ambo, vt flos quinquepartitus primo aſpectu videatur: ex calice fit capſula, continens ſemina tenuia, oblonga, ſibi inuicem iuncta: radix eſt fibroſa, oblonga, craſſiuſcula, ſaporis amaricantis; creſcit in locis incultis: *verbenaca*, *columbaris*, *columbina*, dicitur quaſi *berbena*, ad herba, quia antiqui ſub hoc nomine proprie non verbenam intellexerunt noſtram, ſed

quaslibet herbas in ſacrum vſum deſtinatas. Vide *Periſtereon.* G. Eiſenreich, eiſerhart.

VERETRVM, idem quod *penis* ſeu *membrum Virile.*

VERMES, vide *lumbrici.*

VERMICVLARIS CRVSTA, eſt interior tunica inteſtinorum villoſa & gyroſa, ſeu rugoſa, reliquis longior, vide *velamentnm bombycinum.*

VERMICVLARIS, eſt ſedum minus, a ſimilitudine nempe foliorum, quæ rotunda ſunt, & figuræ oualis, vt vermiculos putes, vnde & *craſſula* minor appellatur. G. Kleine Hanßwurtz.

VERMICVLATVM, in plantis eſt, quod roſæ modo, quaſi purpuriſſo, rutilat.

VERMIFORMIS PROCESSVS, eſt prominentia cerebelli, ſic a figura dicta.

VERMIFORMIS APFENDICVLA, eſt canalis paruus craſſitiei inſtar vermis oblongi, qui hiat & accreuit inteſtini cæci fundo; ſubſtantia tunicarum eſt ſatis craſſa; ſupra colon ſe contorquet veluti vermis, & peritonæi membranæ annectitur, extremitate vero ſua reni dextro; a meſenterio autem eſt liber, longitudinis eſt quatuor digitorum, latitudinis digiti vnius, intus anguſtiſſimæ capacitatis, ſecernens copioſiſſimam lympham ex ſuis glandulis, quæ obliniendis fæcibus inſeruit; forte quoque abſorbet quicquid tenuis bonique chyli huc cum fæcibus deuolutum eſt, qui lactea vaſa præteriuit nimis ſubito.

VERMIFVGA, a *verme* & *fuga*, idem quod *anthelmintica.*

VERMIS CEREBRI, vide *febris vngarica.*

VERNACVLVS MORBVS, idem quod *endemius.*

VERNIX, *icis*, *recentiorum* vox, diciturque *Bauhino*, quaſi vernus ros; *Stapelio*, quaſi βερνικὴ, quod recentioribus Græcis electrum ſiue ſuccinum ſignificat. Penult genit. non inconuenienter producet, tum quia Gallis *du vernis* vocatur, accentu in vltima, tum quia Italis *vernizo*, tum propter analogiam perdicis, coturnicis, ſandycis, cicatricis, nutricis, meretricis, obſtetricis. Idem ſentiunt *Cauallus* & *Labbeus.* Si a βερνικὴ eſt, producet penult. vt Berenice. Vernix, quod & *verniſium* & *ſandaracha*, ſiue *gummi iuniperinum* vocatur. Sed aliquando vocatur ſic compoſitio quædam liquida, inſeruiens obducendæ cruſtæ aliis rebus ne corrumpantur; ſic ex lacca, maſtiche, copal,

copal, ſuccino, ſimplicibus vel mixtis in alcohole vini, oleo terebinthinæ, aut lini, coctis & ſolutis fit proprie *vernix*. G. Verniß.

VERONICA planta ambiguum an veteribus cognita. Natales eius petit *Martinius* a *viribus*, quibus pollet, alexipharmacis. Sed hoc frigidum. Conuenientius forſan a Veronica matrona, vt Artemiſia, a cognomine Cariæ Regina, atque ita penult produceret, vt Berenice. Verum quia *Veronicam* pietatis ſtudioſiorem fuiſſe conſtat, quam plantarum, *Dodonæi* ſententiam amplectemur, cui veronica noſtra vulgatior alia planta non eſt, quam *betonica* altera *Æginetæ*, cum vtriusque & forma & vires apte reſpondeant. Proinde quia penult. in *bĕtonica* breuem eſſe docuit *Serenus*, vt ſuperius monitum, neceſſe quoque fuerit, veronicam, per ignorantiam temporum, inde, variatis nonnihil literis, detortam iisdem legibus obtemperare. Veronica eſt planta, quæ habet caules exiguos, longos, nodoſos, repentes, lanuginoſos, rotundos: folia ſibi inuicem oppoſita, iuxta caulis longitudinem naſcuntur, pruni foliis ſimilia, villoſa, in margine inciſa, ſaporis amari & acris: flores ſunt monopetali, rotati multifidi, ex quorum calice fit fructus membranaceus, in duo loculamenta diuiſus, plurima ſemina exigua, rotunda, & nigricantia continens: radix eſt fibroſa, hinc inde in terra ſparſa & repens; hæc planta creſcit in locis petroſis & arenoſis. G. Ehrenpreiß, Grundheil.

VERRICVLARIS TVNICA, idem quod *amphibleſtroides tunica*.

VERRVCÆ, ſunt ſpecies tuberculorum; Gr. ἀκροχορδόνες, *acrochordones* dicuntur, eo quod ſi vertices horum tuberculorum inſpiciantur, ſimiles ſunt reſectæ chordæ. *Celſus* huius appellationis eam cauſam videtur attuliſſe, quod in fundo ſint anguſtiores, in ſummo latiores; adeo vt pendere videantur, ideoque a plerisque verrucæ penſiles appellantur. Dicuntur porri, eo quod ſi inſpiciantur ſummitates ipſorum, videntur æmulari breuia illa capillamenta porrorum. Eſt tuberculum durum, eminens, e cute erumpens, calloſum, paruum, & in omnibus corporis partibus naſcens, imprimis vbi inæqualis preſſio & attritus fieri ſolet. G. Wartzen.

VERRVCARIA, dicitur heliotropium, quia creditur ea verrucas abigi. Sic etiam vocatur tithymalli ſpecies, cuius ſucco lacteo verrucæ decidunt. G. Sonnenwende.

VERVMONTANVM, vide *caput gallinaginis.*

VERTEBRA, idem quod *ſpondylus.*

VERTEX, eſt pars capitis inter ſynciput & occiput media, altiſſima omnium & gibboſa. Gr. κορυφή. G. Der Wirbel auf dem Haupt.

VERTICILLI, idem quod *cotyledones.*

VERTICILLVM, in plantis florum vel foliorum ambitus, qui cauliculos aut ramulos herbarum coronat, exiſtit; ab inſtrumenti muliebris ſimilitudine dictum, quod fuſo vertendi gratia ſolitum eſt adhiberi.

VERTIGO, vide *ſcotomia.*

VESANIA, eſt furoris ſpecies vel delirium ex nimio amore.

VESICA, eſt pars membranacea caua, in qua liquor excernendus colligitur & continetur: vt veſica vrinaria, bilaria, ſeminaria. Gr. κύστις, ὀυροδόχος κύστις. G. Die Blaſe.

VESICA ÆNEA, eſt cucurbita magna cuprea, deſtillationi plantarum inſeruiens.

VESICA BILARIA, eſt veſicula ad figuram pyri accedens, ſita in parte hepatis concaua, paruo ouo gallinaceo vt plurimum ſimilis; fundus, nobis erectis deorſum, collum vero ſurſum ſpectat, habetque quaſi ſphincterem peculiarem, incumbit veſicula colo, illudque ſuo colore tingit; conſtat ex quatuor membranis: 1. communi; 2. vaſculoſa; 3. muſculari, ex fibris rectis, obliquis & transuerſalibus 4. neruea, intus rugoſa ſeu reticulata, humore vnctuoſo imbuta, in qua ſubinde minimæ glandulæ apparent, quæ fabrica ductibus biliariis communis eſſe videtur; exit in ductum qui cum poro biliario ad angulum acutum iungitur, & ſic uniti faciunt ductum communem maiorem prioribus; oblique deſcendentem, qui ad angulos acutos appoſitus duodeno, penetrat exteriorem eius tunicam, dein inter hanc alteram deſcendens, mox perforata & hac, inter ſecundam & tertiam longo itinere progreſſus, foramine rotundo in cauum inteſtini libere exit, idem quod *folliculus fellis.*

VESICA DESTILLATORIA, eſt vas æneum ſiue ahenum cupreum, ſuperius capitello cum tubo donatum, qui inſeritur tubo ſerpentinis ductibus incuruato; inſeruit deſtillationibus plantarum aquoſis, ſpirituoſis, decoctis &c. G. Eine Deſtillirblaſe.

VESICA VRINARIA, Gr. κύστις: eſt ea, quæ in viris poſterius inteſtinum rectum habet: in fœminis vero vterum, cuius

cuius vaginæ alligatur, ſemper extra abdomen in loco tutiſſimo a concurſu oſſium ſacri, ileon, iſchion, & pubis formato, & mediante ſupra expanſa peritonæi lamella, cui fundus veſicæ accretus, a contentis abdominis ſeparato, hæret, qui peluis dicitur: habet hæc veſica tres membranas, externa peritonæo ortum debet, huius officium eſt veſicam inueſtire: media membrana eſt muſcularis, fibris longitudinalibus, & ſpiralibus, prædita, huic in toto corpore ſimilis non reperitur, valde explicabilis, & magna vi elaſtica prædita: intima membrana glanduloſa eſt, valdeque ſenſibiiis, ſi microſcopii ope conſpicitur, deteguntur infiniti exigui folliculi, rotundi, humore mucoſo inſtar olei amygdalarum pleni; vnde hæc membrana tam lubrica eſt, vt attrectationes digitorum eludat: quo veſica contractior, & minus ſtimulatur, eo dicti folliculi magis clauduntur, humorem mucoſum colligunt, & ad vſum reſeruant; quo veto magis dilatatur & ſtimulatur, eo oſcula folliculorum patentiora redduntur, & humor ille maiori copia fluens veſicam ab irritante quocunque acri vel ſtimulante defendit: tandem ne vrina continuo efflueret ex veſica appoſitus eſt ſuperiori ceruici veſicæ ſphincter. Accipit vrinam ex renibus pet vreteres: eamque per vrethram, quæ in viris quam fœminis longior eſt, deponit. G. Harnblaſe, die Blaſe.

VESICARIA, vocatur alcea veneta, vt & alkekengi, quia eius fructus & ſemen in veſiculis continetur: vel quoniam veſicæ & calculis prodeſt.

VESICATORIA, ſunt medicamenta, quæ externe cuti applicata, in locum determinatum tumorem quendam ex liquido ibi ante non hærente conciliant, illud liquidum nempe eo hac vi deriuando, vt per illud vltimum vaſculum nimis diſtentum rumpatur, adeoque in locum fracturæ liquidum exeat, communique cauitate colligatur; veluti fit a cantharidibus. Vocantur quoque *attrahentia, deriuantia*. Gr. ἐπισπαστικὰ. G. Ein Pflaſter von Spaniſchen Fliegen; Blatter machende Mittel.

VESICVLA ADIPOSÆ, vide *ſacculi adipoſi*.

VESICVLA FELLIS, idem quod *folliculus fellis*.

VESICVLÆ SEMINALES, ſunt receptacula quædam, ceu inteſtinula cæca in gyros, cryptas, receſſus, complicata, quæ collo veſicæ a parte poſteriori nectuntur per membranas; ſolummodo in viris reperiuntur, nunquam in fœminino ſexu; ſedem habent inter veſicam vrinariam & inteſtinum rectum, duæ ſunt & conſtant ex membrana ſatis tenui, & aui-

um minorum inteſtinorum inſtar variis modis contortæ ſunt, niſi quod hinc inde varicum adinſtar mirum in modum dilatatæ & interna cauitate magis contractæ conſpiciantur, in has deſinit vas eiaculatorium ſenſim latius & ſinuoſum, rurſus anguſtius, vbi incuruatum ingreditur fere recto itinere in hæc inteſtinula verſus horum fundum capaciſſimum. Quæque veſicula prædita eſt alio canale emiſſorio eum priori ad angulos acutos iuncto, qui bini emiſſorii in vrethra ad angulum obtuſum iunguntur, & in vnum canalem emiſſorium in vrethtam patentem deſinunt, qui medius & vnus, inter alios binos longe minores, & altiores, ab vtroque eius latere appoſitos, locatur; vt ita per tria diſtincta oſcula ſeminalis humor huc expellatur: interimque ambæ hæ veſiculæ membrana muſculoſa colligatæ ſunt, & ſemen aſſeruant, & tempore orgaſmi venerei, excernunt. G. Saamenbläslein.

VESPERTILIONVM ALÆ, ſunt ligamenta duo lata & membranoſa, vtrinque vnum, quibus vteri fundus oſſibus ilii laxe connectitur: *Aretæus* veſpertilionum alis aſſimilat.

VESTIBVLVM, in aure dicitur pars media inter labyrinthum & inter cochleam; eſt vero cauitas oſſea, ſuperficie inæqualis; eius pars anterior obducitur membrana, feneſtræ ouali oppoſita pars ſpectat membranam tympani, in eo hiant nouem foramina 1. feneſtra oualis, 2. duo foramina neruorum. 3. quinque foramina canalium trium ſemicircularium, 4. ſuperior pars cochleæ a parte faciei huc aperitur.

VETERINARIA MEDICINA, eſt ea ars quæ de medicatione circa iumenta & pecudes agit, vulgo *mulomedicina.*

VETERNVS, vide *lethargus.*

VETONICA, *vettonica, vettonicum*: eſt betonica, ſic ab inuentoribus Vettonibus, Hiſpaniæ populis, nominata eſt, Gr. *Κέςρον.* Vide *betonica.*

VIBEX, vide *enchymoma.*

VIBRATIO, eſt agitatio & motio corporis & membrorum inuoluntaria, vt conquieſcere non liceat, etiamſi ſtrenue renitaris. G. Das Erſchüttern.

VIBRISSÆ, dicuntur pili, qui e naribus excreſunt. G. Die Naſenhärlein.

VIBVRNVM, eſt arbuſcula, cuius rami longi, digitum craſſi, valde flexiles, corticem albeſcentem habentes: folia ad

alnum

alnum vel potius ſorbum alpinam accedunt, lata, ſublonga, craſſiuſcula, in ambitu crenata; hirſuta, & puluiſculo albo, maxime inferna parte, quæ ob id etiam magis candicat, conſperſa, guſtu adſtringente: flos eſt monopetalus, rotatus, quinquefidus, vmbellæ in formam digeſtus, ſtaminibus quinque præditus: ouarium in ora ſuperiore coronatum caliculo quinquefido, inſtructum tuba erecta veluti triglobofa, abit in fructum ſeu baccam mollem, ſucci plenam, vnico ſemine oſſeo, compreſſo, ſtriato, fœtam: Hæc arbuſcula creſcit in locis incultis, ſaxoſis, & montibus: a *viendo*, id eſt, *ligando*, dictum, quo ruſtici vtuntur ad colligendos faſciculos.

VICIA, eſt planta, quæ caules habet anguloſos, villoſos, excauatos: folia oblonga, anguſta, villoſa, bina, quaſi coniugata, coſtæ innaſcentia, in clauiculas abeunti: flores ſunt leguminoſi, purpurei aut cærulei: flori ſuccedit ſiliqua villoſa, fœta ſeminibus ſubrotundis, aut angulatis, nigris: forte, & ſecundum veri ſimilitudinem a Gr. *βικία* vel *βικίον* nomen habet. Dici videtur a vinciendo, quod item vt vitis capreolos habeat, quibus ſurſum verſus ſerpit, vel quod inter frumenta vitium ſit. G. Wicken.

VICTORIALIS, dicitur *gladiolus*, vt & *allium montanum*. G. Schwertel, Siegwurtz, Allermann Harniſch.

VICTORIOLA, vide *laurus alexandrina*.

VICTVS RATIO, eſt modus viuendi, quo ſanitas per conuenientia alimenta, quibus in humano vſu vulgo vtimur, conſeruatur & morbus propellitur: conſiſtit in recto vſu rerum neceſſariarum, eſtque in morbis triplex, craſſa, mediocris, tenuis: item eſt tenuis ſimpliciter, tenuior & tenuiſſima, vide *diæta*.

VIGILIA, eſt ſpirituum animalium in cerebro & per neruos facilis agitatio, qua per organa ſenſuum noſtrorum motus obiectorum ſenſorio communi, facili negotio, offeruntur. Si nimis hi ſpiritus agitantur, vigiliam peruicacem inducunt. G. Das Wachen.

VIGILIA NIMIA, idem quod *agrypnia*.

VIGOR MORBI, vide *acme*.

VINACEI, grana ſunt acinorum, *γίγαρτα* Gr. nominantur, quæ preſſis vuis cum folliculo abiiciuntur.

VINCA PERVINCA, vide *clematis daphnoides*.

VINCETOXICVM, penult. corr. vt toxicum.

Toxica fatilegi carpunt matura Sabæi. Lucan. l. 9.

Vinceto-

Vincetoxicum, eſt hirundinaria, ſeu aſclepias: quidam dici putant *νικητοξικὸν*, quod illi aduerſus venena inſignis vis inſit. Deriuatur a *vincere* vel *νικᾶν* quod idem eſt, & *τοξικὸν* venenum. Vide *hirundinaria*.

VINVM HIPPOCRATICVM, eſt cui ſaccharum & aromata infuſa fuerint, quæ poſt per manicam Hippocratis colantur. G. Hippocras.

VINVM MEDICATVM, eſt vinum, cui medicamenta infuſa ſunt in vſum ægrotantium. Præſertim quando cum muſto ad fermentandum reponuntur. G. Kräuterwein.

VIOLA, *Dioſcoridi l.* 4. *c.* 122. *ἴον*, penult. corr.

Pallentes violas, & ſumma papauera carpens. Virg. Ecl. 2.

Viola eſt planta, cuius folia ex radice erumpentia, ſunt obrotunda, ampla, in margine inciſa, viridia, caulibus longis adhærentia: flos eſt pentapetalus, anomalus papilionacei floris æmulus, huius enim duo petala ſuperiora vexillum, duo lateralia alas, inferius vero, quod in caudam deſinit, carinam quodammodo repræſentant, coloris purpurei aut cærulei, odoris ſuauis & grati: poſt florem apparet capſula, per maturitatem in tres partes diuiſa, continens ſemina exigua, obrotunda, albeſcentia: radix eſt fibroſa. Eius folia *Violaria* vocantur. G. Viole.

VIOLA MATRONALIS, vide *matronális flos*.

VIORNA, ſeu vitis alba, ſed Fuchſio vitis nigra: videtur corrupta vox a *viburno*: forte ſic dicta quod propter flexibilitatem, clematis in modum, omnes adſtantes plantas circumligat, vinciatque.

VIPERA, *Dioſcoridi l.* 2. *c.* 18. *ἔχιδνα*; penult. corr.

Vipera delituit, cœlumque exterrita fugit. Virg. 3. *Georg.*

Quod cuſtos, dominusque viperarum. Phalæc. *Mart. l.* 1. *ep.* 42.

VIPERINA, vide *echium*.

VIRGA PASTORIS, vide *dipſacus*.

VIRGA, vide *penis*.

VIRGA, in vegetabilibus eſt, quæ ex radicibus, aut caudicis lateribus exit; a nonnullis virgæ appellatæ ſunt ſoboles.

VIRGA AVREA, & ſolidago ſaracenica, eſt planta quæ habet caules rectos, rotundos, ſtriatos, firmos, & medulla alba repletos: folia ſunt oblonga, acuta, in margine inciſa: flos eſt radiatus, caulium ſuprema faſtigia floribus abundant, qui quaſi in ſpicas colliguntur, quæ rurſus in adunatam quaſi virgam coniici ſolent; ſunt flores coloris flaui aurei, calice tubiformi & multifido comprehenſi: his ſuccedunt ſemina pappis inſtructa: radix fibroſa, ſaporis aromatici. G. Heidniſch Wundkraut.

VIRGINALE CLAVSTRVM, vide *hymen*.

VIRIDE ÆRIS, vide *ærugo*.

VIRGINEVS MORBVS, vide *chloroſis*.

VIRGVLTVM, ſurculus is eſt, qui terræ committitur, vt in arborem inſurgat.

VIROSVS, eſt, in quo *virus* ſiue *venenum*; ſæpe etiam pro teterrimo & graueolente ſapore aut odore ſumitur.

VIRVS, eſt humor fluens, & accipitur quoque pro *ſemine*: *venenum* etiam ſignificat, nec non *ichores* ex vlceribus manantes.

VISCARIA, eſt floris amerii ſpecies, quæ & *muſcipula* vocatur, muſcas, ob foliorum viſcoſitatem, irretiens.

VISCERA, ſunt organa, in cauitatibus maioribus contenta, quæ elaborant aliquem humorem in vſum publicum & toti corpori inſeruientem; ſic ventriculus & inteſtina elaborant cibos nutrituros vniuerſum corpus, ſic cor compingit, comminuit, mouet ſanguinem, vnde poſtea omnes liquores fiunt & ſecernuntur &c. vocantur item *exta*, *interanea*. Gr. σπλάγχνα, ἔγκατα, ἐγκοίλια. G. Das Eingeweide.

VISCVM, vel VISCVS, eſt frutex peculiaris in arborum quarundam ramis enatus, ſemper virens: vti eſt viſcus quercinus, dicitur etiam lignum ſanctæ crucis; ſpecies eſt fruticis, quæ ad altitudinem duorum circiter pedum creſcit, caules habet vt plurimum digiti craſſitiei, duros, lignoſos, compactos, graues, extus coloris fuſci, rubri, intus albi, flaueſcentis: plurimos germinat ramos lignoſos, flexiles, intricatos, cortice viridi obtectos: folia ſunt bina oppoſita, oblonga, craſſa, dura, buxi foliis ſatis ſimilia, ſed aliquantulum longiora, venoſa, coloris viridis flaueſcentis: flos eſt monopetalus, peluiformis, quadrifidus, verrucis conſperſus, tanquam apicibus puluerem effundentibus: ouarium alio a flore

loco natum, tenerum, quatuor foliolis ſuccinctum, fit bacca ſubrotunda, glutine plena, mollis, alba, ſplendens, fœta ſemine plano & cordiformi, per totam hyemem viret hæc planta. Mira de huius viſci generatione narrantur: quidam cum Theophraſto & Plinio credunt, quod tantummodo naſcatur ex ſemine baccarum per aluos turdorum palumbarumque, & aliarum auium, poſtquam acinorum pulpam concoxerunt, reddito, vnde & cum Plauto dicunt de turdo, quod ipſi ſibi auis mortem creat, & turdus exitium ſibi cacet, ob gluten, quod ex eo fit, quo poſtea aues capiuntur: huic ſententiæ autem vterque Bauhinus & Scaliger ſe opponunt acriter, qui viſcum ex arboribus, quaſi cornua ex oſſibus animalium educi perſuadere volunt: ſed R. I. Camerarius in Eph. Nat. Cur. demonſtrauit, baccas viſci deferri poſſe ad ramos arborum, tam delapſu raptuque ventorum, quam ab auibus non ſolum deuoratas, & redditas per aluum, ſed roſtro delatas; nec ſphærica ſua figura a ramulis rotundis tam facile decidere, quam ruptas vel ſponte vel ab auibus, ſuo glutine adhærere: adhæret viſcus non tantum quercui, ſed & aliis arboribus, abieti, tiliæ, pyro, pomo, corylo, betulæ &c. Gr. Ἰξὸς & Ἰξία. G. Miſtell.

VISVS, eſt ſenſus, quo ex materiæ lucis in retinam ſani oculi impingentis motu, lumen & colores ab anima percipiuntur. Gr. ὄψις. G. Geſicht.

VITA, in animali perfecto, eſt præſide ac mouente anima, continuus fluxus ac refluxus, plus minusue ſenſibilis, aeris, ſanguinis, & ſpirituum animalium, per organa & ex organis vitalibus, ſatis probe conſtitutis, & mutuo atque alterne plus minusue ſenſibiliter agitatis & agitantibus: in animali vero nondum perfecto vita non requirit aeris actionem in pulmones reſpiratoriam, quare in hoc erit vita modo circulatio ſanguinis per viſcera vitalia, & motus ſpirituum cerebelloſorum per neruos a cerebello oriundos: de his lege *Lanciſium* de mortibus ſubitaneis. Gr. βίος, ζωή. G. Leben.

VITALIA, idem quod *cardiaca*.

VITALIS FACVLTAS, eſt actio in corpore excitata, qua mediante homo viuit, quæque peragitur ipſo vel inſcio, vel inuoluntarie; qualis eſt motus cordis, arteriarum, reſpiratio; quæque dependet maxime a cerebello, & neruis ab eo oriundis, vel in eo terminatis.

VITALIS

VITALIS INDICATIO, eſt cognitio conditionis viſcerum & virium vitalium, quæ in homine, cui medicinam facit medicus, nunc præſens eſt, ſimul cum ſcientia remediorum, quæ vel augendis, minuendis, vel conſeruandis, aut reſtituendis viribus vitalibus conducunt pro ſcopo præſenti requiſito; habetur autem cognitio illius conditionis ex pulſu perſpecto, & reſpiratione obſeruata.

VITELLINA BILIS, vide *bilis*.

VITEX, *agnus caſtus*; eſt arbuſcula, quæ habet ramos longos, flexiles, fractu difficiles, cortice cinereo tectos: folia ſunt longa, anguſta, acuta, lanuginoſa; flores ſunt monopetali, tuboloſi, in ſpicas congeſti: his ſuccedit fructus ſphæricus, in quatuor loculamenta diuiſus, continens ſemina obrotunda, griſea, coriandrinis fere paria magnitudine, coloris gryſei, ſaporis acris aromatici. Gr. ἄγνος, id eſt, caſtus: item λύγος vimen, vitex, propter inuictam fere ramorum exilitatem, vnde forte nomen viticis. Vide *agnus caſtus*.

VITICELLA, vide *bryonia*.

VITICVLÆ, non palmites aut ſarmenta ſunt, ſed flagella, quæ vitis modo repentia longe lateque vagantur, ac vicinos frutices nacta ſic intricant eos, vt iis perinde quaſi pedamentis abutantur: vel ſcandentia ſuis irretiunt clauiculis, quibus quaſi digitis adhærent, quales in naſturtio indico, cucurbitis & plerisque aliis inueniuntur.

VITILIGO, vitiliginis tres ſpecies ſunt. Gr. ἄλφος, vbi color eſt albus, fere ſubaſper, & non continuus, vt quædam quaſi guttæ diſperſæ eſſe videantur. Interdum etiam latius, & cum quibusdam intermiſſionibus ſerpit. Μέλας colore ab hoc differt, quia niger eſt, & vmbræ ſimilis. Cætera eadem ſunt. Λευκὴ habet quiddam ſimile alpho, ſed magis albida eſt, & altius deſcendit, in eaque albi pili ſunt, & lanugini ſimiles. Omnia hæc ſerpunt, ſed in aliis celerius, in aliis tardius. *Vitiligo* volunt dici vel e vitio, vel a vitulo, Feſto teſte. G. weiſſe Räudigkeit.

VITIS, eſt arbuſcula, quæ habet caulem tortuoſum, obductum cortice fiſſo, rubicundo; ſarmenta plurima longa veluti brachia dimittentem, quibus vicinas arbores & pedamenta apprehendit: folia ſunt ampla, varie laciniata, vt ficus, alia maiora profundius inciſa, quandoque ad pediculum vsque in lacinias acutas diuiſa; alia tenuiora, alia craſſiora, alia viridia, alia rubentia, alia maculata, alia ad tactum duriora alia

 mollio-

molliora, alia læuia, alia ſubhirſuta: flos eſt roſaceus, pentapetalus, ſtaminibus quinque præditus: ouarium in fundo floris natum, tuba breui, piloſa, inſtructum, fit bacca mollis, pulpoſa, ſucculenta, rubra, aut alba, ſeminibus plurimis, plerumque quatuor, fœta: fructus & flores in racemos congeruntur: Gr. ἄμπελ@, ab ἅμα vna, & πηλὸς Ion. pro οἶν@ *vinum*, hinc οἰνοφόρ@ *vinum gerens:* ab οἶν@ vinum, & φέρω fero. G. Weinſtock, Weinreben.

VITIS IDÆA eſt arbuſcula, quæ habet ramos tenues, cortice viridi obductos: folia ſunt oblonga, ampla, in margine leuiter inciſa, ſaporis adſtringentis, flores monopetali, campaniformes, globoſo ouario innati, coloris albi, ſubrubicundi: flori ſuccedit fructus mollis, ſeu bacca vmbilicalis ſucco plena, iuniperino fere ſimilis, per maturitatem violacea potius, quam nigra, ſapore grato & acido primulum deguſtata, quæ tamen paulo poſt aliquid nauſeabundi in ore relinquit, purpureo violacea ſatisque pertinaci tinctura, cui grana immerguntur multa, parua, albeſcentia vel rubentia: radix lignoſa, tenuis, repens. G. Heidelbeer, Bickbeer.

VITIS ALBA, ſeu VITALBA, contracta voce, dicitur non modo quod vitem ſatiuam foliis vtriculisque referat, verum etiam, quod fructum in exiguæ vuæ ſimilitudinem, acinis licet raris confirmatum producat. Vide *bryonia.*

VITIS NIGRA, Gr. ἄμπελ@ μέλαινα, nigra dicitur vitis a radice nigra, & quod vitis ſimilitudinem obtineat.

VITREA TABVLA, vide *diploe.*

VITREVS HVMOR, vide *humores oculi.*

VITRIOLVM, Græcis χάλκανθον, *Plinio l.* 34. c. 12. atramentum ſutorium, & chalcanthum; *Gebri interpretibus* cuperoſa; *recentioribus* vitriolum ob colorem vitri cœrulei & viridis æmulum. Penult. corripit, vt cætera diminutiua, & diminutiui ſpeciem imitantia, palliolum, ſtrophiolum, & dictum *Catullo* ſolatiolum. Vitriolum eſt ſal minerale metallis proximum, ac præcipue cupro &c. varia ſunt eius genera, pro indole mineræ, quam in ſe continent, differentia; præcipua autem, quorum hoc tempore eſt exiſtimatio, ſunt primo *cæruleum*, ſapphiri inſtar, compactum, vt ſaccharum candum, tactu ſiccum, *Hungaricum* vocant, vel *Cyprium*, aut *Gallicum* ex agro Lugdunenſi. Secundo *ſubviride*; herbacei coloris, magis granulatum, grumoſumque inſtar ſalis communis, paulum vnctuoſum, manuique tangentis adhærens, quale *Goslarienſe*,

rienſe, *Suecicum* &c. Tertio *album*, in formam paruulorum panum effictum, tactu ſiccum. *Eduardus Brown* etiam de *rubro* mentionem facit. *Cæruleum* & *album*, de cupro participat, *viride* autem de ferro. Uitriola ſunt vel natiua ſiue foſſilia; vel artificialia, ſiue factitia: natiua duplicia reperiuntur, alia ex ferro, quæ colore viridi præſtant, ex ære alia, quæ cærulea plerumque amœnitate commendantur: cætera metalla vix ſoluta in fodinis apparent, quia illorum ſoluentia, nitri acida, vel marini ſalis ſpiritus haud reperiuntur in fodinis; vnde auri, argenti viui, plumbi, ſtanni, ſucci ſoluti vel concreti nunquam fere inueniuntur, vtique non multa. Sed tamen metallica plumbi leui acido ſolui poſſe vt conſtat, ita ſimul difficillime in cryſtallos cogi poſſe, ars chemica docet, ſed ſtatim fere in puluerem ceruſſæ, excuſſo iterum acido, verti; id & de ſtanno ita verum. Vitriola & ſulphura eadem matrice concipiuntur, fouentur, eduntur, lapide ſcilicet pyrite dicto effoſſo, aeri expoſito, ſulphuri abundanti liberato, contuſo, in aqua ſoluto ad bacillos ligneos cryſtalliſato; aut etiam ex miſy veterum naturali ſolutione & cryſtalliſatione ilico producitur: vnde vitriolum eſt quintuplex. 1. *Viride* ex ſolo ferro & ſpiritu ſulphuris, medicatis viribus laudatum, atramento optimum. 2. *cæruleſcens*, ferro plurimo, pauciori cupro, per ſpiritum ſulphuris ſoluto, conſtans; cuius ſolutio aqua facta lamellas ferri immiſſas rubro aeris colore tingit, ſic parum admiſti æris demonſtrans. 3. Vitriolum *album* videtur parum differre a vero viridi, forte paulo maiori calori originem debens, vt in factitio apparet: namque omni cæterum dote idem omnino exhibet. 4. *Chalcites*, verum *Chalcanthum*, vel vitriolum rubrum, quodque ſimillimum viridi, in eadem reſoluendum; forte & aliquid amiſti æris capiens: inprimis ferro & acido ſulphuris compoſitum videtur. 5. *Cyprium* vel *Hungaricum*, *cæruleum* penitus; ſolo cupro fit, & eodem acido ſulphuris liquore. Factitia fiunt, quoties ſales ſoluentes, acidi inprimis, diſcerpſerunt metalla in ramenta minima, atque iisdem arcte adhæreſcentia, concreſcunt vna in glebulas, in aqua dilui aptas integre, ſine vlla fæce omnino, quamdiu nimirum hanc vitrioli veram formam obtinent. G. Victriol. Kupfferwaſſer.

VITTA, dicitur pars tunicæ amnios, quæ capiti infantis, cum in lucem prodit, adhæret, atque hoc locum habet in ſexu fœminino, verum in maſculis *galea* appellatur. Vide *galea*.

VLCERATIO, vide *exulceratio*.

VLCVS, eſt ſolutio continui, a materia erodente ortum ducens, in mollibus corporis partibus, cum imminuta magnitudine: differt igitur a vulnere, quod ibi ſit reſolutio recens & cruenta, hic vero plerumque purulenta aut ichoroſa, ibi ſit cauſa ſoluens illico, & externa, ſcindens; hic autem cauſa lentius ſoluens, interna, & erodens inueniatur, vulnus igitur antiquum & purulentum, erit vlcus. Gr. ἕλκος. G. Ein Geſchwür, offener Schade.

VLMARIA, eſt planta, quæ habet caulem tres pedes circiter altum, rectum, anguloſum, ramoſum, excauatum, coloris rubicundi, purpuraſcentis: folia oblonga, in margine inciſa, rugoſa & ſuperius viridia inſtar vlmi, inferius alba: flores ſunt parui, roſacei, pentapetali, in racemos congeſti, odoris grati; piſtillum floris fit fructus, ex plurimis vaginulis membranaceis intortis, & in capitulum congeſtis compoſitus, ſemineque fœtus vt plurimum ſingulari & exiguo: radix digiti craſſitiei eſt, odora, extus nigra, rubro fuſca intus, plurimis fibris rubris inſtructa: creſcit locis vdis iuxta flumina & ſimilia loca; ſic vocatur ob vlmi foliorum ſimilitudinem: alias *regina* vocatur *prati*, idque quia ob folia explicata, vt & floſculos nitidos caput inter prata extollit. G. Geisbart.

VLMVS, eſt arbor valde procera, valde ramoſa, cuius truncus eſt craſſus, cortice fiſſo, aſpero, flexili, obductus, extus coloris cinerei, intus albidi; lignum durum, flauum: folia ſunt ſatis ampla, rugoſa, venoſa, oblonga, in margine inciſa, acuta; flos eſt monopetalus, campaniformis, ſtaminibus inſtructus: piſtillum in centro floris fit fructus membranaceus ſeu foliaceus veluti cordiformis, in cuius meditullio capſula pyriformis poſita eſt; membranacea pariter, ſemine fœta eiusdem formæ. Gr. πτελέα. Eius ſemen *ſamera* vocatur. Vermiculi creſcentes in ſeminum folliculis κνῖπες dicuntur; Lat. quandoque *culiones*, & *culices*, aſt quia culices ex aquis originem habent, vt ephemera, non credo poſſe dici culices, ſed muſcæ erunt. Quidam dici putant ab vligine, quia circa vliginoſa loca creſcit. Vel ab ὕλη materia, quia fabris lignariis materiem præbet. G. Rüſtern.

VLNA, *focile maius*. Gr. πηχὺς, προπήχιον, eſt os inter brachium & carpum, parte ſuperiori cum humero per γίγγλυμον articulatur; ideo habet ibidem proceſſus & ſinus. Proceſſus ſunt duo oblongi, & quaſi triangulares, aſperi, vt ligamenta

menta articulum valide ambiant. Dicuntur κορῶναι id eſt roſtra ſeu glandes. Anterior & ſuperior minor, humeri ſinum ſubit: poſterior craſſior & amplior in obtuſum angulum deſinit, & humeri ſinum poſteriorem ſubit. Vocat *Galenus* ὠλέκρανον *Hippocrates* ἀγκῶνα, Latini *gibberum*, in medio horum eſt magnus ſinus ſeu cauitas inſtar ſemicirculi, vnde dicitur σιγμοειδὴς, habet adhuc alium ſinum læuum externum, lateralem pro radii capite. Parte inferiore articulatur cum carpo, tum per mediam cartilaginem, tum per proceſſum acutum, ideoque ſtyloidem dictum: vnde ligamentum oritur, cubitum carpi articulo firmans. G. Ellenbein, das Förderthe il am Arm.

VLNARIS MVSCVLVS, vide *cubitæus*.

VLOMELIA, eſt totius membri integritas, ex οὖλ@ integer, & μέλ@ membrum.

VLVA, eſt herbæ paluſtris ſpecies: dicitur forte ab vliginoſis, ſeu aquoſis locis, in quibus reperitur. G. Waſſermoß.

VMBELLA, eſt floris, ſeminisue pedamentum, in plures digeſtum longiores pediculos, qui ſimul ex faſtigio eodem orti, in latius continuo radiantur, ſingulique vel florem, vel ſemen ſuſtinent, in orbem circumactum. Græci hunc floris habitum σκιάδιον, Latini vero, quoniam vmbellæ, qua mulieres vultum vindicant a ſole, & æſtum arcent, circinatam effigiem gerit, vmbellam dixerunt.

VMBILICALIS FVNICVLVS, continet præter vrachum, tria notabilia vaſa ſanguinea, duas ſcilicet arterias, atque vnam venam, cuius diameter ad minimum vnius cuiusque arteriæ duplum eſt, inſuper corpore ſpongioſo, quod ipſis tutum tranſitum præbet, componitur: hoc corpus ſpongioſum, ſubcartilagineum ſatis mobile & non facile comprimendum, ſecundum plurimos anatomicos, duplici membrana conſtat, externa, quæ a panniculo adipſo, interna, quæ a peritonæo ortum ducit; ſecundum alios vero ab epidermide, cute, & panniculo adipoſo: ſed D. *Rouhault* illum vnica ſolummodo membrana tenui ſuccinctum eſſe inuenit, ſub qua infinitarum cellularum compages ſe prodit, in quibus humor pellucidus, viſcoſus, quem *Warthon* gelatinam nominauit, magna copia reperitur; quo continuo affluente, huius funiculi flexibilitas, quæ fœtus motui obſequi debet, conſeruatur: in huius funiculi vmbilicalis longitudine, quæ non ſemper eadem eſt, conſpiciun-

ſpiciuntur aliquot quaſi varices ſiue veſiculæ ſanguine plenæ, nodorum ſimilitudinem habentes; ex quorum copia, obſtetrices de futuræ ſobolis numero diuinare ſolent, & ſi nulli eiusmodi nodi adfuerint, ſteriles in poſterum fore pronuntiant puerperas; ex eorundem quoque ab inuicem diſtantia de puerperiorum interuallo; & ex colorum varietate de ſexus diſcrimine aniliter hariolantur. Vide funiculus vmbilicalis; & vaſa vmbilicalia.

VMBILICVS, vmbo, Ὀμφαλὸς, Ῥίζα γαστρὸς *Ariſtoteli*, eſt vmbo in medio abdominis ſitus, cui in fœtu inteſtinulum vmbilicale coniungebatur, quod poſt partum abſcinditur. G. Der Nabel.

VMBILICVS MARINVS, pen. prod.

Jam peruenimus vsque ad vmbilicos. Phalæc. *Mart. l. 4. ep. 91.*

Nulla craſſior vt ſit vmbilico. Phalæc. *Mart. l. 2. ep. 6.*

Vmbilicus marinus, eſt teſtaceum quiddam, planum, ab vna parte rubrum, ab altera fuſcum: habentur maiora & minora. G. Meerbonen.

VMBILICUS, id in pomis eſt, quod in iis medium vel prominet, vel conditur.

VMBILICVS TERRÆ, vide *cyclamen.*

VMBILICVS VENERIS, & cæteræ herbæ, quæ vmbilici nomen ferunt, dicuntur ſic a foliorum ſimilitudine cum vmbilico humano.

VNCIA, eſt duodecima pars libræ medicinalis; continet vncia drachmas octo. Gr. οὐγκία. G. Eine Untze, zwey Loth.

VNCVS, idem quod *hamus* & *hamulus.*

VNDIMIA, idem quod *œdema.*

VNEDO, putatur eſſe meſpilus; quidam tamen illud nomen arbuto attribuunt. Gr. ἐπιμηλὶς, quæ etiam ab Italis ruſticis vocatur *vnedo*, eſtque quaſi malus ſylueſtris. Inde nomen habens quod plures edi non poſſunt.

VNGARICVS MORBVS, ſiue HVNGARICVS, eſt ſpecies febris epidemicæ malignæ, plerumque cum nimio capitis dolore, delirio, aut angina periculoſiſſima inuadens, aliquando cum petechiis, ſiue maculis pulicaribus.

VNGV-

VNGVENTVM, ab VNGVERE, eſt medicamentum externum, quod conſiſtentiam linimento paulo craſſiorem habet, vocatur etiam *vnguen* Plin. Gr. ἄλειμμα & ἄλειφαρ. G. Salbe.

VNGVICVLI, idem quod *alabaſtri.*

VNGVIS, Gr. ὄνυξ, eſt pars corporis animalis flexilis, alba, dura, digitos ab externis iniuriis defendens, & quodammodo exornans, eorum extremitati dorſali impoſita; radix eius ligamento cuidam iungitur, & ob vicinos adſitosque ei tendines, ſenſilis eſt. Conſtitui videtur ex collectione minimarum fiſtularum, denſe ſibi inuicem adhærentium & in longitudinem excurrentium. Vbi incipiunt, inueniuntur quædam fibræ neruoſæ in modum papillarum elongatarum, quarum elongatæ partes ad vnguem vsque conſpiciuntur. Si autem vi abrumpantur, foramina diuerſa relinquuntur. Ita vt cornea vnguium ſubſtantia retis figuram obtineat. Hisce accedit corpus papilloſum vngui ſubiectum, vna cum ſuis vaſis excretoriis. Apices vnguium ſunt, qui vltra carnem exſeruntur, ἀκρωνυχίαι ſiue extremitates; partes quæ præciduntur, *ſegmina vnguium* dicuntur; partes ſub vngue, κρύπτα, pars alba & ſemilunaris radici proxima, ἀνατολή, ſiue exortus, & ἄργεμος ab albedine, ipſa initia eorum cuti adnata, ῥυξώνυχες, vnguium radices vocantur; latera ῥαγες καὶ κορυφαὶ, rima & vertices; anguli, γωνίαι, maculæ albæ, Νεφέλια, nubeculæ & cicatrices albæ. *Vnguis* etiam dicitur *Pterygium*, oculi quoddam vitium, vide *pterygium.* G. ein Nagel.

VNGVIS ODORATVS, vide *blatta Bizantia.*

VNGVES, in roſis & foliatis floribus intellexerunt veteres imas ſuorum foliorum partes, quibus in capite ſuo cohærent, decoloresque dependent, vel vnguis infima pars foliorum roſæ alba appellatur.

VNGVLA, ὄνυξ eſt vncinus ſeu hamus educendo mortuo fœtu comparatus. Embryoreﬅes *Tertulliano*, dicitur lib. de anima, niſi placeat eo loco reponere ex *Galeno* ἐμβρυθλάστης; ſic enim ille nominat, aut ἐμβρυουλκὸς qua voce *Hippocrates* vtitur, a quo idem inſtrumentum etiam ἑλκυστὴρ, item πίεστρον, lib. de mulieribus, & ἰχθύη dicitur.

VNGVLA CABALLINA, eſt tuſſilago ſeu farfara; ſic dicta ſc. quod iſtius plantæ folia equinæ vngulæ perſimilia ſint. Vide *tuſſilago.*

VNGVLA OCVLI, idem quod *pterygium.*

VNICORNV, ſæpe a medicis maximopere laudatur; verum an verum detur necdum demonſtratum eſt. Sed ſi daretur, quis diceret, tantis viribus valere, vt medicorum turba clamitat: facile eſt credere non aliis virtutibus, quem cornu rhinocerotis, aut cornu cerui gaudere. Quod pro eo venditant, eſt dens alicuius piſcis Grœnlandici, *Narhval* dicti. Piſcis iſte in iuuentute duos habet dentes, quod illi narrant, qui illas regiones frequentarunt, imo & ſtigma & locum ſiue foramen, in quo collocatus fuerat, videri dicunt: cum adoleuerit ſiniſter excidit, & loculus euaneſcit, verum dens dexter, qui remanſerat, vt eſſet piſci æquilibrium, non recta via enaſcitur, ſed ſiniſtram verſus partem magis ac magis inclinat. Aſini cuiusdam Africani cornu pro vero monocerote ſæpe diuenditur. Cornua illa, ſiue potius dentes, aliquando ſex pedes ſuperare vidi: albi ſunt inſtar eboris ſed cochleæ in modum ſtriati. Gr. Μονόκερως. G. Einhorn.

VNIO ſeu MARGARITA aut PERLA, eſt gemmæ maritimæ quædam ſpecies, in oſtreis, muſculis & forte aliis conchis naſcens. Ob vires inſignes valde laudatur. Sed ſi res intimius inſpiciatur, nihil aliud faciunt quam acidum temperare, vti & mater perlarum, & omnia conchilia faciunt. Vide *margarita*.

VOLA, eſt poſtbrachialis pars interna manuum, *palma* dicta, Gr. δῶρον, κοῖλον χειρὸς, θέναρ. Item vola eſt concauitas pedis, Gr. κοτύλη, κοῖλον ποδὸς. G. Die Höhle an der Hand, oder Fuß.

VOLATICA, idem quod *lichen.*

VOLATILIA, ſunt, quæ facile auolant, vti ſunt omnes ſpiritus & ſalia volatilia, mercurius &c.

VOLSELLA, ſeu VVLSELLA, & ACANTHABOLVS, Gr. μαδιςήριον, τριχολαβὶς: τριχολάβιον, eſt inſtrumentum, quo pilos prehenſos radicitus e corpore exſtirpant; ſeu forceps chirurgica, quæ pro vario vſu varia forma eſt. G. Raufſzänglein.

VOLVA, eſt ſpecies fungi, oui vitellum referens: volua dicitur, ceu in ouo eſt luteum, Italis *boloccioli* & *ouole* dicuntur, quod ouorum vitellum referant.

VOLVBILIS, dicitur planta, quæ ſub ſmilacis nomine venit; cuius ſunt variæ ſpecies: a circumuoluendo ergo nomen habet, quod iuxta creſcentibus plantis, ſtipitibus &c. circumvoluendo adhæret.

VOL-

VOLVVLVS, ide *iliaca paſſio.*

VOMICA NVX, penult. corr. a vomendo dicta,

Et phthiſis, & vomicæ putres, & dimidium crus. Iuuen. 13.

VOMICA, eſt tuberculum in pulmone natum pene membrana propria incluſum, pure plenum: ortum a quacunque cauſa partem pulmonis prius inflammante, dein ſuppurante, ſed tamen ita, vt in membrana quadam, quæ ſimul creſcit ac extenditur, contineatur: nec ſputo excernatur; aliquando in initio nec tuſſim nec febrem inducit; poſtea vero cum ſenſim aucta, vaſa ſanguifera vicina comprimit, quin ſanguini præterfluenti effluuia ſua imprimit, proinde febricula, cum inquietudine & marcore ſuccedit, tandem illa ad plenitudinem aggeſta & diuturna concoctione in pus ſincerum maturata, cyſtin ſeu nidum diſrumpens vel ſoluens, pus ſolum vel ſacculo incluſum eiicitur. G. Lungengeſchwer, Eiterbeule.

VOMITORIVM, eſt medicamentum internum, cuius vehementi irritatione materia in ſtomacho contenta, violento motu per gulam in os & ex eo eiicitur, adeoque motus periſtalticus plane inuertitur, vide quid de *vomitu* mox dicetur. Vide *emetica.* Gr. ἐμετικόν. G. Ein Speytranck, Artzney, davon man ſich brechen muß. Vomitif.

VOMITVS, Gr. ἔμετος, ab ἐμέω vomo. Eſt ventriculi & œſophagi & muſculorum abdominalium conuulſiuus motus, quo verſus ſuperiora contrahitur ventriculus, pyloro occluſo & fundo ac lateribus in ſe coactis verſus ſiniſtrum orificium, & compreſſis omnibus vi muſculorum abdominalium, vnde per partes conuulſo etiam œſophago ab imo ad fauces, contenta, ſi quæ ſint in cauitate, expelluntur in os & vltra. Hinc anxietas, dolor in cordis & ventris regione, reſpiratio nonnihil eſt impedita, facies rubet & tumet ſæpe, caput diſtenditur, labia tremunt, ſudor exprimitur, ſi vomitus diu durat, & identidem repetit, vt ſolet: nam conuulſio hæc per vices repetit, vnde contentorum eiectio vna vice maior, altera minor eſt: neque enim reſpiratio concedit diuturnam conuulſionem, & quaſi tetanum, ſed ſurſum actus ventriculus ab inſpiratione aliiſque cauſis, breui deorſum vrgetur, licet mox reuertantur conuulſiones, quæ rurſum remittunt: atque in tali viciſſitudine vomitus fit. Huius ſpecies ſunt, ab ebrietate, faſtidio, cibis vel potibus acribus, venenis, emeticis, catharticis, in grauidis, vulneribus cerebri, viſcerum inflammatione, eorum-

rumque dolore, vt in colica, ileo, nephritide, febribus, &c. Eſtque vel rei ingeſtæ, ſanguinis &c. G. Das Brechen, Ubergeben, Speyen.

VRACHVS, eſt canalis in fœtibus exilis, membranoſus, figuræ depreſſæ, craſſitiei circiter acus textoriæ, coloris placenta obſcurioris, a fundo veſicæ exiens, tranſiens infra amnion, recta vſque ad ceruicem allantoidis, peruius, vel ſaltem tranſitum vrinæ permittens, intra aliquot dierum ſpatium, ex ſubſtantia mucoſa in veram membranam mutatus: eſt verus ductus vrinarius, transmittit enim ex veſica in allantoidem vrinam a ſola veſica fœtus in vtero hærentis per tantum temporis ſpatium non retinendam; hic vero poſt fœtus editionem in ſubſtantiam ligamentoſam faceſſit, & veſicæ pro ſuſpenſario cedit. Coniungitur vmbilico & veſicæ fundo. Gr. ὀυραχός. G. Der Blaſen Band.

VRANIA, eſt iridum nomen, a colore & figura iridis cœleſtis: ὀυρανὸς enim cœlum eſt.

VRCEOLARIS, & VRCEOLA, vocatur parietaria, quod detergendis vrceolis vitreis polleat. Vide *helxine*.

VRENTIA, vide *pyrotica*.

VRETER, eſt vas fiſtuloſum & membranoſum ab vtroque rene emiſſum, ex eius pelui oriundum, fere conicum, vt plurimum inæquale, ſcilicet in diuerſis locis anguſtius; conſtatque tribus membranis; externa eſt proles peritonæi, media eſt muſcularis, fibris motricibus prædita; tertia & intima ſimilis eſt membranæ veſicæ interiori: hic canalis in ſtatu ſano nullam præternaturalem extenſionem paſſus valde anguſtus eſt, vnde fit vt ſibi commiſſus ob tunicam muſcularem fere clauſus exiſtat, donec materia ſecreta in peluim continuo ſtillans ſenſimque augeſcens, ad ſuperandam vim contractilem ſatis virium acquirat; vnde liquor ſecretus non ilico ex pelui effluere poteſt, quod in hunc finem factum videtur, ne liquor ipſo momento, quo in peluim ſtillat, effluat, ſed ibidem continuo adſit, vt papillarum oſcula hunc liquorem ſtillantium humectet, & impediat, ne præ ſiccitate concreſcant, alias de vrinæ ſecretione breui actum eſſet, hinc liquor hic in pelui retardatus inſtar balnei fouet, & humectat, papillas ſuis oſculis in peluim hiantes a concretione præſeruat: hæc fiſtula, vt ad veſicam, in quam terminatur, perueniat, vtitur primo recto, mox vero ad anteriora flexo itinere, ſub peritonæi lamella decurrens, in poſteriorem veſicæ partem, duorum digitorum ab alterius renis inſerto vretere, vti & a ceruice diſtantia; ergo in talem

talem locum, vbi mutationibus veſicæ modo plenæ, modo vacuæ minime obnoxius eſt, inſeritur: tunc oblique deorſum inter tunicas veſicæ ſpacio parui digiti procedit, & ibi intima veſicæ membrana penetrata ſuam vrinam infundit: hæc mirabilis inſertio, nullo operculo vel valuula prædita, retrogreſſum vrinæ ex veſica in vreterem omnino impedire valet, oblique intra veſicæ membranas ſe aperiens; vnde vrina a renibus, veſicæ traditur. Vena alba *Celſo* dicitur, ab οὖρον vrina. G. Harngänge.

VRETHRA, vel FISTVLA, Gr. Οὐρήθρα, Πόρος Οὐρητικός, eſt meatus vrinarius, quo ex veſica per penem, vel vuluam ſiue pudendum muliebre, vrina excernitur. Item, inſeruit ſeminis eiectioni. In initio ſuo per duo foramina veſiculæ ſeminales, quum opus fuerit, ſe exonerant, iisque proſtatæ glanduloſæ, etiam plurimis foraminulis circumſiſtunt: quibus caruncula apponitur. Canalis eſt miræ ſtructuræ; conſtat binis membranis, vbi primo ex veſica, cuius protractio tantum videtur, ſed his deinde interponitur corpus cauernoſum ſiue fungoſum, quod inter binas has lamellas decurrit, ad latera ſenſibilius quam in medio, inter finem proſtratæ & vnionem corporum cauernoſorum eſt craſſiſſimum, dein toto decurſu gracilius, ad anteriora penis craſſeſcit, & extrorſum flexum, linquit in medio apertum os vrethræ, in glande, deinde vero conſtituit ſuperficiem exteriorem ſpongioſam glandis, terminatam in eminenti eius fimbria circa nexum præputii; in cauum ſuæ fiſtulæ recipit emiſſaria obliqua ex glandulis Covvperianis, confectum humorem blandum præcipue flaccido veretro dimittentia in vſus neceſſarios ſuperficiei interiori vrethræ; tum & plurima hic patent oſcula maiora, minora, hæc fines ſunt canaliculorum ſub vrethræ membrana, eructantes humorem blandum, quo lubricatur meatus, & a concretione defenditur: vrethræ progreſſus non eſt rectus, ſed ſingulari modo progreditur, inprimis in viris, vbi per anfractus deſcendit, aſſurgit, incuruatur, deſcendit; & variis ſui decurſus locis in latitudine ſua etiam variat; ab οὖρον vrina, vel οὐρέω vrinam reddo. G. Harnröhre.

VRETICA, idem quod *diuretica*.

VRINA, vide *vron*.

VRINA PERICARDII, vide *aqua pericardii*.

VRINALIS HERBA, dicitur *linaria*, quia vrinam pellit ſic vocatur.

VRINA-

VRINARIA FISTVLA, idem quod *vrethra.*

VRINOSA, ſunt medicamenta vrinam pellentia, vt ſpir. vrinæ, ſalis armon. &c. ea poros cerebri dilatant & excitant, vnde in affectibus comatoſis laudatiſſima ſunt.

VRNA, eſt magna veterum menſura, continens vini quadraginta libras, & triginta quinque olei circiter.

VROCRISIS, idem quod *vrocritica.*

VROCRITERIVM, eſt iudicium de vrina, ex οὖρον vrina, & κρίνω iudico.

VROCRITICA, ſunt ſigna quæ ex vrinis obſeruantur, ex οὖρον vrina, & κρίνω iudico.

VROMANTIA, vide *vrocriterium.*

VROMANTES, eſt qui ex vrinis aliquid diuinare valet, ex οὖρον vrina, & μάντης vates.

VRON, *vrina, lotium*; οὖρον & οὔρημα, eſt excrementum ſeroſum a ſanguine in renibus, cum multo ſale, pauco ſulphure, terra & ſpiritu, per vreteres ad veſicam delatum, donec conuenienti tempore & loco excernatur, ab οὐρέω vrinam reddo. G. Der Harn, das Waſſer, Urin.

VROSCOPIA, eſt vrinæ inſpectio, ab οὖρον vrina, & σκοπέω inſpicio.

VROSCOPIVM, idem quod *matracium.*

VRTICA, penult. prod.

Hæc tetigit, Gradiue, tuos vrtica nepotes. Juuen. ſat. 2.

Diuitis vrticæ maior tamen iſta voluptas. Juuen. Sat. 11.

Vrtica, eſt planta, quæ habet caules plus minusue altos, quadratos, rigidos, lanuginem pungentem habentes, excauatos, ramoſos: folia in caule bina oppoſita, oblonga, plus minusue ampla, meliſſam referentia, acuta, in margine inciſa, ſpiculis vrentibus obſita: flos eſt apetalus, ſtamineus, mas, calici tetrapetaloidi, cruciformi inſidens vt plurimum; in medio caliculi habens ſtamina aliquando quatuor, quandoque plura; teſticuli in foliacea plana diſſiliunt: fructus plerumque in planta non florifera fit vel capſula biualuis, ſemine fœta, & aliquando in globulos congeſta, vel volſella ſemen comprehendens, tuba filamentoſa inſtructa, & caliculo, ſed & ouaria in planta marr inueniuntur: vnde fiunt vrticæ mares, fœminæ & hermaphroditæ: radix fibroſa, repens, coloris flaueſcentis; plures dantur vrticæ ſpecies, maxima, minor, & Romana ſiue mas cum globulis: planta hæc dicitur ab vrendo, quod pruritum

tum puſtulasque igni ſimiles excitet. Gr. ἀκαλήφη, item κνίδη vocatur, a κνίζειν quod vellicet, pungat, a ſuo morſu ſenſum laceſſat. G. Brennessel.

VRTICATIO, eſt operatio chirurgica, qua membra corporis vrticis recentibus percutiuntur, ad calorem nempe reuocandum.

VSNEA, pen. corr. ob vocal. ante vocalem, *Auicennæ Vſina.* Vſnea eſt muſcus oſſibus vel arboribus adnaſcens. Proprie tamen ſumitur pro muſco caluariis humanis increſcente, eſt vox Arabica. G. Moß.

VSTILAGO, ab vrendo dicitur. Vide *rubigo.*

VSTIO, eſt, quando res in cineres rediguntur, vt arte ſalis ex vegetabilibus elixiuiatio fiat. Vel vt res melius in puluerem redigantur, vti fit in cornu ceruino calcinando. *Vſtio* chirurgis quoque familiaris, quando cauteriis vrunt. G. Verbrennung.

VTERI ASCENSIO, idem quod *hyſterica paſſio.*

VTERI LIGAMENTA, vide *ligamenta vteri.*

VTERI OSCVLVM, vide *oſculum vteri.*

VTERI PROCIDENTIA, vide *procidentia vteri,*

VTERVS, *loci, matrix*, Gr. δελφὺς, ὑστέρα, νηδὺς, μήτρα, ἀγγῶον κυητήριον Galeno. Eſt pars organica in abdominis inferiori parte, pelui dicta, mulierum ſita, quæ in fundum, collum & vaginam diuiditur. Ligamenta duo lata & totidem teretia habet. Subſtantiam obtinet neruoſam & fibroſam; craſſities variat pro ætate, & tempore geſtationis fœtus. Intus in fundo oſculum habet, ex cuius cauitate menſes profluunt, in quo & conceptio & generatio contingit: anterius veſicam habet, poſterius inteſtinum rectum, & ſic homo inter ſtercus & vrinam naſcitur. G. Der Leib, die Bärmutter.

V V A, idem quod *cion.*

VVA CRISPA, frutex eſt: volunt dici ab intortis, fereque in circulum verſis, foliis & acinis quos prodicit. Latinis forte *vua intorta* nuncuparetur. G. Kräuselbeer, Stichelbeer.

VVEA TVNICA, dicitur & *vuiformis*, vide *rhagoides.*

VVEA MEMBRANA, ACINIFORMIS TVNICA, ſiue CHORIOIDES, eſt hæc tunica poſterius oriunda a pia matre nerui optici, & bulbum oculi ambiens immediate ſub ſclerotica, anterius ubi illa pellucida corneam facit, ab ea reflectitur intus paulum, & perforatur apertura pupilla dicta,

quæ

quæ ope muſcularium longitudinalium & circularium fibrarum iridis contrahi & dilatari poteſt. G. Das Traubenhäutlein.

VVVLARIA, vide *laurus alexandrina.*

VVLNERARIA, vide *traumatica.*

VVLNERARIA, eſt planta, quæ habet caules pedem altos, tenues, rotundos, villoſos, aliquantulum rubicundos, incuruatos: folia bina, coſtæ adhærentia, galegam referentia, ſed magis medulloſa, in parte inferiore villoſa, in ſuperiore albeſcentia, flaueſcentia, viridia, ſaporis dulcis, ſubacris: flores in ſummitate ramorum creſcentes in vmbellam diſpoſiti, leguminoſi, flaui: calix tubulatus, turgidulus, lanuginoſus, coloris argentei: flori ſuccedit ſiliqua breuis fœta ſemine ſubrotundo, in calice membranaceo floris recondita: radix longa, recta, lignoſa, nigricans, ſaporis leguminoſi: hæc planta creſcit in montibus, eſtque ſpecies anthyllidis.

VVLNVS, ſolutio eſt continui, externo aliquo inſtrumento, ſcindente &c. recens in parte facta, cum cutis apertione: eſtque varium, tam ratione loci & partis affectæ, vnde aliud nerui eſt, aliud carnis: quam inſtrumenti infligentis, vnde ſi ab aliquo acuto cæſum illud fiat, *ſectio* vel *inciſio*, ſi vero ab acuto punctim fiat, punctura, vel punctio dicitur. Gr. *τραῦμα* & *τρῶμα.* G. Eine Wunde.

VVLSELLA, vide *volſella.*

VVLTVS, idem quod *facies.*

VVLVA, eſt *pudendum muliebre*, ſiue foramen maius dicitur, infra os pubis poſitum, vide *cunnus.*

VVLVA CEREBRI, eſt fouea quædam, inter eminentias cerebri, oblonga.

VVVLA, vide *cion.*

VVVLÆ CASVS, vide *cion.*

X.

X. ℥. in quibusdam ſcriptis medicis denotat vnciam.

XANTHIVM, eſt planta, quæ habet caulem ſesquipedem altum, anguloſum, villoſum, punctis rubris notatum, ramoſum, in latum ſe extendentem: folia bardanæ, ſed minora, viridia, in margine inciſa leuiter, ſaporis acris & aromatici: flores ſunt floſculoſi: fructus oblongus, aculeatus, veſtibus adhærens, in duos acutos, rigidosque mucrones deſinens, qui di-

ſtinctis loculis duobus totidem grana oblonga condit: radix parua, alba, fibris ſatis craſſis inſtructa: hæc planta creſcit contra parietes, & in paludoſis locis exſiccatis. G. Klein: kletten, Bettlerläuſe. Eſt lappa minor ſeu lappa inuerſa, ſic dictum quod ξανθὰς, hoc eſt, flauos capillos faciat.

XENEXTON, idem quod *zenechdon.*

XENICON, Gr. ξενικὸν, ſic appellatur venenum, quo olim teſte Ariſtotele, vtebantur venatores Celtæ, quod tam præſentis erat virtutis, vt quamprimum ceruus vel animal ſagitta hoc lurido veneno tincta læderetur, concideret, & confeſtim accurrere venatores neceſſe habuerint; ne virus illud penitus per totum corpus diſpergeretur, carnemque circum adiacentem telo exciderint; quam effodere ſolebant circunquaque circa vulnus ad ſpithamæ latitudinem, vt tuti eſſent a veneno; hoc experimento itaque clare euincebant quod loca in corpore humano a venenatis animalibus læſa illico largiter vndiquaque exſciſſa, non habeant venenum tam cito diſperſum, ac proinde hoc modo optime curabilia ſint: veneni huius antipharmacum dicuntur eſſe *folia querci* vel *fagi*, aut *coracina* applicata illico locis vulneratis.

XERAPHIVM, eſt medicamentum aduerſus capitis & menti exanthemata vtile.

XERASIA, eſt capillorum vitium, quando lanuginis inſtar apparent, & velut puluere conſperſi. Inter ſpecies alopeciæ referri debet, a ξηρασία, *exſiccatio.*

XEROCOLLYRION, eſt collyrium ſiccum.

XEROMYRVM, eſt vnguentum deſiccans, ſiue compoſitio ex aromatis, pro ſuffitu, amuletis &c. conſtans, vtimur quoque aduerſus fœtorem axillareum.

XEROPHTHALMIA, eſt arida & ſicca lippitudo, ex ξηρὸς aridus, & ὀφθαλμία oculorum dolor.

XEROTES, eſt ſicca corporis diſpoſitio, a ξηραίνω ſicco.

XIPHIVM, ſiue GLADIOLVS, eſt iuncus floridus, a foliorum ſimilitudine dictus, a ξίφος gladius, habet folia longa, lata, mollia, coloris viridis, pallidi, aut albeſcentis: flos & fructus ſunt iridis: radix bulboſa, externe nigricans, interne alba, ſaporis dulcis: creſcit hæc planta in regionibus calidis, vt in Hiſpania.

XIPHOIDES, eſt cartilago pectoris mucronata, inferius ſterno adhærens, ipſo tenuior & flexilior, in acumen ex lato abiens, adeoque enſi ſimilis, ex ξίφος enſis, & εἶδος forma.

XYLAGIVM, eſt lignum ſanctum.

XYLOALOE, eſt lignum aloes, vide *agallochum.* G. Aloesholtz.

XYLOBALSAMVM, eſt frutex vel ſarmentum aut ſurculus balſami. Amputabatur enim ab incolis, & vænibat propterea, quod eo decocto in vnguentis vice opobalſami multi vterentur; etiamſi ex toto balſamo minima illi ineſſet odoris gratia. Vide *balſamum.*

XYLOCASSIA, ſiue CASSIA LIGNEA, vide *cinamomum.*

XYLON, eſt goſſipium. Barbaris & arabibus *cotum* & *bombax* ſeu *bombaſum.* Linum eius *cotonium* vulgo vocatur, ſicut lanugo ipſa *cotonum*, ab huius generis planta *veſtes xylinæ*, & *lina xylina* nominata ſunt. Iuriſconſulti *lanam* hanc *ligneam*, nuncupant, ξύλον enim lignum eſt. Vide *goſſipium.*

XYLOSTEVM, eſt arbuſcula, periclymeno ſatis ſimilis, habens caules mediocriter craſſos: lignum eſt album; rami rotundi, corticem initio rubicundum poſtea albeſcentem habentes: folia ſunt oblonga, mollia, viridia, albeſcentia, aliquantulum lanuginoſa; pedunculi finis format calicem conſtantem binis foliolis maioribus, quatuorque breuioribus; quorum duo hinc inde maioribus interponuntur: calici huic gemina ouaria innaſcuntur rotunda, in apice ſuo coronata caliculo quinquefido, emittuntque ex centro ſui faſtigii tubam longam, apice globoſo donatam: flos apici ouarii, intra calicem innatus, monopetalus, oblongus, tubuloſus, campaniformis, quinquefidus, expanſus, quinque ſtaminibus ex pariete interno tubuloſæ partis floris enatis præditus: flori ſuccedunt baccæ gemellæ, molles, ſemineque fœtæ compreſſo & ſubrotundo; hæc arbuſcula creſcit in montibus & ſyluis, quaſi lignum oſſeum, eſt ceraſus canina, ex ξύλον lignum, & ὀςέον os.

XYMPHYSIS, idem quod *ſymphyſis.*

XYNTASIS, idem quod *ſyntaſis.*

XYRIS, quaſi raſorius culter; ſic appellantur folia gladioli, ob raſorii vel enſis figuram, a ξυράω rado.

XYSTER, eſt ſcalprum raſorium, radendis oſſibus aptum, a ξέω rado.

Z.

ZAPHARA, vel ZAFFERA, eſt materia mineralis ex *biſmutho*, ad *ſmaltha* vel *amauſa* pertinens, quæ tingit vitrum cæruleo colore, vnde figuli vtuntur ad tincturam cæruleam vaſis obducendam.

ZARSA PARILLA, eſt ſmilacis aſperæ ſpecies, a ſimilitudine nomen accepit, quam cum Smilace aſpera habet, quæ Hiſpanis *Zarſa - parilla*, i. e. rubus viticula dicitur. *Zarſa* enim iis eſt rubus, *parra* vero vitis, *parilla viticula*.

ZEA, Gr ζέα & ζεὰ, vocatur etiam *ſpelta* Italis: Latini *ſemen*, idque a præſtantia frugis appellarunt: aliqui deriuant, ἀπὸ τȣ͂ ζῆν quod vitam ſuſtentant: nonnulli a ζέω ferueo, quod dum ſolis feruefcit vi, mortalibus donet omnia: Vide *ſpelta*.

ZEDOARIA *Officinarum* (zurunbad *Auicennæ*; ζάδωρα *Græcis recentioribus*) penult. corr. ob vocal. ante vocalem, quod in ciuitatem Latinam terminatione tranſierit. Zedoaria eſt radix e China & extremis Indiæ finibus allata, quæ eſt tuberoſa, breuis compreſſa, foris cinerea, intus candida, quando cortex exterior eſt detractus, paucis fibris intertexta, ſaporis amaricantis aromatici, odoris fragrantis, ad camphoram aliquantum accedentis: folia ad curcumæ folia accedunt, ſuntque palmæ magnitudine; fert florem in peculiari ſpica, vt Galanga, quos flores ſequuntur loculamenta terna. Habetur *longa* & *rotunda*, quæ promiſcue vſuales. Externe cinerei coloris, intus vero fuſci ſunt. Odor & ſapor aromaticus valde & acris. Quoad vires non differunt, dicitur & *zerumbet Serapionis*, & a quibusdam *anthora*. G Zitwer.

ZENECHDON ſeu ZENEXTON, eſt vox arabica, & idem eſt, ac ſi dicerem *diarſenicum*, ſeu compoſitio ex arſenico, arſenicum enim orientalibus *zenech* & *zene* ſonat:

Zz 2 &

& ſic *zenechdon*, pro diazenech dicitur. Idem quod amuletum.

ZENEXTON, idem quod *zenechdon*.

ZEOPYRON, eſt frumenti ſpecies inter zeam, & πυρὸν ſiue triticum.

ZERNA, idem quod *lichen*.

ZIBEBÆ, vox *Officinarum*, penult. corr. vt cubebæ. *Auicenna* Zebib appellat, vnde non defuturi forſan, qui accentum intuiti penultimam producent. Nec admodum repugnabimus. Quia tamen in terminationem Latinam tranſit hæc vox, potior videtur analogiæ ſuperius allatæ ratio. Conſulatur interea *Aſarum*, ſequ.

ZIBETHVM, *Scaligero* Zibeth, pro excremento illo peculiari & fragrante Hyænæ odoriferæ; penult. prod. tum quia multis Auctoribus, vt *Hermolao, Ruellio* &c. Zibettum appellatur, & aliis *ciuetta*, tum quia analogia ita ſuadet in voce, acetum, coryletum, temetum, vepretum, &c. Zibethum eſt liquor pinguis felis zibethicæ, veſiculis glandulofis, intra penem & teſtes collocatis, emanans, qui premendo exprimitur & colligitur; & quod hic videntur eſſe veſiculæ zibethicæ, easdem in caſtore caſtoreum dicerem: liquor hic grauis eſt odoris, niſi adſit pauca quantitas. Dicitur & *zibetta*. G. Zibeth.

ZINGIBER, *Officinis, & recentioribus Græcis; Plinio l.* 12. *c.* 7. zingiberi, & zimpiberi; *Dioſcoridi l.* 2. *c.* 190. ζιγγίβερις, εως.

> Ζιγγίβερι θερμὸν καὶ ἔνκλων πεντάπετηλον. *Andromachus Senior* apud *Galen. l. de Theriaca ad Piſonem.*
>
> *Auicennæ* Zeniebil. Et nominat. & genit. penult. corr.
>
> *Zingiber, & calidum, mordax piper, & laſer algens. Vind.* 54.
>
> *Et piperis ſiliquas, Zingiberimque vehit. Strozza Eleg.* 3.

Ratio conſtat, quippe *Galenus l.* 6. *ſimpl. facult.* ζιγγιβέρεως, inquit, ἡ ῥίζα χρήσιμός ἐστιν, &c. & ſimilia ſcribit loco proxime citato *Dioſcorides.* Zingiber radix eſt tuberoſa, ramoſa, breuis, & paululum compreſſa, pallida, fibris crebrioribus dotata, ſaporis aromatici acerrimi feruidi, inſtar piperis, odoris aliquantulum fragrantis, geniculatis repit internodiis; ſingulis annis folia habet iridis, aut gladioli in modum, cre-

ſcit copioſe in India Orientali & occidentali, vnde & ad nos portatur; variæ ſunt ſpecies Zingiberis, quæ tantum differunt ratione fibrarum, quo vero plures fibræ, eo ignobilius, quo pauciores, eo præſtantius: eſt radix plantæ, quæ habet folia cannacori: flos in ſcapo ſingulari, pentapetalus, difformis, quaſi bilabiatus, inſidens ouario trigono, triloculari; radix colligitur foliis plantæ areſcentibus, & poſtmodum ad ſolis ardorem aut in fornacibus exſiccatur: a quibusdam luto, creta, aut rubrica obducitur, vt eo melius præſeruetur, hinc proſtabat zingiber album & rubrum ita dictum, non quod ſint duæ diſtinctæ ſpecies, ſed tantum coloris externi ab aſperſa creta vel rubrica prouenientis ratione. Dicitur quoque *zinziber*, *gingiber*. G. Jngber, Jngwer.

ZIRBVS, Arab. idem quod *omentum*.

ZIZANIA, Lat. *lolium*. Gr. quoque *αἶρα*, & *ζιζάνιον*, eſt frumenti vitium. G. Unkraut.

ZIZYPHA, penult. corr. apud *Cauallum*; neque male conuenit analogia cum Siſypho, de quo ita Poëtæ:

Aut petis, aut vrges ruiturum Siſyphe ſaxum. Ov. 4. Met.

Vel tu Siſyphios licet admirere labores. Propert. 2. 617.

Zizypha, ZIZYPHVS & ZIZIPHVS, eſt iuiubarum arbor; cuius truncus eſt tortuoſus, inſtructus cortice aſpero, inæquali, ſtriato; rami duri, ſpinoſi: folia ſunt oblonga, aliquantulum dura, obtuſa, coloris viridis, ſplendentis, leuiter in margine inciſa: calix monophyllus, quinquefidus: flos eſt roſaceus, pentapetalus, ſtaminibus multis præditus: ouarium in fundo calicis inſtructum tuba longa, donata apice globoſo, fit fructus oliuæ magnitudine, callo puluinato, minus ſpiſſo, ſicciore, condens oſſiculum rugis minus profundis ornatum, in quo nucleus plerumque vnus, vtrinque acuminatus, incluſus pulpæ molli, fungoſæ, ſaporis mellei & vinoſi; ex Barbaricis tractibus in Italiam translata eſt: Italis *Suſine*, vnde procul omni dubio *zizyphus* deriuari debet. Vide *iuiubæ*.

ZONA, a *ζωννύω* cingo, eſt ea pars corporis, qua cingimur. Item herpetis ſeu eryſipelatis ſpecies, tantum eo loci quo corpus cingitur. G. Der feurige Umlauff.

ZOOGONIA, eſt animalium perfectorum generatio, qua viui fœtus excluduntur, ex *ζῶον* animal, & *γονὴ* genitura.

ZOOTOMIA, eſt animalium artificioſa ſectio, ex ζῶον, animal τέμνω ſeco.

ZOPISSA, vide *pix.*

ZOTICA, eſt facultas vitalis, a ζάω viuo.

ZVRVMBETH & ZERVBETH, eſt ſpecies zedoariæ quæ radicem habet rotundam & globoſam, & affertur cum zedoaria longa. Vide *zedoaria.*

ZYGOMA, eſt os iugale circa tempora ſitum; ac partim a proceſſu oſſis temporum, partim a primo oſſe maxillæ ſuperioris compoſitum, & prominens ac extans extra os temporum, a ζυγὸς iugum. G. Das Jochbein.

ZYTHOGALA, idem quod *poſſetum.*

Ὑψίστῳ μόνῳ δόξα κλέος τῷ Θεῷ.

INDEX

INDEX
PROSODICVS
EA SALVTARIS DOCTRINAE
EXHIBENS VOCABVLA
QVORVM
IN PRONVNCIANDO
VVLGO
VEL SVSPECTA VEL DVBIA
VEL DENIQVE VITIOSA
SOLET ESSE QVANTITAS.

A.

Abbātis.
Abĭga.
Abomāſum.
Abrotŏnum.
Abrotonites.
Abſinthītes.
Acamátos.
Acanthabŏlus.
Acanthĭnus.
Acărus.
Accipitrīna.
Acerĭdes.
Achātes.
Achatites.
Achillēus.
Achōres.
Acĭnus.
Aconitum.
Acŏpum.
Acŏrum.
Acrŏchir.
Acromphălum.
Adamantĭnus.
Adōnis.
Aegagropīlus.
Aegĭlops.
Aegocĕros.
Aegyptiácum.
Aeromĕli.
Aeſchynomĕne.
Aeſthēſis.
Aetites.
Agallóchum.
Agerātum.
Aegrypnocōma.
Aipàthia.
Aiŭga.
Aizōon.
Alabaſtrīnum.
Alabaſtrites.
Alcēa.
Alectorolŏphos.
Alephangĭnae.
Algēma.
Algematōdes.
Alĭca.
Alindēſis.
Alkhāli.
Allantoīdes.
Allelūia.
Alopecuroīdes.
Alsīne.
Aluidūca.
Alў̆pon.
Amarăcus.
Amaracĭnus.
Amaurōſis.
Ambărum.
Amblōſis.
Amethyſtĭnus.
Ammoniăcum.
Amōmum.
Ampeloprăſum.
Amphemenĭcus.
Amphibleſtroīdes.
Amphismīle.
Amygdalĭnus.
Amў̆lum.
Anabáſis.
Anabŏle.
Anabrōſis.
Anacardīna.
Anacollēma.

Anadendromalăche
Anadiplōſis.
Anadōſis.
Andrŏme.
Anagȳris.
Anaphalantiăſis.
Anaphromēli.
Anaplerōſis.
Anarrhŏpus.
Anaſtoichiōſis.
Anaſtomōſis.
Anatáſis.
Anătis.
Anathymiáſis.
Anchīlops.
Anchȳle.
Anchylōſis.
Ancylotŏmus.
Ancyroīdes.
Androgȳnus.
Androsáces.
Anemōne.
Anēthum.
Anīſum.
Anoĕa.
Anomoeomēres.
Anōnis.
Anthĕlix.
Anthĕmis.
Anthĕmon.
Anthĕra.
Anthŏra.
Anthracōſis.
Antiádes.
Antiballomĕna.
Antiperiſtáſis.
Antipthŏra.
Antirrhīnum.
Atiſcorŏdon.
Antiſpáſis.
Antitáſis.
Antithĕnar.
Antithŏra.
Antitrágus.
Aparīne.
Apathīa.
Apechēma.
Aperiſtáton.
Aphăce.
Apocŏpe.
Apocrīſis.
Apocȳnum.
Apomēli.
Aponeurōſis.
Apophthŏra.
Apophȳſis.
Apoſtáſis.
Apoſtēma.
Apotherapīa.
Apozēma.
Apyrīnum.
Apȳron.
Arachnoīdes.
Arbŭtus.
Archēus.
Archiăter.
Archigeni.
Arctoſcorŏdon.
Arctoſtaphȳlos.
Arēgon.
Argĕmos.
Argemōne.
Argyrocŏme.
Ariſărum.
Armĕnus.
Armoniácum.
Arnĭca.
Aromatopōla.
Arthanīta.
Arthrītis.
Arthrōſis.
Artomēli.
Arytaenoīdes.
Aſaphia.
Aſărum.
Aſcarīdes.
Aſcītes.
Aſcȳrum.
Acēma.
Aſpalăthum.
Aſparăgus.
Aſphodĕlus.
Aſsōdes.
Aſtăphis.
Aſtragaloīdes.
Aſtragálus.
Athănor.
Atherōma.
Atractȳlis.
Atrētus.
Autogĕnes.
Automátos.
Autopȳrus.
Azȳgos.
Azȳmos.

B.

Baccăris.
Balanēum.
Balanocaſtánum.
Balánus.
Ballōte.
Balſamīta.
Bardána.
Barycoccălon.
Batinon.
Batrachoīdes.
Batrăchus.
Bedegărum.
Belemnītes.
Belonoīdes.
Beribēri.
Blepharīdes.
Blepháron.
Bombycīnus.
Borăgo.

Bra-

Brabȳla.
Brachylŏgus.
Bronchocēle.
Bryoptĕris.
Bubonocēle.
Bucĕros.
Bugŭla.
Bulapăthum.
Bulbocaſtănum.
Bulbaſphodĕlus.
Bulīmus.
Buſelīnum.
Butŏmon.
Butȳrum.
Byſsīnus.
Byzantina.

C.

Cacoēthes.
Cadmia.
Calabrīna.
Calaminăris.
Calamīta.
Calăthus.
Calligŏnum.
Callionȳmus.
Callitrĭchum.
Calomĕlas.
Camarōſis.
Cameline.
Cancámum.
Canīcae.
Canicida.
Canirŭbus.
Cannabīnus.
Cantabrĭca.
Canthărides.
Caphūra.
Capnītes.
Cappáris.
Caprĭficus.
Carābe.
Carbasīnum.
Carcinōdes.
Carcinōma.
Carcīnus.
Cardamīne.
Cardămon.
Carĭca.
Carīna.
Carōca.
Carotĭdes.
Carpīnus.
Carpobalsămum.
Carthămus.
Caryocoſtīnum.
Caſsūtha.
Cataphŏra.
Cataptōſis.
Catarrhŏpus.
Cataſtăſis.
Catatăſis.
Cathemerīna.
Cathĕter.
Catīnus.
Catŏche.
Caucălis.
Caulēdon.
Causōdes.
Cedrīnus.
Cencangīa.
Cenōſis.
Centaurium.
Ceratōdes.
Ceraunochrȳſos.
Cercopithēcus.
Cercōſis.
Cerōma.
Cerōtum.
Cerūmen.
Cetĕrach.
Chalāzae.
Chalbănum.
Chalcĭtis.
Chalīnos.
Chamaebalănus.
Chamaebătos.
Chamaepĭtys.
Chamaesȳce.
Chebūlae.
Cheilocăce.
Cheirĭnum.
Chemōſis.
Chenŏpus.
Chimerĭnus.
Chirōnes.
Choăna.
Cholagōga.
Chelodŏchus.
Chorēa.
Choricīdes.
Chryſanthĕmum.
Chryſocŏme.
Chryſolachănon.
Chryſolĭthos.
Chryſomēla.
Chylōſis.
Cicătrix.
Cicerbīta.
Cincindēla.
Cinăra.
Cinnabăris.
Cinnamōmum.
Ciŏnis.
Cirſocēle.
Ciſſampēlos.
Citrăgo.
Citrīnum.
Claretum.
Clemătis.
Clinoīdes.
Clitŏris.
Cloăca.
Clumĕnum.
Clyſtēris.
Coccĭnus.

Coelōma.
Colcŏthar.
Colobōma.
Colubrina.
Comárus.
Condylōma.
Condy̆lus.
Coniza.
Conoīdes.
Conſiligo.
Conſolīda.
Cophōſis.
Coracobŏtane.
Coracochyoīdes.
Coracoīdes.
Coracoīdēus.
Corallīna.
Coralloīdes.
Corōne.
Coronŏpus.
Currūda.
Cory̆lus.
Cory̆phe.
Corȳza.
Cotīnus.
Cotūla.
Coturnīcis.
Coty̆le.
Cotylédon.
Crataegŏnon.
Cricoarytaenoīdes.
Cricoīdes.
Cricothyreoīdes.
Crimnoīdes.
Crisīma.
Criſpīnus.
Crocīnus.
Crotaphītes.
Crymōdes.
Cryſtallīnus.
Cubēbe.
Cuboīdes.
Cucūlus.
Cucŭmis.
Cucurbīta.
Cucurbitīnus.
Cumīnum.
Curcūma.
Cuſcūta.
Cyămus.
Cyănus.
Cyáthus.
Cyclámen.
Cyclamīnus.
Cynanthĕmis.
Cynobotáne.
Cynōdes.
Cynorrhŏdos.
Cynosbátus.
Cypērus.
Cyphōma.
Cyphōſis.
Cyprīnus.
Cyrtōma.
Cytīſus.

D.

Dacryōdes.
Daphnoīdes.
Defrūtum.
Deltoīdes.
Dendroīdes.
Dendrolibănus.
Dendromaláche.
Dentidūcum.
Diabētes.
Diabrōſis.
Diacarthámum.
Diachorēma.
Diachorēſis.
Diachy̆lon.
Diacŏpe.
Diacŏrum.
Diacrīſis.
Diacydonītes.
Diadŏche.
Diadŏſis.
Diaerēſis.
Diagnōſis.
Dialithontrībon.
Diamargarīton.
Diamōron.
Diaolibánum.
Diapedēſis.
Diaphānum.
Diaphoenīcon.
Diaphorēſis.
Diaphthŏra.
Diaplăſis.
Diapnŏe.
Diaprūnum.
Diarrhŏdon.
Diarthrōſis.
Diaſcordium.
Diasēna.
Diaſerēos.
Diateſsáron.
Diathĕſis.
Diazōma.
Diorŏtus.
Didy̆mi.
Diobŏlon.
Diorthōſis.
Diōta.
Diphry̆ges.
Diplōma.
Dipsăcus.
Diſtichiáſis.
Diurēſis.
Dodecadacty̆lum.
Dolīchos.
Doronīcum.
Droſomēli.
Drypētes.
Dryoptĕris.

Dulcamāra.
Dysōdes.

E.

Ebĕnum.
Ebŭlus.
Ecchylōma.
Ecchymōma.
Eccŏpe.
Eccrĭſis.
Echinopŏda.
Echinus.
Eclÿſis.
Ecphyſēſis.
Ecphÿſis.
Ecptōſis.
Ecſarcōma.
Ecſtáſis.
Ectáſis.
Ectŏme.
Eczēma.
Elaphoſcorŏdon.
Eláte.
Elatīne.
Elēmi.
Eleochrÿſon.
Eleoſelīnum.
Elephantiáſis.
Elephantīnus.
Elephantinus.
Elichrÿſon.
Elixīris.
Elōdes.
Elÿmos.
Elytroīdes.
Embáſis.
Emblĭcae.
Embrŏche.
Emĕtos.
Emmenagōga.
Emmŏton.
Emphyſēma.
Emphÿton.
Emplattomĕna.
Empneumatōſis.
Emproſthotŏnos.
Empyēma.
Enaeorēma.
Enarthrōſis.
Encephălos.
Encheirēſis.
Enchymōma.
Enchÿta.
Encŏpe.
Enĕma.
Engizōma.
Entĕron.
Enterenchÿta.
Enterocēle.
Enteroepiplocēle.
Enteromphálos.
Entrichōma.
Enŭla.
Eparadiplōſis.
Epaphaerēſis.
Ephēlis.
Ephidrōſis.
Epiála.
Epicophōſis.
Epicráſis.
Epicyēma.
Epidēſis.
Epididÿmis.
Epigennēma.
Epigonátis.
Epimēlis.
Epinyctĭdes.
Epiphaenomĕna.
Epiphŏra.
Epiphÿſis.
Epiplocēle.
Epiplomphălum.
Epiporōma.
Epiſtropheus.
Epithĕma.
Epithÿmum.
Epómis.
Epomphălum.
Epsēma.
Epūlis.
Eranthēmum.
Erīca.
Ericērum.
Erigĕron.
Erīnus.
Eriophŏrus.
Errhīnum.
Erūca.
Erysīmum.
Eryſipĕlas.
Eryſipelatōdes.
Erythrēma.
Erythroīdes.
Eſchára.
Eſcŭlus.
Eſsēre.
Eſthiomĕnos.
Eſcūla.
Ethmoīdes.
Euchÿlos.
Euōdes.
Euonÿmos.
Euthypŏros.
Eutŏcos.
Eutŏnos.
Exaerēſis.
Examblōſis.
Exanaſtomōſis.
Exanthēma.
Exarthrēma.
Exomphálos.
Exoſtōſis.
Exſtáſis.

F.

Fagīnus.
Fagopy̆rum.
Farfāra.
Fasēlus.
Febrifūgum.
Ferulāgo.
Feſtūca.
Filāgo.
Filĭcis.
Fiſſūra.
Focīle.
Fodina.
Formica.
Fraxĭnus.
Fuligo.
Fungĭnus.

G.

Gagātes.
Galactophŏrus.
Galbanātum.
Galbānum.
Galiancōnes.
Gallinagĭnis.
Gaſtroepiploīca.
Galesīnus.
Galetīna.
Geniohyoīdes.
Gerănis.
Gingīua.
Ginglȳmus.
Glaucōma.
Glaucōſis.
Glenoīdes.
Gloſſocŏmum.
Gloſſopĕtra.
Gycyrrhīza.
Gomphiāſis.
Gomphōma.
Gomphōſis.
Gongrōna.
Gongy̆le.
Granātum.
Graphoīdes.
Guaiăcum.
Gynecīa.

H.

Haemălops.
Haematītes.
Haematōdes.
Haematōſis.
Haemophŏbus.
Haemoptȳſis.
Halicacābum.
Halīmus.
Harmăla.
Harmonīa.
Hebĕnum.
Hedysărum.
Helcōma.
Helianthĕmum.
Heliochry̆ſum.
Heliōſis.
Helleborīne.
Helminthagōga.
Helōdes.
Helōſis.
Helxine.
Hemerālops.
Hemīna.
Hemionītis.
Hepatītis.
Hepsēma.
Hermaphrodītus.
Heſpĕris.
Hidronŏſus.
Herabotăne.
Hiĕra.
Hippolapăthum.
Hippoſelīnum.
Hippūris.
Hirūdo.
Hiſpidŭla.
Homoeomĕres.
Homoplātae.
Homotŏnos.
Hordeātum.
Hormīnum.
Hyacinthīnus.
Hyaloīdes.
Hydatīdes.
Hydatōdes.
Hydatoīdes.
Hydĕros.
Hyderōdes.
Hydragōga.
Hydrargy̆ros.
Hydenterocēle.
Hydrocēle.
Hydrocephălus.
Hydrocrīthe.
Hydrōdes.
Hydrolapăthum.
Hydrŏmel.
Hydromphălum.
Hydronŏſos.
Hydropēge.
Hydrōpis.
Hydropīper.
Hydropyrĕtos.
Hydroſacchărum.
Hydroſelīnum.
Hygiēa.
Hygrocirſocēle.
Hymĕnis.
Hyoīdes.
Hyoſciămus.
Hyothyroīdes.
Hypercrīſis.
Hyperephidrōſis.
Hyperīcum.
Hyperſarcōſis.
Hypochȳma.
Hypodĕris.

Hypo-

Hypodĕſis.
Hypoglottĭdes.
Hypophŏrae.
Hypophy̆ſis.
Hypoſtăſis.
Hypothĕnar.
Hypothĕſis.
Hypozōma.
Hypſiloïdes.
Hyſsōpus.
Hyſtèra.
Hyſterocēle.

I.

Ianthĭnus.
Iaſmĭnus.
Ibēris.
Ichoroïdes.
Ictĕrus.
Ieiūnus.
Impetīgo.
Incŭbus.
Intertrīgo.
Intŭbus.
Inŭla.
Isătis.
Iſatōdes.
Iſchnophōnus.
Iulĕpus.
Iūlus.
Iuniperīnum.
Iunipĕrus.
Iuſquiămus.

L.

Lacry̆ma.
Lactūca.
Ladanum.
Lagochīlus.
Lagŏpus.
Lambdoïdes.
Lampsăna.
Lanūgo.
Lapăthum.
Lappāgo.
Lathy̆ris.
Lathy̆rus.
Laudănum.
Lavendŭla.
Laurīnum.
Lazūli.
Legūmen.
Lentigĭnes.
Leontiăſis.
Leontopetălon.
Lepidoïdes.
Leporīnus.
Leptopity̆ron.
Leucanthĕmum.
Leucoēnus.
Leucolachănum.
Leucōma.
Leucophăgum.
Leucopĭper.
Leuiſtĭcum.
Lexipyrĕton.
Libănos.
Libanōtis.
Libanōtos.
Ligŭla.
Liliāgo.
Liliaſphodèlus.
Limodōrum.
Limonāda.
Lithiăſis.
Lithoïdes.
Lithotŏmus.
Liuĭdus.
Lonchītis.
Longānon.
Lordōſis.
Lorĭpes.
Luiŭla.
Lumbāgo.
Lumbrīcus.
Lupīnus.
Lupŭlus.
Luteŏla.
Lycoctŏnum.
Lyngōdes.
Lyſimachĭa.

M.

Machĭna.
Macrocephălos.
Macropĭper.
Madarōſis.
Maiorāna.
Malăche.
Malăchites.
Mandragŏra.
Manĭca.
Maniōdes.
Maraſmōdes.
Marcasīta.
Margarīta.
Marmary̆gae.
Marmelāta.
Marmorāta.
Martăgon.
Maſsēter.
Maſtĭche.
Maſtichīna.
Maſtoïdes.
Mediaſtīnum.
Melampy̆rum.
Melanagōga.
Melicēris.
Melicrātum.
Melilōtus.
Melittōma.
Mellāgo.
Melōnis.
Melopĕpon.
Melōſis.
Melōtis.

Meningophy̆lax.
Meſocōlon.
Meſpīlus.
Metabăſis.
Metabŏle.
Metacondy̆li.
Metaphrēnum.
Metaptōſis.
Metaſtăſis.
Metaſyncrĭſis.
Methŏdus.
Metōpum.
Metrenchy̆ta.
Metrētes.
Minēra.
Mithridatīum.
Mogilălos.
Mollūgo.
Molōpes.
Monocĕros.
Monocōlum.
Monohemĕra.
Morētum.
Morpiōnes.
Morōſis.
Morgiōnes.
Mortariŏla.
Moſchāta.
Moſchellīnum.
Mucāgo.
Muchārum.
Mumīa.
Murrhīnus.
Muſcāri.
Mycētae.
Myctēres.
Mydriăſis.
Myēlos.
Myocephălum.
Myōdes.
Myosōtis.
Myosūros.
Myracōpum.
Myrīca.
Myrobalăni.
Myropōla.
Myrtocheilīdes.
Myūrus.

N.

Narcōſis.
Necrōſis.
Nenūphar.
Neogăla.
Nepēta.
Nephĕlae.
Nephrītis.
Neruīna.
Neurochondrōdes.
Neurōdes.
Neurotŏmus.
Noſocomīum.
Nychthemĕrum.

O.

Obŏlus.
Obrīzum.
Ochēma.
Ochthōdes.
Ocīmum.
Odontiăſis.
Odontoīdes.
Odotolīthos.
Oedēma.
Oenoīdes.
Oenogăla.
Oenomĕli.
Oeſophagēus.
Oeſophăgus.
Oey̆spus.
Oleagīnus.
Olecrănum.
Olēne.
Olibănum.
Oligophŏros.
Oly̆ra.
Omāſum.
Omoplāta.
Omphalocēle.
Omphălos.
Onobry̆chis.
Onōnis.
Ophiăſis.
Ophioſcorŏdon.
Ophītes.
Opiſthotŏnus.
Opobalsămum.
Opopanăcis.
Opopănax.
Orbĭta.
Orchotŏmus.
Ordeŏlum.
Oreoſelīnum.
Orgănum.
Origănum.
Ornithogălum.
Oroboīdes.
Orŏbus.
Oruietānum.
Oryza.
Oſteocŏpus.
Osy̆ris.
Otenchy̆ta.
Oxălis.
Oxycrātum.
Oxygăla.
Oxylapăthum.
Oxy̆mel.
Oxyrrhodīnum.

P.

Paedarthrocăce.
Palaety̆rus.
Palātum.
Palindrŏme.
Pampĭni.

Panacēa.
Panāces.
Panchymagōga.
Panīcum.
Papāver.
Paracentēſis.
Paralȳſis.
Parainēſus.
Paraphimōſis.
Paraphrenītis.
Paraphrosȳne,
Paraſtáta.
Paremptōſis.
Parencephálos.
Parenchȳma.
Parēſis.
Paroptēſis.
Parotīdes.
Parōtis.
Parthēnis.
Parūlis.
Paſſerīna.
Paſtināca.
Pathēma.
Pegánum.
Pelicānus.
Peltālis.
Pemphigōdes.
Pensīlis.
Pentadactȳlon.
Pentamȳron.
Pepōnis.
Perdīcis.
Perfoliāta.
Perfōrans.
Periclymĕnum.
Perinictīdes.
Periŏdus.
Periplóca.
Periphimōſis.
Perittōma.
Perizōma.

Perōna.
Petaloīdes.
Petasītes.
Petroſelīnum.
Peucedănum.
Phacōtos.
Phalacrōſis.
Phalangōſis.
Phaláris.
Pharmacopōla.
Phasēlus.
Phaſeŏlus.
Phagopȳrum.
Phiála.
Philanthrōpos.
Philȳra.
Phimōſis.
Phlegmagōga.
Phlegmōne.
Phlegmonōdes.
Phlogōſis.
Phlytaenōdes
Phoſphŏrus.
Phragmītes.
Phrenēſis.
Phrenītis.
Phricōdes.
Phtheiroctŏnon.
Phthiriáſis.
Phyllītis.
Phymatōdes.
Physális.
Physálos.
Physēma.
Physēſis.
Phyſocēle.
Physŏcles.
Picrochólus.
Piperītis.
Pituīta.
Pityriáſis.
Pityroīdes.

Pityūſa.
Pladarōſis.
Plantāgo.
Platánus.
Plethōra.
Pleurītis.
Plumaceŏla.
Plumbāgo.
Pneumatocēle.
Pneumatōdes.
Pneumatōſis.
Pneumatomphălus.
Polyanthĕmum.
Polygāla.
Polygonātum.
Polygŏnum.
Polyphŏra.
Polypŏdes.
Polȳpus.
Polytrĭchum.
Pomātum.
Pompholygōdes.
Pomphŏlyx.
Poplitēus.
Populāgo.
Porocēle.
Poromphălus.
Porōſis.
Porphyrītes.
Porrīgo.
Portulāca.
Poſsētum.
Potamogēton.
Prasĭnus.
Priāpus.
Primúla.
Probŏle.
Prodrŏmus.
Proegumĕna.
Prognŏſis.
Propāgo.
Prophăſis.

Propŏlis.
Propŏma.
Proptōſis.
Proſerpinācă.
Proſphoromĕna.
Proſphy̆ſis.
Proſtátae.
Proſtēthis.
Proſthēſis.
Prurītus.
Pſeudoſelinum.
Pſoriáſis.
Ptèrigoīdes.
Pterigoſtaphylīni.
Ptilōſis.
Ptiſănă.
Ptyălon.
Puerpĕra.
Punĭcum.
Pylōrus.
Pyōſis.
Pyrenoīdes.
Pyrŏla.
Pyrōſis.

Q.

Quadrigemĭnus.
Quercĕra.
Quercĭnum.
Querquĕra.
Quinquīna.

R.

Racēmus.
Ranīna.
Ranuncŭlus.
Raphănus.
Rapuncŭlus.
Raucēdo.
Recutītus.
Regĭmen.
Remŏra.
Resēda.
Reſīna.
Reſumptiua.
Retĭna.
Rhabarbărum.
Rhabdoīdes.
Rhachītis.
Rhagădes.
Rhagoīdes.
Rhantēres.
Rhinenchy̆tes.
Rhizotŏmum.
Rhodĭnum.
Rhodomèli.
Rhomboīdes.
Ricĭnus.
Rorifĕrus.
Roſmarīnus.
Rubīgo.
Rubīnus.
Rubrīca.
Rugītus.

S.

Sabīna.
Sagapēnum.
Salĭcus.
Sambucĭna.
Sambūcus.
Sampsūchum.
Sandarácha.
Sanguisūga.
Sanicŭla.
Santălum.
Santonĭcum.
Sapphirīnus.
Sapphīrus.
Sarcītes.
Sarcocēle.
Sarcoepiplocēle.
Sarcōma.
Sarcomphălum.
Sarcophăgum.
Sarcōſis.
Satyriăſis.
Saxifrăga.
Scabiōſa.
Scalēnum.
Scaphoīdes.
Scariŏla.
Scelètum.
Schidacēdon.
Scirrhōma.
Scirrhōſis.
Schoenoprăſum.
Scleriáſis.
Sclerōma.
Scleroſarcōma.
Scoliáſis.
Scolymus.
Scorbūtus.
Scordĭum.
Scorŏdon.
Scorodoprăſum.
Scorpioīdes.
Scorpiūrus.
Scorzonēra.
Scotodĭnos.
Scybála.
Scytalĭdes.
Secácul.
Secāle.
Secundīnae.
Securidáca.
Selenītis.
Selīnum.
Semeiōſis.
Semicoty̆le.
Semiobŏlus.
Semiſiderātus.
Semiſpecŭlum.
Semperuīuum.
Septāna.
Serĭcum.

Seriŏla.
Serpīgo.
Seſamoidēa.
Sesămum.
Sesèli.
Seutlomalăche.
Sialagōga.
Sialŏchus.
Siălon.
Sicilĭcus.
Sideritis.
Sigmoīdes.
Silīgo.
Silĭqua.
Sinăpi.
Sincĭput.
Siriăſis.
Sirōnes.
Sirūpus.
Sisărum.
Smaragdīnus.
Socotorina.
Solānum.
Solidăgo.
Sophroniſtéres.
Sparganōſis.
Spathomēla.
Sperniŏla.
Sphacelódes.
Sphacēlus.
Sphaerocephălus.
Sphagitĭdes.
Sphenoīdes.
Spinātus.
Splenitis.
Spondȳlis.
Spondȳlus.
Sporadĭci.
Stamīna.
Staphȳle.
Staphylīnos.
Staphylōma.
Statēra.
Steatocēle.
Steatōma.
Stegnōſis.
Stenothorăces.
Sterilĭtas.
Sternohyoīdes.
Sternoidēus.
Sternothyreoīdes.
Sternūto.
Stoechădis.
Stolōnes.
Stomacăce.
Stomăchus.
Storăcis.
Stratiōtes.
Strobĭlus.
Styloceratohyoīdes.
Stylohyoīdes.
Styloīdes.
Styrăcis.
Subuŏla.
Suceăgo.
Succĭnum.
Succīſa.
Succoláta.
Succotrina.
Succŭbus.
Suffumigabŭlum.
Sutūra.
Sycamīnos.
Sycōma.
Sycomŏrus.
Sycōſis.
Symphonīa.
Symphȳſis.
Symphȳton.
Symptōma.
Synarthrōſis.
Synchondrōſis.
Synchȳſis.
Syncŏpe.
Syndrŏme.
Synneurōſis.
Synŏcha.
Synŏchos.
Syntăſis.
Syntenōſis.
Synthĕſis.
Syphĭlis.
Syringotŏmus.
Syrōnes.
Syſſarcōſis.
Syſtēma.
Syſtŏle.

T.

Tabăcum.
Tacamahăca.
Tamarīce.
Tanacētum.
Taraxăcum.
Tartărus.
Tatūra.
Tentīgo.
Terebinthīna.
Terēdo.
Teſtūdo.
Tetănus.
Tetrobōlon.
Thalămi.
Thelygŏnos.
Theodorētos.
Theriăca.
Theriōma.
Thymiăma.
Thyreoarytænoīdes.
Thyreoīdes.
Thyreoidēus.
Tinnĭtus.
Tithymălus.
Torcŭlar.
Trachēa.
Trachōma.

Tragéa.
Tragopōgon.
Tragēma.
Tragocĕros.
Tragopy̆rum.
Tragorigánum.
Traulōtes.
Trepănum.
Tribŭlus.
Trichiăſis.
Trichomănes.
Trichōſis.
Tricuſpīdes.
Triobōlon.
Triphèra.
Tripŏlis.
Triquētrum.
Triſsāgo.
Trixāgo.
Trypánum.
Tryphĕra.
Tuberōſa.
Tulĭpa.
Tunetānus.
Turritis.
Tuſsēdo.
Tuſſilāgo.
Tylōma.
Tympanītes.
Tympánum.
Typhōdes.
Tyriáſis.
Tyrōſis.

V.

Vagina.
Valeriāna.
Valetūdo.
Varicōſum.
Variŏlae.
Venēnum.
Ventōſa.
Verbēna.
Vermifūga.
Vernicis.
Verrūca.
Vertigo.
Vesīca.
Vetonīca.
Vibīcis.
Viŏla.
Vipĕra.
Viperīna.
Virĭde.
Virōſus.
Viſcĕra.
Vitellīna.
Vitilīgo.
Vitriŏlum.
Vmbilicus.
Vnĕdo.
Vngŭla.
Vomĭca.
Vomĭtus.
Vrăchus.
Vretēres.
Vrīna.
Vrocrīſis.
Vrtica.
Vſtilāgo.
Vtĕrus.

X.

Xenĭcon.
Xeromy̆rum.
Xerōtes.
Xiphoides.
Xylobalsámum.
Xymphy̆ſis.
Xyntăſis.

Z.

Zeopy̆ron.
Zibèbae.
Zibēthum.
Zingĭber.
Zizy̆pha.
Zotĭca.
Zygōma.
Zythogála.

Regiſter
der teutſchen Wörter.

A.

Abbrennung 254
Aberwitz 256
Abführender Muſcul 387
Abgang 261
Abgeſchabete Haut 392
Abgeſottener Tranck 76
Abgieſſung 253
Ablaſſung des Fiebers 76
Ableiten 574
Ableitung 67. 259
Ablöſende Mittel 312
Abnehmen 100
Abnehmend Fieber 506
Abreiſſung 74
Abſatz 339. 391
Abſchäumung 259
Abſchelung der Rinde 253. 311
Abſcheuliche Krätze 555
Abſchneidung 72. 313
Abſonderung 609 des Urins 273
Abſtreichende Mittel 4
Abtrennung 74
Abtrucknende Mittel 259
Abziehen 259
Achſel 106
Achſel Blutadern 106
Achſelhaar 365
Ackeley 77
Ackereicheln 133
Ackerknoblauch 46. 603
Adamsapfel 544
Aderbruch 199. 528
Aderhäutlein der Nachgeburt 189
Aderlaſſen 528. 694
Ader ohne paar 136
Adlerſtein 15
Aehren 628
Aeſte 566
Affodill 95
Afterdarm 295. 569
Afftergeburth 606
Agreſt 488
Agtſtein 645
Ahorn 6. 537. 627
Alabaſterſtein 18
Alantwurtzel 356
Alberbaum 545
Alembick 20
Allerley Obſt 366
Allermannharniſch 703
Allgemeine Artzney 503
= = = Kranckheit 504
= = = Schlag 507
Aloe 27
Alter. Alterthum 14
Althäe 30
Alp 386
Alraun 435

 Allzu-

Allzugroſſer Hunger 133
Allzuſtarcke Purgation 373
Amaranth 41
Amber 42
Ambaßgleiches Bein 387
Ameiſe 328
Ammelmehl 48
Amethiſt 43
Ammoniac 44
Ananaſſen 50
Anatomie 51
Anatomiſcher Handgriff 293
Anatomiſte 51
Anbrennen 292
Anckergleicher Fortſatz 53
Andere Gelencke des Halſes 301
Anemone 54
Anfall 390. 510
Anfang des Marcks im Rücken 389
Anfeuchtende Mittel 367
Angelik 55
Angebohrne Gebrechlichkeit 360
Angebohrne Wärme 291
Angehencke 517
Angel. 353
Angenommener Satz 376
Angeſicht 315
Anhaltend Fieber 219
Anis 59
Anſteckend 219. 456
Anſtoß 510
Antlitz 315
Anwachs 651 des Fiebers 162
Anwachſung 300
: : : : der Augenlieder 53
: : : : des Zungriemens 53
: : : : der Bärmutter 176
Anzeigung 294. 387
Appetit 310
Apfelbaum 434
Apfelſalbe 543
Apoſtem 75
: : : Kraut 598
Apricoſen 83
Apotheke 525
Apotheker 526
: : : Buch 525. 272
: : : Kunſt 525
: : : Taxe 272
Arabiſch Gummi 78
Arm 127 Armband 84. 458
Armſchiene 566
Armenierſtein 84
Ars 68. 345 Arsbacken 471
Arsmuſculn 345 Arsnath 518
Artiſchocken 89
Artzt 445
Artzney 526. 106. 244. 444
Artzneybier 177
: : : Kunſt 445
: : : von Queckſilber 453
: : : wider alle Kranckheit 169
: : : : : das Fieber 317
: : : : : Gift 23. 65
: : : : : Mutter Kranckheit 378
Aſche 196
Aſchenloch 217
Aſchenmachung 385
Aſchenſaltz 19
Aſpen 545
Aſt 126
Athemholen 291. 390. 573
Athemzünglein 298
Atlaswürbel 99
Attich 281
Aufblaſen 290
Aufgedunſen 136
Aufgelauffene Samenadern 198
Aufheben 287

Auf-

Aufhebender Maſcul 412
Aufkochen 281. 283
Auflöſung 50. 622. 272
Auflöſende Mittel 573
Aufreiben 101
Aufſchlieſſung 622
Aufſchwellen 290
Aufſieden 283
Aufſteigen der Dünſte 74
= = der Mutter 378
Aufſtoſſen 585
Aufwallung 494
Augapfel 561
Auge 483
Augen=Artzney 211
= Branen 194. 648
= Fiſtel 12. 323
= Fluß 420
= Haarband 415
= Lieder 502
= = = waſſer Röhre 278
= trieffen 420
= troſt 309
= wächter 245
= Waſſer 372
= Wehe 490
= Wimper 648
= Winckel 149. 365
= Wurtzel 689
= Zähne 249. 258
Aurickel 104
Auripigment 105
Ausblaſung 313
Ausbrechung 264
Ausdämpfen 266. 307
Ausdünſtung 51. 265. 266
Ausfall 254
= = des Maſtdarms 550
= = der Haare 28. 81. 430 524
Ausführende Artzney 169
Ausführung 307
Ausgezogen 313
Ausgepreßter Saft 285
Auslöſchung 313
Ausnehmung der Beine 259
Ausrauchung 51
Aufſatz 411
Ausſchneiden des Lenſtenſteins 474
= = = der Hoden 165
Ausſiedung 287
Ausſpannung der Haut 283
Ausſpählung 211. 261
Austheilung 273
Ausſtreckung 51. 270 272
Austreibende Artzney 101
Austruckuung 259
Auswachs 73
= = der Bärmutter 176
= = der Beine 312
= = des Zahnfleiſches 302
Auszehrend Fieber 354
Ausziehung 310. 313

B.

Bachbungen 114
Bacillenkraut 236
Backen 131. 431
= Muſcul 131
= Zähne 258. 459
Bad 108. 288. 390
= (im) diſtilliren 110
Badkopf 243
Badeſchwam 633
Bänder der Bärmutter 416
Bändelwürmer 669
Bärenklau 5
= Ohrlein 104
Bärlap 428
= Wurtzel 456
Baldrian 689
Balſam 111

Balſamapfel 460
Band 415
Bart 111
Bartſch 5
Baſilie 483
Batengel 182
Bauch 31. 695
: fluß 208. 267. 415
: Glaß 124
: Grimmen 210
: Weh 210
Baum 79
: Farn 542
: Wolle 124. 346
Beben 675
Bebende Augen 364
Becken 514
Beeren 8. 107
Begierde zu Eſſen 76. 493
Beilkraut 606
Bein 496
: Cörper 600
: Bruch 165. 329. 628. 660
Beinfäule 157. 628
: Freſſer 157. 501. 650
: Lade 344
: Schiene 319
Beinwell 218
Beiſſer 258
Benedictenwurtzel 161
Benzoin 117
Bergcryſtall 240
: Grün 84
: Knappe 454
: Meiſter 454
Bernſtein 645
Bertram 556. 562
Beſchaffenheit 65
Beſchlagen der Retorten 423
Beſchmierung 419
Beſchnitten 69. 569
Beſchreibung der Beine 497
Beſchreibung der Menſchen 64
Beſeſſener 481
Beſtreichung 419
Betäubung 470
Bete 117
Betonien 118
Bettſtroh 337. 459
Beutel 588
: Muſcul 135
Bewegung 312
: : des Gemüths 511
Beyfuß 86
Bezoarſtein 120
Bibenell 533
Bibergeil 165
Bickbeern 708
Biene 70
Bier 177
: Molcke 547
Bilſenkraut 372
Bimſtein 560
Binde 317
Bindelwurm 317
Bingelkraut 453
Binſe 397
Birckenbaum 118
Birckwurtz 360. 671
Birnbaum 563
Biſem 463
Biß 213
Biſſen 124
Bitterſüß 279
Blähungen 324
Blaſe 284. 700. 701
Blaſenband 716
Blaſenſtein 140
Blatſchieſſen 619
Blatter 283. 311. 561
Blätterlein 561
Blättlein 326
Blatzierde 326. 331
Blau Auge 376

Blaue Flecken 281
= Galle 394
= Lilien 393
= Striemen 293
Bleichſucht 186
Bleichſüchtig und aufgedunſen 136
Bley 539
Bleyfarbige Muſcul 422
Bleyweiß 179
Blinde Darm 208
= = Geſchwulſt 656
Blindköpfe 243
Blöd Geſichte 466
Blume 324
Blumen Blätter 523
Blut 238. 592
= Adern 694
Blutig Auge 351
= = Eiter 593
= = Flecken 523
= = Fluß 352. 422
Blutgang 279
Blutgefäſſe im Unterbauche 383
Blutgeſchwär 334
Blutigel 365
Blutmachen 351
Blutreich 538
Blutreinigung 422
Blutſäuberung 29
Blutſtein 351
Blutſpeyen 352
Blutſtillende Mittel 292. 352
Blutſtopfende Mittel 394
Blutwurtz 351
Bock 673
Bocksbart 364. 673
Bockenwurtz 185
Bockshorn 326
Boden eines Dinges 113
Bodenſatz 607
Bohnen 125. 314
Böhrlein 416
Bollen 133
Borrage 125
Boretſch 125
Borax 126
Böſe Blattern 124
= Dauung 137
= Ding 509
= Geblüth 448
= Geſchwür 137. 186. 478
Böſer Grind 669
= Kranckheit 299. 433
= Leibesbeſchaffenheit 136
= Räude 362
= Weſen 463
Boviſt 492
Brackendiſtel 304
Brand 43. 314
= im Auge 63
= im Korn 584
Brandmahl 638
Bratung 96
Bräune 554. 651
Braunwurtz 605
Brauſen 319
= = der Ohren 669
Brechen 716
Brechmittel 289
Breite Wartze 468
Brenneiſen 171
Brennen 171
Brennend Feuer 381
Brennende Mittel 169. 563
Brenneſſel 719
Brennofen 333
Bretſpielblume 331
Breyen 109
Breygeſchwulſt 99
Breyumſchlag 166
Briefe 667
Brodtmuß 503
Brombeere 585

Bruch 361
: Band 44
: Kraut 96. 361
: Stein 497
Brühe 129
Brunellenkraut 554
Brnſch 586
Bruſt 434. 512 665
: Artzney 114
: Berlein 396. 605
: Bein 636
: Beinsmuſcul 675
: Blatsmuſcul 636
: Drůſen 667
: Fell 266. 444. 538
: gleicher Fortſatz 434
: Muſcul 512
: Syrup 261
: Wärtzlein 506
: Windel 166
: Wurtzel 55
Buchampfer 26. 424. 500
Buchbaum 316
Buchsdorn 564
Bůchſe 564
Buchweitzen 315
Buckel 250
Burretſch 125
Burtzelkraut 53
Butter 135
Buxbaum 135

C.

Calciniren 140
Calmus 9
Cameelsheu, Cameelsſtroh 601
Campher 145
Canåle 145
Canarienkraut 525
Candirte Sachen 147
Candirung 147
Capelle 170
Capernbaum 150
Cardamömlein 154
Carfunckel 64
: : blatter 64
Carmoſin 204
Carneol 596
Carnůffel 595
Carthåuſer Nelcken 84
Cartendiſtel 271
Caßien 163
Caſtanien 164
Catheter 169
Cauterie 171
Cedern 172
Cement 172
Celtiſcher Narden 628
Cerreiche 178
Chamille 182
Choleriſch 532
Choleriſche Feuchtigkeit 188
Chryſolith 196
Chymie 192
Chymiſt. 192
Chymiſcher Artzt 380
: : : Proceß 550
Circulirglaß 198
Citronen 200
Citrullen 56
Claret 200
Clarificiren 200
Clyſtir 203
: Röhre 295
Coffeebohnen 125
Colik 210
Colophonie 213
Coloquint 212
Complexion 214
Compreſſe 271. 631
Confect 217
Conſerve 72. 217. 218
Conſumat 219
Contractur 220

Corallen

Corallen 224
Coriander 225
Cornelbaum 226
Corroſif 171
Cretiſcher Diptam. 268
Creutzbaum 580
Creutzwurtz 340
Cron Någelein 162
Cryſtalline Feuchtigkeit 239 368
Cryſtalliſirung 217. 240
Cubeben 240
Cucumern 242
Cur 244
Cyperwurtzel 250
Cypreſſenbaum 251

D.

Damaſtblume 442
Dampfbad 690
Darmbein 383
Darmbeinsmuſcul 383
Darmbruch 295
= Gicht 189. 250. 383
= Netzlein 300
= Winde 210
Dåmpfend Mittel 254
Darre 100
Datteln. Dattelbaum 502. 252 529
Dickbauch 300
Dicke Bein 318 Haut 141 Hirnhåutlein 441
Dicker Harn 234
Dickmachen 216. 218. 390
Dickmachende Mittel 216. 385
Digerirung 269
Diſtillirung 259
Diſtilliren im Bad 110
Diſtillirt Waſſer 76
Diſtillirzeug 271
Dollapfel 432
Dollheit 389
Dollkörner 208
Donnergold 190
Donnerwurtz 218
Dörrung 82
Doſten 494
Drachenblut 275. 593
Drachenwurtz 276
Drachme 275
Dragon 275
Dreck 636
Drehſtock 671
Dreyeckige Fuge der Hirnſchale 402
Dreyhauptige Muſcul 257
Dreytågig Fieber 317. 668
Droſſelbein 201
Druſen 131. 342
= Geſchwulſt 505
= an der Niere 152
Dinckel 626
Dunckelheit der Augen 42
Dünckelkorn 626
Dünnmachende Mittel 100
Dünner Eiter 593
Dünne Hirnhåutlein 442
= Zarte Haut 450
Durchbohrende Muſcul 517
Durchbrennende Mittel 171
Durchfreſſung 260
Durchgångige Seuche 297
Durchgebohrter Muſcul 517
Durchkneten 642
Durchlauf 267
Durchſchlag 209. 213
Durchſeigen 209. 516
Durchſickerung 264
Durchwachs 517. 688
Dürren des Leibes 437
Dürrwurtz 218
Durſt 619

E.

Ebenholtz 281
Eberreis 3
Eibenbaum 658
Eibiſchkraut 30
Eichbaum 565
Eichel 109
Eimer 47
Einbildung 525
Einbeer 509
Einbrennung 293
Einfallen der Beine 311
Eingebohrne Wårme 121
Eingekochter Moſt 254
= = = Saft 72
Eingemachte Sachen 216
Eingepflantzte Wårme 291
Eingeweide 295. 705
Einhorn 714
Einſencken 552
Einſchneidung 293
Einſprůtzen 203. 388
Eintågig Fieber 296. 460
Eintauchen 111. 257
Einwåſſern 429
Einweichen 111. 383. 388
Eiſen 319. 439
Eiſenhůtlein 9. 470
Eiſenkraut 614
Eiſenhart 698
Eiter 561. 655
Eiterauge 376
= Beule 715
= Bruſt 292
Eitermachende Mittel 269.649
Eiterzieher 563
Eiterige Materie in der Bruſt 292
Eckel 74. 92. 384. 473
Elaſticitåt 284
Element 285
Elendthier 19
Elephantenlaus 48
Elixir 287
Ellenbein 711
Ellenbogen 52. 241
= = Muſcul 241. 566
Ellernbaum 27
Empfångniß 216
Empfindlichkeit 13
Emulſion 292
Endivien 294
Engelkraut 173
Engelſůß 542
Engelwurtz 55
Engliſche Kranckheit 576
Engbrůſtig 97
Engbrůſtigkeit 57. 97. 280
Enis 59
Entfårbt 7
Enthaltung von Speiſen 387
Entledigen 307
Entwehnung 2
Entzian 340
Entzůckung 283. 313
Entzůndung 528
= = = der Augen 299
= = = des Halſes 56
= = = der Leber 359
= = = der Lunge 519
= = = der Mandeln 64
= = = der Miltz 631
Ephen 354
Eppich 72
Erbkranckheit 360
Erbſen 304. 315
Erdbeerkraut 329
Erd-Eicheln 133
= Galle 173
= Hartz 94
= Kåſten 133 Nuß 133
= Rauch 332
= Schwamm 333
= Schwefel 54

Erd=

Erdwurtz 88
Erfahrung 290
Erhaltung 24
Erhitzen 283
Erhöhung 310. 643
Erlenbaum 27
Ernehren 25
Ernehrung 24
Eröffnende Mittel 51
Eröffnung der Adern 51
: : : des Bauches 506
: : : der Bruſt 506
: : : der Blutgefäſſe 55
: : : der Luftröhre 129
Erſchüttern 702
Erſtarrung 283. 641
: : von Froſt 580
Erſte Feuchtigkeit 368
Erſterbung 627
Erſtickender Fluß 168
Erträglicher Zuſtand 309
Erwärmung 326
Erweichende Mittel 290. 432
Erweiterung 270
Ertzgräber 454
Erzeugung 339
Eſchenbaum 330
Eßig 7
Eßig-Meth 500
: Zucker 500
Etzende Mittel 303
Euſſerliche Mittel 422. 671
Euſerſte am Ohre 422
: : Häutlein 246
: : Traurigkeit 16
Extract 313
Ey 498
Eyerſtock 499

F.

Fackelkraut 178
Fächlein 172
Färberbaum 579
: Röthe 584
Fäſerlein 320
: : in der Blume 149
Fallen des Zäpfleins 197
Fallende Sucht 299
Fallhäutlein 689
Farbe der Sterbenden 315
Fahrnkraut 322
Faulbaum 330
Faulheit 532
Federweiß 31. 43
Feigbohnen 425
Feigwartzen 216. 321. 352 650
: : : Kraut 605
Feilen 417
Fein Gold 481
Feineſte von jedem 20
Feiſte 11
Feld-Safran 100
: Zwiebel 495
Fell 246. 514
: überm Auge 556
Fenchel 325
Fenchelholtz 596
Fenſter 318
Ferſen 142
: Bein 97
Fett 11
: Haut 450. 504
Fettſäcke 588
Fett von ungewaſchener Wolle 486
Fette Henne 658
Fettigkeit des Leibes 543
Feuer das aus den Augen ſpringt 438
: Blätterlein 283
Feuerheerd 325
Feuerſtätte 325
Feuriger Umlauf 725

Fieber 317
: Kraut 173
: Rinde 195
Figirung 324
Fickeiſen 171
Filtrirung 323
Filtz 323
: Beutel 436
: Läuſe 461. 530
Finger 269
: Hut 269
: Wurm 509
Finnen 392
Fiſchleim 381
Fiſteln 323. 376
: der Augenwinckel 323
Flache Hand 502. 663
Flacher Handmuſcul 502
Flachsdotter 612
Flachskraut 419
Flaſchenzug 543
Flechten 328. 414. 452
Fleckfieber 523
Fleckkraut 178
Fleiſch 158
Fleiſchblume 447
Fleiſchbruch 595
: Häutlein 157. 505
: Leim 595
: machende Mittel 537 595
Fleiſchern Auswachs 595
Fleiſchig 310
Flieder 591
Fliegende Gicht 88
Flieſſend Papier 183
Fliete 528
Flöhkraut 521. 556
Fluß 171. 551. 577
: des Haupts 168
Fontanelle 326
Fordertheil des Haupts 618
Forderſte Gelencke der Finger 454
: : breite Zähne 258
Fortpflantzen 552
Fortſatz 73
Frantzoſen 424
: : Holtz 350
Frauenader 594
: : Haar 150. 11. 543. 676
: : Müntze 139
: : Röslein 427
Frauenzeit 166. 451
Freſſender Wurm 362. 478
Freßigkeit 11
Froſch-Adern 566
: Biß 461
: Leich 627
Froſtbeulen 520
Frucht 326. 331. 510
Fuchsſchwantz 28. 504
Fühlen 655
Fünffingerkraut 515
Fürnehmſte Kraft 80
Fuge 649
Fuhrmannsbinde 104
Fuß 522
: Bad 513
: Biege 657
: Sohle 537
: : : Muſcul 537
Fußumſchlag 648

G.

Gacker 109
Gäbelein 151
Gäbelein gleiche Gefäßlein 150
Gähnen 496
Gänſeblümen 116
: Fuß 522
Galeniſche Artzney 336
Galgand 335
Galläpfel 336

Galle 121
Gallenblaſe 326
: Gang 187. 547
: Kranckheit 188
Gallerte 337
Gallſüchtig 188
Galmeyſtein 139
Gamanderlein 182
Gang 443
: des Ohrs 443
Gartenyſop 597
Gauchheil 49
Gaume 502
Geblüt 592
Geburt 510
Geburtglied 244
Gedärm 295
Gedeyen 310. 479
Gefährliche Kranckheit 11. 433
Gefäß 691
Geflochten Sennaderkopf 539
Gefräs 154
Gegenbock 68
: Bruch 220
: Creiß im Ohre 62
: Ständer 62
: Streckung 68
Gegend der Hertzgrube 547
Geheimnis 79
Gehirn 177
Gehör 101
: Mittel 9
Geiffertreibende Mittel 590
Geisange 12
: Blat 151
: Raute 336
Geiſtmachung 539
Gekröſe 453
Gelbe Rüben 158
Gelbſucht 381
Gelencke 391
Gelencke der Beine 89
Gelencke der Hand 159
Gelencke im Rückgrad 632
Gelinde Purgation 374
Gelbwurtzel 245
Gelbſucht 381
Gelbſuchtwurtz 245
Gemſenkugeln 12
: Wurtzel 275
Gemurmel 126. 586
Geneſung 244
Geneßmittel 444
Genicke 178
Genſerich 61
Genſter 340
Gerberrinde 579
Gerinnen 204
Gerſte 367
Gerſtenkorn 179. 236. 366
Gerſtentranck 557
: : Waſſer 366. 370
Geruch 484
Geſchärfte Hauptpillen 204
Geſchmack 350
Geſchwinde Kranckheit 11
Geſchwollene Mandeln 47
: : : Saamenadern 198
Geſchwulſt 531. 682
: : unter der Zunge 114
: : hinter den Ohren 510
Geſchwür 75. 279. 710
: : um ſich freſſend 43
Geſiegelte Erde 408
Geſt 338
Geſtalt des Leibes 362
Geſtaltniß 214
Geſträuche 331
Geſundheit 307. 371. 689
Getöſe 586
: im Leibe 126
Gewächſe 537
Gewölbe 329
: : Bruch 143

Gewürtz

Gewürtz 81
= = Wein 200
Gicht 88
Gichter 463
Gichtroſen 501
= Rüben 131
= ſtillende Mittel 62
Giesfaßgleicher Knorpel 89
Gieskunſt 192
= Puckel 221
Gifft 695
Gifftgallicht 121
= Wurtzel 220
Gips 351
Gläſerne Feuchtigkeit 368. 369
Glaskraut 398. 509
Glatze des Haupts 142
Gleiche 365
= Theile 48
= förmige Theile 365
Glette 421
Glied 451
Gliedmaſſen 88
Gliedwaſſer 428. 652
Glieder 89
Gliederung 267. 293
Gliederwehe 88
Gold 105
Goldader 352
Goldapfel 432
= Kieß 437
Gottes Hand 74
Grad 347
Gran 348
Granat 347
= Baum 561
Graß 347
Grasnelcken 161
Grätzänglein 5
Grauen 473
Graue Haare 147
Grau Nichts 634
Graupen 24
Grauer Tutz 685
Greiffenſchnabel 349
Greißig 180
Gren 85
Griechiſcher Auſſatz 411
Grieß 24. 81. 474. 555. 587
= Holtz 474
Grimmen 383
Grind 305. 598
= Wurtz 404. 499
Groſſer Darm 212
= = Drüſe 141
Groſſe Pulsader 69
. Rückbein 588
. Wolfsmilch 670
Groß Eppig 364
= Kopf 429
Grund 113
Grundheil 699
Grünſpan 13
= wachs 348
Gülden Günſel 132
Gummi 350
Gundelreben 354
Gundermann 354
Gurgel 405
= Geſchwulſt 129
= Waſſer 337
Gürtelkraut 428
Guß 334
Guter Heinrich 125
Gute Tage des Fiebers 76

H.

Haar 235
Haarkleine Gefäſſe 149
= vom Korn 83
= Seil 613
= Strang 524
= Wurm 306. 362
Haber 102

Haberwurtz 673
Habichtkraut 364
Hacken 289. 353
Häftlein 320
Häftung 650
Härlein 320
. an den Augliedern 194
Häutlein 450
; ; der Beine 519
Haft 320
Hagapfelbaum 79
Hagedorn 399
Halb Mann, halb Weib 53
Halb Pfund 607
; Quentlein 358
Halbſehnige Muſcul 608
Halbe Schlag 359
; Rückgrads Muſcul 608
Halber Scrupel 481
Hals 211
; Ader 396
; Bein 201
; Geſchwür 56
; Geſchwulſt 56
; Kraut 178. 672
; Mandeln 64
Hammer 433
Han 180
Hanenfuß 567
; Kamm 20. 153. 236
Hanenkammsgleicher Auswachs 236
Hand 437
Handvoll 436
Hanebuchen 159
Hanf 148
Hangende Wartze 10
Harn 554. 713
; Blaſe 701
; Fluß 260
; Gänge 717
; Glas 442
; Häutlein 26
Harnkraut 361. 418
; Röhre 717
; Strenge 280
; treibende Mittel 273. 395
; Winde 280. 640
Härte 601
Harter Knochen 216
; Heu 92
Harthörigkeit 112. 279
Hartleibigkeit 31. 222
Hartriegel 416
Hartz 573
; Wurtzel 178
Haſelnuß 102. 230
Haſelſtrauch 230
Haſelwurtzel 91
Haſenaugen 402
Haſenbrodt 13
Haſenkohl 623
Haſenklee 402
Haſenöhrlein 134
; Pappeln 434
; Scharte 398
Hauhechel 61
Haupt 152
; Ader 174
; Artzneyen 174
; Grind 306. 333
; Haare 149
; Kranckheit 256
; Schedel 142
; Waſchung 150
; Weh 156. 174
; ; an einer Seite 358. 460
; ; von langer Zeit 174
; ; vom Trincken 233
; Windel 150
Hausbacken Brodt 106
Haushaltung 484
; Laub 112
; Mittel 310

Hauswurtz 112
: : kleine 698
Haut 246. 514
: der Hoden 288
: gleicher Muſcul 608
Hautmachende Artzney 193
Haut der Eingeweide 520
Hebeiſen 692. 568
Hederich 305. 393
Heſen 315
: vom Oele 47
Heide 303
Heidelbeer 708
Heidniſch Wundkraut 595. 705
Heilende Mittel 218
Heiligbitter 364
: Feuer 305
Heilung 244
Heiſerkeit 568
Heiſſer Brand 337
Helm 20. 335
Herausfallen 551
: : : der Augen 312
Herauswachſen des Nabels 312
Herausziehende Artzney 101
Herbe 105
Herl?t 106
Hermetiſche Artzney 360
Hermodatteln 361
Herſtellung 571
Hertz 155. 223
: Bändel 518
: Bebung 502
: Blat 294
: Erſtickung 155
: Gefäß 227
: Geſpan 155
: Gewächs 543
: Grüblein 65
: Klopfen 503
: Sennäderlein 213
: ſtärckend Tränckłein 155
Hertzwaſſer 77
Hertzweh 156
Herumführender Muſcul 552
Herzuführender Muſcul 11
Hetſchen 618
Heu 325
Heydekorn 315
Himbeer 585
Himmelsſchlüſſel 549
Hindere 68
Hindläuſte 194
Hinkend 200
Hintertheil des Haupts 482
: : : des Hirns 177
Hippocras 200. 704
Hirn 177. 293
Hirnbeſchirmer 451
Hirnſchedelhäutlein 518
Hirnſchale 142. 233
: Bruch 143
: Cronnath 226
Hirſchbrunſt 124
: Schwamm 124
: Wurtzel 178
: Zunge 602. 179
Hirſe 456
Hitze 14. 80
: im Angeſicht 563
: des Magens 81. 203
Hitzblätterlein 363
Hitzige Blattern 529
Hitziges Fieber 171
Hitziger Fluß 578
Hocker 250. 341
Hodenmuſcul 234
: Sack 605
Höle 208
: des Hertzens 697
: : Armbeins 113
: des Hüftbeins 232
: des Hirns 696
: der Zähne 30. 461

Hoffär-

Hoffärtige Muſcul 647
Holader 91
Holderbaum 591
= Schwamm 184
Hole Geſchwär 323
Holer Leib 182
Holwurtz 83
Honig 446
= Flecken 505
= Geſchwulſt 448
Honigküchlein 449
Hopfen 426
Hornhartes Häutlein 226
Hoſpital 478
Hüftbein 383. 232. 395
= Weh 394
Hüneraugen 201. 357. 546
= Biß 29. 461
= Darm 29
Hülfsmittel 106
Hülſe des Saamens 518
Hüttenrauch 685
Huflattig 684
Hundsband 248
= Blume 134
= Dill 134
= Graß 347
= Hungern 248
= Knoblauch 80
= Krampf 625
= Roſen 249
= Tod 73
= Zunge 249
Hunger 316. 493
Huſten 684
Hyacinth 369

J.

Jacobsblume 379
Jägerſtücke 555
Je länger Je lieber 183. 279 417
Jeſmin 380
Igels Knoſpen 537
Immer kranckend 689
Indianiſch Blat 432
Indianiſche Feigen 492
= = Spicanarden 471
Inngrün 201
Innwendige Beſchaffenheit 381
Ingwer 725
Johannesbeer 580
= = Brodt 176. 616
= = Gürtel 86
= = Kraut 378
= = Würmlein 194
Irrgang im Ohre 399
Iſop 377
Jucken der Haut 554
Judenkirſchen 25
= Pech 94
= Stein 396
= Zopf 539. 676
Jalep 396
Jungferkranckheit 186
Jungferſchaft 372

K.

Kähle 485
Kählengeſchwür 651
Käßpappeln 434
Kätzlein 397. 479
Kahlkopf 142
Kalck 143
= Brennen 382
= Saltz 19
= der Zähne 484
Kalte Brand 627
Kalte Fieber 96. 317. 391
Kalte Piſſe 640
Kamillen 182
Kampfer 145
Kannenkraut 95
Kappernbaum 150

Katzenkraut 167. 689
= Müntze 167. 473
= Wurtzel 531
Käuen 440
Käyſerscrone 384
= = Schnitt 378. 510
Kehle 317. 405. 485
Kehlengeſchwulſt 56
Keichen 280
Keilgleiche Beine 244
Keimen 248
Kellereſel 545
Kellerhals 407. 456. 666
= Würm 542
Kelter im Gehirn 408
Kennzeichen 263
Kerbelkraut 179
Kermerskern 398
Kertzenkraut 529
Kerſtwurtz 489
Keſſel 17. 136
Keſten 164
Keuſchbaum 16
Kichern 193
Kiwitzeyer 331
Kinn 452
Kinnbacken 435
= = Muſcul 440
Kindbetterin 558
Kinderblattern 690
Kindsadern 199
Kind das mit den Füſſen erſt kommt 17
Kind im Mutterleibe 289
Kirſchbaum 175
Klapperroſen 579
Klapperſtein 15
Klebkraut 69
Klee 677
Kleine Augen 456
= Bauchwürme 91
= Erbſen 482
= Flecken 305
= Hyndvoll 558
= Kletten 721
= Stimme 395
= Wegwarte 188
= Welt 456
Kleiſter 210
Kletten 404
Klingen der Ohren 669
Knabenkraut 249. 493
Knäten 432
Knebelbart 469
Knie 340
Kniebüge 544
= = Muſcul 544
Knieſcheibe 459
Kniezipperlein 346
Knirſchen mit den Zähnen 130 678
Knoblauch 26
Knoblauchkraut 26
Knod 97
Knopf am männlichen Gliede 108
Knöbel 454
Knöchel 433
Knöpfe an den Pflantzen 89
Knötchen 339
Knorpel 160. 188
Knorren 433
Knoſpe 339
Knötlein 478
Kobalt 204
Kochung 207
Königskertze 597
Kohl 128
Kolbe 242
König 570
Königkertze 529. 697
Körnlein 8
Kopf 152
= Schmertzen 174

Köpfe

Köpfe ſetzen 243
Korckbaum 648
Körbelkraut 179
Korn 331. 606
= Blume 247
= Roſen 579
= Zänglein 5
Koth 311. 636
Krachen 253
Krähenfuß 227
= = ſchnabelgleicher Anwachs 227
Krätze 598
= ums Kinn 452
Kräuter⸗Mützlein 242
= = Wein 704
Krafft 294
= Brühe 219
= Loß 294
= Mehl 48
Krammetbaum 397
Kramkümmel 244
Krampf 221. 625
= = Ader 199
= = der hinterwerts zieht 491
= = ſtillende Mittel 625
Krampfhaffte Ziehung 221
Kranichsſchnabel 349
Kranckheit 460
= = die nicht leicht weggehet 280
= = wie der Auſſatz 286
= = heftigſter Stand 8
Kratzen 330
Kraut 360. 537
= Kenntniß 126
Kräutermann 578
Krebs 154. 478
= Kraut 357
= Stein 146
= Windel 146
Kreſſe 471
Kreuſſelbeere 577. 719
Kreutzbeere 349
= Wurtzel 609
Krötendill 134. 231
= Kraut 126
Krönlein um den Augapfel 394
Krönnägelein 162
Kropf 604
Krümme der Bärmutter 226
Krumbein 336. 423
Kumhälſich 423
Küchenſchelle 559
Küchlein 654. 679
Kühlfaß 570
= Tranck 396
Kümmel 156
Kürbs 242
= Saamen gleiche Würmer 242
Küttenbaum 231
Kützeln 670
Kugelkraut 344
Kunigundenkraut 308
Kupfer 13
= Waſſer 799
Kupfricht Angeſicht 350
Kürbis 242
Kurtz von Armen 336
Kurtzer Ellebogenmuſcul 128
Kurtz Geſichte 467
Kurtze Gefäſſe 128
= Rippen 230. 478
Kurtzer Spruch 70

L.

Laborante 399
Lachenknoblauch 603
Lähmung vom Schlag 507
Lallender Tropf 109
Lancette 403. 528. 599
Landfahrer. 17. 291
Landkranckheit 294

Landſtreicher 17
Lange Darm 383
Langlauch 490
Lange Marck 446
Lange Rückenmuſcul 423
Länglichte Muſculn 631
Langſames Fieber 409
Langſame Kochung des Magens 127
Langwierige Kranckheit 67. 190 541
Laßeiſen 528. 599
Lattig 401
Latwerge 217. 282. 285. 491
Lauch 546
Lauffende Gicht 88
Lauge 422
Laugenſaltz 422
Lauß 513
: Kraut 20. 324. 635
: Sucht 530
Lavendel 407
Laxirende Mittel 31. 408
Lazurſtein 408
Lebensbaum 79
: Geiſter 630
Leber 359
: Flecken 430
: Flieſſungen 325
: Fluß 359
: Kraut 359. 414
: Pforte 546
Lebkuchen 449
Leckſafft 282
Leere Gedärme 381
Lefzen 399
Leibwaſſer 51
Leichdorn 201
Leichter Athem 310
Leichter Todt 310
Leiden 511
Leim 210. 344 427.
Leindotter 612
: Kraut. 418
Leiſtenbruch 131
Lenden 425
: Braten 555
: Muſculn 555
: Pein 424
: Stein 474
: Wehe 424
Lerchenbaum 405
Leucvien 413
Lieblicher Geruch 355. 484
Liebſtöckel 414
Liebtrunck 527
Lilgen 416
Limonien 417
Lindernde Artzney 432
Linſe 409. 524
Lippen 399
: der weiblichen Schaam 399
Liſpeln 122. 674
Löffel 206
: Kraut 207
Lorbeerbaum 408
Lorbeerkirſchen 407
Loth 279. 608
Löwenblat 410
: Fuß 20. 410
: Maul 67.
Luchsſtein 115. 428
Lufft 14
Lufftloch 570
Lufftröhre 94. 129.
Lunge 559
: nadern 87
: Blume 540
: Geſchwär 715
: Kraut 559
: Sucht 531
Luſt zum Eſſen 76. 493
: zu unnützen Sachen 432

Machi-

M.

Machine 429
Macht 315
Maden 425
Magen 639. 696
: drücken 156
: guter 310
: Pulsader 208
: Safft 338
Magerheit 313.
Mager werden 313. 437
Magſamen 208. 505
: : Kopf 208
: : Safft 491
Magnetſtein 431
Mahl 413
Maioran 531
Maltz 135
Maltzey 286. 411
Mandeln 509
Mandelbaum 47
: : Milch 47
Mängelwurtz 364
Mangold 117
Manier zu curiren 455
: : : leben 263
Männliche Glied 515
Manna 436
Manstreu 304
Marcaſit 437
Marcipan 440
Mare 386
Marenflechte 539. 676
Marck 223. 446. 559
: in Beinen 446
: im Hirn 446
: im Rückgrad 446
Marmelate 438
Marmelſtein 438
Marronen 164
Maſeran 431
Maſern 460
Maß 452
: einer Artzney 275
Mäßigkeit 650
Maßlieben 116
Maßholder 537
Maſtdarm 295. 569
Maſtixkraut 202
Maſtix 441
Maſtixbaum 409
Materialiſte 85
Mauerpfeffer 383
Maul 496
Maulbeerbaum 462
Maulbeertranck 460
Mauſedorn 586
Mausöhrlein 104. 467
Mauſepfeffer 635
Medianader 444
Meerfenchel 236
: Graß 24
: grüner Stahr 348
: Linſen 409
: Moos 224
: Rettig 85
: Sternkraut 678
: Winde 621
: Zwiebel 601
Mehl 316
: Fleck 29
: Hund 71
Meiſſel 599
Meiſterwurtzel 384. 498
Meiſterpulver 431
Melancholey 447
Meliſſe 449
Melonen 449
Melote 449
Melte 100
Mangelwurtz 364. 404. 499
Mennig 457
Merckliche Veränderung der Kranckheit 235

Meſſerlein die Zunge zu löſen 53
Meßing 103
Metall 454
Metallenſchaum 603
Meth 370. 448.
Meyenblume 417
Meyer 96. 124. 459
Miete 5
Milch 400. in den Fiſchen 401
Milchadern 691
= Canal 278
= Fieber 401
= Gefäſſe 334
= Haare 403
= Safft aus Speiſen 192
= Säugung 401
Milte 100
Miltz 631
= Ader 590
= Kraut 95. 631
= Sucht 375
Mineral 457
Mißgeburth 460
= = verurſachende Mittel 41
Miſpelbaum 454
Miſt 636
Miſtel 706
Miteſſer 235
Mithridat 458
Mitleiden 218. 650
Mittel 414
= gegen Augenwehe 490
= gegen Brechen 62
= = = Fieber 67
= = = Leberſucht 359
= = = Säure 62
= = = Zahnwehe 483
Mittelbauch 298
Mittelfell 444
Mittelpunct 173
Mittelſaltz 294
Mittelſte des Nabels 10
Mittelwand der Naſe 610
Mitternacht 453
Mörſel 461. 533
Mohn 305
= Häupter 208
Mohrenkümmel 252
Mohrrüben 158
Molcken 612
Monathblümlein 116
Monathliche Reinigung 166. 451.
Mondkalb 459
Mondkraut 425
Mondſüchtig 425. 477
Mooß 465. 719
Morſellen 461. 659
Mottenkraut 16. 123
Mückenkraut 521
Mückenpulver 204
Müdigkeit 222. 254. 406
Münchskappe 241
Münchskopf 657
Mund 496. 639
= der Bärmutter 211. 497
Mundfäule 84. 639
= = vom Magen 155
= = Schleim 633
= = voll 124
Müntze 452
Muſcatblume 429
Muſcatnuß 462
Muſchel der Ohren 216
Muſcul 465
= der Speiſeröhre 485
= des Rückgrad 576
= zwiſchen den Rippen 391
Mutterbruch 361
Mutterflecken 430
= Gewächs 459

Mutterkranckheit 378
= Kuchen 536
= Kraut 442
= Mahl 430. 470
= Nägelein 63. 162.
= Bein 377
= Röhre 681
= Schnitt 378
= Scheide 688
= Spiegel 270
= Trichter 455
= Trompete 681
= Zäpflein 522
= Zimmet 163
Myrrhen 468
Myrten 469
Myrtengleiches Fleiſch 160

N.

Nabel 712
= Ader 692
= Bruch 295. 300. 489. 481
= Fleiſchbruch 595
= Kraut 6
= Pflaſter 302
= Schnur 333
= Windbruch 540
Nachgeburt 536. 606
Nachwehe 671
Nachtblattern 299
Nachtgeſchwulſt 299
Nachtmännlein 386
Nachtſchatten 621
= Viole 362
= Wandeler 477
Nacken 178. 479
Nadel 10
Nagel 713
Nägeleinblumen 161
Nagelgeſchwär 509
Nahrung 24. 479
Narbe 193.
Narciſſe 470
Narrenkappe 9. 470
= Kolben 687
Naſe 471
Naſenbluten 352
= Geſchwär 500. 543
= Härlein 702
= Löcher 466. 471
= Säule 213
= Sprütze 578
Nath 649. 650
Natterwurtz 122
= Zünglein 490
Natur 472
Natürliche Sachen 572
= = Würckung 472
Nebenwachs 552
Nelcken 162
Nelckenblumen 682
Nelckenholtz 162
Nerven 475
= ſtärckende Mittel 475
= zwiſchen den Ribben 391
= Safft 630
Neſſelſucht 306
Netz 300. 488
= Bruch 295. 300
= Gefäſſe 338
= gleiche Blutgefäße 190. 539
= Häutlein 574
Netzlein 309
Nichtſchwere Kranckheit 116
Niederdrucker 254
Niederdruckende Augenmuſcul 368
Niederholder 281
Niederſchlagung 547
Niederwärts diſtilliren 255
Nieren 571
= Becken 388. 514

Nierengefäſſe 292
= Säcke 152
= Wehe 474
Nieſen 637
= machende Artzney 304. 556
Nieſepulver 637
Nieſewurtzel 288
Nietnagel 570
Nöſſel 614

O.

Obereingeweide 547
Oberſte Hödlein 298
= des Haupts 142
= an Kräuter 647
= = Rippe 165
= der Schulter 10
Oberſchenckels Umdreher 583
Ochergelb 482
Ochſenzunge 52. 132
Oculiſte 483
Odermenig 17
Oel 487
Oelbaum 284. 486
Oeffnende Mittel 70
Oeffnung des Hertzens 267
= der Luftröhre 581
= der Pulsader 88
Offener Schade 710
Ofen 323
= fauler Heintz genannt 99
= unter zu treiben 259
Ohngeſäuert Brodt 110
Ohnmacht 99. 315. 419
= = groſſe und ſtarcke 652
Ohr 105
Ohrendrüſen 510
= Gang 30
= Läpplein 422
= Rand 357
= Schmaltz 179. 439
= Schmertzen 498
Ohrenſprütze 498
Oehrlein am Hertzen 104
Oleander 475
Oliven 486. 487
Operment 105
Opiat 491
Orant 67
Ordnung 525
= = im eſſen und trincken 263
Orvietan 496
Oſterlucey 83

P.

Panace 503
Pancreatiſcher Canal 278
Pantoffelholtz 643
Papierrohr 506
Pappe von Honig und Brodt 89
Pappeln 434
= groſſe 30
Pappelbaum 545
= Salbe 545
Paradiskörner 154
Paßionsblume 201
Paſtel 343
Paſtinach 511
Pech 536
= Haube 276
= Pflaſter 276
Pelican 328. 483. 514
Penidienzucker 514
Peonie 501
Pergamentmuſcul 451
Perlen 438
= Hirſe 421
= Mutter 441
= Zucker 437
Peſt 423. 522
= Blatter 64
Kohle 64

Peſtilentzwurtz 523
Peterlein 523
Peterſilig 523
Pfaffenfutter 673
Pfaffenpint 89
Pfanne 136
Pfeben 449. 516
Pfeffer 534
: Kraut 410. 534
Pfeilkraut 589
: Rath 481. 589
Pfennigkraut 173. 425
Pferdeſchwantz 302
Pferſigbaum 521
Pfingſtroſen 501
Pfinnig 180
Pflantze 537
Pflaſter 291
: Rolle 247
: von Spaniſchen Fliegen 701
: von Wachs 176
Pförtner 562
Pfortader 694.
Pfriemenkraut 340
Pfund 414. 544
Philoſophiſch Calciniren 140
Phiole 527
Phoſphorus 529
Pillen 166. 533
Pimpernuß 635
: : Baum 535
Pinienbaum 534
Pinſel 514
Piſtachien 535
Platte Erbſen 406
: Würmer 425. 669
Plauderer 109
Plückſel 159
Plumaſole 631
Pocken 690
Pockenwurtz 185
Poley 540. 558
Poliermeſſer 409
Pomade 543
Pomerantze 102
Pomeſine 346
Portulac 546
Potaſche 31. 196
Präcipitation 547
Preiſſelbeer 117
Preſſung der Lufft 66.
Puckel 341
Puls 560
: Ader Ausſpannung 54
: : Canal 146
: Pflaſter 297
Pulveriſiren 560
Pumpernickel 106
Purgation 169. 561
Purgierende Artzney 561
Purgierfieber 136
: Morſellen 481
: Oblaten 481
Purpurfieber 561
Pyramidalmuſcul 562

Q.

Quackſalber 17. 291
Quecken 377
Queckſilber 369. 453
Quentlein 275
Quendel 611
Quinteſſentz 287. 306
Quittenbaum 231
Quittenlattwerge 438

R.

Rabenſchnabelgleicher Auswachs 223
: : Muſcul 224
Rachen 526
Radiermeſſer 568
Radiſchen 567

Räuchern 646
Räucherung 332
Räucherkertzen 108
Räudigkeit 598. 555
= der Augen 555
Rauchfaß 646
Raute 586
Raſpel 568
Raſpeln 417
Rattenpulver 86
Raucken 304
Raufzänglein 714
Rauſchgelb 592
Rautengleiche Muſculn 579
Rebauge 483
Recept 328
Rechte Geſtalt 217
Recipiente 569
Recken des Leibes 504
Rectificiren 569
Regel der Diät 570
= mäßige Artzeney 273
Reiher 80
Reiben 330
Reibeiſen 568
Reibſtein 546
Reiffung 443
Reinfahren 657
Reinblumen 16
Reinweiden 416
Reinigen 465
Reinigend Mittel 292
Reinigung 200
Reiß 496
Reitgraß 156
Reitläuſe 619
Retorte 574
Rettich 567
Reverberierfeuer 382
= = Ofen 574
Reudigkeit des Hauptes 7
Ribbenfell 538
Riechküchlein 511
Riem 329
Riß auf dem Fuße 455. 657
Rietgraß 135
Rinde 229
Rindengleicher Theil des Hirns 229
Ring 198
Ringelblume 140. 142
Ringgleiche Knorpelbein 234
Rippen 230
Riß 581
Ritterſporn 256
Rocken 606
Rockendiſtel 304
Rodiſerholtz 578
Rödelkraut 20. 324
Röhre 145. 295. 621
Röhrlein 148
Röhrgeſchwär 323. 576
Röſtung 96
Röthe 584
Rötheln 584
Röthelſtein 585
Rohr 89. 139
Rohrkolben 687
Rollenmuſcul 679
Roſe 105. 578. 582
Roſeneßig 500
= Holtz 578
= Honig 579
= Oel 578
= Wurtz 578
= Zucker 579
Roſmarin 582
Roßmiſt 695
Roßſchwantz 302
Roſt 584
Rothe Flecken 430
= Ruhr 279.
Rother Steinbrech 322
Rothlauff 305

Rotz 123. 464. 469
Rüben 567
Rücken 275. 455
Rückader 352
Rückgrad 5.
Rückendarre 655
Rücklein 141
Rührhacke 586
Rüſtern 710
Rubin 585
Ruhr 279
= = Kraut 321. 346
= Wurtz 671
Rumpf 679
Runckel 117
Runde Drüſe 217
Rund Fläſchlein 47
Runde Muſcul 584
Rundes Spitzlein der Naſe 344
Ruprechtskraut 341
Ruſe 305

S.

Saamenfäßlein 152
Sadebaum 582
Säge 611
Sägengleicher Muſcul 612
Säcklein 478. 523. 588
Säubrodt 88
Säubern 465
Säuberſaltz 19
Säuberung 259
Säuren 319
Safflor 203
Saffran 237
= Pflaſter 499
Safft 645. guter Safft 307
= Pflaſter 261
Sack 588
Salat 6.401
Salbe 713
Salbe für Müdigkeit 9
= von Wachs 177
= Krämer 468
Salbey 591
Salivation 590
Salmiack 84
Salniter 477
Salpeter ibid.
= Schaum 70
Saltz 590
Samen 607
= Bläslein 702
= Fäßlein 152. 548. 691
= Fluß 346. 540
= Röhre 691
Sammetblume 41
= gleiches Häutlein 693
Sand 81. 587
= Bad 81. 554
= Körnlein 555
Sandarach 592
Sanickel 258. 593
Saphir 594
Sarſaparille 596
Sattelbein 296. 607
Saturey 597
Sauerklee 26. 500
= Ampfer 6
= brechende Mittel 4
Saugen 623. 645
Sauſen der Ohren 669
Scelet 600
Scorzoner 604
Schabenkraut 123
Schärffe brechende Mittel 481
Schafgarbe 457
= Häutlein 45
= Huſten 176
= Zunge 85
Schaffthen 302
Schale 229
Schambein 301. 558

Scham=

Schambug 388
= Haar 558
= Zünglein 202
Scharbock 600. 602
= Kraut 184
Scharffer Fluß 578
Scharlachbeeren 398
= Baum 382
Schauder 675
Schauer 367
Scheide der Mutter 688
Scheiden 609
Scheidkunſt 192
Scheidtrichter 375. 609
Schelkraut 184
Schenckel 238. 318
= Muſcul 238. 481
Scheere 328
Schermeſſer 479. 568
Scherff 340
Schienbein 668
= Muſcul 346. 668
Schieferweiß 36
Schielen 639
Schierling 194
Schieſſen des Zäpfleins 197
Schiffgleiche Beinlein 472
Schifflein Windel 599
Schildbeinsmuſcul 234
= Pflaſter 605
= gleicher Knorpel 667
Schilffrohr 89
Schlacken 603
Schläffe 659
Schläfrigkeit 622
Schlaf 622
= bringende Mittel 374. 622
= Fieber 412
= Kraut 183
= Loſigkeit 17.
= Muſcul 659
SchlafPulsader 158
= Sucht 161. 166. 214. 412
Schlag 74
Schlangenholtz 213
= Kraut 276
= Mord 604
Schlappigkeit 100. 571
Schlehendorn 5.
= Baum 554
Schleim 464
= austreibende Mittel 73. 528
= der Därme 464
= Drüſen 342
Schlier 131. 342. 531
= am Halſe 604
Schließmuſcul 628
Schlüſſelbeinsmuſcul 642
Schlüſſelblume 549
Schlucken 618
Schlund 526
Schlurffen 623
Schmack 579
Schmaltz 11. 107
= Blume 567
Schmeer 11. 107
= Bauch 1
Schmeltzkunſt 192
= Tiegel 238
Schmeltzung 334
Schmerbel 125
Schmertz 274
= der Beine 497
= lindernde Artzney 508
= ſtillende Mittel 60
Schmincke 230
Schnabel 583
Schnarchen 637
Schneckengleiche Beinlein 206
= Klee 444
Schneeglöcklein 413

Schnei-

Schneidemeſſer 385
Schnelle Treibung 494
Schnittlauch 601
Schnupfen 230
Schößlein der Kräuter 248
Schramme 193
Schröpfen 243. 600
Schroteiſen 568
Schrotmeiſſel ibid.
Schrunden 576
Schüſſel 232
Schulter 366. 368
= Bein 488
= Fluß 488
= herausſtehende 557
Schuppen 333
Schuppichte Haut 280
Schuppennath 410
Schwachheit 253. 294. 383
Schwacher Puls 328
= Tranck 124
Schwämme 71
Schwalbenkraut 184
= Wurtz 92. 365
Schwammicht Fleiſch 374
Schwammgewächſe 333
Schwangerſchafft 541
Schwangerer Luſt 200
Schwantzbein 205
= Pfeffer 240
Schwartz Geblüthe 448
= Häutlein des Auges 576
= Kümmel 448. 477
= Stahr 41
= Senff 304
= Weitzen 447
= Winde 358
Schwefel 647
= Wurtz 524
Schweinbrodt 88
= Todt 522
Schweiß 646
= Blätterlein 363 646
= Fieber 363. 646
= Löcher 545
= treibende Mittel 363
Schemmenkraut 547
Schwertel 342. 703
Schwertgleicher Knorpel 294
Schwere Geburth 280
= Noth 299
= Schlafſucht 169
= Sprache 112. 137. 280
Schwerer Athem 57. 97. 280
Schwermüthig 280
Schwiele 141
Schwindel 604
Schwinden 333. 414. 437. 452
= der Glieder 100
Schwindſucht 100. 531. 655
Schwindſüchtiger 530
Schwitzen 646
Schwitzfieber 288
Schwalſt 682
Scrupel 605
Seeblume 480
= Senckel 236
Sehnen 415
Seiden 610
Seidelbaſt 666
Seiffe 594
= Kraut 594
Seitengleiche Sennader 188
= ſtechen 538
Seliunck 590
Seleri 72
Senff 617
= Umſchlag 617
Sennaderſtich 560
Senneblätter 609
Serapinſafft 589
Serpentinſtein 490
Seuche 219. 460. 504

Seufzer 649
Seytuch 209. 213
Sichel 316
Sichten 234
Sieb 234
Siebung ibid.
Siebgleich Bein 307
Siechhaus 478
Sieden 281
Siegwurtzel 703
Siegmarskraut 19
Siegmundswurtz 19
Silber 425
Sinnen 13
= Benehmung 165
Singrün 201
Sirup 653
Sode 81. 203
Solenmuſcul 621
Sommerflecken 296. 409. 524
Sommerſproſſen 296
Sonde 447
Sonnenbrand 505
= Thau 583
= wende 357. 699
Sorgſaame 624
Spalt 323
= Bruch 676
Spaltung der Hare 268
Spangrün 13
Spaniſche Fliegen 148
= = Pflaſter 701
Spaniſcher Flieder 653
Spaniſche Kranckheit 424
= Pfeffer 152
= Sode 620
Spannen 220
Spannen des Halſes 292
Spannader 73. 415. 475
Spargel 93
Spatel 625
Specerey 85
Species 625
Speck-Geſchwulſt 472. 636
= Lilien 417
Speichel 590
= Fluß 557
= Röhre 278
= Wurtzel 562
Speiren 624
Speiſeröhre 485. 317
Speytranck 289. 715
Spicke 407
Spiegelhartz 213
Spierbaum 624
Spießglaß 66
Spinath 365. 629
Spinne 79
Spinnwebhäutlein 46. 78
Spindelbaum 308
Spindel am Arm 566
Spiritus 630
Spitze Zähne 249. 258
Spitze des Hertzens 464
Spitzen an den Aehren 83
Spitziger Filtrirbeutel 436
= = Fortſatz der Hirnſchale 115
Splitter der Hirnſchale 149
Sprachloſigkeit 70
Springkörner 166. 416
= Kraut 384. 406
Sprütze 295. 653
Sprung 97
Spulwurm 425
Spüräpfel 624
Stahr 167
Stabwurtz 3
Stachelbeer 349
= Nuß 676
Stadtartz 80
Stärcke 48
Stahl 180. 439

Stamm 679
= eines Baums 170
Stammeln 169
Starck Getränck 542
Starcke Artzney 276
= Muſcul 692
= Purgantz von wilden Cucumern 285
Staude 331
Stechapfel 640
Steckfluß 168
= Rüben 470
Stein 140. 421
= Alaun 581
= Bein 421
= brechende Mittel 421 598
= Buchen 159
Steindacht 43
= Eiche 382
= Flachs 43
= Flechten 414
= Klee 449
= Kohlen 420
= Löffel 404
= Marck 438
= Nägelein 84
= Oel 487. 523
= Saamen 421
= Saltz 339
Steinhartes Bein im Ohr 523
= Schneiden 421
= Schneider 422
Stendelwurtzel 493
Stengel 171
Stern im Auge 561
= Kraut 96
= Kunſt 98
= Putzen 138
Sternſchnuppen 138
Stichpflaſter 491
Steckwurtz 131
Stiel 513
Stillſtand der Monathzeit 648
Stinckender Athen 326
= = Sachen 279
Stirn 331
= Umſchlag 331
Stockfiſch 92
Stockzähne 258
Stopfende Mittel 218
Storchſchnabel 331
Stöſſer 535
Streichkraut 426
Strick 404
Stube 374
Stücke Pflaſter 430
Stuffenjahr 60
Stuhlgang 254
= Zwang 659
= Zäpflein 648
Stumpfe Zähne 352
Sublimiren 643
Sublimat 643
Sublimirgefäſſe 643
= Helm 30
Subtile Geiſter 630
Subtileſte Geiſt 80
Subtiliſiren 101
Sucher 447
Sucheiſen 626
Süßholtz 345
Süßmachen 283
Sympathie 218
Sympathetiſch Pulver 650
Synau 20
Syrup 371

T.

Tafel 451
Täglich Fieber 317. 565
Tage die was anzeigen 237. 387

Tag und Nacht 509
Tamarinden 656
Tamarisken 656
Taſchenkraut 134
= gleicher Muſcul 439
Taube Neſſel 336. 403
Taubenfuß 522
= Kropf 332
Taubheit 222. 279
Taubſucht 389
Tauſendgüldenkraut 173
Tauſendſchön 116
Taxbaum 658
Teig 440
Temperament 233. 307
Teuffelsabbiß 461
Teutſcher Ingwer 89
Thorhüter 562
Theil 510
Theile die einander gleich 617
Thorheit 461
Thymian 667
Tillkraut 54
Tinctur 668
Tiſch 451
Thon 82
Toback 654
Tobfieber 530
= Sucht 436. 530
Todter Cörper 138
Todtenfarbe 315
= Kopf 153. 210
Todte Neſſel 336
Tödliche Ohnmacht 95
Tormentille 360. 671
Trägheit 532
Träncklein 353
Thränen 400
= Canal 278
= Löcher 210
Tragant 672
Trageknoſpe 483
Tranck 353. 388. 547
= wie Milch 292
Traubenkraut 42. 126
Traum 295. 622
Trepan 459. 516
Trepaniren 675
Trichter 187. 293. 388
Triſenet 673
Tripel 677
Trocken Bad 401
Truckene Waſſerſucht 685
Trummelhäutlein 686
Trummel im Ohr 687
Truſen vom Oel 47. 315
Türckiſche Bohnen 526
= Bund 439
Tulipane 682
Tuncke 111

U. V.

Ubelgefärbt 7. 9
Uberbein 312. 337
Uble Beſchaffenheit der Galle 137
Ubler Puls 137
Ubung 312
Umfang 519
Umgang des Bluts 519
Umkehren der Augenlieder 357
Umſchlag 302
Um ſich freſſend Geſchwür 43
Um ſich freſſendes Geſchwür, wie der Krebs 153
Unaufhörend Fieber 219
Unbeſtändig Fieber 317
Unbeweglichkeit 8
Undaulichkeit 280
Unempfindlichkeit 49. 165. 641
Unempfindlich machen 470
Unflath 261. 311
= durch die Naſe 123
Unfruchtbarkeit 16
Ungedeyen 137

Unge=

Ungeduldig 286
Ungemeine Dicke 543
Ungenannte Häutlein 389
= Bein 319
Ungeriſche Kranckheit 318
Ungeſäuert Brodt 107
Ungleich 362
Ungleicher Art 61
= Puls 137
Ungleiche Ernehrung 28
= = Theilung 272
Unluſt zum eſſen 74
Unmuth 16
Unnatürliche Sachen 572
= Puls 283
Unruhe 389
Unſer Fr. Bettſtroh 337
Unſinnigkeit 60. 389
Unterbacke 131
Unterband 375
Unterbauch 1. 375
Untere Muſcul des Dammes 376
Unter Schulterblats Muſcul 388
Untertheil des Schenckels 142
Unzeitige Frucht 289
= Geburth 2
= = = = verurſachend 283
Unzertrennliche Stücklein 99
Urin 718
Veitstantz 189
Venusberg 460
= Blümlein 392
Veränderte Farbe 9
Verändrung 454
= der Kranckheit 455
Verbeſſerung 228. 310
Verbindung 255
Verborgene Eigenſchafft 482
= Kranckheit ibid.
Verborgen Meſſer 328
Verbrennen 314
Verbrennung 43. 719
Verdauung 308
Verderbung 266
Verdickende Mittel 501. 204. 216
Verdorben Geblüt 137
Verdrehung 272
Verdünnende Mittel 270
Verfallen 37. 82
Verfaulen 562
Vergehren 319
Vergeſſenheit 481
Vergiß mein nicht 182. 183
Verguldeu 253. 385
Verhärteter Geſchwulſt 601
Verhaltung des Harns 395
Verhinderte Ausdünſtung 11
= Dauung 69
Verlängung 288
Verlutirung 426
Vermehrung 101
Vermengung 232
Vermiſchen 285
Vermiſchte Artzney 215. 217
Vermiſchung 215. 232. 235. 458
Vermögen 315
Verniß 592. 699
Verpuffen 260. 311. 427
Verrencken 644
Verrenckung 311. 427.
= der Hüffte 312
Verrücken 644
Verſchluckung 254
Verſehrung der Haut 314
Verſenckung 257
Verſtand 190
Verſtopfung 290. 481
Verwachſung 69
Verwundung 314
Verzehrung 48

Victril 100. 709
Viehtherlac 268
Vierſache Muſcul 564
Vierhauptige Windel 332
Vierſchrötige Muſcul 564
Viertägig Fieber 317. 565
Viertheil 564
= eines Loths 275
Viole 704
Violenwurtzel 393
Victriol 100. 709
Vogelbeer 101
= Fuß 495
= Kraut 29
Volanten 311
Vollgalle 532
= guter Säffte 307
Vollblütig 538
Vollkommen ausgemachte Wahrheit 106
Von tollen Hunde gebiſſen 238
Vorausgeſetzter Satz 376
Vorbothe 551
Vörderſte Zähne 549
Vorgebogen 423
Vorgehen 550
= der Mutter 551
Vorgehende Urſache 551
Vorhaut 295. 548
Vorläuffer 551
Vorlegeglaß 569
Vorlippen 551
Vorrückende Fieber 552
Vorſagen 551
Vorſtoß 552
Vorwartsrücken 65

W.

Wachen 703
Wachende Schlafſucht 214
Wachholderbaum 397
Wachs 175
= Drüſen 131
= Kraut 178
= Stock 146
Wachsthum 101
Wackeln der Zähne 346
Waden 338. 649
Wadenbein 320. 521
= Muſcul 338
Wartzenkraut 188
Wärtzleincreiß an der Bruſt 81
Wäßrig Blut 380. 655
Wäßrige im Blute 612
Wäßrige Feuchtigkeit 368. 369
Wäßriger Aderbruch 372
= Geſchwulſt 484
= Nabelbruch 371
Waffenſalbe 366
Wahnwitz 256
Wahrſagung aus den Händen 186
Waldknoblauch 80. 490
Waldlilie 151
= Mangold 563
= Stroh 337
= Winde 417
Wallfiſch 179
= Nuß 396
= Rath 626
= Wurtz 218
Wand der Naſen 395
Wangen 339. 432
Wantzenkraut 497
Wartzen 321. 699
Wartzenkraut 188
Waſchen 424
Waſchkraut 594
Waſſer 418. 718
= Bitter 456
= Blaſen 369
= blutig 380
= Bruch 370

Waſſerbungen 114
= Doſt 308
= Eppich 371
= Farn 497
= Fleck am Auge 464
= Furcht 371
= Gefäſſe 694
= Krebs 184
= Lilien 480
= Melonen 56
= Nuß 676
= Mooß 711
= Pfeffer 371
= ſucht 92. 371
= = im Auge 371
= = des Haupts 370
= treibende Mittel 273. 369 371
= in der Nachgeburt 368
und Eßig 499
Weberkarten 271
Wegebreit 85
= Dorn 577
= Graß 542
Wegerich 85
Wegſenf 305. 393
Wegtritt 542
= wart 194
= weiſer 216
Weibliche Scham 244
Weichmachende Salbe 176
Weichleibigkeit 31
Weiche der Seiten 375
Weide 590
Weidaſche 196
Weinblattern 350
= Raute 586
= ſtein 657
= ſtock 708
= mit Oel 485
Weiß Fiſchbein 497
= machung 253
Weißwurtz 541
Weiſſe Augenhäutlein 18
= Augenfell 18
= Bräune 55
= im Ey 180
= Haare 147
= Hünerbrühe 413
= Linie 418
= Rhabarbar 444
= Räude 707
= Waſſerſucht 413
= Wegdiſtel 412
Weiſſer Andorn 439
= Auſſatz 29. 412
= Diptam 330
= Fluß 334
= Nichts 544
= Steinbrech 598
Weitzen 678
Welſche Bohnen 526
= Linſen 214
= Kirſchen 226
= Nuß 396
Welſcher Hirſche 504
= Peterlein 511
= Sennebaum 214
Werckſtatt 486
Werckzeug 429. 493
Wermuth 4
Weſen 305
Wetterglas 664
Weyde 394
Weyderich 429
Weydt 343
Weyrauch 666
Wickeln 317
Wircken 211. 683.
Wieder einrichten 571
Wieder Gifft 66. 120
= natürliche Sachen 572
= todt 676
= wärtigkeit gegen ein Ding 66

Wilde Garbe 322
= Granate 109
= Möhren 512
= Ochſenzunge 282
= Raute 353
= Roſen 249
Wilder Aurin 348
= Eſchenbaum 495
= Feigenbaum 151
= Haber 13
= Kerwel 469
= Oelbaum 231
= Poley 611
= Saffran 203. 209
= Senff 393
Windblume 54
Winde im Leibe 324
= Kraut 620
Windbruch 539
. Ofen 54
= Sucht 685
= treibende Mittel 157
Windel 317
= Muſcul 596
Wintergrün 563
Wirbel des Haupts 700
Wirckung 294. 489
Wißmuth 437
Wohlriechende Kertzlein 108
Wölcklein in Urin 292. 479
Wolff 101. 154. 426. 524
Wolffsbeer 509
. Bohnen 425
. Kraut 9.
. Milch 306. 356. 515
Wollkraut 697
Wollichte an den Kräutern 403
Würckung der Seele 58
Würffelbein 241
Würmer 424
Wütende Liebe 70
Wullkraut 529
Wunde 720
Wundartzt 186
. Artzney ibid. 674
. Eiſen 447
. heilende Mittel 193
. Mahl 193
. Pflaſter 535
. reinigende Mittel 4
Wunderbaum 580
. Geburt 460
. Netz 574
Wurmgleicher Anhang 76
= Muſcul 424
. Kraut 657
. Samen 593
Wurm tödtende Mittel 357
Wurſt förmige Blume 43
. Häutlein 26
Wurtzel 566
. Mann 578
Würtzkrämer 85
Wüterich 194
Wütende Geilheit 334
. Unſinnigkeit 436
Wutſchierling 194

Z.

Zähren 400
Zäpfleinkraut 375
. Muſcul 557
. Zange 635
Zäſerlein 310
Zahnen 258
Zahnbrecher Zange 328
. Fleiſch 341
. Höhlen 548
. loß 473
. Pulver 258. 484
. Wehe 483
. Zange 483
Zange 328
Zapfen 197
Zartes Pulver 431
Zaumbinde 351

Zeichen 183. 524
. gute 310
. der Kranckheit 615
Zeiger 387
Zeiland 407. 456
Zeitigende Mittel 442
Zeitloſen 209
Zeltlein 461
Zerknirſchung 220
Zermalmung 52
Zernagung 48. 228. 260
. . des Metalls mit Queckſilber 32
Zernagende Mittel 228
Zerſtoſſung 220
Zertheilende Mittel 271
Ziehende Mittel 529
Ziſer Erbſen 193
Zimmet 195
. Rinde 195
Zinn 398. 634
. Kraut 95
Zinnober 197
Zipollen 139
Zipperlein 88
. an Füſſen 540
. . Händen 185
Zittern 367. 675
Zitternd Fieber 530
Zittermahl 328. 362. 414
Zittwer 723
. Saamen 593
Zucker 587
. Candt 147
. mit Oel 284
. Rüblein 619
. Wurtzel 619
Zufall 651
Zunehmend 310
Zunge 419
Zungenbein 372
. Blat 121. 270. 375
. Riem 329
. Stein 344
Zurücktreibend 72. 571
Zuſammenbacken 385
. . drucken des Hertzens 654
. . Fügung 88. 342
. . gefügte Kranckheit. 214
. . geloffen 204
. . geſetzte Drüſen 217
. . Theile 493
. . gewickelte Kranckheit 214
. . ſtimmung 353
. . wachſung 204. 558
. . ziehen 220
. . ziehend 98. 220
Zwerchbruch 170
. Fell 266
. Muſcul 674
Zweige 566
Zweybauchiger Muſcul 269
Zweyfach Faß 271
= köpfiger Muſcul 120
. ſchneidig Meſſer 46
Zwiebel 139
. Gewächſe 133
Zwiſchennath 392
. . weite 81
Zwitter 53. 360
Zwölffinger Darm 273

ERRATA
IN INDICE PROSODICO EMENDANDA.

Pag. 1. *lin.* 6. pronunciando *lege pronuntiando.* Amphemenicus *l. Amphemerinus.* Androme *l. Anadrome.* Anthēmon. *l. Anthĕmon.* Archigeni *l. Archigĕni.* Acema *l. Aſema.* Bryopteris *l. Bryoptĕris.* Caroca *l. Carota.* Cataſtāſis *l. Cataſtăſis.* Chelodochus *l. Choledochus.* Coracochyoides *l. Coracohyoides.* Diacydonītes *l. Diacydonītes.* Diorotus *l. Dicrotus.* Elȳmos *l. Elўmos.* Epanadiplōſis *l. Epanadiplōſis.* Eſcula *l. Eſula.* Galeſinus *l. Gelaſinus.* Galetina *l. Gelatina.* Glaucōma *l. Glaucōma.* Herabotane *l. Hierabotane.* Hippolahatum *l. Hippolapathum.* Hydenterocele *l. Hydrenterocele.* Hydrōmel *l. Hydrŏmel.* Hypochyma *l. Hypochўma.* Ladanum *l. Ladănum.* Leontopetālon *l. Leontopetălon.* Liliago *l. Liliăgo.* Maſtīche *l. Maſtĭche.* Morgiones *dele.* Moſchellinum *l. Moſchellīnum.* Odotolithos *l. Odontolithos.* Oeўspus *l. Oeſўpus.* Paraeenteſis *l. Paracenteſis.* Phagopyrum *l. Phegopyrum.* Phlytaenodes *l. Phlyctaenodes.* Phyſocles *l. Phyſodes.* Proſphoromena *l. Proſpheromena.* Racēmus *l. Racĕmus.* Roriferus *l. Rorifĕrus.*